MEDITATIONUM AD INSTRUMENTUM PACIS CAESAREO ..

Heinrich : von Henninges, Josè Maria Fonseca de Evora

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO AD LECTOREM.

BENEVOLE LECTOR.

ERunt fortaſſis, qui Meditationibus hisce in Inſtrumentum Pacis Weſtphalicæ, quarum nunc Specimen primum edimus, carere optima fide orbem literatum potuiſſe ſibi perſuaſum habent, cum jam tot extent Commentaria, in hujusce Pacis Tabulas a Viris ſummis & fama eruditionis celeberrimis ſcripta, ut nobis ne quidem ad ſpicilegium quicquam reliqui feciſſe videantur. Enim vero ſicuti ego non crediderim, navem Reipublicæ litterariæ, recepto hoc onere exiguo, naufragium propterea facturam eſſe, cum alias quotidie merces ingentis ſæpe molis imponi ſibi patiatur, nullo ſuo periculo. Ita fuere mihi cauſæ peculiares, cur hoc, quicquid eſt laboris, in me ſuſciperem: non quod crediderim, idoneum me ante alios eſſe huic obeundæ provinciæ; ſed quia nemo hactenus, quod ego quidem ſciam, inventus eſt, qui rem omnem auxilio actorum publicorum pro dignitate ſatis abſolviſſet; quibus tamen qui ſatis inſtructi non ſunt, eos neceſſe eſt multa præterire vel negligere, quæ Commentatori ingenuo neceſſaria ſunt ad veritatem indagandam. Sed & ſi lubitum foret in auctores, qui huc usque hujus commatis prodiere, parumper inquirere, pateſcet procul dubio, fuiſſe cur nonnulli deſiderarent majorem in hoc argumento tractando peritiam & accurationem: neque iraſcendum forte erit, ſi quis alicubi diligentiam etiam requireret majorem, nec non prudentiam atque integritatem. Nam quid compendioſius aut magis ſuperficiarium Scutzii Synopſi? quid Fritzſchii Commentariolis frigidius ſteriliusve? Equidem adeptus quondam fuerat aliquod nomen Oldenburgerus ſuis Diſcurſibus ad Inſtrumentum

tum Pacis. Sed neſcio, quo malo omine hocce ſtudium diſcurſus appellavit, cum vix alio nomine naturam & proprietatem Scripti exprimere melius potuiſſet. Sic enim ubique more Bacchantium hinc inde diſcurrit, ut ſi ſcripto ſatis cœtera operoſo detrahere velis, quæ extra rem & ſcopum ſunt dicta, quem ſibi Interpres Inſtrumenti Pacis proponere debet, vereor, ne valde parum de reliquo habeamus, quod ad intellectum legis momentum adferre, aut ſubſidio dubitantibus eſſe poſſit. Vtitur præterea ſtylo inficeto, cui nec forma ſua nec venuſtas conſtat, intercalatis ubique fere usque ad nauſeam Germanicis dicteriis, ut, ſi quid nitidi aut feſtivi occurrat, jam certus eſſe poſſis, alieno id deberi calamo & ingenio. Debere videtur omnem eruditionem ſuam locis communibus, quos lectione variorum autorum conſarcinavit: unde ſermo ejus & narratio rerum inæqualis, ut nunc frigeat, mox ſublimitate Lectores feriat, prout ingenia Scriptorum fuere, quorum verba exſcripſit. Quodſi hanc ei ſuppellectilem abſtuleris, erit eloquentia ejus putida & fracta, cum ſine delectu & cura omnia congerat. Enimvero in rebus tradendis judicio ſufficienti adeo non fuit inſtructus, ut nec autorum, quos expilat, mentem atque ſcopum ubique aſſequatur. Quoties vero ridere alios vult, aut cenſorium calamum in quosdem ſtringit, quia nihil apud ſe ſalis vel acuminis habet, quod Satyram deceat, aut gravitatem, tum mirum dictu, quæ farrago ſcommatum atque convitiorum orationem inundet, ut finire non poſſe videatur prius, quam omnem penum ſuam hac parte evacuerit. Teſtis eſſe Satyra illa poteſt, in neſcio quem ab ipſo Scripta, qui Itinerarium ſuum, quod olim ſub Larva, niſi fallor, Conſtantini publicavit, carpſerat. Non inepte de eo judicavit non nemo, *eſſe exemplum Hominis ultra ſortem ſuam audacis, & non modo nimis libere, ſed & ſæpiſſime minus recte de rebus Imperii judicantis*. Ab Interprete ſic affecto quid boni vel egregii ſperandum eſt? imprimis cum cœco in Catholicos odio flagret, quod ubique ex occaſione promit, neque vero unquam niſi omni effuſa bile, explere poteſt. quanquam hoc partium ſtudio ab utraque parte peccatum ſit. Nam qui poſt hunc in Theatro apparuit,

alius

alius Interpres, Buckiſch nomine, velut vicem repenſurus, Proteſtantes quavis occaſione non arrodit modo & inſectatur, verum etiam ipſas Pacis Tabulas, ut Sectæ ſuæ ſerviat & blandiatur, mala ſæpe fide torquet atque explicat. Etſi fatendum ſit, & judicio majori eum præ altero pollere, & modeſtius cenſorem agere, & verba ſenſumque legis preſſius ſequi: ut de ſtylo elegantiori magisque æquabili jam nihil dicam. Poterat forte boni Interpretis laudem mereri, niſi Viennæ ſub imperio Jeſuitarum conſtitutus, non tam ex animi ſui ſententia, quam ad nutum eorum & ferulam ſcribere debuit. De cœtero Scriptor non ſemper ineptus, & qui forſan majora præſtitiſſet, ſi in Religione non egiſſet Deſultorem. In Sacris enim Proteſtantium educatus cum locum apud eos non ſtatim inveniſſet, quo ſibi dignus eſt viſus, ad caſtra Romana transfugit, ac tandem Viennæ munus Profeſſorium commendatione Patrum Societatis adeptus eſt, quorum etiam mandato obſervationes ſuas in Inſtrumentum Pacis compoſuit, licet ultra Articulum VII. non productas, ſive quod in ſuperioribus expectationi Patronorum ſuorum non ſatisfeciſſet, ideoque ipſi inhibitus greſſus eſſet: ſive quia interea Jeſuitarum odium, neſcio qua de cauſa, incurrit, quo demum expulſus Auſtria cum uxore liberisque variis locis exulavit, donec Coloniæ Agrippinæ moreretur, extremis vitæ annis ſumma cum egeſtate colluctatus, ut ſtipem fere mendicare debuerit. Viderunt eum multi paulo ante Pacem Ryſvvicenſem Ratisbonæ per aliquot menſes hærentem, occulto conſilio, relictis ſiliquis, redeundi demum ad avita Sacra, modo quis eſſet Pater, qui perdito filio annulum veſtesque daret, & mactaret vitulum. Ipſe hoſtimenti pignorisque loco offerebat, non modo retractaturum ſe, quæ in fraudem Weſtphalicæ Pacis in Obſervationibus hiſce ſcripſiſſet: verum etiam Hiſtoriam ſuam Sileſiacam, quæ inedita adhuc eſt, locis illis mutaturum, ubi quid coactus fuit in præjudicium probrumve Proteſtantium tradere. Quin ſe fraudes Pontificiorum detecturum pollicebatur, quibus deceptus ipſe ſit, ut venalem calamum haberet. Neque dubitandum, quin hæc deſtinata exitum habitura fuiſſent, ſi vitam ei paulolongius producere licuiſſet. Jam enim erant, qui ſat

Digitized by Google

tolerabilibus & honeſtis conditionibus Virum, Coloniæ fame cum ſuis pereuntem, clam allicere decreverant, idque negotii jam datum quibusdam erat. Nam præter converſionis ſtudium, quo omnes utrimque flagramus, tenebat multos deſiderium habendi Hiſtoriam modo dictam Sileſiacam, quod ſama de illa erat, eſſe conſcriptam illis adjumentis,quæ non cuivis alias pateant,cum Authori ſuppeditata fuiſſent commendatione eorum, qui in Aula illo tempore omnia poterant, & quorum in gratia ipſe adhuc florebat. Sed hæc omnia, antequam perficerentur, mors intervertit, neque de eo poſthæc mihi quicquam eſt auditum, ut jam neſciam, quid tandem Commentariis illis factum ſit, quos quinque aut ſex Voluminibus complexus dicitur, documento, quanti laboris fuerit opus. Quod vero ad Obſervationes ſupra laudatas attinet, commendari illæ nihilominus merentur, & lectu non ſunt omnino indignæ. Sed cum judicio tamen legendæ erunt, itaque mirum non eſt,ſi ſæpius nos ab illis diſſentimus, errore oſtenſo, ſi modo error vocandus eſt, quod juſſu ſuperiorum contra animi ſui ſenſa in præjudicium veritatis ſcribendum ei neceſſario fuit. Centonem Ottonis Ulmenſis non vocabo ſub examen, ſed impune dimittam, ne totos Exercitus Auctorum in me ducat, quibus majore oſtentatione quam fructu advocatis Lectori tædium ſimul creare, & terrorem tam numeroſis copiis incutere ſolet.

Sequuntur nunc duo alii Viri, fama eruditionis, & præſtantia ingenii, uti & candoris laude, prioribus longe præferendi,Deckherrum ajo & Obrechtum. Ille Profeſſoris quondam Celeberrimi Argentorati Filius, & cum adoleviſſet, Judicii Imperialis Advocatus atque Procurator. Hic primum Argentinæ,libera adhuc Civitate, munere publico functus eſt: dein Patria a Gallis ſubacta, ſtipendia togata apud Regem meruit, officio Prætoris donatus, valida diu Principis gratia, ſed quam mutatione Religionis redimere debuit, donec paulo ante obitum occaſione cauſæ Aureliacenſis, coram arbitris agitatæ, illa etiam excidiſſe dicitur, quod tamen in medio relinquo, cum audiam, Filium Patri in magiſtratu ſucceſſiſſe. Prior egregria multa, neque cuivis obvia de Pace Religioſa tradidit in

Vindi-

Digitized by Google

Vindiciis & Conſultationibus forenſibus: in quo genere ſcribendi tanto candore animi, affectibus & ſtudiis partium vacui, verſatus eſt, ut quamvis Proteſtantium Sacris eſſet addictus, tamen apud Catholicos etiam nomen ejus & auctoritas magni adhuc fiat, citatis frequenter ex Commentariis ejus locis, quoties cum Proteſtantibus rem habent. Neque ſane mirum, hunc Virum lucubrationibus ſuis altius penetraſſe aliis, in otio Scholaſtico apricantibus, dum hic interea cauſis & litibus, de Pace Religioſa in hoc Tribunali agitatis, quotidie exercebatur, ut partium fundamenta atque rationes cognita penitus habere, & ſuum etiam ſub judicium vocare potuerit. Adhuc pluris hercle æſtimandus, ni obſcuritas in dicendo & ſcabrities ſermonis non gratiam modo minuant apud Lectorem: ſed faſtidium etiam pariant, cum tædioſa attentione verbis conſtruendis ſæpe plus operæ ad eruendum ſenſum impendendum ſit, quam meditationi rerum. Credo voluiſſe imitari Tacitum; ſed infelici admodum ſucceſſu. Tacitus enim brevis quidem dictione & denſus ſententiis: ſed in ſermone ipſo planus & apertus, ni qua forte parte ſcripta ejus mutila ſunt vel inſcitia rerum antiquarum nonnullis difficilia intellectu. Hoc morbo laborare etiam Pfannerum, vetus eſt querela, qui Vir ſolida alias eruditione atque ſcientia divinarum humanarumque rerum cum maximis noſtri ſeculi comparandus, ubi latine incipit ſcribere, tanta ubique aſperitate & ſalebris Lectores fatigat atque fere enecat, ut redire poſthæc ad librum metuant, qui prima vice eorum patientiam tantopere eſt ultus: cum ſi paulo eſſet intelligibilior, magnitudine rerum, quas fide optima deſcribit, acuere etiam ſubinde deſiderium ſui potuiſſet. Provoco ad Hiſtoriam Pacis & Comitiorum, ne tanto Viro feciſſe injuriam videar, in quo illud præterea admiratione dignum, quod ſumma cum venuſtate atque facilitate Germanice ſcribat, id quod varia ab eo edita ſcripta teſtantur. Sed hæc ex occaſione Deckherri, quem legiſſe non pœnitebit, cum vix alium habeamus, qui majori cura & ingenio in hoc argumento verſatus ſit. Nam difficultas Orationis utilitate rerum, quæ ibi occurrunt, facile penſatur. Tandem ad Obrechtum venio, cujus *brevem & ſuccinctam expoſitionem Inſtrumenti Pacis Cæ-*

ſareo

ſareo Suetici cum hoc ipſo, ut & Gallico Inſtrumento, nec non Receſſu Imperii nupero ſimul editam habemus. Sed dolendum, quod brevis adeo & ſuccincta hæc ſit expoſitio, quæ ſi prolixior paulo & enarratior foret, multis dubiis ſatisfieri potuiſſet, quorum nunc ſolutionem ibi fruſtra quæſiveris. In promptu foret, penuriam huius Commentarii, per ſingula Capita Pacis eundo, velut ad digitum oſtendere. Sed ne videamur inmanes Viri injurii eſſe, hoc opere ſuperſedere placet, præſertim cum a nemine poſci ratio jure poſſit, cur libros ſuos non longiores aut diffuſos magis fecerit. Atque hi fere ſunt Auctores, quorum merita ante alios celebrantur Commentationibus in Tabulas Pacis & quorum opera me etiam aliquando adjutum non diffiteor. Sed an omnia ſic plene & exacte ſint executi, ut aliorum meditationibus nihil reliquerint, quod agant, inter alia documento eſſe poſſunt hæc ipſa noſtra Specimina: neque obtrectationem jactantiæ metuimus, ubi ipſa Rerum Teſtimonia ab hac ſuſpicione nos liberabunt, de quibus ſuum cuique eſto judicium. Interea tanta me nondum cepit Vanitas, ut perſuaſum mihi ſit, me hanc rem totam omnibus ſuis numeris abſolviſſe: quibus enim acceſſus patet ad ſecretiora literaria documenta, ut ſcrutari & legere poſſint, quam diverſis animis conſiliisque ad faciendam pacem primo convenerint, quibus artibus & machinis cœptum ſemel negotium continuatum fuerit, quas difficultates in progreſſu ſit expertum, prout ſpes vel metus unam alteramve partem viciſſim agebat, qui habitus animorum, quive reſpectus cum inter ipſas belligerantes partes, tum inter partis cujusque Fœderatos & Amicos pro re nata extiterint, quarum rerum copiam non tam Acta publica habent, quam arcanæ Miniſtrorum Relationes, quarum inſpiciendarum facultas non niſi penes eos eſt, quibus hanc ſingularem gratiam facit Dominus, vel qui pro muneris ſui ratione in pulvere illo quotidie verſantur, eos utique ampliora & longe accuratiora referre poſſe, nullus dubito. Quin ſatis non erit, unius vel alterius Archivi monumenta excutere, ubi pleraque in uſum proprium, adornata invenies paranda cognitio eorum etiam eſt, quæ ab adverſa parte conſultata atque agitata ſunt, ſi quis judicium ferre de omnis negotii natura re-

rectum & integrum voluerit. Sed quam pauci ſunt, quibus hæc felicitas contingit; quantus etiam labor, ſi vel daretur tanta poteſtas, ut notare omnia & eligere poſſis? cui ferendo unius hominis vita vix ſuffecerit, niſi quis ſe tam immenſo operi totum ab ineunte ætate mancipaverit. quantum igitur reliquum eſt, quod alii poſt præſentes omnes Commentatores agere, & in quo induſtriam ſuam exercere poſſunt? atque ſic unumquemque optime munere ſuo defungi exiſtimemus, ut in medium afferat, quæ intacta cœteris manſere, non irrita ſpe, fore aliquando, ut excuſſa omnium, aut plerorumque penu, ſi non perfectam, at ſaltem uberiorem multo atque opimiorem totius negotii cognitionem habituri ſimus. Interea fruamur illis, quæ unusquisque pro ſua ornanda provincia conferre poteſt. Nobis quæ ſcripta potiſſimum in hoc opere concinnando uſui & adjumento fuere, hic recenſere nullus eſt pudor. De interpretibus ſupra dictum. Sed profuit ante alia libellus, inter ipſos Tractatus Pacis, niſi fallor, editus titulo *Præliminaria Pacis*, ubi ordine invenies, quos progreſſus ſubinde hoc negotium tam arduum & impeditum fecerit. Tulit etiam opem haudquaquam contemnendam *Hiſtoria Rerum Suecicarum & Brandenburgicarum* Illuſtris Pufendorffii, ubi a capite ad calcem usque rei geſtæ ordo & ſucceſſus narrantur copia Actorum fide digniſſimorum. neque nullo numero nobis fuit *Hiſtoria*, quæ vocatur, *arcana Pacis*, ſive *Relatio Hiſtorica de Pacificatione Oſnabrugo-Monaſterienſi* conjuncta cum *Hiſtoria Pacis Pfanneri*, vel ideo magni facienda, quod illam potiſſimum ex Archivo Vinarienſi confeciſſe dicatur: ut candorem Auctoris atque integritatem, ejusque judicium conſummatum taceam. Denique etiam fuere non exigui uſus atque pretii apud me *Acta Lundorpii*, nec non *Theatrum* illud Hiſtoricum *Europæum*. Illud inſtar Cornu copiæ eſſe poteſt, ubi potiſſima documenta, interdum etiam Scripta privatorum ſunt collecta. Hoc, etſi genium Hiſtoricum non valde oleat, narrat tamen ſæpe ea, quæ ad actionem Pacis pernoſcendam plurimum conducunt, ſive ea ad ipſam tractationem pertineant, ſive aliis locis bello varia fortuna geſta momentum deinde attulere ad Pacem vel retardandam vel accelerandam. Vnius propemodum

Digitized by Google

dememiniſſem, cujus obliviſci religio certe fuiſſet, Eorum ſcilicet, quæ ſuperioribus & his Comitiis, nec non in Conventu Deputatorum, Francofurti ad Mœnum habito, circa reſtitutionem *ex capite amneſtiæ & gravaminum*, prout eam pax decreverat, acta ſunt. Hic, non diſſimulabo, fuere mihi iſta auxilio, ut,ſi quid aliud, cum a Præſtantiſſimis eo tempore Viris quorum plurimi tractandæ paci ipſi interfuere, maxima negotia, ſuper recto Tabularum Pacis ſenſu in utramque partem verſata, & ſummo ſtudio diſcuſſa fuerint, quanquam ſententiæ plerumque partium affectibus regerentur: ac ſi præmium Victoriæ in eo fuiſſet poſitum, qui ſpecioſiora, non qui veriora dixerit. Mire nihilominus profuit legiſſe Protocolla,& contuliſſe Partium opiniones atque ſententias, ut rectius de unaquaque cauſa formari judicium poſſet. His addo cauſas, in Judicio Imperiali, quod olim Spiræ fuit, nunc Wetzlariæ eſt, ſuper Pace Religioſa tractatas, lite ſupplicationibus & reſponſionibus inſtructa, quam in rem Blumius & Hoffmannus multa eximia habent. neque etiam ſpernenda ſunt, quæ inter Epiſcopum Hildeſienſem, Catholicum & Ejus ſtatus Provinciales Proteſtantes ſunt acta,editis publice libellis, *Speciei Facti*, ut & *Vindiciarum* atque *Anti-Vindiciarum* titulis. Plurima inſuper his in Comitiis libellis ſupplicibus in medium allata fuere, cum Proteſtantes imprimis de injuriis, ſibi Religionis cauſa contra Weſtphalicam Pacem factis, cum apud univerſos Status,tum præcipue apud Concilium Evangelicorum graviſſimas quærelas inſtituerent: ex quibus potiori loco merito ſunt, quæ inter Electorem Palatinum atque Status Proteſtantes de Statu Religionis Evangelicæ in Palatinatu Inferiore fuere agitata,operoſis & magnitudine argumenti lectu digniſſimis Scriptis, quæ mox lucem etiam aſpexere, & in omnium nunc manibus verſantur. Erunt fortaſſis, qui ex me quærent, eccur tam arduum opus aggreſſus, nullam rationem habeam Actorum Monaſterienſium atque Oſnabrugenſium; nec non eorum, quæ paulo poſt Noribergæ in Conventu Deputatorum ad Executionem Pacis propoſita fuere. Vti vero horum pleraque in publicum edita Præliminaria Pacis & Acta Lundorpii continent: ita quod ad Protocolla atque Relationes attinet, quæ ſub illud tem-

pus

Digitized by Google

pus a Miniſtris Statuum de rebus a ſe geſtis ad Dominos ſuos ſcripta fuere, eorum, ut ingenue fatear, inſpiciendorum poteſtas mihi hactenus facta non eſt, ut proinde me rivulis contentum eſſe oportuerit, quando ex fontibus haurire non licuit. Ecce igitur campum, quem alii adhuc ampliſſimum habent, quibus harum rerum eſt copia, quo ſumma laude ſua decurrant, & merita ſua publico probent, nobis ſtandum fuit, qua ire negatum.

Hæc de ratione inſtituti noſtri, nunc cum paſſim audiantur querelæ, omnes, qui hactenus in Tabulas Pacis ſunt commentati, ſtudiis Partium nimium dediſſe, maximo veritatis præjudicio, itaque nobis ſedulo curatum eſt, ut ſepoſito affectu de ſingulis cauſis & capitibus ita ferremus ſententiam, ac ſi ambæ Partes nec vinculo Religionis, nec ullo alio reſpectu nobis conjunctæ eſſent. Non ero prolixus in integritate mea commendanda, neque alios deſidero teſtes, quam hæc ipſa Specimina, modo hoc unum monere liceat, ut ſi quæ paulo inclementius aliquando adverſus calumnias & fraudes aliorum dixerim, qui ingenio ſuo abutuntur ad eludendam pacem, ne id affectibus Religioni mancipatis imputent: ſed indignitati rei, qua non poteſt non animus ſincerus commoveri, quoties induſtriam Hominum tam improbe atque malitioſe collocatam videt. Neque enim adverſus boni Interpretis officium facit, qui ſubdolis aliquando calumniatoribus iraſcitur, eoſque verbis condigne multat, modo in re ipſa verſanda æquitatem & bonam fidem non deſerat. Hoc præſtitiſſe nos tota tractatione, nullo partium reſpectu, confidimus fore qui agnoſcant etiam inter illos, quos alias minus æquos judices habituri propterea ſumus, quod nimiam libertatem arguendis aliorum dolis calamo animoq; indulſimus. Temperatum tamen hac etiam occaſione pro parte virili eſt nobis, ut ſi quid nihilominus ſit, quod ægre facit, id omne cauſæ ſit tribuendum, cujus vitia tacere non erat ſane integrum. Quod ad modum tractandi hoc argumentum attinet, diſpertiti ſumus noſtras Meditationes in certa Specimina, ordine poſt hæc edenda quorum primum, quod hic ſiſtimus, primos quatuor paragraphos Inſtrumenti Pacis continet, in publicanda amneſtia generali & ſpeciali potiſſimum occupatos. Generalis enim

paragrapho 2do & 3tio continetur. Specialis vero paragrapho 4to. Quibus hac proſpicitur, eis plerumque jactandum aliquid fuit pacis cauſa, uti per omnia fere exempla eundo conſtabit. De cætero ſi cui res hoc Specimine traditæ non videntur expectationi reſpondere, ſterilitati argumenti ut id imputetur, rogamus. Vti enim amneſtia omnis pacis baſis eſt & fundamentum, quod negotium oblivione priorum & certa quadam reſtitutione, prout inter Paciſcentes placuit, abſolvitur, non mirum utique, ſi in materia adeo communi, cujus potiſſima pars hiſtoriam ſaltem poſtulat, nihil valde ſublimis vel eximii adferre liceat. quamquam hic etiam forſan invenies, quæ aliis Interpretibus non adeo obſervata ſunt. Nam ſi aliud nihil etiam foret, id ſaltem pro nihilo non eſt habendum, quod naturam & effectus reſtitutionis ex lege amneſtiæ paulo accuratius evolvimus & a reſtitutione ex capite gravaminum diſcrevimus, quæ duo quo frequentius apud alios confundi videas, eo plus crucis figunt Interpretibus in quibusdam locis conciliandis, inter quæ tamen, hac diſtinctione probe notata, nulla plane eſt pugna. Interea rogamus Lectorem, ut brevem nobis præſtet patientiam, dum ſecundum ſpecimen prodibit. Auſim enim promittere, abſit verbis jactantia, inventum ibi quædam iri talia, quæ non ubivis obvia deſiderium & appetentiam reliquorum excitabunt. Quod tamen non ingenio meo ſed magnitudini & præſtantiæ argumenti tribuendum, cujus ea eſt conditio, ut paulo curatius excuſſum non poſſit non cupide excipi, & attente audiri. Scilicet de toto Articulo quinto me intelligi velim, cujus præcipuum objectum ſunt negotia Religionis ſive gravamina, uti vocantur, quæ maximam omnium difficultatem paci incundæ attulere, donec de iis conveniri potuerit. neque ſane tota Pacis actione rem aliam obſervabis tanta diligentia, circumſpectione & verborum rerumque copia verſatam. neque in ipſis Pacis Tabulis eſt alius Articulus, qui cum hoc ſive prolixitate & numero eorum, de quibus eſt conventum, ſive accuratione & cura in ipſis conventionibus perſcribendis, comparari poſſit.

Tandem inſcripſimus hæc Specimina titulo *Meditationum*, quod verbum dignitati & ſanctimoniæ argumenti magis convenire videtur, quam ſi *notas* vel *obſervationes*, dixiſſemus. Meditari enim quotidie pacem ut ſancte & incorrupte ſervetur, omnibus licet Notare eandem vel obſervare neſcio quid cenſoriæ arrogantiæ habet. Vale.

INSTRUMENTUM
PACIS
CÆSAREO-SUECICUM.

In nomine Sacroſanctæ & individuæ Trinitatis, Amen.

NOtum ſit univerſis & ſingulis, quorum intereſt, aut quomodo libet intereſſe poteſt. Poſtquam à multis annis orta in Imperio Romano diſſidia a) motusque civiles eo usque increverant, ut non modo univerſam Germaniam, ſed & aliquot finitima Regna, potiſſimum vero Succiam, Galliamque ita involverint, ut diuturnum & acre exinde natum ſit bellum, b) primo quidem inter Sereniſſimum & Potentiſſimum Principem ac Dominum, Dn. FERDINANDUM II. Electum Romanorum Imperatorem Semper Auguſtum, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ,

(a) *Initia horum diſſidiorum petunt plerumque a motibus Bohemicis. Sed dubium non eſt, quin paulo altius ſit adſcendendum. cum iam Rudolpho Cæſare Colonienſis Prælati defectio a Sacris Romanis: & Urbis Donawer de occupatio per Bavarum facta inteſtinas has contentiones tantopere inflammarint, ut ruptis Anno 1608. Comitiis, & alteris Anno 1613. non ſine gravi Proteſtatione Evangelicorum utcunque abſolutis occaſionem dederint. Audita etiam diu ante nomina fuere Unioniſtarum & Ligiſtarum, antequam forte de Bello Bohemico cogitatum fuerat: factionibus conflandis opportuno fomite religione. Sed prætexebantur ſemper alia, & conſcribendis primis Exercitibus nunc lis ſuper Juliacenſi ſucceſſione: nunc controverſia de Epiſcopatu Argentoratenſi ſpeciem mutuæ defenſionis præbebat, donec Palatinus Corona Bohemica ſuſcepta ingens illud incendium conflavit, quo triginta annis arſit Germania.* (Meditat, Spec, I.)

(b) *Bellum, quod inter Auſtriacos & Suecos, atque eorum utrinque federatos natum eſt, anno demum trigeſimo cepit, ut adeo, ſi diuturnitatem ejus conſideres, non amplior duo de viginti annis computus ſit inſtituendus.*

matiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Regem, Archiducem Auſtriæ, Ducem Burgundiæ, Brabandiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchionem Moraviæ, Ducem, Luxemburgiæ, Superioris ac Inferioris Sileſiæ, Würtembergiæ & Teckæ, Principem Sueviæ, Comitem Habſpurgi, Kyburgi & Goritiæ, Landgravium Alſatiæ, Marchionem Sacri Romani Imperii, Burgoviæ ac Superioris & Inferioris Luſatiæ, Dominum Marchiæ Schlavonicæ, Portus Naonis & Salinarum, &c. Inclytæ memoriæ, cum ſuis Fœderatis & Adhærentibus ex uno: Et Sereniſſimum ac Potentiſſimum Principem ac Dominum, Dominum GUSTAVUM ADOLPHUM, Suecorum Gothorum & Vandalorum Regem. Magnum Principem Finlandiæ, Ducem Eſthoniæ & Careliæ, Ingriæque Dominum, inclytæ recordationis, & Regnum Sueciæ, ejusque Fœderatos & Adhærentes ex altera parte: Deinde poſt eorum e vita deceſſum; inter Sereniſſimum & Potentiſſimum Principem & Dominum Dn. FERDINANDUM III. Electum Romanorum Imperatorem ſemper Auguſtum, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Schlavoniæ, &c. Regem Archiducem Auſtriæ, Ducem Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthyæ, Carniolæ, Marchionem Moraviæ, Ducem Luxemburgiæ, Superioris ac Inferioris Sileſiæ, Würtembergæ, & Teckæ, Principem Sveviæ, Comitem Habspurgi & Goritiæ, Landgragravium Alſatiæ, Marchionem Sacri Romani Imperii Burgoviæ ac Superioris & Inferioris Luſatiæ, Dominum Marchiæ Schlavonicæ, Portus Naonis & Salinarum, &c. cum ſuis fœderatis & adhærentibus ex una: & Sereniſſimam ac Potentiſſimam Principem ac Dominam, Dominam CHRISTINAM, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Reginam, Magnam Principem Finlandiæ, Ducem Eſthoniæ & Careliæ Ingriæque Dominam, Regnumque Sueciæ & ejus fœderatos & adhærentes ex altera parte; unde multa Chriſtiani ſanguinis effuſio cum plurimarum Provinciarum deſolatione ſecuta eſt; Tandem divina bonitate factum eſſe, ut utrinque de pace univerſali ſuſcepta ſit cogitatio, in eumque finem ex mutua partium conventione Hamburgi die vigeſima quinta ſtylo novo, vel die decima quinta ſtylo veteri Decembris, Anno Domini, milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo primo inita, conſtituta ſit dies

unde-

Digitized by Google

undecima ſtylo novo, vel prima ſtylo veteri menſis Julii, Anno Domini milleſimo ſexenteſimo quadrageſimo tertio, Congreſſui Plenipotentiariorum Oſnabrugis & Monaſterii Weſtphalorum inſtituendo; Comparentes igitur ſtatuto tempore & loco utrinque legitimè conſtituti Legati Plenipotentiarii, à parte quidem Imperatoris, Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini, Dominus Maximilianus Comes à Trautmannsdorff & Weinsberg, Baro in Gleichenberg Neoſtadii ad Cocrum, Negau, Burgau & Totzenbach. Dominus in Teinitz, Eques Aurei Velleris, Conſiliarius Secretus & Camerarius Sacræ Cæſareæ Majeſtatis, ejusque Aulæ Supremus Præfectus, nec non Dominus Joannes Maximilianus Comes à Lamberg, Liber Baro in Orteneck & Ottenſtein, Dominus in Stockaren & Ammerang, Burggravius in Steyer, S. Cæſar. Majeſtatis Camerarius, & Dominus Joannes à Crane, Juris utriusque Licentiatus Comes Palatinus, Conſiliarii Imperiales Aulici; A parte vero Reginæ Sueciæ, Illuſtriſſimi & Exellentiſſimi Domini, Dominus Joannes Oxenſtierna Axelii, Comes Moreæ Auſtralis, Liber Baro in Kymitho & Nynaas, Dominus in Fyholm, Alhult, Horningsholm, Sodorbo & Lidoo, Regni Sueciæ Senator & Conſiliarius Concellariæ, & Dominus Joannes Adler Salvius, Dominus in Adlersberg, Harſefeld, Wildenpruck & Tullinge, Regni Sueciæ Senator, Regiæ Majeſtatis Conſiliarius Secretus, & Aulæ Cancellarius, poſt invocatum divini Numinis auxilium, mutuasque Plenipotentiarum tabulas rite commutatas præſentibus, ſuffragantibus & conſentientibus Sacri Romani Imperii Electoribus, Principibus ac Statibus c) ad Divini Numinis gloriam & Chriſtianae Reipublicæ ſalutem in mutuas Pacis & amicitiae Leges conſenſerunt, & convenerunt tenore ſequenti.

(c) *En Tibi hic jura Statuum in ferenda pace accurate deſcripta: debent enim præſentes eſſe in pace tractanda, debent ſuffragari: & denique debent etiam* conſentire. *Præſentia requiritur non abſolute perſonalis, ſed ſatis eſt, ſi per Legatos ſint præſentes. Suffragia ad deliberationem pertinent, non modo an pax ſit facienda: verum etiam quibus conditionibus. Utrinque enim ſolus Imperator ſine ſtatuum ſuffragiis decernere nihil omnino pot-*

 eſt

eſt, id quod art. 8. ℣. gaudeant, ſumma cura eſt conſtitutum. Tandem vero etiam, etſi de conditionibus convenerint paciſcentes, abſolvere itidem pacem & concludere Imperator haud magis poteſt, antequam conſentiant Status manifeſto documento, ipſos non in conſilium ſaltem circa pacem tractandam vocari, verum etiam de ſummo jure & poteſtate ejus pangendæ participare, atque adeo eam circa rem ſi non plus: at certe minimum tantum poſſe, quantum Imperator, quocum jura Majeſtatis ex æquo communia habent: neque ſane multum intereſt, ad Formam Reipublicæ, *an* modum adminiſtrandi *iſta referas. Excogitarunt hanc diſtinctionem politici quidam minorum gentium, quibus non eſt animadverſum, modum adminiſtrandi, quando eſt legibus patriis deſcriptus, ac proinde immutabilis, nihil revera aliud eſſe, quam ipſam reipublicæ formam, de qua judicium vix aliter tuleris. Neque ingenioſiores ſunt altera ſua diſtinctione inter poteſtatem abſolutam & limitatam, perinde enim eſt, ſive modum adminiſtrationis dixeris, ſive poteſtatis habendæ conditionem. Prout enim hoc abſolute vel limitate, exerceri poteſt, ex eo judicium fieri de forma reipublicæ neceſſe eſt, niſi forte claudum non appellamus, quem grallis incedere oportet. Ludibrium merito debent ſubtiles illæ in re practica ſpeculationes de actu primo & ſecundo, vel actus exercitio. Neque enim in moralibus potentia in conſiderationem venit, ubi perpetuum impedimentum actui ponitur; & qui alteri promittit, ſe omni vitæ ſuæ tempore non amplius locuturum, vi pacti, ſiquidem obligat, pro muto recte habetur: cum æſtimatione morali idem ſit non loqui poſſe & non loqui debere. Demus hoc Grotio, non deſinere ſummum eſſe imperium, etiam ſi is, qui Imperaturus eſt, promittit aliqua ſubditis, etiam talia, quæ ad Imperii rationem pertineant. At certe deſinet apud unum eſſe, quando in communionem uſus alii vocati ſunt, ſine quorum ſcitu, ſuffragiis & conſenſu nec conſuli quicquam, nec decerni poteſt, quod ad ſummam reipublicæ ſpectat. Qui negant jura majeſtatis communicari poſſe, inepti prorſus ſunt, & miſeratione digniores quam reſponſo, cum tota fere Europa illos erroris arguat. Et in Electitiis quidem regnis res dubitatione caret, ubi cum Imperaturo agitur, quam partem regiminis habere ipſe poſſit, & quam ſibi Proceres velint retinere. Vacante regno totum eſt in poteſtate populi: & integrum eſt, abſtinere ſe imperio, cui conditiones non placent. Diſtinguant alii ex ſuo ingenio inter abſolutam poteſtatem, & ſummam, atque hanc, ſummam inquam etiam limitatam eſſe poſſe ſibi perſuadeant, nobis in genere imperiorum, non videtur ſimul ſtare poſſe ſummum eſſe & eſſe limitatum, quoties non creditur nudis Imperaturi promiſſis; ſed Proceres etiam in adminiſtrationis publicæ conſortium admittuntur, aut potius illam partiuntur*

cum

Digitized by Google

cum Electo Principe, ut communi opera clavum regant atque negotia Civitatis tractent. Tum enim miſceri formam & ex Monarchia atque Ariſtocratia aliam ſpeciem conſlari, res ipſa loquitur, cui verborum lenociniis, aut Scholaſtica diſputandi ſubtilitate non ſit præjudicium, neque etiam imago & ſplendor externa Majeſtatis turbare quem debet, qui potius ad vim Imperii, quam nominum titulorumque pompas cæteraque inania animum advertit. Verum equidem eſt, non jurare Imperaturum, imperio ſuperioris adactum: ſed ſua ſponte approbare conſignatas conditiones. Enim vero ſi conditiones iſtæ hoc modo ſint conſignatæ, ut plurima & præcipua jura Majeſtatis populus, ad quem poſt obitum Principis ſumma totius reipublicæ rediit, ſibi cum novo Imperante communia eſſe velit, & de hoc ſibi expreſſe pacto caverit, non eſt quod moveamur ſimulacris, quæ imperitiorum ſæpe oculos feriunt. Imprimis vero eſt nomen Majeſtatis ſic comparatum ut niſi probe attendas, vocis ambiguitate decipi facile, & falſos tibi fingere conceptus poſſis; Unde non intelligo, cur adeo eorum ſententiam damnemus, qui inter Majeſtatem perſonalem & realem *diſcrimen fecere, ut in id genus formis mixtis alia ſit Principis alia Reipublicæ Majeſtas. Illa domi foriſque nomen, magnitudinem & dignitatem reipublicæ ſuſtentat, cæteraque munia obit, ex lege ſibi commiſſa. Hæc omnia jura ſummi imperii comprehendit, quatenus ea Princeps cum Proceribus communia habet, atque his præſentibus, ſcientibus, ſuffragantibus & conſentientibus exercet. Illius ſubjectum proprium eſt Princeps: hujus reſpublica univerſa. Illius operationes in aula maxime conſpiciuntur: hujus in Comitiis. Non eſſe unam eandemque, Majeſtatem vel ex eo intelligimus, quod inter ſe non raro contendant & collidantur, & majeſtas realis ſæpe acta Principis ſub judicium ſuum vocet & poteſtatis male uſurpatæ arguat. Quin reſiſtere etiam aliquando poteſt, & libertatem populi tueri, iis mediis, quæ lege præſcripta ſunt coercendæ licentiæ. Ridendos profecto ſe præbent, qui fide pactorum hæc omnia m tiuntur, populumque ſolantur vindicta perjurii, a Deo expectanda, negantque rempublicam ſibi conſulere poſſe adverſus injurias contra pacta conventa illatas. Diu eſt, cum Puffendorffius invictis rationibus debellarit abſurdam illam opinionem de cauſa Majeſtatis immediata Deo, cujus olim propugnator ante alios extitit Hornius. Hac autem profligata res omnis ex natura pactorum metienda erit, quorum hæc eſt conditio, ut fallente uno alter promiſſis liberetur. Hæc pacta ſive leges dicamus, ſive conventiones nihil intereſt. Ineuntur quidem initio libero utrinque conſenſu citra coactionem ſuperioris. Ex quo autem ſemel placuere, & deinde univerſa Civitas rogatis omnium, adquos ea res pertinet, ſententiis iſta in legem valere juſſerit,*

atque hoc modo promulgarit, quin deinde ſingulos, Principem & Proceres etiam ex præcepto obligent, non eſt dubium: quo pacto leges fundamentales, uti appellant, erunt etiam ſenſu proprio leges. Plerumque quæ pactis ejusmodi promittuntur, hanc conditionem habent, ut irritum ſit, quod contra factum erit. Quare ſi quid deinde Princeps diverſum jubet ei recte negatur obſequium, cum videatur nihil juſſiſſe obſtante lege. Aliquando etiam ſtipulatur populus, caducum imperium propter fractam fidem, quo caſu ſi res ad arma venerit, a rebellionis crimine liber erit, cui ea fracta eſt. Quæ enim non hæc foret indignitas & injuſtitia, ut populus, qui libere ſibi Principem certis legibus conſtituit, gravia omnia & dura contra datam fidem ab eo pati teneatur, ex quo ſemel creatus eſt Princeps, utcunque pactorum & juramenti immemor pro libidine & animi voluptate imperitare velit, non obſtante, quod Populus conventione ſolenni & jurata præcipuas in adminiſtranda republica partes communes ſibi cum Principe fecerit, atque adeo ipſe vim & jus imperii, quod alii majeſtatem realem vocant, ex æquo participet. Non moramur hic eos, qui forte excipiunt, talem Principem, qui diviſo cum Populo vel Proceribus imperio reipublicæ præeſt, non eſſe Principem vere & ſenſu politico, neque habere Majeſtatem. Sentient profecto iſti, ſi veniendum ad exempla eſſet, & judicandum de ſingulis, quibus ſe difficultatibus implicuerint. Neque enim pronunciabunt facile, cui detrahenda Majeſtas, & cui addicenda. Nam ſicuti conſtrictiſſimi nonnulli Principes utuntur Majeſtate; ita quidam alii abſolutiſſimi appellatione illa abſtinent. Neque valde diu adhuc eſt, cum Moſcoviorum Princeps a nonnullis Europæ Regibus titulo Majeſtatis nondum honoraretur cum Reges Polonorum, utcunque in liberrima republica ab omnibus tota Europa illam ſine contradictione ferrent. Quæ res me dudum dubitare fecit, an conſultum ſit in doctrina politica, nomen Majeſtatis, quod ambiguum adeo eſt, & titulis magis convenire videtur quam cauſæ, de ſummo in quavis republica imperio prædicare. Certe veteribus Latinis hæc vox nihil aliud ſignificabat, quam cujuscunque rei amplitudinem cum aliquo augmento & pondere. Hinc etiam de rebus aliis dicitur, ut majeſtas orationis. majeſtas ſolii &c. Præcipue tamen uſurpapatur, quoties ſingularem dignitatem & magnitudinem cujusdam perſonæ, vel ejus conditionis in republica deſignare volebant, unde Majeſtas imperatoria, Majeſtas Conſulis, Majeſtas patria. Tandem uſu invaluit, ut hoc nomen inter titulos ſit relatum, qui non niſi regibus tribuuntur, & illis etiam, qui de cœteris ab illa definitione Majeſtatis multum abſunt, prout ea apud Politicos habetur: quæ ſi

alii

Digitized by Google

alii melius expendiſſent, forte non opus fuiſſet ſuperiori diſtinctione inter Majeſtatem perſonalem & realem, cum quod ad realem attinet, appellatione ſummi Imperii contenti eſſe potuiſſemus, relicto Majeſtatis titulo illis, quos dignitas regia, vel ſi qua huic par eſt alia, aptos ad id facit: de cœtero haud ſolliciti, quantum tales in republica poſſint. Sed ardor diſſerendi de hoc argumento me longius abripuit, quam initio cogitaram. Cum occaſione verborum proœmii noſtri id ſaltem docere voluerim, de pace, quæ præſentibus, ſuffragantibus & conſentientibus Electoribus Principibus & Statibus initur, ſic eſſe comparatum, ut ejus faciendæ poteſtatem Status cum Cæſare communem habeant: non vero ut hanc Cæſar ſolus pangere poſſit, dummodo certiores faciat Status, quibus conditionibus paratus ſit paciſci, atque eorum conſilium roget. Quod quibusdam viſum, quibus potius eſt adulandi ſtudium, quam ordinum concordiæ ratio.

ARTICULUS I.

PAx ſit Chriſtiana a), univerſalis b), perpetua c), veraque & ſincera amicitia d), inter Sacram Cæſaream Majeſtatem, Domum Auſtriacam, omnesque ejus

a) Formula ſolennis in pacificationibus. Alias ejusmodi Paces non tam Chriſtianæ ſunt, quam inter Chriſtianos, exemplo aliorum rituum ciuilium. Pax vere Chriſtiana, quam Chriſtus Eccleſiæ ſuæ reliquit & quam Chriſtiani inuicem colunt amore atque ſinceritate affectuum, vti ſcripto verborumque ambagibus opus non habet, ita mutuis conuentionibus neque conſtituitur, neque datis Prædibus munitur. Sed Dei donum eſt, quod ſuis confert ſpiritus ſanctus ſuper omnem humanæ rationis intellectum.

b) Scilicet inter Cæſarem ejusque Fœderatos, & Suecum eiusque Fœderatos. neque enim tota Europa inter Chriſtianos populos pax fuit, cum poſthac Galli Hiſpanique vltra decennium bello ſe laceſſiverunt, donec An. 1659. Pax etiam Pyrenaica conficeretur: vt alia bella taceam, cum inter ipſos Anglos, tum inter hos & Batauos, temporibus Cronvelli Protectoris.

 c) Hæc

ejus fœderatos, & adhærentes, & ſingulorum hæredes & ſucceſſores, inprimis Regem Catholicum, Electores Principes ac Status

c) Hæc nota eſt quaſi characteriſtica Pacis, vt ſit perpetua; diſtinguitur ab omnibus induciis, etiamſi centum annorum eſſent. Nam ſi inter bellum & pacem nihil eſt medii, quod vulgo aiunt, induciæ autem quorumcunque annorum ad bellum pertinent, pacem neceſſario perpetuam eſſe oportet, cum quæ tempore circumſcribitur, in induciarum nomine veniat. Interea ſi omnis pax natura ſua eſt perpetua, exiſtimare aliquis poſſet, hanc vocem *perpetua* fruſtra adiectam, cum nomine Pacis comprehenſa ſit & intelligatur: ex aduerſo cum pacem perpetuam dico, videor mihi etiam aliquam temporalem ſtatuere. Neque abſurda adeo hæc eſt ſententia habenda, quamuis receptæ opinioni non usque quaque ſit conformis. Cur enim induciæ, quibus ab omni actu bellico ceſſatur, ad bellum magis, quam pacem pertinent? Scilicet reſpondent, bellum etiam eſſe, cum manente ſtatu belli, actus bellici ſuſpenduntur ex pacto. Sed prius videndum eſt, quid ſit proprie ſtatus belli, antequam de manſione ejus ſententia feratur. Si bellum ipſum eſt ſtatus per vim certantium, ſtatus belli erit procul dubio eiusmodi ſtatus. Ex eo facile intelligo, inducias dierum aliquot, forte ſepeliendorum mortuorum cauſa, aut vt interea de conditionibus dedendæ vrbis agatur, initas, vere tales eſſe, dum omnia in eo ſtatu manent, vt exeuntibus illis, per vim certari iterum poſſit. Nam & ſub ſignis habentur milites, & omnia in parato ſunt ad vim inferendam. Neque de induciis aliquot menſium difficilis ero, ſi nihil præter armorum ſuſpenſionem ſit pactum, veluti ſi poſt acceptas dubio Marte clades vtraque belligerantium pars inducias ideo fecerit, vt minori impedimento habendo delectui, & conſcribendo militi in ſupplementum vacare poſſit: aut, vt muniendis locis opera detur. Sed quid dicendum de induciis vnius pluriumue annorum? ex fine iudicandum arbitror, an ſtatus belli maneat, vel non maneat. Nam ſi hac fini pactæ ſunt, vt interea partes, mutuis cladibus feſſæ, ad reparandum bellum eo melius ſe comparent, quæ etiam ſtatim reficiendis viribus incumbunt, nemo ſane dixerit, bellum finitum eſſe. Sin vero de induciis exempli gratia triginta, quinquaginta aut centum annorum non modo convenit: verum etiam transactum ſimul magna accuratione fuerit, quæ loca quisque retinere, quæque reſtituere debeat? qui termini ſint vtriusque belligerantium Imperii? quas habere copias in limite liceat, aut quæ loca operibus munire, vel non munire fas ſit? Ad hæc tempore induciarum iſtarum dimittatur miles, omittantur apparatus bellici, nec quicquam eorum amplius fiat, quod ſtatum belli indicet, vtique ego hunc ſtatum paci, quam bello propiorem

tus Imperii ex una, & Sacram Regiam Majeſtatem, Regnumque Sueciæ, omnesque ejus fœderatos & adhærentes & ſingulorum hæredes ac ſucceſſores, inprimis Regem Chriſtianiſſimum ac reſpective Electores, Principes, Statusque Imperii ex altera parte. (e) Eaque ita ſincere, ſerioque ſervetur & colatur, ut utraque pars

piorem dixerim. Et quamuis eiusmodi conuentio induciarum nomen retineat, erit tamen longe alius generis a ſuperioribus pactis, nec quisquam valde errauerit, qui eam ſaltem diſtinctionis cauſa Pacem temporalem appellare vellet, quo ſenſu in hoc noſtro textu Inſtrumenti Pacis pax perpetua oppoſiti vim haberet. Id quod tamen in medio relinquo.

d) Hæc, vt ſtatim deſcribitur, conſiſtere debuit in eo, vt 1. vtraque pars alterius vtilitatem, honoremque, ac commodum promoueat. 2. vt vtrimque fida vicinitas ſit, & ſecura ſtudiorum pacis atque amicitiæ cultura. An poſthæc ab vtraque parte huic promiſſo ſatis factum fuerit, res poſt pacem Weſtphalicam geſtæ documento eſſe poſſunt, nobis etiam non teſtantibus. Nam ſi bona fide hæc amicitia culta foret, nec tot bellis poſt ſubſecutis, nec nouis pacificationibus opus fuiſſet.

e) Duæ igitur hic partes Principales compaciſcentes, ex vna Cæſarea Majeſtas Domus Auſtriaca, omnesque eius Fœderati & Adhærentes, & ſingulorum hæredes atque Succeſſores. Inter hos ſpeciatim nominantur Rex Catholicus, itemque Electores, Principes ac ſtatus Imperii. Ex altera Regia Majeſtas Regnumque Sueciæ, omnesque eius Fœderati & Adhærentes, & ſingulorum hæredes atque ſucceſſores. Inter quos rurſus nominantur Rex Chriſtianiſſimus, & reſpectiue Electores, Principes, ſtatusque Imperii. Hic forte offenſioni Electoribus eſſe poſſet, quod Domus Auſtriaca ante eos ponitur, niſi & ante Regem Catholicum ſtaret quemadmodum etiam Regnum Sueciæ Regi Chriſtianiſſimo eſt præpoſitum. Belligerantium igitur ab vtraque parte duo ſunt genera. Vnum, quod autor velut & motor belli, Domus Auſtriaca, cuius Fœderati & adhærentes nominantur Rex Catholicus, & Electores, Principes ac Status Imperii: & alterum, Rex regnumque Sueciæ, cuius item Fœderati atque adhærentes Rex Chriſtianiſſimus, ac reſpectiue Electores, Principes Statusque Imperii: id quod honori illorum ſtatuum Imperii datum videtur, qui ductum auſpiciaque Suecorum ſecuti ſunt, ne ipſis contra Imperatorem ſuum cum Suecis ſteriſſe crimini dari poſſet. Quanquam enim ſupra Cæſarea Majeſtas cum Domo Auſtriaca coniuncta ſit, id tamen alia ratione factum eſſe non potuit, quam quod caſu euenerit, vt caput familiæ Auſtriacæ illo tempore Imperator fuerit. Sed quid hoc rei eſt, quod ſtatus illi, qui Suecorum Fœderati & Adhærentes appel-

Digitized by Google

pars alterius utilitatem, honorem ac commodum promoveat, omnique ex parte & univerſi Romani Imperii cum Regno Sueciæ & viciſſim Sueciæ cum Romano Imperio fida vicinitas, & ſecura ſtudiorum pacis atque amicitiæ cultura revireſcant ac reflo reſcant.

II.

Amneſtia generalis & perpetua.

Si utrinque perpetua oblivio a) & Amneſtia b) omnium eorum,

appellantur, aduerbio *reſpectiue* deſignentur, cum id ipſum paulo ante omiſſum fuerit, vbi de Fœderatis & Adhærentibus Domus Auſtriacæ ſermo erat? Commodiſſimus eſt ſenſus, id hac fini factum eſſe, vt intelligatur, cum in ſuperioribus Status Imperii vniuerſe Fœderati & Adhærentes Imperatoris nuncupentur, non omnes fuiſſe, qui cum eo arma geſſerint; ſed alios etiam cum Suecis bellaſſe pro libertate religionis & Patriæ. Neque enim ſuſpicari fas eſt, id *reſpectiue* Auſtriacorum artibus id circo irrepſiſſe, quo ſociis Suecorum infidelitatis aut defectionis notam inurerent: quamuis non abs re ſit, æquiorem amborum futuram fuiſſe conditionem, ſi vocabulum illud aut vtrobique fuiſſet additum, aut nuſpiam, præſertim in tanta ingeniorum malignitate, quæ captare ſæpe verba in aliorum contumeliam ſolent. Adhæc vocabulum ſeu Terminus *Adhærentes* an honori & exiſtimationi Fœderatorum ſatis conueniat, fortaſſe dubites. Abiectum enim quid & vile ſonat, quod infra dignitatem ſociorum belli videtur. Hodie ſane eo vix vtemur, & obſeruare licet, Tabulis pacis tam Neomagenſis, quam Ryſvicenſis hanc vocem omiſſam eſſe. Quicquid ſit, adhibenda interpretatio erit, quam res & fama Fœderatorum poſtulat præcipue cum inter Reges & Status Imperii hoc loco nullum diſcrimen conſtituatur: id quod alias plane non eſſet tolerabile.

Artic. II.

a) Obliuio & amneſtia idem ſunt. Illud vocabulum latinum eſt, hoc græcum. Perpetuam eſſe oportebat; ſed num fuerit, merito dubites, quando facta teſtimonium dicunt in contrarium. Nobis hic manum de tabula, ne vetera & obſoleta inſimulemur refricare voluiſſe, cum ſæpius interea muros intra Iliacos & extra peccatum fuerit.

b) Hæc vti omnis reconciliationis inter inimicos fundamentum eſt, vt præteritorum obliuio & abolitio ſanciatur, ita etiam ad cuiusuis pacis firmitudinem pertinet, quæ nulla ſecuritate niteretur, ſi ex ſuperioribus iniuriis, quibus aut ad bellum inferendum prouocati ſumus, vel quæ in ipſo bello ardore ſtudiorum emerſere, animum hoſtilem agere, aut retinere ſenſum inimicitiarum liceret. Vt proinde ad inuidiam dicta appareant, quæ Legatus Bauarus

Digitized by Google

eorum, quæ ab initio horum motuum c), quocunque loco modovè

Bauarus in conuentu deputationis, Francofurti celebrato aliquando contra hanc amneſtiam effutiit magis quam pro grauitate Oratoris dixit: Es wolte faſt ein iedweder ſeine alte verdorbene Schäden durch die im Inſtrumento Pacis erfundene Panacæam der reſtitution ex capite amneſtiæ & grauaminum heilen. Scilicet per belli tempora Bauarus multa vi armorum ad ſe traxerat, non Electoratu tantum & Palatinatu ſuperiori inuaſo; ſed & alibi occupatis plurimis cum iniuria finitimorum. Horum igitur reſtitutio cum ex amneſtia poſt pacem peteretur; bilem Bauaro hoc nomen mouiſſe videtur. Sed & *vtrimque* hanc amneſtiam ſeu obliuionem eſſe oportet. Alienum enim a pacis natura eſt, vt vnus memoriam iniuriarum damnorumque deponat, alter ſeruet vltionis propoſitum.

c) Obiectum huius amneſtiæ ſunt 1. *omnia ab vna vel altera parte vltro citroq; hoſtiliter facta.* Non igitur omnia facta, ſed *hoſtilia* ſaltem huc pertinent. Hinc excluduntur (1) quæ facta ſunt extra reſpectum actuum belli vel hoſtilitatis, & 2 quæ vna pars fecit absque alterius iniuria vel damno. Nam hoc vltro citroque factum eſſe non intelligitur.

II. Interea tamen *omnia* hoſtiliter facta comprehenduntur, vt vniuerſalem eſſe amneſtiam intelligamus ſine vlla factorum hoſtilium exceptione. Hoſtilia tamen facta ea intelligimus, quæ iure belli & more hoſtium, non prædonum aut latronum fiunt.

III. Facta hoſtiliter *ab initio horum motuum.* Hoc *ab initio* non ita capiendum, ac ſi ea, quæ poſtea inter belli tricennalis vices hoſtiliter facta ſunt, huc non pertinerent. Nam *τὸ ab initio* ſaltem deſignat terminum, a quo computanda ſit factorum hoſtiliter ratio, quorum deinde terminus ad quem omne medium belli tempus eſt, vsque ad pacem.

IV. Verba *ab initio horum motuum* procul dubio idem ſibi volunt, quod articulo quarto dicitur, *ante motus Bohemicos.* Scilicet vt omnia, quæ ab initio motuum Bohemicorum hoſtiliter vltro citroque facta ſunt, amneſtia aboleantur. Quanquam enim Bohemiæ Germaniæve motibus Rex Sueciæ anno demum trigeſimo ſuperioris ſeculi ſe implicuerit, ex quo edictum Ferdinandi II. Statibus Euangelicis, qui de bonis ſuis Eccleſiaſticis & libertate religionis periclitabantur, eius in auxilium aduocandi neceſſitatem impoſuerat. Amneſtia tamen generaliter poſt longas & difficiles diſceptationes, cedentibus tandem Cæſareanis, retracta fuit ad *hoſtilia motusque ciuiles a multis annis in Imperio Romano* exortos, prout hoc proœmium Inſtrumenti Pacis indicat. Imo cogitandum, annon liceat altius retroire, & illa etiam hoſtilia facta comprehendere, quæ ante motus etiam Bohemicos inter ſic dictos Vnioniſtas

dovè d), ab una vel altera parte e), ultro citroque hoſtiliter facta ſunt, ita ut f) nec eorum g), nec ullius alterins rei cauſa vel prætextu h) alter alteri i) poſthac quicquam hoſtilitatis

niſtas & Ligiſtas cum occaſione ſucceſſionis Juliacenſis, tum aliarum ſimultatum cauſa, nonnunquam exſtitere. Mihi id ipſum per verba ſequentia, *nec ullius alterius rei cauſa*, valde ſit veriſimile, de quibus paulo deinde, nihil tamen deciſum cupio.

d) Quod ad locum attinet, quæritur, ſi extra ditiones & imperia eorum, qui huius belli conſortes fuere, quicquam ab alio contra alium hoſtile patratum fuerit, an id ipſum etiam hac amneſtia abolitum ſit. Ponamus caſum, Miniſtros Cæſaris & Regis Sueciæ forte in aula Poloniæ Regis, qui extra iſtorum motuum iactum erat, per contentiones hoſtili ſe modo excepiſſe, num vbi belli theatrum non eſt, hoſtilium factorum ex hac ſancita amneſtia obliuio erit. Saluo aliorum calculo affirmandum crediderim, quia finito ſemel bello, & promulgata amneſtia generali, odia ex diuerſitate locorum non ſunt relinquenda. Sed de *modo* aliquanto cautius eſt diſpiciendum. Quia enim eorum ſaltem ſtatuitur obliuio, quæ *hoſtiliter* id eſt, *more hoſtium*, & iure belli ſunt facta: ideoque ſi quid latronum prædonumue nomine venit, hoc priuilegio gaudere non poteſt. Sicarios etiam atque veneficos inde remoueri, qui Principum vitæ inſidiantur, nullum dubium. Addamus etiam incendiarios, ſi clam ſubiectis ignibus graſſi ſint, neque illud ex ratione belli in expeditione fecerint, quorum longe alia eſt conditio.

e) Amneſtia igitur inter partes. quæritur an etiam inter eos, qui ex vna belligerantium parte ſunt? non videtur; quia inter Fœderatos atque ſocios cum facta hoſtilia non dentur, nec obliuio nec amneſtia eorum ſanciri poſſit. Hac tamen explicatione, ſi forte menti paciſcentium non conuenit, beneficio amneſtiæ fraudi eſſe nolumus.

f) Effectus amneſtiæ triplex 1) abolitio omnium perſecutionum, ſiue id via facti fiat, ſeu ſpecie iuris 2) perpetua obliuio omnium eorum, quæ alter aduerſus alterum eo nomine prætendere poſſit 3) reſtitutio, de qua articulo ſequenti. Sed nunc ſingula conſtitutionis huius verba accuratius expendenda ſunt.

g) Scilicet quæ ſupra dicto modo vltro citroque hoſtiliter facta ſunt.

h) Horum verborum latitudo non ſine cauſſa nos torquet. Nam cum in ſuperioribus obliuio & amneſtia ſaltem eorum ſit conuenta, quæ vltro citroque hoſtiliter facta ſunt, mirum ſane videri poteſt, nunc effectum eius vlterius porrigi, neque iſtorum tantum perſecutione interdici, ſed & vllius alterius rei ex quacunque cauſſa vel prætextu. Fac enim, habuiſſe quem contra alium ab initio horum motuum actio-

tis aut inimicitiæ, moleſtiæ, vel impedimenti, quoad perſonas, ſtatū, bona

actionem de perſona, de ſtatu, de bonis, de ſecuritate, quæ nullam ex bello Germanico cauſſam habet, quis hanc ei amneſtiæ obtentu, quæ eius generis obligationes non tollit, eripiet? cum articulo quarto §. Contractus &c. illæ ſaltem obligationes, contractus, tranſactiones & debita aboleantur, quæ vi metuue Statibus eorumque ſubditis illicite extorta ſunt: reliqua vero ad perſecutionem iuris reiiciantur. Quid hic dicam, mihi ſane non ſatis liquet. Vereor enim, vt legem hic matæologiæ aut dicacitatis arguam. Quodſi ſaltem de hoſtilitate aut inimicitia ſermo eſſet, facilis eſſet expediundæ difficultatis ratio. Sed prohibetur etiam, ne quis alteri moleſtiam aut impedimentum inferat: id quod ne ad prohibitionem trahatur, ne quis iure experiri poſſit, cum ratio iuſtitiæ vniuerſalis obſtat, tum vero natura amneſtiæ, quæ iniurias quidem & damna, belli iure illata abolet, nemini vero ius ſuum aufert. Hinc expreſſe cautum eſt articulo tertio §. 2. reſtitutiones ex capite amneſtiæ omnes & ſingulas intelligendas eſſe *ſalvis iuribus quibuscunque.* Quodſi alteri hac reſtitutione ius ſuum perſequendi non ſublatum, quanto magis integrum ei erit, cum iis iure experiri, quos ad dandum aliquid vel faciendum ex aliis cauſſis obnoxios habet? Et quoniam hæc vtique extra omnem controuerſiam ſunt poſita, ideoque manifeſta æquitas cogit, vt verba textus noſtri ſub aliquo reſpectu accipiantur. Hinc omnibus diligenter perpenſis ita ſentio: Cum interdicitur, ne alter alteri non modo eorum, quæ vltro citroque hoſtiliter facta ſunt, cauſa, ſed nec vllius alterius rei prætextu poſthac quicqum hoſtilitatis, inimicitiæ, moleſtiæ vel impedimenti inferat, ea prohibitione duplicem nocendi modum amoueri. Primo ne cauſa hoſtiliter factorum cuiquam palam noceatur, & ſecundo, ne prætextu quidem alterius rei, ſed revera vindictæ cupidine, ex memoria damnorum ante hac bello acceptorum alter alteri moleſtiam faceſſat, *quoad perſonas, ſtatum, bona vel ſecuritatem,* qua ratione nemini facultas arbitriumque aufertur iure experiundi legitimis actionibus. Sicut igitur hoſtilitas & inimicitia illicitarum actionum ſunt vocabula: ita *moleſtia* & *impedimentum* eodem ſenſu hic accipienda. Neque enim re moraliter penſitata, moleſtiam quis aut impedimentum exiſtimatur ſenſiſſe, quem iuſta ex cauſſa in iure interrogamus, eumque ad iudicatum ſoluendum cogimus, etiamſi eiusmodi actio ipſi moleſta propterea eſſe poſſit, quia ſua ſponte non præſtat, quod mihi debet: quare illud vocabulum *prætextu*, ego ſingulariter ad præcedentia, *nec vllius alterius rei*, traho, vt intelligamus, in aliis rebus prætextus ſaltem improbari, non

bona vel ſecuritatem l) per ſe vel per alios, clam aut palam, directe, vel indirecte, ſpecie juris aut via facti, in imperio aut uſpiã extra illud m), (non obſtantibus ullis prioribus pactis in contrarium facientibus

non iuſtas agendi cauſſas: cum ex aduerſo iuſtus etiam dolor, ex ſenſu hoſtiliter factorum conceptus. condonandus & obliuione premendus ſit. Confirmant hanc meam opinionem ſequentia: Neque enim id cuiquam permittitur, ſiue per ſe alteri moleſtiam aut impedimentum creet, ſive *per alios*. Sed quo iure ego impedire alium potero, ne iure ſuo vtatur? Enimuero ne incentore me aut concitore faciat, quin prohibeas, nihil obſtat? additur *clam* aut *palam*, *directe* vel *indirecte*, *ſpecie iuris* aut *via facti*. Nam quod clam vel per indirectum machinor, eius facti rationem reddere me ipſum etiam pudet, cum alias obliquo eiusmodi modo non agerem. Sed ante omnia probe expendenda ſunt verba *ſpecie iuris aut via facti*. Via facti tranquillis Reipublicæ temporibus vbi Judicis copia datur, ſemper eſt prohibita. Sed nec ſpecie iuris vti &alteri moleſtiam per calumnias facesſere magis conceſſum. His autem per amneſtiam abolitis, ſalua nihilominus manent iura omnibus, quorum iuſtus eſt ti ulus. Quodſi ille forte ad huc te ſcrupulus vrget, non opus fuiſſe ſpeciali prohibitione in iis, quæ & officia hominum, & honeſtas, & iura denique communia damnant; huic etiam dubio ſatis fieri poterit, ſi dicamus, neceſſarium fuiſſe, odia ciuium, ex diuturno adeo bello concepta, quæ non regere ſemper pudor ſolet, nec leges ante motus ciuiles latæ ſatis coercent, nouis conditionibus ipſa pace comprehenſis exſtinguere. Vt taceam, id genus cautiones in omni amneſtia, eiusque promulgatione eſſe velut ſolemnes, quæ proinde pro ſuperfluis habendæ non ſunt, quamuis nihil iis ſupra ius commune ineſſet. cum ſæpe ſpecialis ratio velut renouationem eiusmodi præceptorum flagitare boni publici cauſa poſſit.

i) Id eſt, iuxta ſuperius dicta, *alter* ex vna parte belligerantium, *alteri* ex altera. non vero alteri in vna.

l) His verbis comprehendi omnia crediderim, in quibus noceri alicui quacunque ratione poſſit. cum ad iſta quatuor facile reliqua etiam reducantur.

m) Hoc fluit ex natura pacis vniuerſalis, vt publicata amneſtia vbique ceſſent hoſtilitates & inimicitiæ, quanquam fortaſſis ad bella, inter Gallum Hiſpanumque illo tempore vertentia, peculiariter reſpectus ſit habitus, ne ſcilicet Domus Auſtriaca illis ſe immiſceat, & Hiſpano opem ferat quod pace inter Cæſarem & Gallum Monaſterii confecta expreſſe etiam cautum fuit.

n) Quæ hic pacta intelligantur. aliis conſiderandum relinquo. Eſt vero pro-

bus n) inferat, vel inferri faciat, aut patiatur o), ſed omnes & ſingulæ p) hinc inde q), tam ante bellum quam in bello r), verbis,

procul dubio huius loci Pacificatio Pragenſis, per quam amneſtia quidem aliqua publicata fuit, ſed cum excluſione non modo Bohemorum exulumque Auſtriacorum atque transfugarum, nec non eorum, qui Fridlandicæ coniurationis participes fuere; verum etiam multorum Statuum Imperii, veluti Palatini Electoris, Ducis Wirtebergici, Marchionis Durlacenſis, Comitum Ottingenſis, Leuenſtenii, Erbacenſis, Wiedani, Hannouii, Iſenburgici, Hoheuloenſis, Pappenheimii, & aliorum. Quin ſi quæ pacta initio belli inter Cæſarem & Hiſpanum, vel Bauarum vniuerſali amneſtiæ, & ex hac debitæ reſtitutioni contraria inita fuere, illa etiam hac lege ſunt antiquata & reſciſſa. Idem iudicium de amneſtia eſt, Comitiis Ratisbonenſibus anno 1641. propoſita.

o) Triplex igitur prohibitio, 1) ne alter alteri quicquam hoſtilitatis &c. inferat, 2) Ne inferri faciat. 3) ne patiatur inferri. Hoc vltimum aut ad garantiam pacis ſpectat, quam omnes eius conſortes contra quemcunque violatorem præſtandam recepere articulo 17. aut ſaltem de iis accipiendum, quorum quis facta iure præſtare debet, cum ipſi certo modo imputari poſſint. Alias translatitium eſt, neminem de eius factis, cum quo vnionem quandam moralem non habet, cogi, vt rationem reddat: Nihil obſtare puto, quo minus vtroque modo hunc locum explicemus, vt & ad obligationem ſponſorum pacis pertineat, & ad officium ſuperiorum, ſi, quod Inferiores & ſub eorum poteſtate conſtituti peccauere, non prohibuerint, cum prohibere vel impedire & potuiſſent & debuiſſent.

p) Quantumuis hæc iterum vniuerſalis ſit diſpoſitio, commode tamen ſine vlla ad motus ſuperiores bellumque ſecutum relatione aut reſpectu non explicatur. Neque enim omnes iniurias, violentias, damna ante bellum, vel in bello verbis ſcriptis, aut verbis illata indiſcrete abolita intelligi poſſunt, ſed illa demum, quæ ex motibus illis, aut bello ortum traxere, vel concitandis animis occaſionem præbuerunt. Nam feraciſſimum fuit ſuperius ſeculum eiusmodi contentionum, quæ poſtquam per interualla leuioribus certaminibus proluſere bello ciuili, in illud ipſum tandem ferocia ſtudiorum, virumque confidentia erupere. Nondum exiuerat penitus ſeculum decimum ſextum, cum Gebhardus Elector Colonienſis, contractis cum Agnete Mansfeldia nuptiis, omnem fere Germaniam commouerat. Quo fulmine Pontificis & Cæſaris proſcriptione vix coercito, ſub ortum ſeculi decimi ſeptimi aliud ſecutum eſt infeſtius certamen inter Johannem Georgium, Marchionem Brandenburgicum

gicum & Carolum, Lotharingiæ Ducem, Canonicorum Argentoratenſium diuiſione ad Epiſcopatum illum electos, ac proinde, vti inter æmulos ſolet, de tam pingui præda magnis animis contendentes, quo ager Argentoratenſis multos annos grauiter vaſtatus eſt. Succeſſit mox Donawerda vrbs libera Imperialis, ne tumultibus vacaret Germania, intempeſtiuo religionis zelo poſt Cæſaream proſcriptionem Bauari iuris facta, & ad obedientiam Romanæ ſedis redacta; quæ res iterum Proteſtantium animos mire exacerbauit. Poſthæc cauſa Iuliacenſis ſucceſſionis agitata eſt, ſi opes litigantium ſpectes, & partium ſtudia conatusque ſuperioribus longe atrocior motus, procul dubio iam tum Auſtriacis funeſtus & grauis futurus, ni mors Heinrici Galligrum Regis, iam ad expeditionem valido exercitu accincti conſilia diſturbaſſet. Qua ſubita rerum mutatione, & dolore ſuperiorum perculſi adeo ſunt Principes Proteſtantes, vt ad fœdus inter ſe icendum varios cœtus agerent, donec huic deſtinato tandem vltima manus eſt impoſita; Adſumpſit fœderatum illud corpus Vnionis nomen, vocatis tractisque in partes Gallis, Anglis, Danis, Venetis, Batauis, Pannoniis & Tranſiluanis. Quibus ſtatim Catholici oppoſuere aliud fœdus Herbipoli percuſſum, cuius caput & rector velut erat Maximilianus Bauariæ Dux, ſub Pontificis auſpiciis; accedentibus etiam Hiſpaniarum & Poloniæ Regibus, tum Alberto Auſtriaco Belgarum Gubernatore ac Ferdinando, Principe Hetruſcorum. Hoc fœdus ſanctæ Ligæ ſumpſerat nomen, ne cui dubium eſſet, quin religionis cauſſa ageretur, ſiue ad ſuam defendendam Catholici ita coiuiſſent, ſiue ad ſacra Proteſtantium deturbanda. Vtraq; pars conſcripto exercitu ſtatiua aliquoties habuit, & ſe inuicem capita factionum diligenter obſeruabant. Res tamen inter eos nunquam ad manus venit, donec Bohemicorum motuum occaſione aduerſa illa in monte albo pugna & Palatini & omnium Vnioniſtarum cauſſam vno ictu afflixit: ex quo deinde Ferdinandi Imperatoris feruore, qui fortunam ſuam ſatis capere non poterat, bellum per omnem Germaniam accenſum eſt. Inter hæc certamina, & ſtudia partium multæ iniuriæ, violentiæ, hoſtilitates, damna, verbis, ſcriptis, factis illata ſunt, quorum omnium vt perpetua ſit obliuio, hic edicitur, ſcilicet quæ occaſione illorum motuum & bellorum, euenere æmulatione & certaminibꝰ factionum. Alias accidere facile potuiſſet, vt & ante bellum, & in bello, ex aliis cauſſis vnus alii iniurias, violentias, hoſtilitates, damna intuliſſet. quæ, cum talium iure perſequendorum proditæ formulæ ſint, amneſtia non abolet.

q) Quas igitur vna pars ſibi inter ſe iniurias aut damna infert, huc iterum non videntur pertinere, cum requiratur, vt iniuriæ &c. *hinc inde* ſint illatæ.

r) Bellum proprie intelligitur, quod auſpiciis Suecorum eſt geſtum. Quæ ante accidere, motuum nomine plerumque inſigniuntur, vt articulo 4. §. 6. *ante motus Bohemicos*: quamuis

biſ,ſcriptis,aut factis s) illatæ, iniuriæ,violentiæ,hoſtilitates,damna, expenſæ t) absque omni perſonarum rerumvè reſpectu u) ita penitus abolitæ ſint x), ut quicquid eo nomine y) alter adverſus alterum prætendere poſſet, perpetuâ ſit oblivione ſepultum z).

§. 1.

uis etiam articulo 3. §. 1. *Germaniæ motuum* fiat mentio.

s) En tres modi, quibus iniurias, violentias, hoſtilitates, damna inferimus. Violentiæ tamen, hoſtilitates & damna plerumque factis imputantur; iniuriæ verbis & ſcriptis. Quod de expenſis adiicitur, intelligendum forte eſt de ſumptibus quos vna pars æmulatione & metu alterius defenſionis ſuæ cauſſa facere coacta fuit. Neque enim hic iudiciales expenſas deſignari credibile eſt, quas ferre vnusquisque litigantium debet, ſe compenſantur per Judicem; aut alter alteri ſoluere, ſi adiudicantur. De cætero ad iniurias ſcriptis factas proprie pertinet, quæ infinitis libellis in publicum editis pru rientia & male temperata ingenia ſparſere, ſiue honori perſonarum probris laceſſendo, ſeu cauſſæ partium denigrandæ ſeu denique in religionum vtriusque ſectæ contumeliam. Inter quos auctor ille Autonomiæ, Cancellarius Burchardus, & Jeſuitæ Tillingenſes, diſputationibus ſuis de pace religioſa ante alios male audiuere, tanquam quietis publicæ turbatores, & calumniatorum anteſignani; quanquam ex noſtra etiam parte non deſint ſcripta felle tincta, & maledictis referta, quorum intemperantiam æque improbamus.

t) Nota, non commode ſatis dici, *expenſæ illatæ*, ſi tantundem ſignificat, ac cauſſam eſſe expenſarum, vti hic apparet.

u) Igitur ſiue quid in Cæſarem, Reges belli ſocios, Electores, Principes, Status, aut quoscunque alios iniurioſe, violenter aut hoſtiliter dictum, ſcriptum, factum fuerit, id omne amneſtia abolet. Itemque ſiue in ſacris, ſiue in profanis, ſiue in publicis, ſiue in priuatis, ſiue in magnis, ſiue in paruis rebus modum dicendo, ſcribendo, faciendo exceſſimus.

x) Hæc abolitio conſiſtit in perpetua obliuione omnium dictorum, ſcriptorum, factorum, addita prohibitione, ne alter aduerſus alterum eo nomine quicquam prætendere poſſit. Hic *alter aduerſus alterum* iterum accipienda ſunt de partibus diuerſis, non de iis, qui ex vna parte lites inter ſe habent.

y) Id eſt, nomine ſeu cauſſa iniuriarum, violentiarum, hoſtilitatum, damnorum, expenſarum, hinc inde tam ante bellum, quam in bello verbis, ſcriptis aut factis illatarum.

z Articulo 4. §. 30. excipiuntur iura & actiones *de illatis damnis*, Comitibus Naſſau-Saræpontanis competentes, De eo vero, quod vi aut metu cauſſa geſtum eſt, vide articulum 4. §. 46.

Digitized by Google

III.

Reſtituendi.

§. 1. Juxta hoc a) univerſalis & illimitatæ b) Amneſtiæ fundamen-

Art. III.

a) Tertius effectus amneſtiæ, (de duobus prioribus vide ſupra) eſt reſtitutio vniuerſorum & ſingulorum ſacri Romani Imperii Electorum, Principum, Statuum, & immediatæ Imperii Nobilitatis: Eorumque vaſallorum, ſubditorum, ciuium & incolarum. Itaque non Status modo Imperii cum immediata Nobilitate gaudent amneſtia; verum etiam eorum ſubditi, cuiuscunque conditionis: quod notandum contra Nouatorum interpretationes, qui hoc beneficio excluſos ſubditos, aut tantummodo in conſequentiam & per ipſos Status, Dominos ſuos territoriales ita reſtitutos volunt, vt non contra ſe, ſed ſaltem contra alios, neque id aliter, quam ſub auſpicio & protectione dominorum ſuorum, vti amneſtia conceſſum eis ſit. Quæ opinio hoc textu noſtro manifeſto refutatur, vbi duæ claſſes reſtituendorum pari iure & conditione conſtituuntur vna Statuum, & altera ſubditorum quibus fruito amneſtiæ in ſequentibus ſine vllo diſcrimine applicatur: id quod ad oculum & ſecundum litteram demonſtratur infra articulo 16, §. *nulli autem ciuitati &c. vbi omnes & ſinguli ciues & incolæ, qui forte ab alterutra belligerantium parte ſtetere, tam vniverſalis amneſtiæ, quam cæteris pacificationis beneficiis* gaudere iubentur, *ſaluis per omnia iuribus eorum & privilegiis in ſacris & profanis.* Atque hæc contra Dominos territoriales ipſos ſubditorum bono ſtatuta eſſe, ſequentia declarant, cum & illorum iuribus ſuperioritatis, vt integra & illibata maneant, proſpicitur. Datur itaque omnino reſtitutio ſubditorum ex capite amneſtiæ, etiam contra ipſos Dominos ſuos territoriales, principaliter & iure proprio ſubditorum expetenda.

d) Vniuerſalis eſt amneſtia, quæ omnes & ſingulos continet: Illimitata, quæ nullis conditionibus aut reſtrictionibus circumſcripta. Hoc ægre admodum conceſſere Cæſarei inter pacis tractatus, qui amneſtiæ, tranſactione Pragenſi & Receſſu Imperii anno 1641. publicatæ memores excludere ea Status aliquos, & reſtitutionem multis odioſis legibus facere volebant, diu multumque in hac ſententia obſirmati, donec Proteſtantium conſtantia tandem frangerentur. Oſtendit nihilominus articulus ſequens, in multis reſtitutionem non omnino illimitatam ex pacto fuiſſe. Ita articulo 4. §. controuerſia, Marchionibus Brandenburgicis in Franconia reſtitutio oppidi & præfecturæ Kitzingen cum adiacente monaſterio, quæ non modo ante hos motus, ſed & anno 1624. adhuc poſſedere, denegata. ſed & imprimis exulum aliorumque ſubditorum Auſtriacorum cauſa derelicta eſt non ſine eorum opprobrio & infamia, quos pecu-

nia

Digitized by Google

damentum c) univerſi & ſinguli d) Sacri Romani Imperii Electores, Principes, Status, (comprehenſa immediatâ Imperii Nobilitate e), eorumque Vaſalli, Subditi, Cives & incolæ f) quibus g) occa-

nia corruptos Cæſarei Miniſtri, vt deſiſterent, expugnauere, cum nemo fere dubitet, ſi meliori fide, & paulo acrius inſtitiſſent, & conſiliis eorum, & libertati religionis Euangelicæ iis locis, & reſtitutioni bonorum publicatorum longe rectius conſuli potuiſſe.

c. Hoc fundamentum eſt præcedens totus articulus ſecundus, de quo iam actum. Cur autem non ſuffecerit, ratio eſt, quia de reſtitutione ibi nullum verbum, ſed ſaltem de obliuione & abolitione *omnium* vltro citroque hoſtiliter factorum: quod ne quis poſt pacem ita interpretetur, ac ſi nulla repetitio ſuperſit bello amiſſorum de reſtitutione ſeparatim ſtatuendum fuit.

d) Vt iam monui, reſtituendorum duo ſunt genera Status cum immediata Nobilitate; & Vaſalli, ſubditi, ciues, incolæ. Hos quidem lex ordine quodam hic diſtinguit. Sed cum de effectu reſtitutionis agitur, nullum omnino inter eos diſcrimen facit.

e Hæc verba argumento ſunt, Nobilitatem Imperii immediatam Statuum Imperii numero non haberi. Secus enim Nobilium mentione expreſſa non opus fuiſſet, cum nec Comitum nec Baronum, nec ciuitatum, quæ ſtatus ſunt, mentio fiat. Vt adeo ego arbitrer, ex hoc loco tanquam ex lege aliqua pragmatica diſputari contra illos quam ſtrenuiſſime poſſe, qui Nobilitatem immediatam Statuum nomine & dignitate venditant. Vox enim *comprehenſa* hic non id ſibi vult, quaſi Nobiles Statuum claſſe comprehendantur; ſed quod ratione reſtituendorum ex capite amneſtiæ eodem iure agere poſſint, quo Status.

f) En hinc quatuor genera ſubditorum mediatorum. *Vaſalli*, quorum eximior digniorque pars Nobiles mediati. *Subditi*, quod nomen eſſe puto, omnibus commune, niſi quis hic Miniſtros & Officiales Statuum tum etiam Clerum, ſaltem apud eos, qui Auguſtanæ Confeſſioni addicti ſunt, hic peculiariter intelligat. *Ciues* qui ſunt in municipiis & oppidis. Denique *incolæ* quo nomine homines ruri degentes: forſan etiam, qui domicilium in loco non habent, venire poſſunt. De quorum omnium differentiis Scriptores cum publici iuris, tum priuati, prolixius & accuratius differunt.

g Quæſitum eſt, ſi Vaſalli illi, ſubditi, ciues & incolæ, interea in viuis eſſe deſiere, an amneſtiæ & reſtitutioni ſit locus? Probo diſtinctionem inter res & iura, quæ in hæredes tranſeunt: & quæ cum perſona quaſi moriuntur. Illorum reſtitutionem vtique recte petunt hæredes: Horum vero cum ſucceſſor nullus ſit, non video, qua ratione aliis actio poſſit dari. Olim in conuentu Deputatorum Imperii, Francofurti

occaſione h) Bohemiæ Germaniæve motuum i) vel fœderum hinc

coſurti celebrato diſputatum fuit, num in ſenatoriam dignitatem eorum, qui ex vna vel altera religione anno 1624. ea ornati fuere, interea autem vita functi ſunt, totidem eiusdem religionis ſint reſtituendi? Negauere Catholici, quod hoc ex formula pacis nullo loco poſſit commonſtrari. Dignitatem enim Senatoriam eſſe ius perſonale, quod ciuitas pro meritis cuiusque ſumma libertate conferat: adeoque defuncto eo, cuius oſſibus veluti inhæſit, neminem fore, cui liceat ex amneſtia reſtitutionem in eius locum petere. Ex aduerſo autem Proteſtantes contendebant, Senatori poſt annum 1624. mortuo alium ſuæ religionis ſubſtituendum, exemplo reſtitutionis pro Capitularibus & Canonicis, articulo 5. §. 23. decretæ: quem in finem etiam allegarunt articuli 5. §. 14. nec non quarundam ciuitatum præiudicia, apud quas nulla perſonarum viuentium aut mortuarum ratione habita reſtitutio facta fuerit ſecundum ſtatum anni 1624. hoc pacto, vt quot loca Senatoria vtraque religio dicto anno ex ſuis obtinuit, totidem ipſis etiam reſtituta ſint. Tractabitur hæc res data opera inferius ad articulum 5, §. 29. occaſione ciuitatis Hagenoenſis. Hic vno verbo ſaltem notamus, plurimum intereſſe, an vniuerſum Nomen Proteſtantium in aliqua ciuitate anno 1624. ſiue ex ſtatuto aliquo, ſiue pacto aut conſuetudine in poſſeſſione fuerit certi numeri ex ſuis in ſenatum legendi; an ſaltem eo tempore fortuito caſu quidam electione libera recepti ſint. Primo caſu etſi perſonæ interea in viuis eſſe deſiere; poteſt tamen vniuerſitas petere, vt in poſſeſſionem ſuam eligendi reſtituatur. Altero vero vix erit, qui iure aliquo locum decedentis ſibi vindicare ex cauſſa religionis poſſit, antequam liberis totius Ciuitatis ſuffragiis deſignatus ſit.

h) Duo igitur neceſſaria, ſi horum omnium reſtitutio ex capite amneſtiæ decernenda eſt, 1. vt eis ab vna vel altera parte aliquid præiudicii aut damni ſit datum: & 2. vt damnum ſit datum occaſione Bohemiæ Germaniæue motuum, vel fœderum hinc inde contractorum. Hinc non audiuntur, qui damnum ex aliis cauſſis perpeſſi ſunt: vel ſi is, qui damnum dedit, cum eo, qui ſenſit damnum, ambo ab vna belligerantium parte ſtant. Eſt enim hoc perpetuum amneſtiæ, vt lædens atque læſus diverſarum ſint factionum, non vnius.

i) Quid ſit *occaſione motuum*, ſæpe dubitatum eſt. Alii pro cauſſa accepere: nonnulli pro quacunque alia opportunitate. Neque ſane nihil horum intereſt cum ad deciſionem cauſſarum venitur. Verbi gratia, Marchionibus Brandenburgicis in Franconia ſupra memoratum oppidum Kitzingen poſt motus Bohemicos iniquiſſima ſententia ablatum, adiudicatumque Epiſ-

Digitized by Google

hinc inde contractorum l), ab una vel altera parte m) aliquid præ-

Epiſcopo Herbipolenſi fuit. Cum igitur inter tractatus pacis reſtitutionem eius ex capite amneſtiæ peterent, reſponſum fuit, poſt motus quidem Bohemicos Marchiones damnatos eſſe, ſed nihil eos damni aut præiudicii paſſos occaſione motuum Bohemicorum, cum iudex a Principe datus, Commiſſiones Cæſareas nunc vocant, cauſſa cognita, & audita vtraque parte ſententiam tulerit, qua illi ſuccubuere. Interea manifeſtum erat, & ex interceptis etiam litteris conſtabat, inter Catholicos rem agitatam fuiſſe eo conſilio, vt Proteſtantium copias tranſitu Mœni, hoc loco peropportuno, prohiberent, ſi quas forte in Catholicorum terras poſthæc effundere vellent, Ferdinando Cæſare iam tum edicti ſui publicationem animo agitante, quam rem facile perſpiciebat turbis non carituram. Quid dicendum? Cum nunquam fere aut rariſſime occaſio gerendæ rei pro cauſſa actionis ſumatur, hic in cauſſa adeo fauorabili, qualis eſt reſtitutio ablatorum ex capite amneſtiæ, ſignificationem vocis tantopere non licet contrahere vel coarctare. Sed ſaltem æquum eſt, vt vox *occaſio* ſenſum retineat proprium & naturalem. Eſt autem *occaſio*, de finiente Feſto, *opportunitas temporis cauſſa proueniens*: Vel vti Cicero ait: *Occaſio eſt pars temporis, habens in ſe alicuius rei idoneam faciendi aut non faciendi opportunitatem. l. de Inuent.* Id. *I. Offic. Tempus autem actionis opportunum, Græce* Εὐκαιρία, *latine appellatur occaſio. Hæc naſcitur per hominum actus agendi facultatem non impedientes; vt puer dormiens facit furantibus occaſionem.* Meditat. Spec. I.) Qua definitione dubio noſtro multa lux affunditur. Scilicet poſt fuſum fugatumque in Bohemia Palatinum, cum Proteſtantes tota Germania trepidarent, in primis vero ii, qui cum eo ſteterant, rerum ſuarum ſolliciti eſſent, Imperator Ferdinandus captata temporis opportunitate, & augendo terrori intentus, non modo Palatinum eiusque Fœderatos & amicos proſcriptione perculit, & ditionibus ſuis exturbauit, verum etiam diuerſis prætextibus arma victricia per vniuerſum fere Imperium circumferebat, donec edicto ſuo propoſito, vndique Proteſtantes ad arma velut conſternauit, quibus per opportune eo tempore accidit, cum Regem Suecum contumeliis Cæſareanorum etiam laceſſitum cum exercitu aduenisse audiuere, ſocium belli & ductorem habituri. Hi ſunt illi motus Bohemiæ Germaniæue, & quicquid damni aut præiudicii poſt exortos illos, ab vna vel altera parte, hac occaſione illatum eſt, reſtitutione reparari debet. Occaſio igitur non cauſſas notat, ex quibus enatum bellum, ſed opportunitates temporum, quibus allectæ partes quocunque colore iniuriam fecere, non auſæ id tentare tranquilliore reipublicæ ſtatu.

l) Hoc quod de fœderibus dicitur, retro trahendum eſt ad illa etiam tempora, quæ motus Bohemiæ Germaniæue præceſſere. Neque enim fœdera tantũ, iſtorum motuum occaſione hinc inde con-

Digitized by Google

præjudicii aut damni n) quocunque modo vel prætextu o) illatum eſt, tam quoad ditiones & bona feudalia, ſubfeudalia, & allodialia, quam quoad dignitates, immunitates, Jura & privilegia p) re-

contracta comprehendit; ſed includit etiam illa omnia, quæ initio ſeculi ſuperioris vsque ad prædictos motus inita ſunt: ad quæ inprimis ſpectant illæ confœderationes, vnde Vnioniſtarum & Ligiſtarum factio nomen traxit.

m) Id eſt, vna pars alteri. Damna enim & præiudicia, quæ vnus Fœderatorum alteri confœderato ſuo dedit, ad amneſtiam proprie pertinere non videntur, ſed ex lege fœderis aut iure communi reparanda ſunt. Enimuero quid dicendum, ſi læſus a confœderato ſuo poſt damna accepta in Partis aduerſæ ſocietatem tranſierit? Forſan nonnihil intererit, num ille ob fidem iam tum ſuſpectam a ſociis male habitus, aut ob cauſſas alias damnum iniuriamue fuerit paſſus. Priori caſu procul dubio ex amneſtia ius erit reſtitutionis petendæ: altero autem ex alio capite forſan agendum erit.

n) Præiudicium & damnum hic non accipiuntur in ſtricta & iuridica ſignificatione; ſed populari ſenſu pro omni detrimento vel incommodo, quod quis perpeſſus eſt facto & inimicitia alterius: ex cauſis tamen paulo ante nominatis.

o) Id eſt, non attenditur, quam cauſam vel rationem alter prætendat, cur damnum dederit, ſed vnice id ſpectatur num occaſione Bohemiæ Germaniæue motuum, vel fœderum hinc inde contractorum damnum datum ſit. Interea quin hoc ipſum probatu per difficile ſæpe ſit, quæ res læſo ſemper incumbit, mihi quidem nullum eſt dubium. Imo teſtantur tot lites & controuerſiæ cum in ſummis Imperii tribunalibus, tum alibi agitatæ, vbi plerumque ii, quibus ex pace reſtitutio imperata, quæſitis mirifice effugiis, omnes ingenii neruos intendunt, vt imponant recuperatoribus exceptione illa, cauſſas ſuas legi de reſtitutione latæ non conuenire.

p) Octo hic nominantur, in quibus damnum datum reparandum, aut ablata reſtituenda ſunt. 1) ditiones, 2) bona feudalia, 3) bona ſubfeudalia, 4) bona allodialia, 5) dignitates, 6) immunitates, 7) iura, 8) priuilegia. Num hac enumeratione partium abſoluantur omnia, in quibus damnum dari, aut fieri præiudicium potuit, viderint alii quibus hæc ſingula accuratius excutiendi ingenium eſt. In eo tamen lubens conſentio, Paciſcentes his omnia complecti voluiſſe. Quamvis enim de *ſimilibus* & *ceteris*, quod fieri alias ſolet, hic nulla mentio, tamen bona fides non patitur, cauillari voces, cum de mente contrahentium & fine pacis ex tabulis eius certi ſumus. Fortaſſis etiam, ſi verba non coarctamus, ſed ſingulis eam ſignificatus amplitudinem relinquimus, qua gaudere ſine abſurditate poſſunt non erit, quod defectus aut non ſufficientis recenſionis nomine quis deſideret. De cœtero in ſingulis hisce vocibus non erimus nimium ſcrupuloſi: ſcimus enim hæc

reſtituti ſunt, plenarie q) in eum r) utrinque s) ſtatum in ſacris &

hæc ſæpe cumulari abſque rigido examine vel delectu. Certe dignitates, immunitates, iura & priuilegia communi iuris cenſu omnia veniunt. Subfeudalia etiam procul dubio Feudalibus comprehenduntur. Allodialium alia mobilia ſunt, alia immobilia. Ditionum tamen peculiaris & expreſſa mentio ante omnia merito facta, quia his deiecti inprimis reſtituendi in illas fuerunt.

q) Reſtitutio igitur hic decernitur plenaria, nulla ſui parte manca aut defecta. Oſtendent tamen ſequentia, quæ articulo IV. habentur, reſtitutionem aliquorum non vbique ad hanc generalem regulam exactam fuiſſe, ſed ſpeciali ratione & pacto in quibusdã reſtrictam.

r) Reſtitutio fit in certum ſtatum, qui facti eſt, neque tot ſubiacet controuerſiis & litigiis, quam ſi in dominia aut iura cuiusque reſtitutio decreta fuiſſet. Habent quidem dominia etiam & quæuis alia iura ſuum ſtatum. Sed huius multo facilior probatio eſt, quam iſtorum, ſi abſque ſtatu conſiderantur De cœteris operæ pretium eſt, paulo accuratius diſpicere, quid hic ſit STATUS. Hoc enim vocabulum ſæpius poſtea occurret. Sed cum hoc loco prima eius mentio fiat, prima etiam tractandæ rei occaſio merito arripienda eſt. Status in moralibus idem fere eſt, quod in naturalibus ſpacium. Iureconſulti conditionem aut qualitatem rei vocant; Dicitur primario de hominibus eorumque conditione, vt ſtatu liberi, ſtatu ſerui, vnde formula, quæſtionem ſtatus alicui mouere. Secundario autem de rebus etiam aliis, vt ſtatus regni, ſtatus ciuitatis, ſtatus prouinciarum, ſtatus fundi, qui vel ſeruit vel eſt liber, &c. Hæc diſtinctio non ſine ratione facta eſt. Cum enim ſtatus nomen ſit in genere morum; aliæ autem res præter hominem qualitatum eiusmodi proprie non ſint capaces, eis hæc appellatio non poteſt non improprie tribui. Eſt igitur ſtatus *aliquid morale ſuppoſitiuum, eo deſtinatum, vt cæteris moralibus quaſi ſubſternatur, eaque ſuſtineat.* Certi enim ſtatus ſunt inſtituti non propter ſe, ſed vt perſonæ morales in iis exiſtere intelligantur, ex quo ſequitur, remotis perſonis, quæ in ſtatu illo morali eſſe intelliguntur, de ipſo ſimul ſtatu eſſe actum, quem iura & obligationes ſemper comitantur. Eſt alius, qui reſpectum ad locum habet: & alius, qui reſpectum ad tempus: Itemque alius naturalis, alius aduentitius, & qui plures conſiderandi modi eſſe poſſunt. Quanquam vero de ſingulis ſubtiliter multa egregia commentatus ſit Puffendorffius, *de iura nat. & Gent. lib. 3. cap. 1. ſ. 6. & aliquot ſequentibus*, nobis tamen de eo hic potiſſimum ſermo eſt, qui naturali ſtatui facto aliquo humano ſuperuenit, & ad tempus reſpicit, quatenus ex eo moralis aliquis effectus redundat in illos, qui certo tempore in ſtatu quodam fuiſſe dicuntur, vt, hic ſtatus temporis, qui poſtea deiectis in eum ſtatum, quo ante deſtitutionem fuere, ius petendæ reſtitutionis tribuit. De loco, & quo quis ſtatum habuerit, nihil

valde

Digitized by Google

& profanis t) quo ante deſtitutionem gaviſi ſunt u) aut jure gaudere potuerunt, non obſtantibus, ſed annullatis x) quibuscunque

valde intereſt, modo inſequentibus regulis huic vniuerſali nulla exceptione detractum ſit: quod factum cum Exulibus Auſtriacis artic. 4. exempli loco eſſe poteſt.

s) Cum in omni reſtitutione vnus ſit, qui reſtituere quid debet, & alter, cui reſtituendum eſt, reſtituendus recuperat quidem ſtatum ſuum, quem ante deſtitutionem habuit. Sed neque minus reſtituens ſuum etiam ſervat, ſi forte res illa, reſtitutioni obnoxia, ipſi etiã quorundam iurium reſpectu, vel alio modo deuincta ſit. Nam reſtitutio ex capite amneſtiæ mutua eſt, cuius vi reſtituendus quidem ſua conſequitur, ſed & alter, vel quicunque alius obligationes etiam ſuas integras retinet.

t) Reſtitutio ex capite amneſtiæ fit etiam in ſacris. Sed qui hoc modo ſemel reſtituti ſunt, ſecuri non redduntur ab omni perſecutione. Nam ſi is, qui reſtitutionem facere debuit, cauſas iuſtas habeat, cur ſacra, occaſione Bohemiæ Germaniæue motuum, aut fœderum hinc inde contractorum turbata pulſaque, ſed nunc ex capite amneſtiæ reſtituta, tolerare non teneatur, audiendus vtique erit, nec prohibetur ſuo iure vti. Qua de re mox. In quo differentia maxime conſiſtit reſtitutionis ex capite amneſtiæ ab altera ex capite grauaminum, de qua infra artic. 5. agitur. Per illam nemo quid noui iuris acquiret, ſed omnes reſtituuntur in ſtatum illum, quo ante deſtitutionem fuere. Hæc vero ſemel reſtitutos perpetuo ſecuros facit ab omni actione vel repetitione, donec de controverſiis religionis amicabili & vniuerſali partium conuentione transactum fuerit. Cœterum profana intelliguntur omnia eſſe, quæ iure ſacrorum non habentur.

u) Hæc itaque reſtitutio præciſe ſtatum reddit, qui ante deſtitutionem fuit, neque plus, neque minus tribuit, *aut iure gaudere potuerunt.*) Neque enim ei, qui reſtituendus eſt, fraudi eſſe debet, ſi ſtatu ſuo, quo plenius iure vti poterat, proxime ante deſtitutionem nõ ſit vſus; ſiue quod impeditus ab alio ſit, ſeu quia occaſio non erat, quod in eiusmodi actibus diſcontinuis ſæpe euenit. Atque hic iterum ingens eſt diſcrimen inter hanc reſtitutionem & alteram ex capite grauaminum, vbi nudus ſtatus nudumque factum poſſeſſionis, quale An. 1624. calendis Januarii erat, expenduntur, non inſpecto cuiusque partis iure aut titulo.

x) Omnes mutationes poſt deſtitutionem factæ abrogantur, resque in ſtatum priorem reducitur: Exempli gratia, quo loco vna ſaltem religio viguit, alia vero poſt deſtitutionem introducta eſt, ſiue priore plane expulſa ſiue iuxta tolerata, ibi ſuccedaneæ illi migrandi iterum neceſſitas per reſtitutionem indicitur: niſi illam defendat articulus 5tus de compoſitione grauaminum, & habita An. 1624. poſſeſſio. Annullantur enim de cœtero omnes interim in con-

que y) interim in contrarium factis mutationibus.

§. 2. Quemadmodum vero a) tales reſtitutiones omnes & ſingulæ intelligendæ ſunt ſalvis juribus quibuscunque b) tam directi quàm utilis dominii c), in vel circa bona reſtituenda d), ſive ſecularia, ſive Eccleſiaſtica e), ſive reſtituenti, ſive reſtituendo

Reſtitutio quomodo intelligenda.

contrarium factæ mutationes. Idem erit de ciuilibus iudicium, veluti ſi priuilegium quoddam, ante deſtitutionem validum, poſtea abrogatum fuerit. Pleniſſime id reſtituitur. Sed num reuocari non poſſit, poſtquam reſtitutioni ſatisfactum, aliunde petenda erit deciſio.

y) Inde nulla a natura, ſeu genere, ſeu qualitate mutationum exceptio admittitur. Excipiuntur tamen infra articulo 4. §. 49. aliquo modo ſententiæ, tempore belli de rebus mere ſecularibus pronunciatæ.

§. 2

a) Duo proponuntur hoc textu 1) clauſula ſaluatoria, vti vocatur, circa reſtitutiones omnes & ſingulas ex capite amneſtiæ, & 2) huius clauſulæ verus atque genuinus vſus.

b) Clauſula ſaluatoria eſt, tales reſtitutiones omnes & ſingulas intelligendas eſſe, *ſaluis iuribus quibuscunque*. Eſt igitur nuda reſtitutio in eum ſtatum, quo quid ante deſtitutionem fuit, qua nemo quod noui iuris acquirit, ſed vetera ſaltem amiſſa recuperat, ſiue quoad ditiones & bona ſiue quoad dignitates & iura. Nemo itaque, qui ex capite amneſtiæ reſtitutus eſt, defendere ſe ob tentu huius reſtitutionis poteſt contra alios, qui ſuper re reſtituta experiri cum eo volunt, ſiue ipſe reſtituens fuerit, ſiue alius tertius. Quia cum amneſtia reciproca eſt, mihi actiones & iura mea in aliquam rem perire ideo non poſſunt, quod eam quocunque nomine occupauerim, & nunc pace reſtituere debeam.

c) Hic quidem nominantur ſaltem iura directi & vtilis dominii, ſed propterea excluſa alia non erunt, veluti ſi quis in bonis reſtituendis ius pignoris habeat, vel quodcunque aliud in re, quod non eſt directum vel vtile dominium. Sed quid dicendnm de iure retentionis, vel impenſarũ nomine, vel ex alia cauſa, quæ retentioni alias locum facit? Crediderim, reſtitutionem nihilominus faciendam eſſe, ſi deſtitutio occaſione motuum aut fœderum contigit. Sine vlla enim exceptione in eum ſtatum fieri debet, quo reſtituendus ante deſtitutionem gauiſus eſt.

d) Num differant hæ dictiones in bona reſtituenda, & circa bona reſtituenda, viderint alii. Mihi iam non vacat minutiis iſtis inhærere. Videtur tamen omne dominium in re magis eſſe, quam circa rem.

e) Hoc idem eſt cum eo, quod ſuperiori paragrapho dictum, *in ſacris & profanis*.

f) De reſtituente res plana eſt; Quod vero ad reſtituendum attinet, cum reſtitutione poſſeſſionem ſtatus, quo ante deſtitutionem fuit, adipiſcatur,

endo f) ſive cuivis tertio g) competentibus, ſalvis idem litis pendentiis deſuper in Aula Cæſarea, ſive in Camera Imperiali, vel aliis Imperii immediatis aut mediatis Dicaſteriis vertentibus: Ita hæc clauſula ſalvatoria h) generalis, vel aliæ ſubſequentes ſpeciales i) ipſam reſtitutionem nullatenus impediant l), ſed competentia jura, actiones, exceptiones, & litis pendentiæ m) poſt factum demum reſtitutionem, coram competenti Judice n) examinen-

tur, ſuperuacanea hæc reſervatio videri poſſet. Sed vieri potuit, vt hic etiam ante deſtitutionem dubia quædam aut controuerſa iura habuerit cum alio: quorum integra cauſa vtrique merito reſervanda eſt.

g) Quia nemo per reſtitutionem ex capite amneſtiæ decretam de iure ſuo periclitatur. *Saluis item litis pendentiis &c.*) Itaque propter reſtitutionem ex capite amneſtiæ factam exceptio litis finitæ opponi non poteſt, quæ datur reſtitutis ex capite grauaminum. Atque hæc iterum inſignis eſt differentiæ inter duas iſtas reſtitutiones.

h) Alterum huius paragraphi caput ſupra etiam indicatum eſt, verus & genuinus huius clauſulæ ſaluatoriæ intellectus atque vſus. Quamuis enim eiusmodi reſtitutionis intelligendæ ſunt ſaluis iuribus quibuscunque: id tamen ſub quibusdam cautelis accipiendum, 1) ne per id ipſum reſtitutio impediatur, 2) ne eo prætextu amneſtiæ vniuerſali & illimitatæ quicquam præiudicii afferatur, 3) ne talis reſeruatio ad proſcriptiones, confiſcationes & huius generis alienationes extendatur 4) ne articulis aliter conuentis ailquid deroget, & denique 5) ne hoc fiat nominatim quoad articulum de compoſitione grauaminum.

i) Clauſula generalis eſt, *ſaluis iuribus quibuscunque*. Subſequentes ſpeciales variæ eſſe poſſunt, prout de iſtis transactum fuit. De vnaquaque ſuo loco videbitur. Interea pro exemplo eſſe poteſt, quod *articulo* 4. §uo *Electori quoque Treuirenſi* &c. habetur, vbi Epiſcopis Spirenſi & Wormatienſi libera iurium perſecutio coram competente iudice reſeruatur, quæ illi prætendebant in bona quædam eccleſiaſtica intra Palatinatus Inferioris territorium ſita.

l) Ex his liquet, quod ſupra diximus, ius retentionis locum non habere. Sed facta reſtitutione demum de iuribus reſeruatis iudicio vnumquemque agere poſſe.

m) Quod hic de exceptionibus dicitur, ſuperiora confirmat: ius enim retentionis plerumque per modum exceptionis proponitur.

n) Hic pro rei conditione alius aliusque eſſe poteſt. Sub competente vero iudice & Auſtregas comprehendi non eſt dubium. Quin nec arbitrum excludi putauerim. Interdum etiam cauſæ qualitas adeundi iudicis facultatem dat, qui alias competens rei iudex non eſſet.

Quod

Digitized by Google

nentur, diſcutiantur & expediantur o), multò minus hæc reſervatio ipſi Amneſtiæ univerſali & illimitatæ quicquam præjudicii afferat p) aut etiam ad proſcriptiones, confiſcationes q) & ejus generis alienationes r) extendatur, vel articulis aliter conventis s) inter-

Quod in omnibus illis caſibus fit, vbi Cameræ Imperialis iuriſdictio fundata. Vel quando ex priuilegio alieni iudicis eligendi poteſtas datur; vel ex conſenſu prorogata eſt iuſtitia. Hinc recte hic in genere de competente iudice ſermo fit, qui non ſemper ex perſona rei conſtituitur.

o) *Examinentur* ſcilicet iura & actiones *diſcutiantur* exceptiones: & *expediantur* litis pendentiæ.

p) Intelligitur ſcilicet amneſtiæ, artic. 2. promulgata, quæ perpetuam obliuionem omnium ab initio motuum quocunque loco modoue, ab vna vel altera parte vltro citroque hoſtiliter factorum, itemque abolitionem omnium iniuriarum, violentiarum hoſtilitatum, damnorum, tam ante bellum, quam in bello, verbis, ſcriptis aut factis illatorum, ſancit. Nimirum duo ſunt ſumma capita amneſtiæ. Obliuio & abolitio præteritorum, ne vltionis expetendæ vel deſiderium vel facultas ſuperſit: & reſtitutio in ſtatum illum, qualis ante deſtitutionem fuit. Primo capite de vltione aut vindicta ſimplex prohibitio & ſine vlla reſeruatione continetur alterum vero reſtitutionem ſub certis clauſulis ſaluatoriis decernit. His itaque verbis ad primum caput reſpicitur caueturque, ne clauſula illa *ſaluis iuribus quibuscunque* præiudicium illis factis afferat, quæ pax perpetua obliuione ſepultam eſſe vult. Hinc nulla actio de iniuriis, violentiis, hoſtilitatibus, damnis, expenſis, quatenus nimirum ſub hac amneſtia comprehenduntur.

q) Proſcriptio de perſonis proprie dicitur, confiſcatio de bonis. Igitur ſi quis per proſcriptiones aut confiſcationes ius aliquod quæſiiſſe ſibi videtur, eius rationem clauſula illa ſaluatoria non habet, neque quisquam iſtis titulis facta reſtitutione contra reſtitutum vi clauſulæ ſaluatoriæ agere iterum poteſt.

r) Inter motus ciuiles Aula Cæſarea larga admodum & liberalis fuit ditandis aliis ex bonorum publicationibus, cum aliquando integræ prouinciæ gratitudinis cauſa in prædam expoſitæ; vel debiti loco addictæ fuerint Harum ſimiliumque rerum cum iam reſtitutio fit, iura eius generis alienationibus quæſita in computum illorum non veniunt, quæ clauſula noſtra ſalua & integra poſt reſtitutionem eſſe vult.

s) Specialia derogare generalibus, & poſteriora prioribus, vulgatum eſt dictum. Sed quinam ſunt iſti articuli aliter conuenti præter illum, qui hic deſignatur, de compoſitione grauaminum, quæritur. Memorabile & magnum exemplum huius rei ſtatim initio articuli 4ti occurrit, vbi dignitas Electoralis cum Palatinatu ſuperiore in Ducem Bauariæ transfertur, quæ occaſione motuum Bohemiæ Comiti Palati-

terque hos compoſitioni Gravaminum t) aliquid deroget. Nam quantum iuris u) in bonis x) Eccleſiaſticis y) hucusque controverſis z) eiusmodi reſtituti vel reſtituendi ſunt habituri, patebit infra articulo de Gravaminum Eccleſiaſticornm compoſitione. aa)

IV.

no ablata fuerunt. De aliis ſuis locis videbimus.

t) Compoſitio hic pro pacto ſeu transactione ſumitur, quo ſenſu Cicero etiam uſus eſt. Alias componere mortuum dicimus, cuius funus adornamus, & quo elato memoriam eius paulisper deponimus. Vtinam grauamina in Imperio ſic etiam compoſita & abolita eſſent; non adeo omnia querelis atque lamentationibus oppleta forent.

u) Ergo diuerſum horum ius a iure eorum, qui ex amneſtia reſtituuntur. Concurrere tamen actiones plerumque ſolent, ita tamen ſeparandæ, ne quod vni tribuitur, ad aliam etiam trahatur, quod non raro ab incautis interpretibus fieri animaduertes, quorum multi in ea ſunt opinione, reſtitutionem ex capite grauaminum, & alteram ex capite amneſtiæ non alia ratione differre, quam diuerſitate terminorum reſtitutionis a quo, id quod eſt falſiſſimum.

x) Non in bonis modo, ſed etiam in exercitio religionis in libertate conſcientiæ & omnibus illis, quæ vel ad bona Eccleſiaſtica, vel religionẽ ipſum ſpectare poſſunt.

y) Imo etiam in Politicis, ſi quid intuitu Eccleſiaſticorum mutatum ibi fuerit, *artic.* 5. *§*. 2.

z) Imo etiam illis, de quibus controuerſiæ poſt pacem exoriuntur. Nam horum non minus, quam iſtorum deciſio ex articulo de compoſitione grauaminum dependet. *Eiusmodi reſtitui vel reſtituendi*) Cur hic non etiam fit mentio reſtituentium, vt in ſuperioribus? Ratio procul dubio eſt, quoniam qui hoc modo reſtituuntur, in bonis ita reſtitutis nihil omnino iuris conſeruent, niſi in quantum ipſi etiam reſtiturorum vel reſtituendorum perſonas agunt. Id quod ſecus eſt in reſtitutione ex amneſtia. De cætero reſtituti ſunt, qui iam ante pacem poſſeſſionem quocunque modo recuperarunt: Reſtitundi vero, quibus poſt pacem reſtitutio adhuc præſtanda eſt.

aa) Nimirum articulo quinto, qui fere totus eiusmodi reſtitutionibus occupatur & abſoluitur, deſignato certo termino ſeu anno dieque, ad quorum normam habitæ quondam poſſeſſiones ſine vllo iurium vnius vel alterius partis reſpectu reſtituendæ ſunt, & perpetuo etiam defendendæ.

Art.

Digitized by Google

IV.

§. 1. Et quamvis ex hac præcedenti regula generali a) facilè dijudicari poſſit, qui & quatenus reſtituendi ſint b) tamen ad

Art. IV.

a) Quæ ſcilicet eſt, *faciendam eſſe reſtitutionem omnium ſtatuum & ſubditorum, quibus occaſione Germaniæ Bohemiæve motuum, vel fœderum hinc inde contractorum, ab vna vel altera parte aliquid præiudicii aut damni quocunque modo vel prætextu illatum eſt, tam quoad ditiones & bona, quam iura & dignitates, plenarie in eum vtrinque ſtatum in ſacris & profanis, quo ante deſtitutionem gauiſi ſunt, aut iure gaudere potuerunt, non obſtantibus, ſed annullatis quibuscunque interim in contrarium factis mutationibus. Art. III. §. 1.*

b) Enim vero hæc ſane diiudicatio alio plane modo ſecundum prædictam regulam generalem inſtituenda eſſet, niſi de quibusdam cauſis ſpeciali quodam pacto transactum fuiſſet. Vt adeo hic articulus quartus in plurimis regulam generalem non tam exemplis illuſtrare vel confirmare, quam per ſpeciales exceptiones reſtringere videatur. Prout id ſtatim cauſa Palatina manifeſtum facit, de qua ſi aliter hic transactum non foret, reſtitutio Comitis Palatini Rheni, Caroli Ludouici alio longe & pinguiori modo decernenda fuiſſet. Nimirum erat huius Parens Fridericus, occaſione motuum Bohemiæ, fœderumque hinc inde contractorum, nō dignitate ſolum Electorali, ſed & vtroque Palatinatu, tam inferiore, quam ſuperiore deiectus ſpoliatusque. Igitur ex regula generali in hæc omnia reſtituendus eſſet, annullatis quibuscunque interim in contrarium factis mutationibus. Sed hic conuentum eſt, vt dignitas Electoralis, quam Electores Palatini ante hac habuerunt, cum omnibus regalibus, officiis &c. vt & Palatinatus ſuperior totus vna cum Comitatu Cham penes Maximilianum Bauariæ Ducem, totamque lineam Guilhelmianam maneat. Ecce tibi ſtatim caſum a ſuperiori regula generali plane abeuntem: plura ſimilia hoc articulo occurrent, & ex occaſione notabuntur. Vt propterea quis non ſine cauſa miretur, cur hic præcedens regula pro facili diiudicatione omnium reſtituendorum habeatur, idque non tantum reſpectu ſubiectorum, qui ſunt reſtituendi, verum etiam ratione modi, QVATENVS. In quo ſane caſus ſubſequentes ſpeciales a regula generali longe in diuerſum eunt. Longe igitur commodior ſenſus huius §vi eſſet, ſi dictum fuiſſet, ex regula quidem generali reſtitutionem fieri debere; ſed cum de quibusdam grauioris momenti cauſis in nonnullis paulo aliter conuentum fuerit, ideoque neceſſe fuiſſe, atque etiam placuiſſe, vt eorum ſpecialiter mentio fieret: qua ratione reſeruatio illa ad finem adiecta omitti plane potuiſſet, cum mentio quorundam ſpecialis non exemplorum nume-

ad inſtantiam aliquorum c) de quibusdam gravioris momenti cauſis d), prout ſequitur ſpecialiter mentionem fieri placuit e) ita tamen, ut qui expreſsè non nominati f) vel expuncti g) ſunt, propterea pro omiſſis vel excluſis h) non habeantur. §. 2.

numero, ſed pro exceptionibus reuera ſit. Quæ reſeruatio nunc etiam aliter intelligi nequit, quam omnes alios ex generali regula reſtituendos eſſe, de quorum reſtitutione ſpecialiter nihil pactum.

c) Tales procul dubio fuere, quorum ſpes & deſideria regula generalis amneſtiæ non ſatis explebat. Fuere etiam alii, qui ob lites cum reſtituendo olim exercitas, vel quod ex aliis cauſis duriter habiti eſſent, ſibi cautum cupiebant. Quo pertinent exempli gratia, quæ hoc articulo occaſione cauſæ Palatinæ de Comitibus in Lainingen & Daxburg §. 16. de libera Imperii Nobilitate per Franconiam, Sueuiam & Tractum Rheni artic. 17. de Feudis, in quosdam ab Imperatore collatis, artic. 18. de Auguſtanæ Confeſſionis Conſortibus, artic. 19. de Principe Comite Palatino Ludouico Philippo, artic. 20. nec non de Comitibus Palatinis, Friderico & Leopoldo Ludouico, artic. 21. & 22. ſtatuuntur. Controuerſia ſui etiam de oppido Kitzingen, inter Marchiones Brandenburgicos & Epiſcopum Herbipolenſem vertens, artic. 23. alia longe ratione, quam regula amneſtiæ generalis requirebat, expedita fuit. Neque in cauſis ſequentibus pauca occurrunt, quæ ad prædictam regulam generalem examinata in nonnullis ſtatum illum mutant, quo reſtituendi ante deſtitutioem grauiſi fuerunt.

d) Hoc ita intelligendum, quod plerumque reſtituentes in eiusmodi cauſis decerptum aliquid delibatumq; volebant, ne plenaria eſſet reſtitutio. Alias enim dubitandum non eſt, meliorem ſemper reſtituendorum fuiſſe conditionem, quorum reſtitutio ad ſuperiorem regulam generalem ſimpliciter exacta, niſi fortaſſis de dubiis quibusdam iuribus vna opera transactum ſit.

e) Niſi enim hoc factum fuiſſet, multi ex bonis alienis tam opima ſpolia non tuliſſent.

f) Obſcurus & impeditus eſt aliquo modo horum verborum ſenſus, credo tamē, hoc ſibi velle, eos, qui hic expreſſe non nominati, vel expreſſe non expuncti ſunt, pro omiſſis vel excluſis non habendos eſſe. Itaque dictio negatiua *non* repeti, vel ſubintelligi apud verbum *expuncti* debet, cum ſine eo oratio fieret cum manifeſta implicatione, ſcilicet expunctos pro omiſſis vel excluſis non haberi, id quod abſurdum.

g) Sed quinam ſunt illi hoc articulo expuncti? Conſiderandum primo, ne in genere ſint omnes illi, quorum reſtitutio detracto aliquo deterior facta eſt. Hactenus enim pro expunctis haberi poſſunt. Deinde expunguntur infra §. 53. memorabili exemplo Subditi & Vaſalli hæreditarii Domus Auſtriacæ, quantum ad bona eorum attinet, quæ confiſcatione aut alio modo amiſſa fuere, antequam in Coronæ Sueciæ Galliæue

partes

Digitized by Google

§. 2. Ante omnia verò cauſam Palatinam i) Conventus Osna- Cauſa Palatina.

partes tranſiuere: Item §. 56. alia expunctio occurrit, de quibus ſuo loco videbitur.

h Hic iterum benigna interpretatione ſubueniendum eſt huic clauſulæ ſalvatoriæ. Cum enim plerumque cauſæ, quorum hoc articulo ad inſtantiam poſſeſſorum ſeu reſtituentium, ita deciſæ fuerint, vt a regula generali amneſtiæ longe in diuerſum eatur, ſane qui his exemplis cauillari verba cuperet, fabricare hunc facile ſenſum poſſet, etiam cum non nominatis, vel non expreſſe expunctis eadem ratione agendum eſſe, ne ſcilicet ad plenariam reſtitutionem omnium in eum ſtatum, quo res ante deſtitutionem fuere, ſecundum regulam ſupra traditam generalem adigerentur. Sed hoc noluiſſe paciſcentes vel ex eo apparet quia hoc modo nullus omnino dictæ regulæ vſus eſſet. Quamobrem ſic ego interpretor, procul dubio ad mentem legis, reliquos omnes, quibus ex capite amneſtiæ reſtituendum eſt aliquid, ad præſcriptum regulæ illius generalis res ſuas repetere poſſe; cum ii, quorum hic ſpecialis fit mentio eo contentus quisque eſſe debeat, quod ſibi particulare pactum tribuit. Qua ratione non nominatorum, vel non expunctorum tanto melior conditio eſſe videtur, quanto pinguius eſt remedium ex regula generali.

§. 2. ante omnia &c.

i) De cauſa Palatina agunt omnes Commentatores ad Inſtrumentum Pacis. Scilicet *Elector & Comes Palatinus* Rheni Fridericus V. cum iuuentæ ardore, tum muliebri ambitione inſtigatus, aduerſus prudentiorum conſilia & monitus, inimicitias cum Ferdinando Auſtriaco contraxerat, antequã is Imperatorium ſolium conſcendiſſe ſet. Quippe occupato Bohemorũ defectione regno, regioque titulo & diademate ſumpto, motibus Bohemicis primo implicatus; deinde Bohemorum defectione ad ſuſcipienda Regni inſignia vocatus, cum mox regem ſe eligi atque coronari paſſus eſſet, omne Nomẽ Auſtriacum cum magna Catholicorum ſtatuum parte, Duce inprimis Maximiliano Bauaro, in ſe concitauit. Interea Ferdinandus creatus Romanorum Imperator, accitis Hiſpanorum auxiliis, & valida Boiorum manu ſubnixus Ducibus Maximiliano & Buquuio in Bohemiam tendit, atque nouum Regem haud procul Praga, regni metropoli, cum omni ſuo exercitu, ex tyronibus fere collecto, & veterano militi impari fudit fugauitque. Qua vna pugna infelici non amiſſa modo Bohemia, verum etiam Elector Superiore atque Inferiore Palatinatu pulſus eſt, illinc Bauaro rem gerente. Hinc Hiſpanis ditiones ad Rhenum inuadentibus, poſtquam Cæſar Ferdinandus, ſecundis rebus elatior, proſcriptione velut ſignũ ad iſtas expeditiones dediſſet, Palatinatum Rheni diu Hiſpani tenuerunt: Superiorem Maximilianus Bauarus pro belli impenſis retinebat, in quem ſimul dignitas Electoralis collata fuit qua Fridericus eiusque Hæredes iniquiſſima ſen-

Digitized by Google

Oſnabrugenſis & Monaſterienſis l) eò deduxit, ut ea de re jam diu mota lis m) dirempta ſit modo ſequenti.

§. 3.

ſententia exuebantur, cum hos ſaltem luere Parentis qualemcunque etiam culpam nulla iura ſinerent. Interea Fridericus exulabat apud Batauos, donec ſuperuenere Suecſ, atque Auſtriacos ad moderatiora conſilia victricibus armis flexere. Hæc cauſa Palatina longa & impedita actio fuit apud tractatus pacis; cum Fœderati Reges & Principes Electoris Palatini, Friderici liberorumque eius ſolidam reſtitutionem vrgerent in omnia bona & dignitates, Auſtriaci vero vltra inferiorem Palatinatum Rheni nihil quicquam concederent, cuius prætereа reſtitutionem non modo detracta dignitate Electorali, iam in Bauariæ Ducem collata, ſed & multis aliis conditionibus, inprimis quod ad religionem attinet, deteriorem fecerant. Ex eo varie iactatum negotium, prout bellorum vices ſpem metumque iniecerant. Tandem ea de re, vti hic dicitur, iam diu mota lis dirempta eſt ſequenti modo.

l) Vtrobique enim hæc cauſa acta fuerat, Gallis Suecisque Palatini poſtulata fulcientibus. Non dubitandum tamen eſt, ſi maior conſtantia Fœderatis fuiſſet, quin hoc negotium felicius ſucceſſiſſet. Conſtans enim eſt fama, Bauarum iam ſuis mandata dediſſe, vt tandem a propoſito retinendæ dignitatis Electoralis deſiſterent, ſi alia ratione transigi non poſſet. Sed Galli forſan aliquo religionis reſpectu, Sueci vero oſtentatis prouinciis quibusdam, aliisque commodis allecti, de corruptis Miniſtris nihil affirmo negoque, ceſſere tandem victoriam Bauaris, quam in manu ipſi habebant, ſi paulo perſtitiſſent.

m) Pulſauere nimirum Electores Ferdinandum II. omnibus conuentibus de reſtitutione Palatini; Reges etiam Angliæ Jacobus ſocer, & Carolus Leuir, adiunctis Fœderatis Belgis, itemque Rex Daniæ, ſumptuoſas legationes eam in rem fecerant. Adhæc interceſſere ſæpius Principes Euangelici, cauſamque inprimis liberorum proſcripti Electoris egere. Elector ipſe, & poſt fata eius, filius Carolus Ludouicus editis in publicum ſcriptis excuſare præterita: Judicii & proſcriptionis iniuſtitiam exagitare, Clementiam Cæſaris per codicillos implorare, deprecari iniurias: de contumeliis & maleficiis Hiſpanorum ingentes querelas inſtituere auaritiam & cupiditatem agnati Bauari, bonis ſuis & dignitatibus inhiantis acriter accuſare. In ſumma Deûm hominumque fidem inuocare, vt in cauſa communi officiis etiam communibus ſubleuentur. Hæc fere eſt illa lis mota. Neque enim denuo ad Iudicem itum, poſtquam Elector ſemel ſententia Ferdinandi damnatus proſcriptusque fuit.

§. 3.

§. 3. Et primò quidem quod attinet Domum Bauaricam n) dignitas Electoralis o), quam Electores Palatini ante hac habuerunt, cum omnibus regaliis p), officiis q), præcedentiis r), inſigniis s) & juribus quibuscunque ad hanc dignitatem ſpectantibus t); nullo prorſus excepto u), ut & Palatinatus ſuperior totus

Electoratus Bauaricus.

§. 3.

n) Per hanc conuentionem Domus Bauarica duo obtinuit, 1) Dignitatem Electoralem Palatinatus Rheni cum omnibus iuribus, & 2) Palatinatum Superiorem totum vna cum Comitatu Cham quibus Dux Maximilianus eiusque liberi atque agnati frui poſſint, donec ex linea Guilhelmiana maſculi ſuperſtites ſunt.

o) Quæ nunc Maximiliano Duci pace confirmatur, cum iam ante annos viginti quinque ipſi ab Imperatore Ferdinando collata fuiſſet: Neque in genere modo dignitas Electoralis, qua nuper Dux Brunſvicenſis ornatus etiam fuit; ſed illa ipſa, quam Electores Palatini ante hac habuerunt.

p) Regalia proprie hic ſunt iura, quæ a dignitate Electorali dependent magis, quam a Prouincia, cui addicta illa dignitas eſt. Inter quæ eminet ius ſuffragii in creatione Regis Romanorum: itemque in Comitiis Electoralibus alias ob cauſas indictis: nec non prærogatiua in honoribus ceremoniis, titulis &c. &c.

q) Officium præcipium Electoralis dignitatis Palatinatus Rheni erat Archidapiferatus. Hic nunc in Ducem Bauariæ collatus. Hoc reſpectu in Curia ſolenni affert cibum ad menſam Imperatoris.

r) Præcedit nempe omnes ſeculares Electores, Rege Bohemiæ excepto.

s) Inſigne Archidapiferatus eſt pomum Imperiale, quod in proceſſione ſolenni ante Imperatorem portat *Aurea Bulla c.* 22.

t) Cum Vicariatus nulla fiat expreſſa mentio, poſt mortem Ferdinandi III. inter Bauarum & Palatinum acerrima contentio orta eſt, cum vterque tempore interregni hanc ſibi poteſtatem arrogaret. Bauarus vicariatum ſibi deberi contendebat, quod inter regalia vnum eſſet dignitatis Electoralis, quam Electores Palatini ante hac habuerunt. Palatinus vero ad iura referebat Palatinatus inferioris. Vtriusque partis argumenta in compendio vide apud Linincum ad *A. B. c. 5. §. 1. obſeru. 5.* Retinuit non modo illo tempore Bauarus Poſſeſſionem & apud Cameram edictis ſuis, & in aliis actibus: verum etiam nupera Regis Romanorum, Ioſephi electione, concedente Palatino, ſe plane fulciuit, cum quæſtio eſſet de Vicariis Imperii per Regis minorennitatem, Cæſare forſan mortuo. Tunc enim Bauaro iura Vicariatus expreſſe aſſerta ſunt, Palatino adeo tacente, vt ne proteſtatione quidem ſibi proſpiceret. Quanquam argumenta haud quaquam de nihilo ſint quibus olim Elector Carolus Ludouicus

totus x), una cum Comitatu Cham y), cum omnibus eorum appertinentiis, regaliis ac juribus z), ſicut hactenus, ita & impoſterum maneant a) penes Dominum Maximilianum, Comitem Pala-

uicus ſuas partes contra Bauarum defendebat, niſi huius cauſam potentia tunc iuuiſſe fauore religionis ſubnixa.

u) Quod ſcilicet ad dignitatem illam Electoralem pertinet: iura enim Palatinatus ſeparata ſunt.

x) Alterum quod Bauaro datur, eſt Palatinatus ſuperior, & quidem totus, nullo detracto. Occupauerat illum Maximilianus ſtatim a Bohemiæ motibus, mandato Ferdinandi Cæſaris, ex quo Fridericus Elector proſcriptus fuerat. nunc conceditur illi ob ſumptus in bellum illud factos, quorum rationes ad tredecim vsque milliones computabantur.

y) Adiacet hic Comitatus Palatinatui verſus Bohemiæ confinia.

z) Appertinentiæ comprehendunt omnes partes iſtius Palatinatus, & quicquid eo ſpectat. Regalia de ſublimi territorii iure ſeu ſuperioritate proprie intelliguntur. Iura autem reliqua complectuntur omne illud, quod eorum nomine quocunque modo venit, adeoque iura tam actiua quam paſſiua. Quare etiam Elector Bauarus excipere actiones & in iure reſpondere de omnibus illis tenetur, quæ ſibi alii ab eo dari aut fieri contendunt, qui huius Palatinatus Dominus eſt & poſſeſſor.

a) His verbis volunt Bauarum exemptum eſſe ab obligatione reſtituendi rem Euangelicam in eum ſtatum, quo ante deſtitutionem, aud ſaltem an. 1624 fuerat. Sane hæc interpretatio euentu comprobata eſſe videtur, cum nihil interea reſtitutum ſit, neque a vero longe abeſt, tacite hic quid pactum fuiſſe, cum nemo audierit, a confecta pace Bauarum ſuper reſtitutione in ſacris interrogatum eſſe, quamuis in vicino oppido *Weiden*, quæ ditionis Neoburgicæ pars, ſacra Euangelica reſtituta fuerint, & cum Catholici iterum turbarent ſtatum, ingentes querelæ eam ob rem, nec iam prorſus exſtinctæ, ſtatim exortæ ſint. Alias vero, & ſi abſque tacito eiusmodi pacto fuiſſet, vereor ſane vt his ſolis verbis, *hactenus, ita & in poſterum* effugere Bauarus neceſſitatem reſtitutionis potuiſſet, quæ omnibus ſtatibus ex decreto regulæ vniuerſalis impoſita erat, cuius toto Inſtrumento Pacis reſpectu eius nulla inuenitur exceptio, cum tamen Domus Auſtriaca ſpeciali conuentione cauendum ſibi putauerit, ne religio in hæreditariis Prouinciis ad ductum iſtius regulæ exigeretur. Eadem fere res circa reſtitutionem Inferioris Palatinatus accidit, ibi anno 1624. tota propemodum regione pulſa religio Euangelica erat. Sed reſtitutus Elector, Carolus Ludouicus in eum ſtatum, quo ante motus Bohemicos fuerat, non exiſtimauit, ſibi impedimento ſtatum anni 1624. eſſe, quo minus illam reduceret, pulſa vice verſa Catholica. Et hoc ipſum

Digitized by Google

latinum Rheni, Bavariæ Ducem, ejusque liberos totamq; Lineam b) Guil-

ipſum inter conditiones reſtitutionis fuiſſe, concedentibus tandem Catholicis, conſtat. Enimuero ſunt etiam veſtigia, quibus apparet, Electorem Maximilianum non magis voluiſſe legem ſibi dici in negotio religionis, quod ad Palatinatum ſuperiorem attinet. Hinc credibile eſt, ne exemplo iſtorum mouerentur alii, & per id ipſum turbaretur pax, ſatius viſum eſſe, inuolucris verborum vtriusque mentem, compoſitoribus pacis explicatam, tegere, ne offendiculo cœteris eſſet. Quo reſpectu etiam procul dubio mentio *ſacrorum & profanorum*, ſiue *Eccleſiaſticorum & politicorum* caute omiſſa, quæ in reliquis tam crebro occurrit. De cœtero vtique ſi nuda verba, prout hic iacent, inſpiciamus, cum illa de ſacris nihil omnino diſponant, omnis recta ratio interpretationis eo duceret, vt ea ſub regula vniuerſali relicta fuiſſe diceremus.

Occurrit adhuc alia conſideratio circa verba *ſicut hactenus, ita & in poſterum*, obſeruatione non indigna. Scilicet Palatinatus Superior *hactenus*, id eſt, eo tempore, quo pax Weſtphalica confecta erat, a Maximiliano Electore ſolo occupationis titulo; aut ſi multum dederis vtique, iure ſaltem retentionis pro impenſis in bellum Cæſaris gratia factis, poſſeſſus fuit. Proprietate eius & dominio interea neque Palatini ſe abdicauere, neque Cæſar prouinciam illam ſuo pro arbitratu transſcribere in Maximilianum poterat, cum, ſi vtique etiam Elector Fridericus iure priuatus illo per proſcriptionem fuiſſet, Capitulationes Cæſareæ non fuiſſent de bonis eiusmodi ad Imperium reuerſis Imperatorem ſine conſenſu ſaltem Electorem ſtatuere. Quam ob rem ante pacificationem nullum ſtabile & radicatum ius Maximiliano in hunc Palatinatum quæſitum eſſe videtur. Qui ſi in poſterum manere penes eum ſaltem debet, ſicut *hactenus* fuit nullo dato meliori titulo, nec ampliori iure conceſſo, quod hic ſane non factum, niſi forſan inueſtituræ ſubſecutæ aliquid mutauerint, (id an in præiudicium tertii fieri potuerit, alii viderint) oppido manifeſtum eſt, Domum Bauaricam hunc Palatinatum proprietatis nomine ſibi vix aſſerere poſſe: neque facile dixeris, quo titulo poſſideat, niſi fortaſſis ius quoddam eſt antichreſeos quamuis, valde irregulare, quo Palatinatu velut pignore eo pacto pro tredecim millionibus fruitur, vt relui non poſſit, quamdiu ex tota linea Guilhelmiana maſculi ſuperſtites ſunt: His vero deficientibus, res ad lineam Rudolphinam redeat, credito tum adeo exſtincto, vt nec fœminæ, nec alii Hæredes Allodiales eius condicendi ius vllum habeant.

b) Ante annos non ita multos, quum Elector Bauariæ, ex ſecundus nuptiis nondum liberos ſuſcepiſſet, quibus iam domum feliciter fulciuit, diſputatum acriter fuit, num etiam ad lineam Guilhelmianam illi Comites Wartenbergici per-

Digitized by Google

Guilhelmianam c), quamdiu maſculi d) ex ea ſuperſtites fuerint.

§. 4.

pertineant,& computandi ſint,quos ante hæcDux Bauariæ Ferdinandus impari ex connubio primum procreauerat. Hactenus eos ex linea Guilhelmiana eſſe, quatenus Patre, Duce Bauariæ eiusdē lineæ geniti ſunt, ſine omni eſt controuerſia. Quosdam etiam eorum maſculos eſſe ſuperſtites, de facto conſtat, Sed fraudi eis eſt,cum ignobilior Matris conditio, quæ in illuſtribus familiis ex conſuetudine id habet,ne iuſtum ſit matrimonium: tum vero præcipue ipſius BauaricæDomus æſtimatio & iudicium, quæ hos Comites in hanc vsque diem, neque nomine, neque loco, neque inſignibus, neque vllis denique prærogatiuis atq; iuribus Ducem Bauariæ propterea dignos exiſtimauit,antequam ad eam orbitatem redacta propemodum fuiſſet, vt ſibi de firmamentis quocunq; modo proſpiciendum eſſe putauerit. Tum enim demum Comites Wartenbergici e latebris quaſi ſuis paulatim extrahi, & altiori ſpei deſtinari, quæ mox vno iterum ictu decollauit, poſtquam Elector fœcunditate matrimonii pene ſupra votum ſucceſſionem ſtabiliuit,tot liberis maſculis auctus. Sed illo tempore, quando cauſa Wartenbergicorum agebatur, muſſitabant Agnati ex linea Rudolphina, quorum damno hæc noua adoptio manifeſta iniuria videbatur agitari; ſed inter occulta ſaltem murmura hi queſtus ſtetere, vt ignotum ſit, quid futurum fuiſſet, ſi ſors caſum tam meditatum dediſſet effectui

c) Quæſitum memini, num hic Wilhelmus V. ſit intelligendus, Pater Maximiliani Ducis, anno 1602. mortuus? an auus illius, Wilhelmus IV, qui an. 1580. diem obiit? Non video quid interſit, vtrum ſtatuas, cum omnis Wilhelmi IV. progenies tandem ad Wilhelmum V. redierit, vt ab hoc ſolo Ducum Bauariæ nomen ſit propagatum. Nam Wilhelmus iſte V. etiam Ferdinandi Ducis Pater fuit, cui Comites Wartenbergici ortus ſuos debent. Itaq; cum nihil cuiusquam referat, hoc vel illud dicas, arbitror ego, ſine cuiusquam inuidia pronunciari poſſe, Wilhelmum V. intelligendum eſſe, cum ille lineam proximiorem faciat, in qua forte ſubſiſtendum etiam fuiſſet, etiamſi ſecunda linea a Wilhel mo IV. ſuperſtes quædam eſſet. Cur enim legem contractus, qui potuere, non apertius dixerunt, præſertim cum hic agatur de onere maximo, quo Comites Palatini Rheni inſigni ditionū paternarum iactura grauandi erant, vt propterea interpretatio quam ſtrictiſſima ſequenda ſit. Nam ſi paciſcentium mens alia fuiſſet, linea Ducem Bauariæ non a Wilhelmo quocunque, ſed a prima eorum origine Stephano II. qui omnium Pater fuit, deducenda erat.

q) Fœminæ igitur in Palatinatum ſuperiorem ius ſuccedendi non habent. An vero in Ducatum Bauariæ? Non ſequitur. Eximias tamen huius Ducatus portiones pro bonis allodialibus venditari audiuimus: ſine dubio materies rixarum & litium, ſi tam opulenta hæreditas aliquando cernenda eſſet.

§. 4.

Digitized by Google

§. 4. Viciſſim Dominus Elector Bavariæ pro ſe, hæredibus ac ſucceſſoribus ſuis, totaliter renunciet debito tredecim millionum, omnique prætenſioni in Auſtriam Superiorem, & ſtatim à publicata pace omnia Inſtrumenta deſuper obtenta Cæſareæ Majeſtati ad caſſandum & annullandum extradat. (e)

§. 5. Quod ad Domum Palatinam attinet (f). Imperator cum Imperio (g), publicæ tranquillitatis causâ conſentit, ut vigore præſentis conventionis inſtitutus ſit Electoratus Octavus (h), quo Dominus Carolus Ludovicus Comes Palatinus Rheni eiusque hæredes & agnati, totius Lineæ Rudolphinæ juxta

Electoratus Octavus Palatinus

---

§. 4.

e) Mira hæc ars æs alienum luendi ex alienis bonis. Galli proverbio hoc appellant *payer les violons*. Sed hoc priuilegio ſoli Potentes gaudent.

§. 5.

f) His inſtituitur Electoratus octauus conſenſu Imperatoris & Imperii, quo Comes Palatinus Rheni, Carolus Ludouicus eiusque Hæredes & Agnati totius lineæ Rudolphinæ frui debent, Idque publicæ tranquillitatis cauſa datum, cum alia ratione nec ſatisfieri Bauaro, nec reſtitutio Caroli Ludouici obtineri poſſet. Nam quæ conditiones antehac in medium propoſitæ fuerant, de alternatione in dignitate Electorali, vel alio modo, neutri parti ſatis arriſerunt.

g) Nota hic, Imperium ab Imperatore diſtingui, & ſignificare ſtatus Imperii. Alias Imperium ſolum poſitum, Imperatorem etiam comprehendit.

h) Ergo ſaltem conſenſu Imperatoris & Imperii vigore huius conuentionis, cuius partes paciſcentes & Exteræ Coronæ fuere, octauus Electoratus inſtitutus eſt; quod noui quid eſſe videtur, cum ſi ſecundum formam reipublicæ noſtræ loquendum eſſet, iſtum Electoratum octauum Imperator cum conſenſu ſtatuum decernere & inſtituere debuiſſet. Ἀ'κυρολογίας hanc conſtitutionem in re tanti momenti, & toties vtrinque magnis ſtudiis agitata arguere pudor prohibet. Neque tamen etiam, ſi verba, vt iacent, accipiantur, alium ſenſum exſculpere licet, quam omnes partes paciſcentes qua tales, inſtituiſſe Electoratum, ſed ex conſenſu Imperatoris & Imperii, ſine quo id fieri non potuiſſet. Quod ſi dicere volumus, Coronas exteras his verbis ſaltem præſtationem rei conuentæ in ſe ſuſcepiſſe, ipſam vero reſtitutionem autoritate Cæſaris, & ex conſenſu Statuum factam, minus in explicatione videtur eſſe, quam in oratione, ſeu verbis legis.

i) Hic ordo, Linea Caroli Ludouici

Digitized by Google

juxta ordinem ſuccedendi in aurea Bulla expreſſum (i), de inceps fruantur. Nihil tamen juris, præter ſimultaneam Inveſtituram (l) ipſi Domino Carolo Ludovico aut ejus ſucceſſoribus ad ea, quæ cum dignitate Electorali Domino Electori Bavariæ, totique Lineæ Guilhelmianæ attributa ſunt, competat.

§. 6. Deinde ut inferior Palatinatus totus (m) cum omnibus & ſingulis Eccleſiaſticis & ſecularibus bonis (n), Juribusque &

ei exſtincta, in domum Neoburgicam tranſiit.

l) Hæc ſimultanea Inueſtitura ſunt omnes illæ reliquiæ, quas Carolus Ludouicus eiusque heredes ex tanto naufragio ſeruauere, præterea nihil iuris in illa ipſis relictum. Id quod nihilominus juxta ſuperiora §uo 3. tradita, inprimis quoad ſenſum verborum *ſicut hactenus, ita & in poſterum*, explicandum eſt.

§. 6.

m) Reſtitutio Electoris Caroli Ludouici duobus capitibus conſtat, vno, quo nouus Electoratus in Eum collatus: qua de re ſuperiori §uo actum, & alterum, quo totus Palatinatus Interior Rheni ipſi reſtituitur. Palatinatus autem Inferior *totus*, quia id Cæſariani Bauarique tum agebant, vt inſignis eius pars detraheretur, iam in vſus aliorum deſtinata. Scilicet Catholicorum primo ſententia erat, eo ante omnia collimandum eſſe, vt quæ Poſſeſſoribus priſtinis in Palatinatu Inferiore reſtituta eſſent, cœnobia Limburch, Hirth, Spanheim, Hornbach, aliaque, illis manerent ſalva: nec non vt in ſuo robore perſiſterent factæ ab Imperatore aut Electore Bauaro donationes, Infeudationes, itemque res transactæ, vel iudicatæ: interque illas diſpoſitio circa Eccleſias Neuhaus & Sintzheim in fauorem Epiſcopatus Wormatienſis. Tum etiam Electori Moguntino *Viam* ſeu *ſtradam montanam* reddendam cenſebant, & religionem Catholicam toto Palatinatu ſtabilitam, conſeruandam. Denique Elector Treuirenſis reſtitutionem Caſtri Eberſtein, & abolitionem nouitatum, quas in Epiſcopatum Spirenſem Palatinus inuexiſſet, iterum iterumque vrgebat, ac præterea pagos Welchau & Hakenheim ab eodem excultos reſtitui ſibi volebat. Ex his pleraque reiecta. De cœteris vero quid ſtatutum ſit, ſequentia docebunt.

n) De bonis Eccleſiaſticis hic ſpecialis mentio, omiſſa ſupra, cum Palatinatus Superior in Bauarum transſcriberetur, neceſſaria ideo fuit, quod Catholici Status & Eccleſiaſtici in primis anno 1624. in poſſeſſione plerorumque bonorum Eccleſiaſticorum fuerant, illa omnino iuxta articuli quinti paragraphum nonum, *quæcunque Monaſteria* &c. ſibi in perpetuum vindica-

Digitized by Google

& appertinentiis (o), quibus ante motus Bohemicos (p) Electores Principesque Palatini gavisi ſunt, omnibusque documentis regeſtis,

vindicaturi, ni de reſtitutione eorum ſpecialiter fuiſſet conuentum.

o) Cur non hic adduntur etiam regalia, quod de Palatinatu Superiori factum? Non credo, huius vocis omisſionem quocunque modo huic reſtitutioni fraudi eſſe poſſe, cum regalia nihil aliud ſint, quam iura ſublimiora territorii. Cuicunque igitur ditio cum omnibus & ſingulis iuribus reſtituitur, eidem regalia etiam reſtitui, quorum ditio illa capax eſt, non eſt dubitandum.

p) Non ita multi anni ſunt, cum hæc verba magnæ diſputationis inter Status Euangelicos & Electorem Palatinum materies fuere, Dum ſcilicet illi contenderent, *ante motus Bohemicos* deſignari ſtatum, qui proxime ante illos motus in Palatinatu fuit: Id quod cum anno 1618. proprie incidere autumabant. Hic vero iſtum annum pro termino & regula ſibi poſitum eſſe negabat, jura ſua ad aliquot retro ſecula ita exigens, vt annum illum 18. non aliter conſiderandum eſſe dixerit, quam minimam partem temporis, quod ante motus Bohemicos effluxerat, imo vix vt diem anno comprehenſam. Neque enim eſſe terminos conuertibiles ſtatum ante motus Bohemicos, & annum 1618. neque argumentum a ſtatu huius anni deſumptum valere negatiue contra Electores Palatinos, quo ad bona & iura Electori Carolo Ludouico eiusque ſucceſſoribus legitimis reſtituta; ſed affirmatiue ſaltem, vt, quicquid iurium Fridericus Elector anno 18. habuerit & exercuerit, id ipſum ſucceſſoribus eius pace Weſtphalica reſtitutum ſit. Ex quo non ſequi, ſi forte dictus Elector Fridericus V. ius aliquod anno 18. actu non exercuerit, cum facultas eius exercendi ipſi fuiſſet, quodque deceſſores eius pro arbitrio ſemper exercuere, in ius illud ſeu poteſtatem Carolum Ludouicum non reſtitutum fuiſſe. Rationes vtriusque partis hæ propemodum fuere. Sereniſſimus Elector allegabat 1) de ſtatu & obſeruantia anni 1618, reſpectu religionis & ſubditorum toto Inſtrumento Pacis ne mentionem quidem fieri: imo 2) hunc terminum inter tractatus pacis a Catholicis reiectum eſſe, cum Euangelici eundem pro regula reſtituendorum propoſuiſſent. 3) Annum quidem 1624. pro termino reſtitutionis eis poſitum eſſe, qui ex capite grauaminum reſtituendi erant; Sed nihilo minus ab hac etiam regula excipi reſtitutos ex capite amneſtiæ, artic. 5. §. 13. 4) Cum igitur Elector Carolus Ludouicus non ex capite grauaminum, ſed amneſtiæ ſit reſtitutus, non obligare ipſum, neque fraudi ei eſſe poſſe, quicquid reſpectu reſtituendorum ex capite grauaminum de ſtatu & obſeruantia anni 1624. eiusque diei primæ Ianuarii diſpoſitum inuenitur.

5) Cum

5) Cum Elector Carolus Ludouicus in omnia iura ſit reſtitutus, quibus Electores Principesque Palatini ante motus Bohemicos gauiſi ſunt, hanc eius reſtitutionem ſine manifeſta contradictione ad nudum factum poſſeſſionis Friderici V. Electoris reſtringi non poſſe, quia ipſa verba Inſtrumenti pacis eiusmodi limitationem reiiciant, 6) Neque id magis conuenire menti reſtituentium & reſtituti: non illorum, qui Hiſpanni & Bauari fuerint, & qui nunquam ne per ſomnium quidem cogitarint, vt annum 1618. pro termino decretorio reſpectu religionis ponerent. Neque magis etiam huius, Caroli Ludouici, qui adeo non exiſtimauit, obligatum ſe ad præſcriptum ſtatum eiusdem anni eſſe, vt potius pro arbitrio ei derogarit contrariis mandatis factisque, concedendo etiam Catholicis exercitium religionis ſuæ omnibus locis, vbi id ei viſum, non attento ad ſtatum anni 1618. 7) Cum in prima propoſitione Suecica amneſtia generalis ad annum 1618. reducta: in ſubſecuta Cæſarea vero ad ſtatum anni 30. iuxta publicatam anno 1641. in Comitiis Ratisbonenſibus amneſtiam limitata fuerit, placuiſſe tandem in ipſa pacis concluſione a temporibus hiſce definitis vtrimque abſtrahi, & tempus aliquod indefinitum ſtatui, ſcilicet tempus ante motus Bohemicos vel ante deſtitutionem. ex quo ſequi, a ſtatu 1618, quatenus iſte tempore ante bohemico eo modo, quo ſupra dictum eſt, non includitur, ſed indeterminatum illud tempus limitat atque reſtringit, mutuo conſenſu diſceſſum fuiſſe. Denique 8) tolli omnem dubitationem ab Inueſtitura, poſt confectam pacem Carolo Ludouico ab Imperatore conceſſa. Quæ ſicuti partem præcipuam conſtituit executionis pacis in hoc articulo, ita tenorem eius procul dubio verum & genuinum intellectum ſuppeditare. At inueſtitum tunc fuiſſe Carolum Ludouicum, eiusque Hæredes & Agnatos totius lineæ Rudolphinæ cum Palatinatu Inferiore, eiusque Eccleſiaſticis atque ſecularibus bonis, iuribus, appertinentiis, non vt ea Pater illius Fridericus V. anno 1618. poſſederit, ſed vt deceſſores eius, Electores & Comites Palatini ante motus Bohemicos poſſedere; interque eos Deceſſores nominatim deſignari Philippum, Ludouicum, Fridericum nec non Ottonem Henricum, Fridericum Ludouicum & ambos Fridericos, Patrem atque Filium. Verba inueſtituræ hæc ſunt. Churfürſt Carl Ludwig, und deſſen Erben und Anverwandten der gantzen Rudolphiniſchen Linie vi pacis Weſtphalicæ mit der achten Churwürde und Wahlgerechtigkeit, mit der Pfaltzgraffſchafft bey Rhein, ſambt allen Geiſt- und Weltlichen Gütern, Rechten und Zugehörungen, wie dero Vorfahren, die Churfürſten Pfaltzgrafen nahmentlich Churfürſt Philipp, auch Ludwig, und Friedrich. Desgleichen Otto Heinrich, Friedrich Ludwig, und beede Friedrich, Vater und Sohn, vor der Böhmiſchen Unruhe dieſelbe eingehabt &c. &c. Vnde apparere, quinam ſint illi, Electores Principesque Palatini, quorum mentionem Inſtru-

Inſtrumentum Pacis facit, & quorum poſſeſſio veluti index eſt iurium ante motus Bohemicos poſſeſſorum, quæ cum longe in duo poſtrema ſuperiora ſecula retro digitum intendant, ad ſtatum poſſeſſionis Friderici V. anno 1618. præciſe habitæ non poſſe reſtringi. Sane quidem occurrere etiam nonnunquam in ſcriptis nonnullis, lite ris & decretis, reſtitutionem Palatinatus Inferioris concernentibus, mentionem anni 1618. Sed quotiescunque illud fit, tunc annum illum habendum eſſe non pro toto termino reſtitutionis a quo, ſed ſaltem pro parte tem poris ante Bohemici, vnde reſtrictione & oppoſitione ad totum tempus ante Bohemicum nihil omnino inferri poſſit, cum ſupra allegata Inueſtitura, Carolo Ludouico conceſſa longe altius initium temporis illius repetat, quo Electores & Principes Palatini, qui etiam nominantur, iuribus ſuis gauiſi ſunt. Hæ rationes erant vnius partis.

Ex altera vero adducebatur 1) verba *ante motus Bohemicos* idem ſignificare hoc loco, quod alio, *ante deſtitutionem*, ſed iſtud *ante deſtitutionem* tempus deſtitutionem immediate præcedens denotare, non eſſe dubium: cum itaque deſtitutio Friderici V. poſt annum 1618. ſtatim contigerit, hunc ipſum ſane annum non poſſe non pro deſignatione & ſtatu haberi illius temporis, quo reſtitutionem Palatinatus veluti metimur & commenſuramus. 2) Ante motus Bohemicos idem eſſe, quod *ante initia motuum*, quia reſtitutio Palatinatus certum & definitum ſtatum deſiderabat, non vagum aliquem & incertum, ſecundum quem fieri poſſet. 3) Electorem Carolum Ludouicum non niſi vnum eundemque terminum reſtitutionis tam in Eccleſiaſticis quam Politicis habuiſſe; teſtari autem omnia acta & iudicata, nec non Cæſaris Ferdinandi III. mandata & decreta, circa executionem pacis in reſtitutione Palatinatus Inferioris, quod iſta reſtitutio nunquam aliter quam ad normam ſtatumque anni 1618. intellecta fuerit. 4) Actiones & vindicationes etiam Caroli Ludouici, nec non tranſactiones eiusdem cum vicinis de alio termino, quam hoc ipſo nullibi mentionem facere. Adhæc 5) totam pacis hiſtoriam hoc ipſum inculcare, vbi ſtatus ante motus Bohemicos & ſtatus anni 1618. eodem vbique ſenſu dicta acceptaque ſunt. 6 Sed & in Inſtrumento Pacis Weſtphalicæ articulo quarto, §uo 50. anni 1618. diſerte mentionem fieri, quod nulla alia ratione factum, niſi quia dictus annus præciſe ſtatus ille fuerit, quem paciſcentes reſtitutis ex capite amneſtiæ in ſacris non minus, quam profanis pro menſura reſtitutionis poſuerunt. 7) Hoc ipſum etiam velle exceptionem artic. 2, §. 19. Lutheranorum bono conuentam, quibus dum annus 1624. pro ſtatu datus eſt, reliquis annus 1618. non potuit non relictus fuiſſe. 8) Imo Carolum Ludouicum ſuo iudicio & exemplo hoc ipſum docuiſſe, qui omnes communitates ſeu Eccleſias religioni Catholicæ Romanæ addictas, ſi ante motus Bohemicos, anno ſcilicet 1618. in Palatinatu Inferiori

riori exercitium ſuæ religionis habuerunt, eo ſtatu reliquit, quo illo tempore ſe fuiſſe probare poterant, vt adeo ſuperius aſſertum aduerſæ partis, nimirum Carolum Ludouicum ſine vllo reſpectu ad annum 1618. de religionibus vi iuris reformandi pro arbitrio decreuiſſe, omni fide & probatione deſtituatur, cum vnum vel duo forſan exempla ob ſingulares plane rationes fulciendo nunc eiusmodi deſtinato minime ſufficiant, extante in primis ipſius Caroli Ludouici declaratione in contrarium: qui plenis in Comitiis Ratisbonnæ edita deductione, in cauſa Monaſterii Lauriacenſis (Lorsch) hac de re ſine vllo circuitu ita loquitur: Nun vermag das *Inſtrumentum Pacis Weſtphalicæ*, das alles *ratione bonorum Eccleſiaſticorum, non attentis exceptionibus* &c. &c. in den Stand zu reſtituiren, und dabey zulaſſen, wie es anno 1624. geweſen, nur daß in ermeldten Friedens-Schluß auch dieſes expreſſe verſehen, *quod Electores Palatini in eum ſtatum reſtituendi ſint, quo ante motus Bohemicos NB. nimirum anno 1618. fuerunt, & quidem pari iure, quo reliqui Status, ita vt non niſi termino reſtitutionis a quo differant*. Neque minus 9) id apud Catholicos etiam in confeſſo fuiſſe, teſtante propoſitione Iſaci Volmarii, Cæſarei ad Electorem Carolum Ludouicum Legati, qui cum ipſis pacis tractatibus quondam Legante Cæſare interfuiſſet, poſt initam pacem anno 1651. hunc Electorem querentem, ſibi in reſtitutione totius Palatinatus nondum plene ſatisfactum, ſic inter alia alloquitur. Würde E. Churfl. Durchl. obliegen, vor allen Dingen ſpecifice zu exprimiren, und zu probiren, was und wieviel der prætendirten Leibeigenen Leuth im Stifft-Speyer und brauchbaren Orten des Churfl. Hauß Pfaltz anno 1618. beym Anfange der Böhmiſchen Unruhe in würcklichen Beſitz gehabt &c. quo nihil dici manifeſtius & clarius potuiſſe putant ab eo præcipuo Viro & Miniſtro, cuius eruditione, opera & conſiliis Cæſar inprimis in promouendo pacis negotio vtebatur, quique proinde noſſe omnium optime debuit, quæ ſignificatio vſusque proprie eſſet verborum illorum ante motus Bohemicos. Cum quibus ſi conferamus, quæ Statuum Euangelicorum Legatus ad Electorem Palatinum Dominus de Bœtzlar, anno 1699. libello ſuo vlteriori, die $\frac{21}{31}$ Octobris in ſcripto exhibito ſub lit. a & b adiunxit, vix cauillis etiam locum relinqui exiſtimant, cum ibi tot documentis non modo mens paciſcentium plana & aperta fiat, ſed & tricies fere nominatim mentio occurrat anni 1618, ad quem ſingula reſtitutionis Palatini capita, vel grauamina adhuc reſidua exigenda eſſe, vbique res ipſa & verba doceant: E quibus multa ita ſint comparata, vt exceptionem illam ſupra a parte aduerſa inuentam, de parte ſcilicet temporis, quod ante motus Bohemicos effluxit, per iſtum annum ſaltem deſignata, non modo non ferant, ſed & refutent. Veluti eſt illud, quod in paulo ante dicta propoſitione Miniſtri

Cæſarei

Cæſarei, Volmarii, habetur, ſcilicet *actualem* poſſeſſionem inſpiciendam eſſe, prout anno 1618. ante initia motuum Bohemicorum habita fuit. Cuiusmodi plura ibidem legi poſſunt, quæ ſic comparata ſunt, vt palpandum manibus præbeant, ſi vtique iudicium aut bona fides defecerit, terminum reſtitutionis Palatinatus Inferioris anno 1618. præciſe definiri, atque adeo illum annum non pro parte temporis alicuius indefiniti, in aliquot retro ſecula reſpicientis, ſed reſtrictiue & oppoſitiue ad tempus anterius ante Bohemicum explicandum, conſequenter omni tempori vlteriori opponendum eſſe. Equidem non latet me, reſponſum non nihil ad hæc omnia eſſe ab iis, quibus creditum eſt, opimiorem reſtitutionis conditionem fore, ſi ſtatum a longo aliquo & indefinito tempore arceſſeremus. Sed præterquam quod iſtæ reſponſiones ipſo nimium ſubtili artificio infirmitatem ſuam nouitate inuentorum exponant, abſurdum eſt ſtatum alicuius rei eiusmodi tractu temporis deſignare, intra quod ſæpius de facto mutauit. Sic enim nulla eius certitudo vel demonſtratio eſſet, cum, qui certo anno talis fuit, annis ſuperioribus vero, ſi retro eatur, multis in rebus longe alius fuiſſe deprehenditur, nemo ſcire poſſet, quem in ſtatum reſtitutio facienda ſit, cum hac ratione non vnus, ſed multiplex atque varius ſe nobis ſiſtat, niſi ad vltimum reſpiciatur, qualis erat ante illam mutationem, cuius cauſa reſtitutio poſt exercitas inimicitias litesque decreta eſt ſiue ſententia ſiue ex pacto. Atque hæc fere ſunt argumenta diuerſarum opinionum circa ſenſum horum verborum, *ante motus Bohemicos.* Quæ pars diſputatione ſuperior ſit, lector prudens & affectibus vacuus facili negotio ſecum ſtatuet. Si dicere licet, quod mihi videtur, tam operoſa ventilatione & excuſſione hæc verba plane opus non habent, cum planiſſimo ſenſu omnibus ſe primo ſtatim aſpectu absque vlla difficultate commendent: vt fieri vix potuiſſet, adeo in diuerſa abiuiſſe controuertentes ni mutato cauſæ vel quæſtionis ſtatu, quaſi Andabatarum more hinc illinc variis ictibus, & ab hoſte ſemper auerſis pugnaſſent. Verba ſunt clariſſima, & ſine vlla ambiguitate. Reſtituitur ſcilicet Palatinatus Inferior Electori Carolo Ludouico cum omnibus bonis, iuribus & appertinentiis, quibus ante motus Bohemicos Electores Principesque Palatini gauiſi ſunt. Hic de ſtatu aliquo, in quem reſtitutio facienda, nullum verbum, ſed de bonis tantum, iuribus & appertinentiis; vt fruſtra diſceptetur, quo ſtatu Palatinatus Inferior reſtituatur, cum totus ſit reſtitutus. Credo ſtudio & dedita opera id factum, ne mentio ſtatus religionis Catholicæ, quæ anno 1624. illic locorum ſtatum habuerat, ex articulo grauaminum aliquod præſidium compararet. Eadem ratione paulo ante cum Palatinatu Superiori etiam actum fuerat. Quamuis autem negare nolim, Palatinatum Inferiorem certo in ſtatu reſtitutum fuiſſe, cum ſine ſtatu eſſe non poſſit. Aliud tamen eſt, ſi quæras, quid

quid Carolo Ludouico reſtitutum ſit, & quo ſtatu Palatinatus Inferior ſit reſtitutus, Cum hoc verbis directis non habeatur in hoc noſtro paragrapho ſexto. Enimuero quicquid horum ſit, ſiue de ſtatu quæras, quo Palatinatus Inferior ante motus Bohemicos fuit: ſiue de bonis, iuribus, appertinentiis, quibus ante motus Bohemicos Electores & Principes Palatini gauiſi ſunt, recurrit nihilominus vtrobique quæſtio ab initio propoſita, & per diuerſas rationes ſupra adductas in vtramque partem agitata, nimirum vtrum per tempus ante motus Bohemicos intelligatur habitus vel ſtatus rei, qualis immediate ante illos motus erat; An vero indefinitum & indeterminatum quid, quod longius retro porrigitur, & cuius annus ille decimus octauus non eſt, niſi exigua pars. Vt iterum hic rectius intelligamur, diſtinctius quærendum erit. Fac enim mihi, Electores & Principes Palatinos bonis quibusdam aut iuribus longe ante motus Bohemicos gauiſos eſſe, ſed hæc poſtea alienaſſe, vel poſſeſſionem eorum vſumque alio modo amiſiſſe, ita vt proxime ante motus Bohemicos iſtorum nihil quicquam amplius in poteſtate habuerint; ſane reſtitutionem eorum ex hac conuentione peti poſſe non arbitror, cum nemo ex capite amneſtiæ in alium ſtatum reſtituatur, quam quo ante deſtitutionem fuerat. Quodſi vero quis & proxime ante motus Bohemicos, & multis retro ſiue annis, ſiue ſeculis bona quædam aut iura in patrimonio habuerit, ſuperuacaneum erit quærere de toto temporis, cum vltima pars eius, id eſt, annus decimus octauus ad reſtitutionem petendam ſufficat. Sicuti ex aduerſo, quæ bona aut iura Domus Palatina vel hoc ipſo anno decimo octauo, vel non longe ante acquiſiuerat, quæ nondum erant in dominio Superiorum Electorum vel Principum, eorum, licet recens quæſitorum, non minus reſtitutio debetur, quam auiti & veteris patrimonii. Vt adeo ego vix intelligam, cui bono tota hæc controuerſia in medium allata & tanto ſtudio inter utroſque propter eam certatum fuerit. Nam ſicuti reſtitutio ex capite amneſtiæ non datur in id, quod Domus Palatina ante motus Bohemicos amiſit, cum alii eam ob res inter motus ſubſecutos forte amiſſas ex eodem hoc capite petere poſſint, ſaluis interea cuiusque iuribus ita ex aduerſo fit reſtitutio in quæcunque & quocunque modo poſſeſſa ante motus Bohemicos. Poſſeſſum autem ante hos motus, ad hunc nimirum effectum, non intelligitur, niſi quod proxime ante motus Bohemicos poſſeſſum eſt. Nam antiquius poſſeſſa, ſed ante motus Bohemicos non amplius retenta, ad amiſſa pertinent, quorum reſtitutio alia formula actionis quærenda erit, ſi utique in hæc ius tibi ſupereſſe exiſtimas. Ut proinde, quocunque me verto, non inueniam, qua ratione repetitio ſit ex hac lege eorum, quæ longe ante motus Bohemicos a domo Palatina amiſſa in aliorum manus peruenere, niſi poſſeſſionem eorum proxime ante motus Bohemicos docueris. Errorem quidem hac

Digitized by Google

hac in cauſa peperit, quod mentio hic fiat non Friderici V. Electoris qui Palatinatu per motus Bohemicos pulſus eſt; ſed Electorum & Principum Palatinorum: ad quam deinde formulam inueſtitura etiam Carolo Ludouico data, nominatis Electoribus Palatinis, qui ſeculo ad huc decimo ſexto vixere. Sed uti, ubi lex aliter non diſponit, reliqua omnia ad naturam Amneſtiæ generalis ſupra deſcriptæ æſtimanda ſunt. Ita huius loci alia interpretatio eſſe nequit, quam ſi id quod hactenus ſuperiores Electores poſſederunt, vltimusque ante motus Bohemicos retinuerit, demum poſt illos motus interceptum ſit. Interea fateor, planiorem ſenſum fuiſſe, ſi poſſeſſio Friderici V. ante motus Bohemicos proximi pro menſura adhibita fuiſſet reſtituendorum: ſed forſan habuerunt Paciſcentes ſuas rationes, nobis nunc incognitas, cur ita tranſigerent. Enimuero quæcunque etiam illæ fuerint, niſi argumenta videamus hactenus allegatis euidentiora preſſioraque, inducere in animum non poſſumus, vt explicationem admittamus, omnem formam reſtitutionis ex capite Amneſtiæ funditus deſtruentem, ſaltem quod ad domum Palatinam attinet. Iuuat hanc noſtram ſententiam præter iam dicta illud etiã, quod hic ſimpliciter habeatur, *gauiſi ſunt*. Cum ſupra art. 2. §. 1. adiectum fuiſſet *aut iure gaudere potuerunt*. Id qd. alia fini factũ eſſe vix potuit, quã ne occaſio lequiori interpretationi detur, ac ſi conſtitutum fuiſſet, id etiam ex Amneſtia domui Palatinæ reſtituendum eſſe, cuius poſſeſſio non eſt interuerſa, ſed quod actione petere tantum licuit.

Denique ſunt adhuc duo, quæ monere hoc loco nos oportet. Unum, quod ex iam adductis fluit, ſubditis ſcilicet Palatinis, qui non minus quam Electores & Principes ex capite Amneſtiæ tam in ſacris quam profanis in ſtatum, quo ante motus Bohemicos fruebantur, reſtituuntur cum generaliter art. 2. §. 1. tum ſpecialiter art. 4. §. 13. reſtitutionem Electorum & Principum Palatinorum in omnia bona iuraque fraudi eſſe non debere. Qua in re ob eaſdem rationes, de quibus paulo ante eſt dictum, conſiderandus erit ſtatus ſubditorum, prout proxime ante motus Bohemicos ſe habuit, non quo gauiſi forte ſunt ex remotiorum temporum conditione. Minime omnium vero recurrere ſine manifeſta calumnia licet ad ſtatum temporum, qualis ante reformationem erat, cum omnia adhuc Pontificis Romani auſpicia ductumque ſequebantur. Alterum eſt, ſi quid iuribus Electorum & Principum Palatinorum, quibus ante motus Bohemicos gauiſi ſunt, Weſtphalica pace detractum ſit, aut quocunque modo in iis mutatum, id etiam in computum reſtitutionis venire non poſſe. Quod enim art. 4. §. 10. circa confirmationem pactorum gentilitiorum domus Palatinæ iuriumque totius lineæ Rudolphinæ ſtatutum eſt, vt ſalua rataque maneant, *quatenus huic diſpoſitioni contraria non ſunt* id vniuerſum de omnibus iuribus Electori Carolo Ludouico reſtitutis eſt intelligendum. Non minus

regeſtis, rationariis, & cæteris actis (q) huc ſpectantibus eidem plena-

minus enim ad ipſum eiusque ſucceſſores, quam alios Imperii ſtatus pertinet quod art. 17. §. 2. de obligatione generali huius pacis ſtatuitur, contra quam *vllumue eius articulum aut clauſulam* nulla iura, decreta, priuilegia, indulta, edicta, mandata &c. vno verbo, nullæ, quocunque nomine aut prætextu excogitari poterunt, exceptiones, a quocunque vnquam allegari, audiri vel admitti poſſunt d. *art.* 17. §. 3. Exempli cauſa, ius reformandi, quod ex Superioritate territoriali religioſaque pace ante Weſtphalicam Statibus Imperii competit per hanc ipſam multis modis coercitum, nunc & reſtrictum eſt. *art.* 5. §. 31. Ab hac obligatione Electores Palatini ideo exempti non ſunt, quia reſtituti ſunt, in omnia iura, quibus ante motus Bohemicos Electores & Principes Palatini gauiſi. Nam idem dicitur de aliis, qui ex capite Amneſtiæ reſtituuntur: de quibus vide ſis *art.* 4. §. 24. 26. &c. quos tamen hactenus ne per ſomnium quidem hæc ſubiit cogitatio, ſe ob reſtitutiones ſuas, quarum ſpecialis fit mentio, ab obſeruantia & obligatione art. 5. eiusque §ri 31. liberatos eſſe. Ut proinde nihil adeo ab omni iuris & æqui ratione tam alienum ſit quam illud, quod nonnulli de reſtitutione Palatinatus Inferioris affirmare non verentur, factam ſcilicet illam eſſe ſine omni onere & obligatione, ſiquidem iſtud ad iura etiam ſubditorum extendunt, quod ſit, ipſis ex formula Weſtphalicæ pacis quæſita. Quid enim opus fuiſſet, art. 4. §. 13. de Subditis Palatinis ſpeciali ſollicitudine ſtatui, vt frui debeant, non modo *Amneſtia generali ſupra deſcripta, pari cum cœteris in ea comprehenſis iure*: verum etiam *ſingulariter transactione in puncto grauaminum pleniſſime*, ſi omnino illis nihil *iuris & præſidii* neque ex Amneſtia, neque ex transactione in puncto grauaminum contra ius reformandi comparatum eſt? quo ſane argumento Status Euangelici non ita pridem cauſam Subditorum Palatinorum contra Clerum Catholicum qui infauſtum hoc ſuum opus ceptæ reformationis tam ludicris argumentis tutatus eſt, ſumma cum iuſtitia egerunt, prout hoc omne prolixius eſt diſcuſſum in ſcriptis publice latino & vernaculo ſermone editis, quæ lectorem attente euoluiſſe non pœnitebit, cui lubitum eſt glaucoma oculis depellere quod ea reſtitutione Palatinatus Inferioris obiicere nonnulli ingenioſa hac, ſi Diis placet, Inſtrumenti pacis explicatione non erubuere, veluti cum fungis ipſis aut ſtipitibus res eſſet, quibus nullum in capite cerebrum aut intellectus.

q) De celeberrima illa & inclyta Bibliotheca Heidelbergenſi hic nullum verbum, quam Catholici, occupato Palatinatu, Pontifici Romano dono dederant: & cuius iactura bonis omnibus meritio dolenda eſt.

r) Quam

Digitized by Google

plenariè reſtituantur (r): Caſſatis iis, quæ in contrarium acta ſunt (s), idque

r Quam plenaria tamen hæc reſtitutio fuerit, & antecedentia teſtantur, & ſubſequentia, quibus ſubinde aliquid delibatum eſt. Vt iam taceam pacis Executionem, qua Carolo Ludouico Electori non omnino ſatisfactum fuiſſe querelæ eius & expoſtulationes partim cum Cæſare ipſo, partim cum aliis, loquuntur.

s) His paucis verbis plus continetur quam prima ſpecie legentibus rerum que ignaris apparet. Itaque ad meliorem intellectum huius loci tradendum eſt quid occaſionem præcipue dederit huic clauſulæ quam appellant, caſſatoriæ. Scilicet mirantur multi, cum religio Catholica Anno 1624. toto Palatinatu quaqua late inſtituta ſtabilitaque fuerit iſte vero annus pro regula ſit poſitus generali, ſecundum quam iudicandum ſit, quæ religiones vnoquoque loco manere, quæ item migrare inde debeant. Qua ratione factum ſit, vt reſtitutus Elector Carolus Ludouicus Catholicam Romanam religionem tota ditione cum omni ſuo paratu comitibusque pellere potuerit? cum tamen nullibi diſcertis verbis extet, Palatinatum exceptum fuiſſe. Sed ſi acta conſulimus, hic exceptionem inueniemus inuolutam ideo laxioribus paulo verbis, vt honoris Catholicorum ratio quædam haberetur, quibus non potuiſſet non peracerbum accidere, ſi aperta oratione illorum religioni in toto Palatinatu exilium indictum fuiſſet. Quare placuit in genere caſſare omnia, quæ in contrarium acta ſunt, qua ratione exiſtimatum eſt, ſatis eſſe proſpectum Euangelicorum diſtinatis. Quia caſſatis omnibus religio Catholica Romana nullum præſidium ex pace habebat petendæ manſionis. Itaque ſtatim etiam omnibus locis migratum eſt. Res autem breuiter ita habet. Initio Tractatuum pacis Cæſarei prima ſua propoſitione die 28. Aprilis 1646. facta inter alia Palatinatum inferiorem reſtitutum aliter nolebant, quam ea conditione, vt religioni Catholicæ *ſtatus ſuus cum omnibus iuribus ſuis & reditibus ſaluus ſit.* Euangelici vero contendebant, *Palatinatum plene reſtituendum, abrogatis ibi Romanis Sacris.* Quod ipſi etiam Palatini menſe Maio amplius vrgebant ſcilicet, *omnia reſtitui debere ablata, in ſpecie bona ſacra, per Hiſpanos & Bauaros occupata, poſt in Ieſuitas & alios translata, vna cum ſacris in priſtinum reponenda eſſe ſtatum.*

Menſe Auguſto inſtabant porro Euangelici *omnes Ordines in ſtatum Anni 1618. reſtituendos, in ſpecie Palatinis Prouinciam Inferiorem, ſicut ante bellum poſſeſſa fuerat, reſtituendam eſſe.* Tandem Cæſarei poſt longam tergiuerſationem cum anno ſequenti reliqua conceſſiſſent, excipere ſaltem conati ſunt *pauca vel parua quadam feuda, a Cæſare vel Bauaro aliis conceſſa*: Itemque *cœnobia nonnulla & Stradam Montanam*, ſed negantibus Suecis, in Palatinatu

Digitized by Google

idque autoritate Cæſareâ effectum iri (t), ut neque Rex Catholicus (u), neque ullus alius qui exinde aliquid tenet (x), ſe huic reſtitutioni ullo modo opponat.

§. 7. Cum

tinatu inferiori *ſacris Romanis* locum eſſe poſſe, *quod iis, quæ ſuper Amneſtia & grauaminibus conuenta Palatinus gaudere plenarie debeat, annullatis omnibus, quæ contra ſtatum Anni* 1618. *circa cultum & bona Sacra ſiue a Cæſareis, ſiue Hiſpanis Bauarisque mutata fuere*, coexercitium religionis ſaltem Catholicæ quibusdam locis & pro perſonis quibusdam petitum. Enimuero, ne ſic quidem re ex voto Catholicorum procedente hi coacti denique fuere, defenſionem ſuæ religionis abiicere. & eo contenti eſſe, ne diſertis verbis neceſſitas emigrandi illis indiceretur, quam in rem tanto faciliores Euangelici fuiſſe videntur, quod iam anno 1645. Menſe Iunio Sueci in propoſitione ſua reſtitutionem vrſiſſent, *non obſtantibus, ſed abolitis interim per proſcriptiones & confiſcationes ſententiis, aliove modo in contrarium actis*; ad quam formulam deinde verba noſtri §ui ſecundum mentem paciſcentium concepta fuere, quorum ſenſum genuinum ipſa docuit executio pacis. cum omnes Catholicæ religioni addicti velut ex publica conuentione abire iuberentur, qui probare non poterant, ſe anno 1618. adeoque proxime ante motus Bohemicos in poſſeſſione exercitii ſiue publici ſiue priuati ſuorum Sacrorum fuiſſe.

t) Reſtitutus quidem fuit Elector Carolus Ludouicus authoritate Cæſarea, ſtatim poſt pacem factam, delegatis ad eam rem perficiendam Landgrauio Darmſtattenſi & Marchgrauio Badenſi, de quorum actis extat Relatio Anno 1649. die $\frac{17}{27}$. Octobris facta apud Lundorpium. Enimuero multa nihilominus incerta manſiſſe & controuerſa, aliqua etiam diu executione debita caruiſſe, docent illa duodecim capita, quæ anno 1651. Carolus Ludouicus ad ſtatus Imperii. tunc Francofurti congregatos querelarum cauſa detulit.

u) Ille tamen ſatis diu Electorem hac diſpoſitione. non obſtante, reſtitutione Oppidi & Fortalitii *Franckenthal*, ludificatus eſt, præſidio Hiſpanico rem de die in diem, imo in annos extrahente, donec poſt difficilem & tœdioſam negotiationem anno demum 1652. menſe Aprili profectionem adornauit, cum interea temporis Elector Palatinus Heilbronnam, Sueuiæ ciuitatem velut pignoris loco retinuiſſet.

x) Bauari enim Heidelbergam & Manheimium tenebant, quæ tamen oppida anno 1649. Menſe Septembri reſtituta iam fuerant; Inter alia repetebat etiam Elector Præfecturam Bareſtein. cum oppido Weiden, detentam ab Neuburgico adminiſtrationis nomine: Item Bleyenſtein, tum iura nonnulla

§. 7. Cum autem certæ quædam Præfecturæ (y) Stradæ Montanæ antiquitùs ad Electorem Moguntinenſem pertinentes, Anno demum milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo tertio, pro certa pecuniæ ſumma Palatinis cum pacto perpetuæ reluitionis impignoratæ fuerint; ideo conventum eſt, ut hæ præfecturæ penes modernum Dominum Electorem Moguntinenſem, ejusque in Archiepiſcopatu Moguntinenſi ſucceſſores permaneant, dummodo pretium pignorationis ſponte oblatum, infra terminum executioni concluſæ Pacis præfixum, paratâ pecuniâ exſolvat, cæterisque ad quæ juxta tenorem literarum oppignorationis tenetur, ſatisfaciat.

Summa pecuniæ pro Strada Montana reluenda.

§. 8. Electori quoque Trevirenſi (z) tanquam Epiſcopo Spirenſi

nulla Dominii directi, quæ partim Comites Leiningenſes, partim Elector Treuirenſis & Colonienſis reſtituere ſibi recuſabant. Et quæ plura fuere inter poſtulata illa duodecim relata, quorum deſignationem Elector conuentui Frankofurtano anno 1651. exhibuerat, eademque ſuper re cum Volmario, Legato Cæſareo egerat.

§. 7.

y) Cum omnibus illis, quæ hoc paragrapho conuenta ſunt, iam diu ſatisfactum fuerit ſoluto pretio, & reſtituto pignore, non opus eſt de his verboſum eſſe. Hiſtoriam rei petere poteſt qui vult, ab aliis; noſtrum inprimis eſt inſtitutum diſpicere de illis quæ dubia adhuc interpretatione fomitem diſſidiorum præbere poſſunt.

§. 8.

z) Hic paragraphus argumentum eſt euidens, ſingulari prorſus ratione, & in multis a communi Inſtrumenti pacis diſpoſitione diuerſa de reſtitutione Palatinatus Inferioris eſſe transactum. Cum enim iſta bona Eccleſiaſtica, intra Palatinatus Inferioris territorium ſita anno 1624. pulſo tunc temporis Palatinato, ab Epiſcopis Spirenſi & Wormacienſi poſſeſſa fuerint, quorum reſtitutio vigore art. V. §i quæcunque monaſteria &c. ab Electore peti non potuiſſet, reſtituuntur tamen illa ipſa, & ſaltem iura dictis Epiſcopis reſeruantur, quibus facultas relinquitur ea perſequendi coram competente Iudice. Vnde manifeſtiſſimum eſt, ſubditorum etiam Palatinorum reſtitutionem in Eccleſiaſticis, quorum Cauſa art. 4. §. 13. non modo ad Amneſtiæ beneficia, verum etiam ad fruitionem pleniſſimam eius transactionis, quæ de grauaminibus ſingulariter conuenta eſt, remittuntur, non adeo ſtricte ad communem legem art. 5. §. 31. exigendam eſſe, ut poſſeſſione etiam anni 1624.

Digitized by Google

renſi, Epiſcopo item Wormatienſi (a), jura quæ prætendunt (b) in bona quædam Eccleſiaſtica, inter Palatinatus inferioris territorium

1624. quo nullam habuere, ſtare eos oporteat. Nam quodnam hoc eſſet ludibrium, ſubditis Palatinis art. 4. § 13. ſingulariter poteſtatem facere fruendi pleniſſime tota transactione de compoſitione grauaminum, ſi poſſeſſio illorum anno 1624. metienda eſſet, quum hoc tempore nullam habuiſſe omnibus conſtabat. Quis hæc abſurda & vana paciſcentes voluiſſe dixerit? Sicuti itaque cum ex eo, quod hic Epiſcopis Spirenſi & Wormatienſi ius reſeruatur perſequendi bona quædam Eccleſiaſtica, intra Palatinatus Inferioris territorium ſita, quæ dicti Epiſcopi anno 1624. poſſedere & quorum adeo poſſeſſionem beneficio art. 5. §. quæcunque monaſteria &c. ſine ullo alio auxilio retinere debuiſſent, recte concluditur, in cauſa grauaminum Eccleſiaſticorum fundamentum reſtitutionis obſeruantiæque futuræ, quod aliis omnibus unicum ſolumque eſt poſſeſſio anno 1624. prima die Ianuarii habita, reſtitutioni Palatinatus neque fraudi neque præiudicio eſſe, cum omnia expendantur ad ſtatum, uti ante motus Bohemicos fuit. Sic eadem ratione & certitudine affirmare poſſumus, quanquam eadem legis auxilia ſubditi Palatini ex Inſtrumenti Pacis art. 5. §. 31. & 32. contra Principum ſuorum ius reformandi vi articuli eiusdem 4ti §. 13. adepti ſunt. Illos tamen non eodem cum cœteris termino poſſeſſionis cenſeri, ſed annum 1618 illis pari cum Principibus ſuis conditione datum eſſe, quia alias nullum omnino ipſis ſubſidium proditum, nulla ſecuritas largita eſſet. Quin vniuerſim fortaſſis ſtatuere licebit, annum 1624. nullo plane modo ad inferiorem Palatinatum, neque ratione Principum Electorum, neque ratione ſubditorum ſpectare: ſed utroſque ſine diſcrimine uno eodemque termino reſtitutionis & futuræ obſeruantiæ tam in cauſis Amneſtiæ quam grauaminum frui, atque ipſis ſecundum ſtatum habitumque rerum, quales anno proximo ante motus Bohemicos fuit; ius dici. Quod ſingulare iuris remedium mirum videri nemini debet, cum eiusmodi prærogatiuam ingenti prouinciarum bonorum dignitatum atque iurium damno iacturaque redimere Palatini debuerunt: & quæ velut ex naufragio ſeruata ſunt, nullo eis uſui forent, ſi cauſæ eorum ex communi grauaminum lege atque regula agerentur. Et tuetur utique huius ſententiæ veritatem tota pacis actio, quæ euidentibus documentis oſtendit, Fœderatos Proteſtantes mordicus tenuiſſe, ne Palatinatui Inferiori ſine vlla perſonarum, rerum cauſarumque diſtinctione alius terminus reſtitutionis eſſet, quam annus 1618, vel centies in propoſitionibus eorum & diſceptationibus nominatus, quamuis in aliis reſpectu

rium ſita, coram competenti Judice proſequi liberum eſto (c), niſi

ſpectu grauaminum conceſſiſſent, ut cætera ad anni 1624. ductum & indicationem exigerentur.

a) Hic inter alia vindicabat Monaſterium Neuenhaus cum opimis bonis, ad illud ſpectantibus reliqua vide apud Buckiſch. Hoc loco.

b) Hoc verbum ſtudio videtur hic aſſumptum, ne talis reſeruatio fraudi ſit Palatinis, qui negant, Wormatienſes iure experiri poſſe.

c) Anno 1656. in conuentu Deputatorum Franfurtenſi acriter Euangelicos inter & Catholicos certatum fuit, quis ſit iudex competens in cauſis, hoc §pho ad iuris perſecutionem remiſſis. Scilicet Epiſcopus Wormatienſis, captata temporum occaſione, repetebat ab Electore Carolo Ludouico ſupra dictum Monaſterium ſeu Fundationem Neuenhaus, implorato Deputatorum auxilio, ad quorum forum hanc cauſam trahi cupiebat. Sed excipiebat Elector de Fori incompetentia, negabatque Deputatos Iudices in cauſa eſſe poſſe. Itaque præiudicialis quæſtio magno animorum ſtudiorumque ardore diuerſis rationibus agitata eſt, Catholicis Deputatis cauſæ cognitionem Conuentui adſerentibus: Proteſtantibus vero eandem reiicientibus. Ad alium Iudicem competentem. Acta res eſt in variis conſeſſibus, ſed ob ſententiarum diuerſitatem votorumque æquilibrum ſtatui nihil potuit, ut cupido harum rerum Lectori aliquo modo ſatisfiat, qui forſan hic etiam auditis partibus ſuo iudicio uti vult, amborum argumenta, ex actis fideliter collecta hic proponemus. Igitur Catholicorum pro competentia Fori contendentium hæc fuere:

1. Epiſcopatui Wormatienſi ab Electoribus Palatinis hæc bona poſt pacem religioſam, imo contra eandem, erepta fuiſſe.

2. Eorundem reſtitutionem iam anno 1566. Menſe Majo in Comitiis Imperii præuia cauſæ cognitione Statuumque ſuffragiis decretam, quanquam res inobedientia Detentoris ſucceſſum non habuerit.

3. Apud Tractatus pacis Monaſterii & Oſnabrugæ Epiſcopum Wormatienſem huius iudicati præſtationem urſiſſe, cuius actionis is fuerit effectus, ut iura Epiſcopi coram competente Iudice proſequenda utroque Inſtrumento, Pacis diſertis verbis reſeruata ſunt.

4. Hoc ius prætenſum pure & ſimpliciter in iure executionis ſeu reſtitutionis conſiſtere.

5. Nouiſſimum Receſſum Imperii omnes caſus reſtituendorum tam ex capite Amneſtiæ, quam grauaminum ad Conuentum Deputatorum remittere, atque ſimul Deputatis §. den zweyten punct &c. 191. iniungere daß ſie fordersamſt die requiſita reſtitutionis in den Fällen, so durch den Friedens-Schluß nicht geändert, dem Religion-Frieden gemäß, conſequenter ad punctum reſtituendo-

ſtituendorum ex capite grauaminum qualificiret ſeyn, bewieſen werden.

6. Inſtrumentum Pacis art. 5. §. 1. iubere, ut pax religioſa facta anno 1555, ſancte & inuiolabiliter ſeruetur, prout ea anno 1566. (quo hic caſus in ſpecie fuerit ventilatus) & poſt in diuerſis Sacri Romani Imperii comitiis confirmata fuit.

7. Hunc caſum a regula reſtitutionis expreſſe eſſe exceptum. & Epiſcopum Vindicem ad Iudicem competentem remiſſum.

8. Hunc Iudicem vi nouiſſimi Receſſus alium non eſſe quam conuentum Deputationis ordinariæ cum alias hæc exceptio ſine omni effectu foret. Denique.

9. Wormatienſes *ius prætenſum* & *ius perſequi*, cuius hoc loco fiat mentio, non aliter intellexiſſe. quam ſupra dicto modo: cum minime omnium mens eorum fuerit, ut per hæc verba ad iudicium petitorium ablegarentur, & multis ambagibus litium fatigarentur: hæc fere Moguntinus pro voto cenſebat. Quibus a Treuirenſi atque Colonienſi additum.

10. Caſus exceptos a regula generali reſtitutionis, inprimis ſi deciſio eorum ex Pace religioſa petenda ſit, pertinere utique ad punctum reſtituendorum, adeoque ad Deputationem Imperii ordinariam, id quod luculentis verbis tam Inſtrumentum Pacis quam nouiſſimus receſſus Imperii fieri velint.

11. In hoc caſu requiſita reſtitutionis non ad regulam generalem expendenda, ſed ad ſpecialem exceptorum caſuum diſpoſitionem, ſine quo ſpecialis reſeruatio abſque exitu foret.

12. Conuentui Deputatorum omnem poteſtatem iudicandi & decidendi ab Imperatore & Statibus datam, quam ipſi in comitiis exercere potuiſſent. Et denique.

13. Rem fraudi & præiudicio aliis caſibus fore, ſi hæc præſens cauſa abhinc tanquam foro incompetente alio ablegaretur, quamobrem verendum ſit, ne futuris Comitiis Deputati Status Wormatienſibus accuſantibus ab Imperatore & Imperio neglecti muneris aut male adminiſtratæ iuſtitiæ arguantur. Diſerte enim nouisſimo receſſu Imperii dict. §. 191. haberi: daß ſonderlich die erforderte requiſita reſtitutionis, und daß der caſus im Inſtrumento Pacis, Käyſerl. Executions Edict, arctiori exequendi modo, Nürnbergiſchen receſs, oder in denen Fällen, ſo durch den Friedens Schluß nicht geändert, dem Religions Frieden gemäß conſequenter ad punctum reſtitutionis ex capite Amneſtiæ vel grauaminum qualificiret ſey, ſoll bewieſen werden: ex quo ſatis apparet, Pacem religioſam a Deputatione non eſſe negligendam, ſed iudicandum etiam ſecundum illam eſſe in caſibus, ubi per Inſtrumentum Pacis non mutata, adeoque art. 5. §. 1. confirmata ſit. Hæc Catholici.

Contra cenſebant Euangelici cauſam hanc Nienhuſanam a Conuentu Deputatorum nec ſuſcipi, neque iudicari poſſe, ſequentibus argumentis.

1. Quia hæc Deputatio ordinaria

Iuriſdictionem non ordinariam habet, ſed delegatam tantum, quæ ſtricti iuris.

2. Quia non habet poteſtatem iudicandi de omnibus caſibus, ſed de talibus ſaltem, quæ reſtitutiones ex capite Amneſtiæ vel grauaminum concernunt ipſa hæc fundatio Nienhuſana, velut intra Palatinatus inferionis territorium ſita.

3. Quia hæc Wormatienſis prætenſio eſt lis vetuſtiſſima, longe ante motus Bohemicos Germanicosque ſeculo decimo ſexta mota.

. Quia reſeruatio hoc articulo bono Wormatienſium facta non effectum reſtitutionis, ſed facultatem iuris perſequendi ſaltem coram Iudici competente obtinet. Nam ſi paciſcentes aliud, & id voluiſſent, ut ius Wormatienſium prætenſum paratam habeat executionem atque reſtitutionem, de hæc re plane aliter conuentu opus fuiſſet, de reſtitutione nimirum pure & ſimpliciter facienda, cuius loco nunc actio ſaltem ſeu ius perſequendi reſeruatum ſit.

5. Euangelicos Deputatos non credere, Catholicorum mentem hanc eſſe, omnes eiusmodi caſus ad hos forum trahi poſſe, de quibus poſt pacem quidem religioſam, ſed longe ante bellum Germanicum controuerſiæ exortæ fuere. Non enim ſolam Catholicorum contradictionem ſufficere, ſed litem eius naturæ eſſe debere, ut ad claſſem reſtituendorum ex Inſtrumento Pacis apta nata ſit.

6. Verba ipſa, *iura quæ prætendunt*, item *ius ſuum perſequantur* non de poſſeſſoribus, ſed actoribus tantum, intelligi poſſe: ex aduerſo vero.

7. Decretum eſſe art 4. §. 6. Reſtitutionem Palatinatus in omnia bona Eccleſiaſtica & Politica Electori Carolo Ludouico faciendam eſſe, ad quæ bona ipſam hanc fundationem Nienhuſanam, veluti intra Palatinatus Inferioris territorium ſitam, procul dubio pertineat, præſertim cum.

8. Paragraphus *Electori quoque Treuirenſi* &c. 8*uus* non habeat exceptionem a regula ſeu diſpoſitione reſtitutionem totius Palatinatus Inferioris concernente: tanquam Epiſcopatus Wormatienſis ab hac obligatione liber ſit: ſed a regula ſeu diſpoſitione artic. 5. §. *Quæcunque monaſteria*, 25. quæ reſtitutionem decernit ſecundum ſtatum poſſeſſionis anni 1624. prima die Ianuarii. cum omnium iurium actionumque tam in petitorio quam poſſeſſorio abolitione; cuius reſtitutionis is ſit effectus, ut ex hac lege reſtituto lis de poſſeſſione, hoc modo ſemel recuperatâ, moueri amplius nequeat, quamuis forte eam anno 1624. non ſatis iuſto titulo acquiſiuerit. Quam ob rationem niſi in hac cauſa Wormatienſi de exceptione ab hac generali regula conuentum fuiſſet, Wormatienſibus perinde ac aliis Eccleſiaſticis Collegiis corporibusque omnis actio & omne ius perſequendi in iſta bona ſimul periiſſet. Porro

9. Probatu difficillimum fore, hanc cauſam Wormatienſem pace religioſa expreſſe deciſam eſſe.

10. Quamuis inſtructio Deputato-

rum hoc velit, ut etiam ſecundum pacem religioſam ſententiam ferant, quatenus hæc per Weſtphalicam non eſt mutata: ex eo tamen non ſequi, cognitionem omnium cauſarum, que ex pace religioſa iudicandæ ſunt, trahi ad forum Deputationis poſſe. Hanc camentem Statibus Imperii, cum Deputationem decernerent, nunquam fuiſſe, quibus id unice pr poſitum fuerit, ut ſaltem pacem per debitas reſtitutiones exequerentur.

11. Deputatis diligenter inſpiciendum eſſe, quid in mand itis habeant: Hoc vero eſſe, ut de caſibus reſtituendorum ex capite amneſtiæ atque grauaminum cognoſcant.

12. Sed ad hos caſus cauſam Wormatienſem nulla ratione referri poſſe. Epiſcopum enim Wormatienſem reſtitutionem huius rei petere non ex capite amneſtiæ, cum ipſi hæc bona erepta ſint non occaſione motuum Bohemiæ Germaniæque ſed centum fere plus annis ante bellum Germanicum: non ex capite grauaminum; cum Epiſcopus Wormatienſis docere non poſſit, ſe circa annum *1618* iſtorum bonorum poſſeſſionem habuiſſe. At vero

13. Has duas qualitates omnibus caſibus debere eſſe proprias, de quibus cognoſcere Deputati velint: neque in eorum poteſtate eſſe, alias etiam cauſas ad petitorium, ſeu Proceſſum ordinarium ſpectantes, ad tribunal ſuum pertrahere.

14. Denique litem hanc diſertis verbis ad competentem Iudicem eſſe remiſſam. Hac formula loquendi Inſtrumentum Pacis ſæpius uti, aliis etiam locis: neque tamen hactenus cuiquam vel per ſomnium in mentem veniſſe, omnes actiones cauſasque, quæ eo deſtinatæ ſunt, iudicio Deput torum ſubiicere: verbi gratia, artic. 3. Inſtrum. Pacis legi, reſtitutionem ex capite amneſtiæ intelligi, fieri ſaluis iuribus quibuscunque *coram competente Iudice* examinandis. Hæc autem ſi quis de foro huius Deputationis accipere vellet, eum mira ſententia, & deputantium animis protinus contraria, hoc ipſum iudicium infinitis litibus & negotiis occupaturum fore.

Habes argumenta amborum, illo tempore magna oſtentatione utrimque iactata. Tuum, Lector, arbitrium erit, cui accedere parti velis. Quodſi tamen meam etiam ſententiam expetis, mihi Euangelici videntur fortioribus argumentis hanc cauſam a foro deputationis reieciſſe, quam Ca holici iſtam ſibi vindicare voluerint: Loquitur enim totus paragraphus manifeſtò de foro ordinario: At Collegium Deputatorum erat iudicium extraordinarium, ubi non omnes lites aut iura prætenſa recipi fas erat; ſed quorum reſtitutio peti poterat ex certo poſſeſſionis termino: reliqua iura, quibus merita cauſarum ſiue in petitorio, ſiue poſſeſſorio æſtimantur ad competentem Iudicem & hic, & aliis Inſtrumenti Pacis locis remiſſa ſunt. Vt adeo hoc §o. *Competens Iudex* idem ſit quod Ordinarius. Mouere hæc tum temporis adeo ipſos etiam Catholicos, ut breui ab incepto deſtiterint; re omni paulo poſt ſilentio ſepulta,

Digitized by Google

niſi de his inter utrumque Principem animè conveniatur (d).

§. 9. Quodſi verò contigerit (e) Lineam Guilhelmiananí maſculinam prorſus deficere (f), ſuperſtite Palatina, non modò Palatinatus ſuperior (g) ſed etiam dignitas Electoralis, quæ penes Bavariæ

Guilhelmianæ Linea maſc. defectus.

ſepulta, & diſſimulatione transmiſſa, quamuis victos ſe partis alterius argumentis fateri nollent.

d) Num hoc factum ſit interea, de eo mihi non conſtat. Sane occaſio peropportuna eſſe videtur, duobus hodie Germanis fratribus, hinc Electore poſſeſſore; illinc Epiſcopo Wormatienſi actore rem omnem in manu habentibus.

§. 9.

e) Hic quatuor proponuntur 1. Palatinatus Inferior cum dignitate Electorali reciduus ad Domum Palatinam certo caſu. 2. Ius ſimultaneæ Inueſtituræ, interea temporis Eidem Domui conceſſum. 3. Electoratus Octauus expungendus, & 4to actiones & beneficia hæredibus allodialibus Electoris Bauariæ reſeruata.

f) Caſus, cum Palatinatus ſuperior cum dignitate Electorali recidit ad Domum ſeu Lineam Palatinam, eſt defectus Lineæ Guilhelmianæ maſculinæ, cuius euentus magnam ſpem, quæ ante annos non ita multos hominum mentes variis affectibus exercuit, accidit iam ſecundum matrimonium Sereniſſimi Electoris Bauari, numeroſa ſobole maſcula felix & fæcundum: De cætero accuratam vtriusque ſtemmatis Sereniſſimi delineationem exhibet nobis præter alios etiam Buckisch ad hunc articulum locumque.

g) Duo itaque redeunt ad lineam Palatinam. Palatinatus Superior, & dignitas Electoralis, quæ penes Bauariæ Duces fuit. Et quidem quod ad Palatinatum Superiorem attinet, redit ille ſecundum Superiora, 1. totus, 2. una cum comitatu Cham, 3. cum omnibus eorum appertinentiis, regaliis ac iuribus. Dignitas vero Electoralis cum omnibus regaliis, officiis, præcedentiis, inſigniis & iuribus quibuscunque ad hanc dignitatem ſpectantibus, nullo prorſus excepto. Atque hæc omnia redeunt *ad ſuperſtites Palatinos*. Sed quid ſi linea Rudolphina prior defecerit? Hic nihil expreſſe conuentum. Exiſtimo tamen, hoc caſu Palatinatum quidem Inferiorem proximis hæredibus & ſucceſſoribus obuenturum: Electoratum vero Octauum pari ratione & ex mente legis expungendum eſſe. At utraque linea extincta, manebit quidem dignitas Electoralis, quæ a n penes Bau rum eſt: Sed Imperatoris erit arbitrium, cui eam cum vtroque Palatinatu tunc vacuam Feudi nomine iterum conferat: quam tamen ad rem Imperator forte conſenſu Electorum opus habet, cum res tanti momenti ſit, ut absque his arbitris ſuo unius placito ſtatuere de ea non facile auſus fuerit.

Bavariæ Ducem fuit, ad eosdem ſuperſtites Palatinos, interim ſimultanea Inveſtiturâ (h) gaviſuros, redeat (i) octauo tunc Electoratu

Apud Ducatum Bauariæ hoc caſu dignitatem Electoralem extingui, cui non alia lege iuncta eſt, quam ſuperſtite linea Guilhelmiana maſculina, nihil dubito. Sed an neceſſe etiam ſit, vt, qui dignitate Electorali a Cæſare ornatus, vtrumque Palatinatum tam Inferiorem quam Superiorem accipiat, non adeo liquet. Opinor tamen, Inferiorem ſufficere, cui hæc dignitas ab antiquo velut propria eſt. Superior itaque ſeparari & conferri etiam in alium poterit, ſed abſque dignitate Electorali. Quin eueniente caſu caduci nihil forſan abſurdi diceret, qui ſtatuiſſet, poſſe Imperatorem ex conſilio Electorum dignitatem Electoralem in aliam plane domum transferre: vacuas vero ditiones ad Imperium reuerſas vel ſibi retinere pro ſubſidio tanti oneris ferendi; vel aliis bene meritis in Feudum dare; qua tamen de re vlterius cogitandum erit. Iniicit enim ſcrupulum quendam Aurea Bulla, quæ hoc videtur velle, vt emortua domo quadam Electorali, dignitas cum prædio ad eum tranſeat qui huius compos eſt factus. Conſule ſuper hac quæſtione *A. B cap.* 7. §. 3. ibique Limneum & alios commentatores. Quicquid ſit, hæc lex ſane vltra nihil iubet, quam debere Imperatorem de Principatibus eiuſmodi prouidere, ſi aliquem iſtorum ſacro Imperio vacare contigerit. Cœterum eius arbitrio relinquit, ut de iis prouideat *tanquam de re ad ſe & imperium legitime deuoluta.* Et profecto antiqua temporumque viciſſitudines, euoluentibus haud operoſum erit, exempla adducere, non ab vna modo gente in aliam; ſed & ab una in aliam prouincia vel ditione dignitates Electorales fuiſſe translatas. Sic ipſi Bauari hoc diu conqueſti ſunt. Sic Brunſuicenſes & Anhaltinos Principes eiuſdem mutationis quandoque ſollicitat memoria. Et quid multis verbis opus? Dignitas Electoralis Archidapiferatus cum omnibus regaliis, officiis, præcedentiis, inſigniis & iuribus quibuſcunque, quæ Palatinatus Inferioris glebæ velut addicta erat, in Bauarum translata recentiſſimum eſt exemplum. Neque enim ego facile eorum ſententiam tulerim qui hæc Superioris Palatinatus iura & prærogatiuas fuiſſe, adeoque Bauari dignitatem Electoralem huic prouinciæ, eiuſque vrbi præcipuæ Ambergæ mancipatam, vnaque translatam tradunt: cum potius videam non modo ſollicite nimis hæc duo artic. 4. §. 3. ſeparari; ſed & dignitatem illam ante Palatinatum Inferiorem concedi: quod ordini & rationi repugnaret ſi vtique Palatinatus ille Superior fuiſſet velut prædium, cui omnia iſta iura inhærerent.

h) Secundum eſt ſimultanea inueſtitura, qua Palatini Principes interea gaudere debent: quo loco ex ſuperiori §. 5to repetendum, præter ſimulta-

ctoratu prorſus expungendo (l). Ita tamen Palatinatus ſuperior hoc caſu ad Palatinos ſuperſtites redeat, ut hæredibus allodialibus (m) Ele-

ſimultaneam hanc inueſtituram nihil iuris Elector Carolo Ludouico atque eius Succeſſoribus ad ea competere, quæ cum dignitate Electorali Bauariæ Electori, totique familiæ Guilhelmianæ attributa ſunt.

i) Redit itaque, quaſi poſtliminio, demum ex captiuitate. Neque enim de nihilo ſunt verba illa, ſupra §. 3. poſita, quæ habendi modum videntur definire, cum ſcilicet dignitat Electoralis & Palatinatus Superior manere iubetur penes Maximilianum Bauariæ Ducem, eiusque hæredes maſculos *ſicut hactenus, ita & in poſterum.* Id quod ſatis ſuperficiarie & contemptim dicitur, cum e dignitate fuiſſet in re tanti momenti honeſtiori iuris titulo uti, quem pax deinde corroboraret, utcunque ab initio de eo comparatum eſſet.

l) Atque hoc tertium eſt huius §ui caput nimirum Octauus Electoratus expungendus poſt lineæ Bauaricæ obitum.

m) Quartum denique eſt certa reſeruatio pro hæredibus allodialibus, uti hic habetur. Quæ vero actiones & beneficia Hæredibus allodialibus Electoris Bauariæ in Palatinatum Superiorem competere poſſint, mihi non conſtat. Buckiſch huc refuſionem meliorationum refert, quæ ſane fœcunda litium futurarum materies. Sed hoc caſu Electoribus Palatinis reſeruandum etiam fuiſſet, ut, ſi qua re interea deterior Palatinatus factus fuerit, damnum ipſis etiam ab Hæredibus allodialibus reſarciretur: alias æquo ut imque iure non agitur. Conſiderandum etiam, an non forte in computum veniat, ſi Palatinatus Inferior annuis fructibus fœnus non aſſequatur, quod Duces Bauariæ ex tredecim illis millionibus, quas Cæſari pro hac prouincia accepta tulere, ſingulis annis lucrifacere potuiſſent. Sed neque hæc placet ſententia, cum hæc ratione uſuræ licitæ & ordinariæ ad ſexcenta & quinquaginta florenorum millia adſcendant, cuius ſummæ vix dimidia pars ex prouincia illa annuatim colligetur, vt ſi quod hoc modo minus ſoluitur, in nouum debitum imputari poſſit, iam diu totus Palatinatus nouo fœnore abſorptus eſſet.

Poſtquam hæc ita a me ſcripta erant, confirmatum eſt mihi a viro fide digno, & huius rei gnaro reſeruationem illam omnino reſpicere tredecim illas milliones, quarum §uo 4to mentio facta, eamque ob cauſam mutuas utrimque contradictiones & proteſtationes in acta relatas eſſe: Sed qua ratione id fieri putuerit, ego plane non perſpicio, cum Elector Bauariæ pro ſe, hæredibus & ſucceſſoribus ſuis ſupra *totaliter* renunciauerit debito tredecim millionum, quæ adhuc diſtinguuntur a prætenſione in Auſtriam Superiorem. Qui autem in genere pro hæredibus renunciat,

Digitized by Google

Bavariæ Ducem fuit, ad eosdem ſuperſtites Palatinos, interim ſimultanea Inveſtiturâ (h) gaviſuros, redeat (i) octauo tunc Electoratu

Apud Ducatum Bauariæ hoc caſu dignitatem Electoralem extingui, cui non alia lege iuncta eſt, quam ſuperſtite linea Guilhelmiana maſculina, nihil dubito. Sed an neceſſe etiam ſit, vt, qui dignitate Electorali a Cæſare ornatus, utrumque Palatinatum tam Inferiorem quam Superiorem accipiat, non adeo liquet. Opinor tamen, Inferiorem ſufficere, cui hæc dignitas ab antiquo velut propria eſt. Superior itaque ſeparari & conferri etiam in alium poterit, ſed absque dignitate Electorali. Quin eueniente caſu caduci nihil forſan abſurdi diceret, qui ſtatuiſſet, poſſe Imperatorem ex conſilio Electorum dignitatem Electoralem in aliam plane domum transferre: vacuas vero ditiones ad Imperium reuerſas vel ſibi retinere pro ſubſidio tanti oneris ferendi; vel aliis bene meritis in Feudum dare; qua tamen de re vlterius cogitandum erit. Iniicit enim ſcrupulum quendam Aurea Bulla, quæ hoc videtur velle, vt emortua domo quadam Electorali, dignitas cum prædio ad eum tranſeat qui huius compos eſt factus. Conſule ſuper hac quæſtione *A. B cap. 7. §. 3.* ibique Limneum & alios commentatores. Quicquid ſit, hæc lex ſane vltra nihil iubet, quam debere Imperatorem de Principatibus eiusmodi prouidere, ſi aliquem iſtorum ſacro Imperio vacare contigerit. Cœterum eius arbitrio relinquit, ut de iis prouideat *tanquam de re ad ſe & imperium legitime deuoluta.* Et profecto antiqua temporumque viciſſitudines, euoluentibus haud operoſum erit, exempla adducere, non ab vna modo gente in aliam; ſed & ab una in aliam prouincia vel ditione dignitates Electorales fuiſſe translatas. Sic ipſi Bauari hoc diu conqueſti ſunt. Sic Brunſuicenſes & Anhaltinos Principes eiusdem mutationis quandoque ſollicitat memoria. Et quid multis verbis opus? Dignitas Electoralis Archidapiferatus cum omnibus regaliis, officiis, præcedentiis, inſigniis & iuribus quibuscunque, quæ Palatinatus Inferioris glebæ velut addicta erat, in Bauarum tranſlata recentiſſimum eſt exemplum. Neque enim ego facile eorum ſententiam tulerim qui hæc Superioris Palatinatus iura & prærogatiuas fuiſſe, adeoque Bauari dignitatem Electoralem huic prouinciæ, eiusque vrbi præcipuæ Ambergæ mancipatam, vnaque translatam tradunt: cum potius videam non modo ſollicite nimis hæc duo Artic. 4. §. 3. ſeparari; ſed & dignitatem illam ante Palatinatum Inferiorem concedi: quod ordini & rationi repugnaret ſi vtique Palatinatus ille Superior fuiſſet velut prædium, cui omnia iſta iura inhærerent.

h) Secundum eſt ſimultanea inueſtitura, qua Palatini Principes interea gaudere debent: quo loco ex ſuperiori §. 5to repetendum, præter ſimulta-

ctoratu prorſus expungendo (l). Ita tamen Palatinatus ſuperior hoc caſu ad Palatinos ſuperſtites redeat, ut hæredibus allodialibus (m) Ele-

ſimultaneam hanc inueſtituram nihil iuris Elector Carolo Ludouico atque eius Succeſſoribus ad ea competere, quæ cum dignitate Electorali Bauariæ Electori, totique familiæ Guilhelmianæ attributa ſunt.

i) Redit itaque, quaſi poſtliminio, demum ex captiuitate. Neque enim de nihilo ſunt verba illa ſupra §. 3. poſita, quæ habendi modum videntur definire, cum ſcilicet dignitas Electoralis & Palatinatus Superior manere iubetur penes Maximilianum Bauariæ Ducem, eiusque hæredes maſculos *ſicut hactenus, ita & in poſterum.* Id quod ſatis ſuperficiarie & contemptim dicitur, cum e dignitate fuiſſet, in re tanti momenti honeſtiori iuris titulo uti, quem pax deinde corroboraret, utcunque ab initio de eo comparatum eſſet.

l) Atque hoc tertium eſt huius §ui caput, nimirum Octauus Electoratus expungendus poſt lineæ Bauaricæ obitum.

m) Quartum denique eſt certa reſeruatio pro hæredibus allodialibus, uti hic habetur. Quæ vero actiones & beneficia Hæredibus allodialibus Electoris Bauariæ in Palatinatum Superiorem competere poſſint, mihi non conſtat. Buckisch huc refuſionem meliorationum refert, quæ ſane fœcunda litium futurarum materies. Sed hoc caſu Electoribus Palatinis reſeruandum etiam fuiſſet, ut, ſi qua re interea deterior Palatinatus factus fuerit damnum ipſis etiam ab Hæredibus allodialibus reſarciretur: alias æquo utcumque iure non agitur. Conſiderandum etiam, an non forte in computum veniat, ſi Palatinatus Inferior annuis fructibus fœnus non aſſequatur, quod Duces Bauariæ ex tredecim illis millionibus, quas Cæſari pro hac prouincia accepta tulere, ſingulis annis lucrifacere potuiſſent. Sed neque hæc placet ſententia, cum hæc ratione uſuræ licitæ & ordinariæ ad ſexcenta & quinquaginta florenorum millia adſcendant, cuius ſummæ vix dimidia pars ex prouincia illa annuatim colligetur, vt ſi quod hoc modo minus ſoluitur, in nouum debitum imputari poſſit, iam diu totus Palatinatus nouo fœnore abſorptus eſſet.

Poſtquam hæc ita a me ſcripta erant, confirmatum eſt mihi a viro fide digno, & huius rei gnaro reſeruationem illam omnino reſpicere tredecim illas milliones, quarum §uo 4to mentio facta, eamque ob cauſam mutuas utrimque contradictiones & proteſtationes in acta relatas eſſe: Sed qua ratione id fieri potuerit, ego plane non perſpicio, cum Elector Bauariæ pro ſe, hæredibus & ſucceſſoribus ſuis ſupra *totaliter* renunciauerit debito tredecim millionum, quæ adhuc diſtinguuntur a prætenſione in Auſtriam Superiorem. Qui autem in genere pro hæredibus renunciat,

Neoburgica domus. Electoris Bavariæ, actiones & beneficia, quæ ipſis ibidem de jure competunt (n), reſervata maneant.

Feuda Juliacenſia. §. 10. Pacta quoque gentilitia (o) inter Domum Electoralem Heidelbergenſem & Neoburgicam, à prioribus Imperatoribus ſuper Electorali ſucceſſione confirmata, ut & totius Lineæ Rudolphinæ Jura, quatenus huic diſpoſitioni contraria non ſunt (p), ſalva rataque maneant.

§. 11. Adhæc, ſi quæ feuda Juliacenſia (q) aperta eſſe, competenti via juris evictum fuerit, ea Palatinis evacuentur.

§. 12.

---

ciat, is in ſpecie etim pro hæredibus allodialibus renunciaſſe creditur.

n) Hoc vocabulum *ibidem* innuere videtur, hæredibus allodialibus Electoris Bauariæ actiones & beneficia non in totum Palatinatum competere: Sed *ibidem* tantum, id eſt, in res quaſdam illo Palatinatu comprehenſas. Cœterum hic quæri poſſet, num inter beneficia allodialibus hæredibus reſeruata ſit etiam ius retinendi Palatinatus donec illis de prætenſis iuribus ſit Satiſfactum: id quod mihi non videtur, quia Palainatus ille ita redire debet, ut iura & beneficia reſeruata maneant, de quorum præſtatione poſtea, reſtituto Palatinatu, in diſceptationem veniet quæſtio, an de iure competant. Nota igitur, actiones ſaltem & beneficia reſeruari, non ius aliquod in re.

§. 10.

o) Quæ iam ſequuntur, domum Palatinam ſeorſim concernunt: Veluti hic pacta gentilitia inter domum Heidelbergenſem & Neoburgicam ſuper Electorali ſucceſſione confirmantur ut & totius Lineæ Rudolphinæ iura.

p) Cui diſpoſitioni? Num totius huius Inſtrumenti Pacis: an vero tantum huic diſpoſitioni de tranſlata dignitate Electorali atque Palatinatu Superiori in Domum Bauaricam? Neque enim tantundem eſt, vtrum dixeris? Quanquam vero ſi rem preſſe conſideramus, poſterius videatur, quia pactum proxime erat, vt iura totius Lineæ Rudolphinæ ſalua rataque maneant: cuius ſpecialis diſpoſitionis cauſa hanc cautionem, gratia Bauari vt quoquo modo ſecurior fiat, de recens acquiſitis adiectam apparet. In vniuerſum tamen idem placuit poſtea artic. 17. §. 3. *contra hanc tranſactionem* &c. vbi nulla iura, nulla pacta, nulla priuilegia, & ſimilia contra hanc pacem vt vnquam allegentur, aut admittantur, ſtatuitur.

§. 11.

q) Quid Palatinis, qua Palatinis, cum Feudis Iuliacenſibus? Scilicet inueſtitura Ottonis Comitis Palatini, anno 1230. collata Wilhelmo, Comiti Iuliacenſi, quam exhibet Freherus in orig. Palat. part. 2. c. 8. nos docet, Palatinos quondam in Iuliacenſi Montenſique

Digitized by Google

§. 12. Præterea (r), ut dictus Dominus Carolus Ludouicus aliquatenus liberetur onere proſpiciendi fratribus de appanagio, Cæſarea Majeſtas ordinabit, ut dictis ſuis fratribus quadringenta Imperialium thalerorum millia intra quadriennium ab initio Anni venturi milleſimi ſexcenteſimi quadrageſimi noni numerandum expendantur, ſingulisque annis centena millia ſolvantur, una cum annuo cenſu quinque de centum computatis. Appenagium Palatinum.

§. 13.

ſique prouinciis plurima poſſediſſe Feuda directi Dominii iure. Extincta itaque Ducum Iuliacenſium maſcula gente, cum illa opima hæreditas ab aliis cerneretur, qui ſuperſtites ultimi Ducis filias ſibi matrimonio iunxerant, quæſitum etiam a Palatinis, prædictorum iſtorum Feudorum Dominis directis fuerat, annon occaſu Lineæ maſculinæ vacent iſta Feuda atque ad ſe redire debeant conſolidanda cum Dominio directo, cuius rei competenti via iuris euincendæ Electori Carolo Ludouico poteſtas facta eſt: Quare longe alia fuit hæc controverſia ab ea, quæ de ſucceſſione ipſa Iuliacenſi eſt agitata: alias contradicere hic Neoburgicus non potuiſſet, quod tamen factum eſſe teſtantur acta apud Lundorpium Tom. VI. lib. 3. c. 166. Poſt pacem itaque Elector Carolus Ludouicus a Cæſare delegatos petiit, qui de hac cauſa cognoſcerent. Cumque illos ſtatim impetrare non potuiſſet, inter cœtera grauamina de reſtitutione ſua ad normam pacis Weſtphalicæ, nondum plenarie facta, hoc etiam anno 1651. ad Conuentum Deputationis Francofurtanum retulit. Crediderim, hanc litem ideo etiam impeditam fuiſſe, quod definiri illa vix potuerit indeciſa adhuc cauſa principali de ſucceſſione Iuliacenſi. Hodie, cum linea Neoburgica ſucceſſerit, aiunt omnem hanc litem ceſſare; *Buckiſch ad h. l.* quod hactenus verum eſſe exiſtimo, cum utriusque iura ad unam domum peruenerint. Sed litem omnino ſublatam, iuraque confuſa eſſe non dixerim Nam ſi eueniret, ut deficiente domo Neoburgica alius in terras Iuliacenſes Montenſesque, alius vero ex Palatinis, cui cum cauſa Iuliacenſi nihil negotii, in Palatinatum Inferiorem ſuccederet, non dubitandum eſt, quin hæc ipſa ſtatim controuerſia, ob rationem, ſupra dictam paulatim ſopita, recrudeſceret ſtatim atque reſumeretur: cui præſcriptio aliqua opponi ideo non poſſet, quod agere non valenti præſcriptio etiam non currat.

§. 12.

r) Hic de Apennagio Fratrum Caroli Ludouici agitur, quos habebat quatuor, ſed qui omnes hactenus vel improles omnino, vel ſine legitima maſcula ſobole obiere. Pro liberando itaque aliquatenus Electore hoc onere,

Imperator

Imperator in ſe recepit obligationem ſoluendi ſingulis centum Imperialium millia intra quadriennium, ita vt ſingulis annis centum millia omnibus quatuor ſoluantur. Sed huic etiam promiſſioni non eſſe ſatisfactum ſtatis diebus, teſtis eſt querimonia in conuentu Deputatorum anno 1651. hanc ob rem inſtituta. De cœtero nomina quatuor Fratrum Caroli Ludouici erant hæc: *Primus Rupertus anno 1619.* Pragæ Patre Friderico V. Rege adhuc natus: qui in Anglia conſenuit, & anno 1682. eſt mortuus, nullis relictis liberis ex legitimo matrimonio, cum vxorem nunquam duxiſſet. Alter Mauritius, indiuiſus Ruperti Comes quoad bellum in Anglia inter Regem & Parlamentum arſit. Sed ab hoc aliquando cum claſſem duceret, tempeſtate maris disiectus, nec poſthæc repertus unquam periiſſe mari creditur. Tertius Eduardus, qui Annæ Gonzagæ Principi nupſit quidem, ſed nullos habuit maſculos liberos. Et denique quartus Philippus cœlebs & Anno 1650. in prœlio quodam occiſus. Tam numeroſa ſobole Fridericus V. mortuus eſt; Cumque Elector Carolus Ludouicus ſibi Fratrum multitudinem oneri eſſe crederet, quæ firmamenta Domus ſuæ reputare debuiſſet, breui dirigentibus Fatis, occaſionem aperuit lineæ Neoburgicæ ſibi inuiſiſſimæ ad ſucceſſionem. Scilicet & infelici ſuo matrimonio, cui pellicem ſuper induxerat, & ſterilibus Filii vnici Caroli nuptiis, cum interea Fratres ſuos variis caſibus amiſiſſet, quorum mortes etiam in lucro poſuit, res eius tandem eo deuenere, vt ipſe moriens quidem hæredem Filium adhuc relinqueret: ſed amiſſa iam omni ſpe liberorum ſuſcipiendorum. Itaque tandem anno 1685. Carolo etiam mortuo, cum vix trigeſimum ætatis annum expleuiſſet, Simmerenſis lineæ occaſus Bipontinæ aditum ad Electoratum fecit, ingenti Euangelicæ rei damno, quam deinde Catholici Succeſſores contra pacta omnemque fidem Cleri Romani inſtigatu grauiter preſſere, & continuis iniuriis affecere. Johanne Wilhelmo Electore imprimis ſummo ſtudio atque ardore ſua reformationis deſtinata tum promouente, ex quo id ſemel ſibi perſuaderi paſſus eſt, nullis ſe in hoc negotio perficiendo nec publicis legibus, neque pactis ſuis parentisque prohiberi, quo minus operam det, ut ſacra Romana de Euangelicorum religione & conſcientiis tota illa regione ſuperbe & contumelioſe triumphent: quamuis ante annos non ita multos & ipſe & Parens eius fidem ſanctiſſime dederint, nihil eorum quicquam vllo tempore admiſſum iri. Hoc infortunium, inquam, auaritiæ Caroli Ludouici morumque eius auſteritati atque peruicaciæ debemus, qui ſi vel Fratribus ſuis de connubiis, Principibus dignis tempori proſpexiſſet vel quem pellici impendit amorem, legitimæ vxori, quanquam & ipſa commoda ſatis moribus non eſſet, conſecraſſet liberorum ſuſcipiendorum cauſa, cuius operæ ratio longe potior omnibus aliis cupiditatibus eſſe debuerat, multis non ſe tantum faſtidiis domi forisque;

Digitized by Google

§. 13. Deinde tota Domus Palatina (s) cum omnibus & ſingulis, qui ei quocunque modo addicti ſunt (t), aut fuerunt, (u)

que; verum etiam conſcientiam ſuam magno onere, ſimulque famam tot ſiniſtris & peſſimis iudiciis, quæ viuus moriensque expertus eſt, liberare potuiſſet; cum homines nunc merito dubitent, quid comparatis actionibus eius, quæ laudari & quæ vituperari mereantur, de eo ſtatuant potius: quandoquidem prudentiam, qua celebris merito admirandusque erat, vita corrupiſſet tot animi infirmitatibus inquinata præſentium tœdio ſecum nunquam contentus; adeoque inconſtans & novandarum rerum ſemper cupidus. Sed ante omnia ingenio pertinaciſſimo, vt quod ſibi faciundum in animum duxiſſet, ab eo revocari nullis conſiliis potuerit: quanquam mox voti compos factus ſæpius mutaret, ipſumque protinus tæderet inceptorum, quorum peruincendorum cauſa paulo ante vitæ bonorumque diſcrimen ſubire non dubitauerat.

§. 13.

s) Exiſtimat recte Buckiſch, hoc §vo ſpecialem amneſtiam pro Electorali Domo eiusque miniſtris ſanciri, quo opus eſſe vel ideo videbatur, quod in ſuperioribus Palatini non tam ad vniuerſalis & illimitatæ amneſtiæ fundamentum, quale *artic.* 2. deſcribitur, reſtituti, quam multis modis contra hoc ipſum in dignitatibus & ditionibus damnum inſigne paſſi ſunt.

t) Diſputatum fuit ante annos non adeo multos, num his verbis ſubditi etiam Palatini comprehendantur. Nimirum ſubditi Palatini hoc ſe loco defendere contra ius reformandi Principis ſui volebant, qui negabat, ipſos etiam beneficio reſtitutionis ex capite amneſtiæ per Weſtphalicam pacem vti poſſe, cum non ſubditi, ſed Principes Palatini ſint reſtituti: quare obiicientibus illis hunc §vum & in ſpecie verba, *cum omnibus & ſingulis, qui ei quocunque modo addicti ſunt*, quorum numero ſe etiam eſſe contendebant, reſpondit Elector, non licere a ſpecie ad genus argumentari, & illationem a diuerſis inconcludenter fieri, adeoque auxilio ſubditis eſſe non poſſe, quod hic de miniſtris atque exulibus habetur. Sed vereor, vt talem reſtrictionem horum verborum latitudo admittat. Nominantur enim hic in genere, *omnes & ſinguli*, qui Domui Palatinæ quocunque modo addicti ſunt, quod plus ſane comprehendit, quam miniſtrorum & exulum ſtatum. Nam ſubditos etiam aliquo modo Principi ſuo addictos eſſe, nemo negabit. Cœterum ne dubitationi plane locus eſſe poſſit, facit vox *præcipue*, quæ dum ex omnibus & ſingulis aliquos, ſeu demonſtrationis ſeu honoris cauſa appellat, eo ipſo oſtendit, hos partem tantum facere totius: nam hic *præcipue* idem eſt, ac ſi dictum fuiſſet, *interque hos ſpecialiter*, veluti eiusmodi loquendi

(u) præcipuè verò miniſtri, qui ei in hoc conventu aut alias (x) operam ſuam navarunt, ut & omnes Palatinatûs exules (y) fruantur Amneſtiâ generali ſuprà deſcriptâ (z) pari cum cæteris in ea comprehenſis jure (a), & hac transactione (b) ſingulariter in puncto gravaminum (c) pleniſſimè.

§. 14.

di formula occurrit *artic.* 5. §. 25. ibi: *interque illa ſpecialiter &c.* Sunt hæc adeo clara & manifeſta, vt non ſine ratione quis miretur, quid venire aliis in mentem potuerit, rem tam luculentam contradicere, qui ſi aliis argumentis cauſam ſuam tueri nequeunt, ſibi melius profecto conſulent, vt his etiam abſtineant, quorum infirmitate non niſi ludibrium cordatis debent.

u) Nam hi etiam, qui addicti Palatinis ante hæc fuerant, inter ea vero relictis illis, operas ſuas transſcripſerunt aliis, vel priuatim ſibi vixere, amneſtia gaudent.

x) Domi ſcilicet militiæque, de quibus *infra* §vo 51. plura inuenies. Nam ad Miniſtros etiam Palatinos eodem, quo ad alios, iure iſtius §vi 51. Scita pertinere, mihi quidem extra omnem dubitationem eſt poſitum.

y) Qui ſcilicet occupato ab Hiſpanis Bauarisque Palatinatu, hoſtium metu in voluntarium exilium abiere, aut a Cæſare proſcripti ſolum vertere coacti ſunt.

z) Supra, i. e. art. 2. & 3. Dicitur autem notanter, *fruantur*: nam ſi extaret, *fruatur*, haberet ſententia illa maiorem veri ſpeciem, cui recens illud inuentum debetur, ſcilicet Electorum Principumque Palatinorum cauſa amneſtiam præcipue ſancitam eſſe: Subditos ea per conſequentiam ſaltem frui cum illis, non vero ex proprio iure, etiam contra illos, forte poſthæc turbaturos ſtatum iſtorum, ex amneſtia recuperatum.

a) Per hæc itaque Subditi Palatini omnium beneficiorum participes facti ſunt, quibus cœteri in Imperio Subditi gaudere poſſunt: viuunt enim pari cum aliis in amneſtia comprehenſis iure.

b Hæc verba iterum evidenter probant, poſt Domum Palatinam hic Subditorum Palatinorum imprimis agi cauſam, eisque proſpectum fuiſſe. Quid enim rei eſt Miniſtris & exulibus Palatinis cum hac transactione? niſi qua ipſi etiam ſunt inter Vaſallos, Subditos, ciues, incolas, quos amneſtia complectitur. Scilicet totus articulus Vtus de compoſitione grauaminum Eccleſiaſticorum duo habet ſumma capita: unum, quod de Statibus immediatis agit, comprehenſa ſemper libera Imperii Nobilitate: & alterum, quod ſubditos reſpicit, qui contra ius reformandi præſidium aliquod ſunt adepti. Illud Dominum etiam Palatinam hic includit: Hoc Subditos, quorum ſecuritati tanto magis proſpiciendum fuit quia

Digitized by Google

§. 14. Viciſſim Dominus Carolus Ludovicus (d) cum fratribus Viſtalitium Palatinum

quia confirmatio pactorum gentilitiorum inter Domum Electoralem Heidelbergenſem, Reformatæ religioni addictam, & Neoburgicam Catholicam, ſuper Electorali ſucceſſione iuſtum metum iniicere poterat, futurum aliquando, quod nunc contigit, ut domo Neoburgica ſuccedente, conſcientiæ & religio Subditorum diverſæ religionis a Principe, iuris reformandi obtentu, vim paterentur contra paciſcentium placita. Hinc magna ſollicitudine proſpectum illis fuit: non modo enim ſubditi frui hac transactione *ſingulariter*, i. e. nominatim debent, ſed & *pleniſſime*; ut intelligamus. Electores & Principes Palatinos ex ſua reſtitutione nihil præcipui ante alios Status Imperii habere, quod ipſis allegare liceat pro liberiori uſu iuris illius reformandi. Quare omni fundamento caret exceptio, Palatinatum Inferiorem cum ſuis iuribus Electoribus Palatinis reſpectu Subditorum ſine ullo onere & obligatione eſſe reſtitutum. Ex hoc loco enim palam fit, reſtitutionem cum hoc onere & obligatione factam eſſe, ut Subditi Palatini *ſingulariter* & *pleniſſime* frui poſſint transactione in puncto grauaminum: Videtur autem illud *ſingulariter* & *pleniſſime* adhuc aliud ſibi velle: Scilicet reliquis Subditis, qui ex compoſitione grauaminum contra Dominos ſuos territoriales agunt, pro norma reſtitutionis & futuræ obſeruantiæ datus eſt annus 1624. eiusque qualibet pars. In hoc termino cum Subditi Palatini nihil opis, nihil auxilii habeant, quorum ſacra ritu reformato compoſita toto anno 1624. non turbata modo, verum etiam prohibita ſublataque penitus erant, Catholicis ex arbitrio omnia ferentibus agentibusque: itaque hic *ſingulariter* & *pleniſſime* reſtituuntur ad eum effectum, ut ſtatum illum recuperent, quo ante motus Bohemicos, id eſt, anno 1618. gauiſi ſunt, cum ſine eo ipſis transactio de grauaminum compoſitione nullo uſui aut ſolatio futura fuiſſet. Atque hæc explicatio neceſſario retinenda eſt, ni dicere velimus, quod nefas, Summos paciſcentes verbis ludibrium miſeris dare: re autem vera ipſorum bono & ſecuritati futuræ conſtituere nihil voluiſſe.

c) Hæc transactio habetur articulo ſequenti 5to de grauaminum Eccleſiaſticorum compoſitione, cuius ſpecialis eſt locus, quod ad Subditos attinet, §. 31. & 32. cum ſequentibus.

§. 14.

d) Obedientia & fidelitas, quam Elector Carolus Ludouicus eiusque Fratres Cæſareæ Maieſtati præſtare debent, eſt eiusdem naturæ cum illa, quam cœteri Electores Principesque Imperii præſtant. Hoc de iuramento fidelitatis intelligunt, ſolito præſtari, quotiescunque Status Feuda ſibi ab Imperatore conferri petunt. De hoc iuramento quæſitum memini, an eius

Palatinum tribus Cæſareæ Majeſtati obedientiam & fidelitatem ſicut cœteri Electores, Principesque Imperii (e), præſtet, ac inſuper Palatinatui ſuperiori (f) pro ſe & hæredibus ſuis, cum ipſe, tum ejus fratres, donec ex Linea Guilhelmiana hæredes legitimi & maſculi ſuperfuerint, renunciet.

§. 15.

generis per omnia ſit, quod Vaſallus Domino Feudi præſtat: vel an aliquid ex *homagio, vel* iuramento ſubiectionis admixtum *habeat*. Sane Status ultra ſeruitia & fidelitatem, quam Vaſallus debet, multis aliis reſpectibus Imperatori obnoxios eſſe, eiusque *mandatis* obſequi, quotidiana Iudiciorum praxis oſtendit. Vt in præſentia hæc profundius excutiamus, non opus eſt. Sufficit hic deſcriptio ad exemplar cœterorum Electorum atque Principum Imperii: quam uſus rectius probat ac aliorum ſubtiles quæſtiunculæ.

e) Electori Carolo Ludouico exemplo ſunt cœteri Electores: Fratribus eius *Principes* Imperii. Num itaque alia eſt obedientia atque fidelitas, quam Electores Imperatori præſtant: & alia, quam cœteri *Principes Imperii*. In natura iuramenti eiusque obligatione nullum mihi diſcrimen eſt cognitum. At in ceremoniis & ritibus aliquam differentiam inter Electores & Principes eſſe, illorumque Legatos huius præſtationis cauſa miſſos in aula Cæſaris præcipua quædam habere, lippis etiam ac tonſoribus, quod aiunt, Viennæ eſt notum. Quod ſi aliis adhuc rebus eſt diſparitas & prærogatiua, iis hac noſtra ſententia nihil detractum cupimus.

f) Renunciatio in Palatinatum Superiorem temporalis eſt, donec ex linea Guilhelmiana hæredes legitimi & maſculi ſuperfuerunt. Vnde iterum hic recurrit quæſtio, iam in ſuperioribus propoſita, an Comites Wartebergici, Ferdinando Duce Patre ex impari connubio propagati, inter hæredes legitimos Lineæ Guilhelmianæ ſint computandi? qua de re nos ad iam dicta referimus. Eſt præterea hæc renuntiatio Palatinorum ſtricti iuris, qua comprehendi non debent, quæ ad Palatinatum Superiorem proprie non pertinent: quo nomine Elector Carolus Ludouicus recte vindicauit *Præfecturam Barchstein* cum ciuitate Weidena, eiusque territorio, quæ ſeparata a dicto Palatinatu bona fuere inter belli tempora, Duci Neoburgico a Cæſare conceſſa, ut eorum quaſi curator eſſet, donec lis ſuper cauſa Palatina fuiſſet compoſita: quo facto Elector Palatinus ſibi eorum reſtitutionem, vi amneſtiæ uniuerſalis & illimitatæ faciendam eſſe contendebat. Tandem de re ita transactum, ut Elector Carolus Ludouicus Neoburgico hæc bona, aliquot Imperialium millibus empta in feudum daret, cuius reſpectu hic belli tempori-

§. 15. Cum autem de ejuſdem Principis Viduæ Matri (g), ſororibusque (h) præſtando victalitio, & dote conſtituenda (i) men-

temporibus equites triginta ſex, ad militiam aptos, ſeruitii cauſa Electori mittere teneretur.

§. 15.

g) Mater Caroli Ludouici erat Eliſabetha, Iacobi I. Regis Angliæ filia non poſtrema motuum Bohemicorum cauſa & flabrum: quæ confecto bello nunquam rediit, ſed apud Batavos velut in exilio vitam finivit.

h) Sicuti Elector Carolus Ludouicus quatuor fratres, ita totidem etiam ſorores habuit. Ex quibus prima Eliſabetha Abatiſſam Heruordiæ egit, doctiſſima ſui temporis femina, & bonarum literarum Patrona eximia, quas non ingenio tantum, ſed & opibus ornauit, quantum Eius facultates patiebantur. Fauebat inprimis Philoſophiæ Carteſianæ, quod noſtra ætate rariſſimum, & fere miraculum, cum huius Philoſophiæ ſubtiles & profundi receſſus præſtantiſſimorum etiam virorum ingenia exerceant atque fatigent. Altera ſoror appellata eſt Ludouica Hallandina, a Rege Galliæ prædiuite Abbatia donata, poſtquam religionem Catholicam Romanam eiuratis Reformatorum ſacris, amplexa fuiſſet. Tertia Heinrica Maria iuniori Ragotzio Principi nupſerat: & quarta denique Sophia minima natu, Erneſti Auguſti Ducis Brunſvicenſis vxor, nunc hæres deſtinata cum ſuis liberis ad Magnæ Britanniæ ſolium, ex quo populus Anglicanus, abdicatis Catholicis Succeſſoribus, poſt Wilhelmi Regis & Annæ Reginæ mortem hoc vnicum adhuc inter Proteſtantes Principes fulcimentum habuit, quo regni ſalutem, & ſecuritatem religionis firmaret. Si Carolus Ludouicus aut liberos ipſe reliquiſſet, aut fratribus fuiſſet autor adiutorque, ut operam huic rei legitimo & honeſto modo darent, nunc ſane domum ſuam ad ſummum tota Europa faſtigium evehere potuiſſet, Rex & Elector in poſteris futurus; magnumque præterea rei Euangelicæ ſolamen & præſidium. Sed tantas ſpes tantaque decora domus ſuæ partim auaritia corrupit, partim vero intempeſtiuis amoribus, quorum cauſa legitima eius coniux amplexibus mariti perpetuo abſtinuit, arbitris & conciliatoribus omnem operam perdentibus, ut coniuges ad concordiam reducerent atque ſociarent, quorum animi ſemel a ſe inuicem alienati, ſtupenda utriusque duritie & contumacia poſthæc nunquam in honeſti debitique ordinem redigi potuere, ineffabili Catholicorum gaudio, quibus diſſidia illa ſpem dabant occupandi Palatinatus Inferioris iuſto titulo, & ſine ſumptibus periculisque, cum id ante vi & armis fruſtra moliti fuiſſent.

i) Victalitium ſeu alimenta præſtabantur Viduæ Matri: dos conſtituebatur ſororibus. Sunt autem victalitium proprie alimenta annua, quæ liberi

mentio injiceretur (l), pro benevolo Sacræ Cæſareæ Majeſtatis in Domum Palatinam affectu, promiſſum eſt, dictæ Viduæ Matri pro victalitio ſemel pro ſemper viginti thalerorum Imperialium millia, ſingulis autem ſororibus dicti Domini Caroli, quando nuptum elocatæ fuerint dena Thalerorum Imperialium millia, nomine ſuæ Majeſtatis exſolutum iri: De reliquo verò ipſis idem Princeps Carolus Ludouicus ſatisfacere teneatur.

§. 16. Comites in Lainingen & Daxburg (m), ſæpe dictus Dominus Carolus Ludovicus ejusque ſucceſſores (n) in Palatinatu

liberi in illuſtribus familiis, ſucceſſione bonorum nacta, Matri viduæ debent. Hic Imperator ſubleuando aliquantum Electori viginti millia imperialium de ſuo ære promittit: non vero annua, ſed ut una ſolutione ſe in perpetuum liberet. Idem ſororibus ſingulis decem millia ſoluenda recepit, ſed tum demum præſtanda, quando nuptum elocatæ fuerint: de reliquo ipſis Carolus Ludouicus Elector tenebatur ſatis facere.

l) Scilicet inter tractatus pacis. Onerata enim multis modis reſtitutio Caroli Ludouici erat, cui dum totus Palatinatus Superior cum Comitatu Cham adimitur, alenda interea relinquebatur Mater Vidua, itemque Fratres & Sorores, quibus præterea nupturis conſtituenda dos erat. Itaque poſtquam a Bauaris impetrari nihil potuiſſet, ſubuenit Imperator, eamque in rem fere ad quingenties imperialium millia promittit, atque hoc, ſicuti dicitur, pro benevolo ſuo in Domum Palatinam affectu. Sed gratis non fuiſſe data, is facile intelliget, qui ſecum reputabit translatione Palatinatus Superioris in Bauaros Imperatorem ſe ære alieno tredecim millionum liberaſſe, ſimulque Auſtriam Superiorem recuperaſſe, quæ pignoris loco ab his tenebatur.

§. 16.

m) Buckisch cauſam huius paragraphi conſtituendi refert in Comitatum Rixingenſem a Comite Philippo Weſterburgio venditum Adolpho Iohanni Palatino, vnde acerrimæ inter utramque partem altercationes de contractu bona fide non ubique adimpleto. Nobis, qui exactam totius rei cognitionem non habemus, placet cum paragrapho noſtro generali ſtare diſpoſitioni, ne Carolus Ludouicus eiusque Succeſſores Comites illos Leiningenſes atque Daxburgenſes vlla in re in Palatinatu Inferiore turbet.

n) Sed quos hic Succeſſores intelligimus. Num omnes Lineæ Rudolphinæ, Palatinæ, qui Succeſſionis ſpem habent; an illos tantum, qui reuera ſuccedunt poſt obitum illius. Illud verius videtur. Quod ſi vero cui hoc potius placuerit, contra hanc legem non

Digitized by Google

tu Inferiori (o) nulla in re turbet, ſed iure ſuo à multis retrò ſæculis obtento, & à Cæſaribus confirmato, quietè ac pacificè uti frui permittat.

§. 17. Liberam Imperii Nobilitatem (p) per Franconiam, Sueviam & Tractum Rheni, cum diſtrictibus appertinentibus (q) in ſuo ſtatu immediato inviolatè relinquat. **Imperii Nobilitas libera.**

§. 18. Feuda etiam (r) ab Imperatore in Baronem Gerardum

non peccaſſe videtur Dux Bipontinus Alfonſus Iohannes, qui anno 1669. ob cauſam Rixingenſem Comitem Ludouicum Eberhardum armis eſt aggreſſus, eumque, occupato vi hoſtili eius caſtro Oberbraun, eo anguſtiarum redegit, ut periculoſo ſaltu e feneſtra pedibus ſalutem quærere fuerit coactus. Poſthæc Comites nonnulli Leiningenſes in clientelam & protectionem Regis Galliæ conceſſere, moleſtiasque exinde creauere non exiguas cum Electoribus Palatinis ipſis, Gallorum opibus ſubnixi, tum etiam cæteris Comitibus agnatis ſuis, qui in fide & ditione Romani Imperii conſtanter permanſere: Uti teſtantur multi libelli memoriales, in Comitiis Ratisbonenſibus hinc inde exhibiti, e quibus nonnulli typis etiam publice vulgati ſunt.

o) Num igitur extra Palatinatum Inferiorem turbare illos poterit? Comites enim Leiningenſes etiam in Alſatia & fortaſſe alibi poſſident bona. Exiſtimarim id multo minus licere, adeoque mentionem Palatinatus Inferioris ideo tantum factam, quod Electori Carolo Ludouico ibi facilius ſuppetat poteſtas turbandi Comites illos.

§. 17.

p) Nobilitas immediata hic intelligitur, cui ob cauſam Wildfangiatus, quo prætextu iura etiam territorialia iſtorum Nobilium peti videbantur, a Palatinis grauia multa & indigna perpetienda erant.

q) Diſtrictus hic aut loca ſignificant unde ſingulæ tribus vel Collegia appellationem habent, veluti Odenwald, Stergerwald &c. vel territorium, Nobilibus proprium. De illis nemo valde controuertit, vel quæſtionem Status illis quoad perſonas mouet. De hoc vero lites frequentiores ſunt, quia territoria Nobilium plerumque in territoriis Statuum Imperii ſita ſunt, quos volunt præſumptionem pro ſe habere, omnia quæ in territorio ſunt, eſſe etiam de territorio eorum, adeoque ſibi ſubiecta, niſi exemptio doceatur. Sed hoc probationis genus Nobilibus, potentia inferioribus difficile admodum & impeditum eſt, in tanta Principum facilitate tuendi ſua.

§. 18.

r) Apud tractatus Pacis hæc res difficul-

dum de Waldenburg, dictum Schenckhern, Nicolaum Georgium Reigerſperger, Cancellarium Moguntinum, & Henricum Brömſer, Baronem de Rudesheim: item ab Electore Bavariæ in Baronem Joan. Adolphum Wolff, dictum Metternich collata, rata maneat. Teneantur tamen ejusmodi Vaſalli Domino Carolo Ludovico, velut Domino directo ejusque ſucceſſoribus juramentum fidelitatis præſtare, atque ab eodem feudorum ſuorum renovationem petere.

§. 19. Auguſtanæ Confeſſionis conſortibus s), qui in poſſeſſione

ficultate non caruit, cum Electori Palatino res indigna videretur, eos ſibi vaſallos invito obtrudi, qui conſilia ſua operamque contulerant in ſe ſuisque fugandis & excludendis ab omni reſtitutione. Deinde cum declinare omnino hoc onus non poſſet, Cæſareis Bauarisque, dona ſua rata firmaque ut maneant, perſiſtentibus, propoſitum a Svecis fuit, ut intruſi iſti noui Vaſalli Electori quidem a paciſcentibus cum effectu aliquo commendarentur, ſed nulla eorum mentio in Tabulis Pacis fieret. Sed hoc etiam medio reiecto de illis ſtatuendum hoc ſeparato paragrapho fuit, neſcio, an e paciſcentium ipſiusque pacis dignitate, qua cum non ſatis conuenit, priuatorum hominum emolumenta, per belli æſtus, artibus non usquequaque egregiis honeſtisque parta inter publicas curas & pacis leges referre.

§. 19.

s) Quæ hoc §pho in fauorem Lutheranorum conuenta ſunt, quia uno ab omnibus intellectu non accipiuntur, accuratiori paulatim conſideratione digna eſſe videntur. Primo igitur nomine Auguſtanæ Confeſſionis Conſortium hic venire proprie addictos Lutheranis ſacris, extra dubium eſt. Atque de his duo inprimis ſtatuuntur, (1) ut illis, qui in poſſeſſione templorum fuere, ſeruetur Status Eccleſiaſticus anni 1624. (2) ut cœteris deſideraturis liberum ſit Auguſtanæ Confeſſionis, iſt eſt, Lutheranæ exercitium publicum priuatumque: absque tamen definitione certi ſtatus, qui aſſignari eis ideo non potuerit, cum nullam eius poſſeſſionem vel ante bellum, vel in bello docere poterant. Scilicet ad Suecorum potiſſimum interceſſionem atque inſtantias hic paragraphus compoſitus eſt, qui reſtituendi Electoris Palatini hoc velut præmium gratitudinis loco volebant videri abstuliſſe, ut ſacris Lutheranis apud Reformatum Principem liberiorem uſum impetrarent, quando paulo ante Lutheranorum in Sileſia Auſtriaque res, quas conſtantia ſua ſeruare integras, aut ſaltem ad meliores conditiones redigere facile potuiſſent, aduerſa admodum

modum conſcientiæ ſuæ fama Pontificiis aliquot centum millibus aureorum turpiſſime vendidiſſe feruntur.

Nota etiam, hoc loco nomen Auguſtanæ Confeſſionis Conſortium ſine ullo alio adiecto, Lutheranis tribui ſenſu paulo anguſtiori, ut Reformatos non comprehendat, quos in ſignificatione latiori alias includit, quando quidem iſti etiam Auguſtanæ Confeſſioni ſe aſſociari cupiunt, neque amplius adeo difficiles illos experiuntur, uti ante hæc fuerant cœco odio in Reformatos, & prauo affectu confeſſionum ſuarum, quibus ſi quis per omnia non ſubſcripſiſſet, exſors propediem pacis ciuilis & Eccleſiaſticæ haberetur, cum non cogitaſſent, tam pernitioſa diuiſione eorum, qui ſecum contra communem hoſtem animis verbisque ſtare parati erant, maximas ſibi opes & auxilia demi: Pontificiis vero non potentiam modo augeri, verum etiam addi fiduciam diuiſos vnum poſt alterum opprimendi. Rectius itaque poſt hæc ſapuere, quando oblata occaſione gnauiter reſtiterint Turbatoribus ſuæ pacis, & multis egregiis documentis teſtati ſunt, quanquam ſibi per omnia in ſacris non conueniat, non eſſe tamen cauſam, cur aduerſariorum inſidioſa conſilia ingratiis mutuis diſſenſionibus adiuuent. Habemus huius unionis inſignia exempla, quorum vnum alterumve afferre non abs re fuerit. Cum enim ante annos aliquot Catholicos non puduiſſet ſcriptum quoddam Euangelicorum arguere erroris, vel non accuratæ ſatis locutionis ex eo, quod ibi duarum ſaltem religionum, in Imperio receptarum mentio facta fuiſſet, intempeſtiuo monitu, cum tres omnino eorum ſententia ſint, ſe pati non poſſe ut duæ pro vna venditentur. Repugnatum eſt ſtrenue ab Euangelicis, Catholicisque, in os dictum, ſe non magis paſſuros, ut Eccleſia Euangelica propter diſſenſiones quasdam inteſtinas in duas diuidatur religiones aliorum ludibrio, quam Catholici ſuam laturi eſſent dilacerari religioſorum Ordinum diſceptationibus, inter ſe tanta animorum contentione ſæpe exercitis, ut ſibi inuicem hæreſium etiam crimina haud raro impegerint: cui rei confirmandæ plurima etiam loca ex receſſibus Imperii allegata, quæ non niſi duarum religionum mentionem iniiciebant. Alterum exemplum, idque non minus illuſtre ſiſtit nobis Liſta illa, ſeu deſignatio locorum, quæ Galli ſub clauſula Ryswicenſi, articulo quarto pacis inſertâ, comprehenſa volebant hac fini, ut religio Catholica illis locis remaneat. Ibi cum Reformati odioſo nomine Caluiniſtarum perpetuo Auguſtanæ Confeſſionis Conſortibus, per quos Lutheranos deſignabant, opponerentur, res in concilio Euangelicorum, præuia matura deliberatione, ventilata, factumque unanimi conſenſu decretum eſt, ni Miniſter Gallicus exhibita ſua Liſta omnes Auguſtanæ Confeſſionis conſortium nomine complecteretur, ſe Liſtam illam pro accepta non habituros, ſed redhibituros fore. Neque eſſe cur aliqua ſuorum diſtinctione attineretur. Hanc enim

rem Euangelicis curæ fore: ſui muneris eſſe, ut declaret, quibus Euangelicorum locis exiſtimet religioni Catholicæ ſtatum deberi. Atque hoc eo valuere, ut Plenipotentiarius Gallicus, conſulta Aula ſua, eaque probante reſigere Liſtam, deletisque ubique Caluiniſtarum nominibus, Euangelicos omnes una Auguſtanæ Confeſſionis conſortium appellatione comprehendere nihil dubitauerit. Tertium denique exemplum æque memorabile ſuppeditat controuerſia illa, inter Euangelicos Status & Electorem Palatinum de iure reformandi agitata ingenti ſtudiorum utriusque partis ſeruore. Sane enim ibi quo maiorem Elector in ſcriptis ſuis diligentiam ſemper adhibuerat, ne vlla data occaſione obliuiſceretur trium in Imperio religionum tanquam Euangelicis ea mentione ægre facturus; eo maius ſtudium, maioremque conſenſum ipſi etiam contulere, ne apud ſe Reformatorum vel Lutheranorum nomina amplius audirentur. Et ſi utique inter illos non nunquam pro rei exigentia indicandum diſcrimen fuit, placuit loquendi potius formula de duabus partibus unius Confeſſionis, qua ſignificabant, non quidem omnibus adhuc conuenire per omnia: Omnes tamen Auguſtanæ Confeſſionis eſſe ſocios, & mutuo recipi, cuius vnionem quarundam opinionum divergiis ſolui iniquum ſit, & a Catholicorum etiam inſtitutis alienum. Et profecto rationem res habet. Nam iisdem argumentis, quibus vtuntur Pontificii Scriptores excuſandis ſuorum controuerſiis, vt vnius Eccleſiæ vel Confeſſionis vnitatem ſeruent, iisdem vti Euangelici etiam poſſunt retundendis aduerſariorum cauillis: niſi cui forte in mentem veniat diuerſitatem ex eo petere, quod Pontificii omnes opiniones ſuas iudicio Eccleſiæ Catholicæ ſubmittant, cuius viſibile caput ſit Pontifex, in quo diſſentientes etiam vniantur. Sed & Euangelici ex vtraque parte Eccleſiæ vere Catholicæ, non tamen illi Romanæ, ſua diuerſa placita non dubitant ſubmittere, cuius ſummum caput & arbiter cum ſit Chriſtus, is ſane qui in ſenſu Spiritus eius acquieſcere paratus eſt, poſtquam meliora doctus fuerit, etiamſi in opinione quadam erronea adhuc verſetur, non exiſtimandus erit ab Eccleſiæ Euangelicæ vnitate deſciuiſſe.

Hoc tamen noſtro paragrapho, vt ante diximus, appellatione Auguſtanæ Confeſſionis Conſortium intelliguntur Lutherani, qui rurſus duorum ſunt generum: alii in poſſeſſione templorum fuerunt; alii non. De vtrisque quid ſit ſtatutum, videbimus.

t Sed quo tempore? cum illis ſeruari ſtatus anni 1624. debeat, credo hoc etiam anno ipſos oportuiſſe in poſſeſſione templorum fuiſſe. Enimuero fieri potuit, vt etiam ante annum 1624. in poſſeſſione fuerint: cuius ſtatus ſi idem, nihil refert: ſin diuerſus, ſiue pinguior fuerit ſiue deterior, ille anni 1624. ſequendus eſt. Qui vero anno 1624. nullum ſtatum habuere, etſi poſtea aliquem adepti ſint, illos hæc diſ-

poſitio

Digitized by Google

ſeſſione t) templorum u) fuerant, interque eos civibus & Incolis Oppenheimenſibus x) ſervetur ſtatus Eccleſiaſticus y) Anni milleſi-

poſitio nihil iuuat, cum pertineant ad eos, qui numerantur inter *cæteros* id *deſideraturos*.

u) Sed quid ſi in poſſeſſione templorum non fuerint, fuerint autem in poſſeſſione bonorum Eccleſiaſticorum aliorumque iurium? Forte tales non dantur, quia de iis nihil cautum. Vtcunque ſit, ob paritatem rationis idem foret dicendum. Quid ſi in poſſeſſione templorum & bonorum ſimul? His in vtrisque ſeruari ſtatum anni 1624. praxis & vſus docuit. Quanquam enim hic ſolummodo poſſeſſionis templorum fiat mentio, quia tamen illis totus ſtatus Eccleſiaſticus anni 1624. ſeruari debet, bona omnino in computum venient, ſi idem eorum ſtatus fuiſſet.

x) Horum fuiſſe alium ſtatum anno 1624. ſub Hiſpanis, aliumque eo tempore, cum Sueci, pulſis illis, recuperaſſent Palatinatum, ex libello memoriali conſtat, quem Oppenheimenſium nomine exhibuit Conuentui Oſnabrugenſi anno 1647. menſe Ianuario Wolffgangus a Gemmingen. Alibi hæc re ita narratur. Ante motus Bohemicos Lutheranos Oppenheimiii neque templum in urbe illa poſſediſſe, neque percepiſſe vllos reditus. Anno demum 1622. vero, cum bello omnia iam in Palatinatu arderent, mortuo Inſpectore & Paſtore Primario loci, altero vero (uterque ſectabatur reformatam religionem qui Diaconi munere fungebatur, Breemam euocato, Lutheranos illic degentes, quos reſpectu Saxonis Electoris, auſpicia Cæſaris ſecuti, Catholici mitius habebant, tum primum religionis ſuæ Paſtorem, Plauſtrarium nomine, conſtituere ibi auſos eſſe qui templum Diuæ Catharinæ ſacrum (St. Katharinen Kirchen) in ſuos uſus vertit. Sed huius munus non integrum triennium duraſſe, cum anno 1625. relicto oppido iterum ad ſtationem ſuam priorem, quam Zvingenbergæ ante hæc obiuerat, ſe recepe it. Poſtea confecta pace, Oppenheimenſes quidem vi huius paragraphi, in dictum templum, anno 1624. poſſeſſum reſtituendos fuiſſe: ſed Electorem Carolum Ludouicum egiſſe cum illis, ut hoc templum ſibi cederent, eiusque loco Fanum Sti Sebaſtiani haberent, aſſignatis ſimul certis reditibus, auctisque mox à Carolo Electore, quos anno 1624. nullos omnino ibi poſſediſſe conſtabat, ut hac permutatione Lutherani non læſi modo vlla in re non fuerint, quibus templum pro templo datum; ſed Principum liberalitate lucrum etiam ſenſerint, adiectis fructibus ex vino, frumento atque numerata pecunia, cum Fanum Catharinæ vacuum ipſis, abſque vllis emolumentis, ſicut illud anno 1624. poſſederant, recipiendum fuiſſet.

y) Itaque ad politica hæc conuen-

millеſimi ſexcenteſimi vigeſimi quarti z), cæteriſque a) id deſideraturis b), Auguſtanæ Confeſſionis c) exercitium, tam publicè

tio non pertinet. Sed quæ ſint proprie Eccleſiaſtica, & quæ Politica, cum in eo non omnes conueniant, communis ſequenda opinio in ſenſu huius loci erit, quamuis inueniantur, qui rationibus non contemnendis plurima ad Politica referre incipiunt, quæ vulgari errore, Pontificiorum artibus primum ſtabilito, inter Eccleſiaſtica numerantur.

z) Quæ cauſa, cum Reformatis ſubditis in Palatinatu Status anni 1618. ſeruandus ſit, cur Lutheranis alius fuerit datus? Falluntur, qui hoc odio eorum aut præiudicio factum eſſe putant. Ante motus enim Bohemicos aut nullo omnino ſtatu Lutherani in Palatinatu gaudebant: aut ſane precario atque incerto gauiſi ſunt. Sed pulſo Friderico V. cum Cæſarei ditionem omnem occuparent, Catholicæ quidem religioni maximus honos eſt habitus, dataque potiſſima præmia: enim vero Lutheranam prorſus exturbatam ideo nolebant, ne, ut antea dixi, Electorem Saxonem offenderent, cuius fœdere & auxiliis Imperator poſt Hiſpannos Bauarosque præcipue nitebatur. Inde Lutheranis ab hoc tempore occaſio data ſtabiliendæ ſuæ religionis diſſimulatione Catholicorum: quanquam hi diligenter prouiderant, ne nimis inualeſceret, conceſſis nonnullis ad famam magis, quam magnam utilitatem. Quare cum annus decimus octauus illos nihil iuuaret, recurrendum ad illum neceſſario fuerat, qui maxime illis commodare poſſet.

a) Inter cœteros hic intelliguntur illi, qui anno 1624. in poſſeſſione templorum non fuere. His cum ſtatus nullus ſeruari poſſet, quia nullum habuere, Auguſtanæ Confeſſionis exercitium liberum eſſe debet.

b) Suis tamen ſumptibus & impenſis: vnde iudicium & æſtimatio merito eſt penes Principem, an qui deſiderant ſuæ religionis exercitium, eo ſint numero & facultatibus, vt non modo nomen Eccleſiæ mereantur; verum etiam neceſſitatibus ſufficiant ad onera ferenda, tuendamque dignitatem.

c) Id eſt, Lutheranæ, ſecundum ſupra dicta.

d) Quæſitum fuiſſe memini, quorum templa his verbis deſignentur, an Reformatorum: an quæ Lutheranis ſunt propria? Qui illud voluere, contendebant, hoc loco Lutheranis poteſtatem factam publici exercitii ſuæ religionis in omnibus Reformatorum templis: cuius rei aſſerendæ cauſa duo habebant præcipue argumenta. Primum quod ſupra actum fuerit de Lutheranis, qui in poſſeſſione ſunt propriorum templorum: ergo cœteros deſideraturos publicum exercitium in templis opponi ſuperioribus, atque intelligendos eſſe de iis, quorum deſideriis, dum propria templa non habent, ſatis

licè in templis ad ſtatas horas d), quam priuatim e) in ædibus pro-

ſatis faciendum eſt templis Reformatorum. Et ſecundum, quod hic ei exercitium concedatur in templis *ad ſtatas horas*, quæ formula loquendi proprie ad coercitium ſpectet, cum Lutheranis in ſuis templis de tempore horiſque ſtatis legem nemo dicere velit. Sed qui in contraria ſunt opinione, allegant praxin poſt pacem, ipſorumque Lutheranorum iudicia, quibus tam enormis, & ſummo præiudicio Reformatis futura interpretatio hactenus ne quidem in mentem venerit. Adhæc mentionem etiam fieri, aiunt, priuati exercitii in ædibus propriis aut alienis, quo Lutheranis opus nullo tempore eſſet, ſi in omnibus Reformatorum templis ſacra ipſis ſuo more facere liceret, præſertim cum vicinos verbi diuini Miniſtros huic operæ adhibere poſſint. Atque huic ſententiæ vt ego etiam ſubſcribam, hoc potiſſimum moueor, quod Lutherani, cum ante annos aliquot ingentem grauaminum ſuorum molem contra Reformatos in Palatinatu ſummo ad conflandam inuidiam ſtudio conſarcinaſſent, nulla re prætermiſſa, quam exiſtimabant idoneam eſſe accuſationibus de iniuriis ſibi factis, hoc tamen genere criminationis abſtinuerint, procul dubio id non facturi, præcipue tam acribus incentoribus ſimultatum, ſi modo ex Inſtrumento Pacis ſibi ad talia poſtulata vel prætextum ſuppetere cenſuiſſent. Neque obſtant rationes paulo ante in contrarium adductæ. Reſpondeo enim ad primum, non ſequi, quia circa annum 1624. aliqui in poſſeſſione templorum fuere, ergo cœteris Reformatorum templa patere debere. Illorum enim hæc ſaltem eſt prærogatiua, quod eis ſtatus ſeruetur quo dicto anno templa poſſederunt, cum his, ſi exercitio publico vti velint, noua ſint ædificanda. Quod vero ſecundo ad ſtatas horas attinet, ad ordinem refero vna in ciuitate inter duos diuerſarum religionum ſectatores vitandæ confuſionis cauſa obſeruandum. Scilicet quoties ad ſacra facienda audiendaſque conciones homines conueniunt, plerumque moris eſt, vt ſtatis horis ſignum campana ad id detur. Ne itaque ſe turbent diuerſis ſignis, placuit vno tempore hoc omnibus ſimul dari, cumque id ex conuento fiat, ea res neutri fraudi eſſe poteſt. Aut ſi hæc ſententia minus arridet, explicare poteris id, quod de ſtatis horis dicitur, de publico exercitio in templis, quod ſemper ſtatis ſit horis, cum Pater familias ſuis in ædibus magis ſui ſit arbitrii; quamuis non abnuam, hic etiam præſtare ſtatum tempus ſeruari, præſertim ſi vicinorum, vti ſit, ratio ſit habenda, quos ne incertis vicibus, & tædio expectationis noſtræ fatigemus, caritas iubet, omni oſtentatione potior.

e) Occaſio hic eſſet examinandi, an definitio hoc loco tradatur publici & priuati exercitii religionis, dum ſcilicet illud in templis ſit, hoc in ædibus.

propriis, aut alienis ei rei deſtinatis f) per ſuos aut vicinos verbi divini Miniſtros g) peragere liberum eſto h).

§. 20. Princeps Ludovicus Philippus i) Comes Palatinus Rheni recuperet omnes ditiones l) dignitates & jura in ſacris & profa-

Sed cum infra artic. 5. §. 31. eadem de re ex profeſſo agendum ſit, has meditationes tantisper differimus.

f) Itaque ad priuatum exercitium nihil intereſt, propriæ an alienæ ædes huc deſtinentur. Sed cuius erit, ædes illas ſacris Lutheranis deſtinare: num Principis? an illorum, qui deſiderant illud exercitium? Inſcio vel neglecto Principe hæc incipi non oportere, obſeruantia & officium Subditorum ſuadet: electionem autem loci, modo publicæ rei nihil referat, iis liberam relictam cenſeo, quorum cauſa ſacra inſtituuntur.

g) Nam qui alere ſuis ſtipendiis eos non poſſunt, facultatem habent e vicinia conducendi.

h) Igitur agendi libertas in his omnibus datur. Interea vero hæc ipſa libertas ultra conceſſa non eſt extendenda. Quare cum hoc paragrapho Conſiſtorii proprii ius Lutheranis non ſit datum, improba cupiditas & ambitio quorundam nuper fuit, qui fictis querelis falſisque criminationibus ſe ab inſpectione EccleſiaſticiSenatus in Palatinatu, motis ſuperis inferisque eximere ſunt conati, peſſimo totius rei Euangelicæ exemplo. Pariter de baptiſmo, de copulationibus aliisque faciundo quæſtui comparatis artibus hoc loco nullum verbum. Interea de illis rebus tantum bellum inter Euangelicos eſt conflatum præuaricatione & malitia duorum hominum, quorum memoriam poſteri etiam damnabunt, vt Reformatorum res incendio iſto iam conflagrarint, non ſane diuturno Lutheranorum gaudio, quos & numero, & autoritate, & legum denique auxilio longe inferiores communis hoſtis facillime corripiet atque diſſipabit, poſtquam de illis plene triumphatum eſt: cum forte ambo, unitis animis & conſiliis, tueri ſe rectius potuiſſent, clauſo Catholicis aditu ex concordia, quem inter eorum diſſidia pronum apertumque habuit ad alteram partem opprimendam.

§. 20.

i) Hic fuit Friderici V. Electoris Frater iunior, cuius ratio in translatione Electoratus ab Ferdinando ideo habita non eſt, quod motibus Bohemicis implicitus, legionem in exercitu contra Cæſarem duxiſſet.

l) Ducatus Simmerenſis hic præcipue intelligitur, qui pace Oſnabrugenſi confecta huic Principi 1653. in Comitiis ſolenni inveſtitura eſt collatus. Obiit etiam huius poſteritas, qua ſalua Neoburgici ſuccedere non potuiſſent.

m) Dignitates intelliguntur Comitum Palatinorum; iura vero, quæ eiusmodi dignitates comitari ſolent: inter

Digitized by Google

profanis m), quæ ipſi á majoribus ex ſucceſſione & diviſione n) ante tumultus bellicos obvenerunt.

§. 21. Princeps Fridericus o) Comes Palatinus Rheni, quartam partem vectigalis Viltzbacenſis, Cænobium quoque Hornbach cum pertinentiis, & quicquid juris parens ejus p) ante hac ibidem habuit ac poſſedit, recipiat & reſpectivè retineat q).

§. 22. Princeps Leopoldus Ludovicus r) Comes Palatinus Rheni reſtituatur penitus in Comitatum Veldentz ad Moſellam, tam

---

inter quæ ipſum ius ſucceſſionis in Electorarum ſuo ordine: tum iura territorialia in ſacris & profanis quoad ditiones, in quæ reſtitutus eſt.

n) In illas itaque ditiones reſtituitur, quæ ante tumultus bellicos ipſi iam obuenerant ex ſucceſſione & diuiſione a maioribus: quorum ſingularium notitia me iam deſtitui ingenue fateor: niſi quod meminerim, controuerſiam illi etiam fuiſſe de Principatu Lauterenſi, demum in Comitiis Ratisbonenſibus compoſitam, uti ex receſſu patet.

§. 21.

o) Hic Fridericus ex Bipontina Linea, qui in Parentis poſſeſſiones reſtituitur.

p) Iohannes ſcilicet IV. Biponti nus, qui vnioni contra Ligiſtas nomen dedit, adeoque cum reliquis eandem fortunam expertus eſt. Inter alia a Cæſare contra ipſum decreta anno 1628. iniungebatur illi etiam reſtitutio Abbatiæ Hornbach, quam Elector Treuirenſis repetebat. Sed hanc pace Filius eius Fridericus recepit, uti & quartam partem vectigalis Witzbacenſis.

q) Scilicet quorum damnum per iniurias bellorum non fecerat: ex quo patet, hunc non omnibus bonis exutum fuiſſe.

§. 22.

r) Hic eſt ille, qui Comitatum Veldentiæ ad Moſellam habuit, in quem nunc reſtituitur. Hoc ſingulare, quod, cum reliqui Principes Palatini in ſua reſtituantur eo ſtatu, quo ante motus Bohemicos vel tumultus bellicos fuere, huic ſoli datus ſit ſtatus anni 1624. Cauſam adhuc quæro, neque inuenio: niſi forte ſit, quod ante iſtum annum nihil fuerit mutatum, aut melior cauſa Ducis Veldenſis hoc anno etiam contra ipſos agnatos ſuos. Cœterum hic eſt ille Princeps, qui poſt pacem Neomagenſem multos annos Argentorati exul vixit, a Gallis tota ditione pulſus, quod iuramentum ipſis dicere recuſaſſet. Obiit tandem ibidem, atque mox tota eius propago defecit. Vnde lis inter Regem Sueciæ, ceu Ducem Bipontinum, agnatum proximum, & Electorem Palatinum Lineæ Neoburgicæ, qui nomine Fidei commiſſi bona iſta ſibi vindicauerat.

Digitized by Google

tam in Eccleſiaſticis, quam Politicis, contra omnia hactenus attentata s) in eum, quo Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto ipſius parens fuit, ſtatum.

Controverſia ratione Kitzingen.

§. 23. Controverſia t), quæ vertitur inter Epiſcopos reſpectivè Bambergenſem & Herbipolenſem ac Marchiones Brandenburgicos, Culmbachi & Onoltzbachi de Caſtro, Oppido, Præfectura & Monaſterio Kitzingen in Franconia ad Mœnum, aut amicabili compoſitione, aut ſummario juris proceſſu terminetur intra biennium, ſub pœna perdendæ prætenſionis imponenda tergiverſanti, interim dictis Dominis Marchionibus reſtituatur nihilominus fortalitium Viltzburg in eum ſtatum, qui tempore traditionis deſcriptus fuit ex conventione & promiſſo.

§. 24.

s) Hiſpanni enim occupauerant prouinciam, in quorum faucibus iacebat, propinqua adeo vrbe munitiſſima Lutzenburgo. Hodie eandem ob rationem Galli leges, quaſcunque volunt, dicere Veldenſibus poſſunt, quanquam recuperato Trarbacho liberiori aura videantur frui, remotis paulum pace Ryſvicenſi Gallis, ne per officiales ſuos continuis mandatis premere colla miſerorum ſubditorum poſſint. Sed præpotens & infida vicinitas facit, vt metus nunquam abſit.

§. 23.

t) Hæc controuerſia exemplum eſt ſummæ iniuriæ, qua iuris dicundi ſpecie Conſilium Imperiale Aulicum Marchiones Brandenburgicos affecit non vna vice. Extant multa & prolixa ſcripta Principum Onoldinorum, quibus cauſam ſuam luculenta iuſtitia tutati ſunt. Sed cum hodie lis omnis transactione ſit ſopita, renouare inanes querelas nihil opus eſt. Mea ſententia apud tractatus pacis a Domo Brandenburgica Onoldina in duobus maxime erratum: primo, quod conſenſerint, vt hæc controuerſia ſummario iuris proceſſu vel amicabili compoſitione intra biennium terminaretur ſub pœna perdendæ prætenſionis, imponenda tergiuerſanti: quibus termini anguſtiis ab Herbipolenſi manifeſta calumnia ſunt circumuenti, Aulici Iudicii præuaricatione: quod fieri non potuiſſet, ſi cauſæ terminandæ nulla dies conſtituta, aut ſaltem nulla pœna tergiuerſanti irrogata fuiſſet. Deinde, quod Monaſterium Kitzingenſe excipi ab hoc ſummario iudicio non curauerint, quod a Marchionibus Brandenburgicis anno 1614. prima die Ianuarii abſque contradictione poſſeſſum ſecundum artic. 5. §. 25. *quæcunque monaſteria* &c. reſtitui propediem debuiſſet, omni lite ſuper eiusmodi cauſa finita,

Digitized by Google

§. 24. Domus Würtenbergica u) maneat quietè in recuperata poſſeſſione Dinaſtarum Weinsberg, Neuſtadt & Meckmühle. Reſtituatur etiam in omnia & ſingula ſæcularia atque Eccleſiaſtica bona & jura inter hos motus ubicunque poſſeſſa, interque illa ſpecialiter in Dynaſtias Blaubeuren, Achalm & Stauffen cum pertinentiis, & ſub prætextu pertinentium ad eas occupatis bonis, cum primis civitate & territorio Goppingenſi atque pago Pflumeren, reditibus Univerſitati Tubingenſi piè fundatis. Recipiat etiam Dynaſtias Heidenheim & Obernkürch, itemque civitates Balingen, Tutlingen, Ebingen & Roſenfeld, nec non arcem & Pagum Neidlingen cum pertinentiis, tum Hohenvveil x), Hohenaſperg, Hohenrauch, Hohen Tübingen, Albeck, Hornberg, Schiltach cum civitate

Würtenbergica Domus quid habere vel recipere debeat.

finita. Sed illud imprudentiſſimum omnium fuit, quod Onoldini induci ſe paſſi ſint, vt hanc litem coram Iudicio Aulico inſtruxerint, vbi Euangelicos tot experimenta hactenus monuere, ne res ſuas his Iudicibus committant, apud quos cauſa cadere eos ſemper oportet, Catholicis aduerſariis, etiamſi Iuſtitiam ipſam ſibi adſiſtentem in foro haberent. Interea ſi cuilibet, ſummariam ſibi noticiam comparare huius litis, & qua peruerſitate malitiaque cum Marchionibus Onoldi is actum fuerit, is adire Limneum poterit *Iur. Publ. Tom. I. & II. addit lib. 5. c. 7. n. 72.* vbi non modo ſingula fere verba huius paragraphi ſumma dexteritate & prudentia excuſſa inueniet, pro vero atque genuino totius cauſæ ſenſu: verum etiam ſtupebit an rem incredibilis impudentiæ, dum contra ius faſque veteratoria ſententia Onoldinis, qui de omni diligentia finiendæ cauſæ docere poterant, perpetuum ſilentium eſt indictum, quod imponi ex lege Herbipolentibus, manifeſtæ tergiuerſationis conuictis debuiſſet. Sed & lector hoc commodi ex dicto Limnei loco reportabit, quod ibi velut compendio deſignata habeat alia ſcripta, quæ hac in cauſa ab utraque parte prodiere, tuendis vnius iuribus, & iniuriis alterius palliandis.

§. 24.

u) Huius reſtitutioni Auſtriaci primum multa impedimenta obiecere cum dynaſtias aliquas ſibi vindicarent ex antiquis titulis, ac præterea muniſſimam arcem Hohentweil demolitam vellent. Tandem vero Dux recuperauit omnia, & pleniſſime reſtitutus fuit, ſaluis quidem & reſeruatis pro Domo Auſtriaca prætenſis iuribus & actionibus ſed & vice verſa pro Wurtenbergica exceptionibus & remediis atque beneficiis iuris quibuſcunque.

Digitized by Google

civitate Schornsdorff. Reſtitutio etiam fiat in Eccleſias collegiatas Stuttgard, Tübingen, Hernberg, Göppingen, Bachnang, nec non in Abbatias, Præpoſituras atque Monaſteria Bebenhauſen, Maulbrun, Anhauſen, Lorch, Adelberg, Deckendorff, Hirſchau, Blaubeuren, Herprechingen, Murhard, Alerſbach, Königsbrun, Herrenalb, Divi Georgii Velchenbach, Pfullingen & Lichtenſtern ſive Marien Cron, & ſimilia, cum omnibus documentis ablatis, ſalvis tamen & reſervatis Domus Auſtriacæ, nec non Würtenbergicæ in ſupra dictas dynaſtias Blaubeuren, Achalm & Stauffen prætenſis juribus, actionibus, exceptionibus & remediis atque beneficiis juris quibuscunque.

§. 25. Principes quoque Würtenbergici y) Lineæ Mompelgardenſis reſtituantur in omnes ſuas ditiones in Alſatia vel vbicunque ſitas, & nominatim in duo feuda Burgundica Clerval & Paſſavant, & ab utraque parte redintegrentur z) in eum ſtatum, jura, præro-

x) Hunc locum, quem Wurtenbergici nunquam toto bello amiſerant, quomodo hic recipere potuerunt, ſæpius quæſiui. Plerique exiſtimant, textum hic non ſatis accurate loqui: niſi aliquis forte, quod Auſtriaci ſuis poſtulatis pro demolitione tandem deſtiterint, pari æſtimatione habere vellet, acſi Duces arcem recepiſſent. Sed & hæc explicatio non caret ἀκυρολογία.

§. 25.

y) Hi tempore belli in protectione Gallorum agebant, qui arcem Montis Peligardenſem præſidio inſederant ad regionem defendendam contra Hiſpanorum iniurias, qui ex vicina Burgundia eam ſæpe incurſitabant. Pace confecta, Galli præſidium confeſtim deduxere, atque Princeps redux omnes ditiones ſuas recuperauit

z) Hæc verba ambigua eſſe videntur. Nam illud *ab utraque parte* vel ſignificat ab utraque belligerantium parte, vt Cæſarem cum ſuis fœderatis ab vna; ab altera vero parte Coronam Suecicam itidem cum ſuis abhærentibus intelligas: vel notat vniuerſum nomen Wurtenbergicum, cuius vnam partem Linea Wurtenbergica, & alteram Mompelgardenſis conficit, vt ſenſus ſit, vtramque redintegrandam in ſtatum priſtinum eſſe. Quæ explicatio nobis etiam probatur ante illam: quia ſi prior ſenſus haberet locum, *reſtituantur* potius, quam *redintegrentur*, dicendum fuiſſet, cum hoc verbum ad ſubiectum proprie ſe referat, quod paſſum eſt detrimentum ſuis in iuribus, adeoque redintegratione opus habet, cum, qui damnum dedit, reſarcire illud magis videatur.

a) Vno

Digitized by Google

prærogativas ac in ſpecie ad eam immedietatem a) ergo Romanum Imperium, qua ante initium horum bellorum gaviſi ſunt, & qua cæteri Imperii Principes ac ſtatus gaudent vel gaudere debent b).

§. 26. De cauſa Badenſi c) hoc modo conventum eſt; Fridericus d) Marchio Badenſis & Hochbergenſis, ejusque filii, & hæredes,

a) Vno omnium conſenſu hæc verba non minus ad Duces Wurtenbergicos, quam Principes Mompelgardienſes trahuntur: imo vero illorum potiſſimum cauſa ita conuentum fuisſe aiunt, quod Status immedietas Ducum Wurtenbergicorum poſt transactionem Cadumicam vocatus a quibusdam in dubium fuerit: a qua ſententia Limneum ne quidem tranſactio Pragenſis, anno 1599. cum Rudolpho inita dimouere potuit: quod mirum cum ibi clariſſimis verbis omnis reſpectus feudalis erga Domum Auſtriacam abolitus, Ducatusque ad naturam primariæ inſtitutionis & inueſtituræ reductus fuerit quaſi poſtliminio. Sed hoc loco Inſtrumenti Pacis, vbi *immedietatis* expreſſa mentio fit, omne dubium eſt ſublatum, præſertim cum iſta immedietas de Ducibus Wurtenbergenſibus talis prædicetur, quali cœteri Imperii Principes & Status gaudent: qua demonſtratione cauillis omnibus occaſio præcluſa eſt.

b) Hoc *gaudere debent*, non alio videtur ſpectare, quam contra illos, qui impedimento ſunt quibusdam Statibus, quo minus plena immedietate gaudeant. Itaque ne Hi ſic impediti pro exemplo allegari poſſint, non actualis modo fruitionis habetur ratio, ſed & iuris fruendi, ſi nihil obſtet: vt hoc modo pleniſſimæ immedietatis delineationem aut deſcriptionem factam eſſe conſtet.

§. 26.

c) Exercuit hæc etiam cauſa Conuentum Monaſterienſem atque Osnabrugenſem diuerſis ſtudiis, neque poſt Palatinam vlla fuit, quæ maioribus animorum æſtibus ſit agitata. Plane enim inuito Durlaceno ita conuentum, duabus Coronis has leges ferentibus, quas ille ſub exitum demum pacificationis ratihabuit. Summam litis vide ſis apud Hiſtoriam Pacis & in arcanis Pacis Weſtphalicæ. Confer etiam Buckiſch & Obrecht ad hunc locum; Noſtrum enim propoſitum his meditationibus eſt non tam, vt repetamus, quæ centies ab aliis iam dicta ſunt; quam vt dubiis, quæ partim obſcuritate verborum aut orationis enata ſunt: partim vero Sycophantarum quorundam malitioſis cauillis nugisque præter rem mouentur, explanandis operam demus. Atque hæc cauſa eſt, cur lector in pleriſque huius articuli reliquis paragraphis, qui maxime hiſtorici

Badenſis cauſa & de ea conventio.

des, cum omnibus, qui iisdem quocunque modo inſervierunt e), aut adhuc dum inſerviunt, cuiuscunque nominis aut conditionis ſint, gaudeant & fruantur ſuprà articulo 2. & 3. deſcripta Amneſtia cum omnibus ſuis clauſulis & beneficiis ejusque vigore reſtituantur pleniſſimè in eum ſtatum in ſacris & profanis, in quo ante exortos Bohemiæ motus fuit Dominus Georgius Fridericus Marchio-Badenſis & Hochbergenſis, quoad Marchionatum inferiorem Badenſem, qui vulgô ſub appellatione Baden-Durlach venit, itemque quoad Marchionatum Hochbergenſem, tum etiam quoad ditiones Rottelen, Badenvveiler, & Sauſſenberg, non obſtantibus, ſed annullatis f) quibuscunque interim in contrarium factis mutationibus. Deinde reſtituantur Marchioni Friderico Præfecturæ Stain & Renhingen absque onere æris alieni, interea temporis à Marchione

---

hiſtorici ſunt, prolixam commentationem a nobis non expectare debeat, cum narrationem factorum ex publicis actis aliisque Scriptoribus ſibi comparare facile poſſit.

d) Fuit hic filius Georgii Friderici, cuius hic ſit mentio, & qui a Ferdinando Imperatore poſt infelix ad Wimpſenam prœlium proſcriptus, & pace Pragenſi ab amneſtia excluſus in exilio vitam finiit, cum Friderico filio regimen ſuarum prouinciarum ceſſiſſet, antequam cauſam Palatini tuendam ſuſceperat. Sed neque huic datum conceſſis quiete frui, cum Cæſareani ſecunda fortuna, quæ ipſos vbique comitabatur, elati abdicationem Patris, in fraudem Conſtitutionum Imperii factam, contenderent. Ideoque dictus Fridericus non modo Marchionatum Superiorem, feſtinata Iudicii Aulici ſententia, amiſit: verum etiam auitis poſſeſſionibus eſt pulſus, variaque poſtea ſorte vſus pro belli viciſſitudinibus, donec illud in Germania durauit. Tandem vero reducta pace, in eum ſtatum hic reſtituitur, quo ante excitos Bohemiæ motus fuit.

e) Quemadmodum ſupra §. 13. pro domo Palatina omnibus eius affectis & quocunque modo addictis ſpecialis amneſtia conſtituta eſt maioris ſecuritatis cauſa, quod Cæſareani longe diuque hanc domum generali amneſtia comprehenſam noluiſſent: ita ex pari ratione hic cum Durlacenſibus actum, ne cum tempore aduerſariis propter eiusmodi contractiones occaſio eſſet negandi, iſtam, & ſectatores eius amneſtia comprehenſos fuiſſe.

f) His verbis non modo tolluntur, quæ ab excitis Bohemiæ motibus ſiue iuris ſpecie, ſeu transactione illa Etlingenſi, aut quocunque alio modo in Politicis

Digitized by Google

one Guilhelmo contracti, ratione fructuum, intereſſe aut ſumtuum per tranſactionem Ettlingæ Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo nono initam, dicto Guilhelmo Marchioni Badenſi ceſſæ cum omnibus juribus, documentis litterariis, aliisque pertinentiis, ita ut tota illa actio, ſumptuum ac fructuum perceptorum & percipiendorum cum omni damno & intereſſe à tempore primæ occupationis numerando, ſublata & penitus extincta ſit. Annua quoque penſitatio ex Marchionatu inferiori, Marchionatui ſuperiori pendi ſolita, virtute præſentium penitus ſublata, annullata & annihilata ſit, nec eo nomine quicquam vel de præterito vel de futuro in poſterum unquam prætendatur vel exigatur. Alterentur etiam in poſterum g) inter utramque Lineam Badenſem, inferioris ſcilicet & ſuperioris Marchionatus Badenſis, præcedentia & Seſſio in Comitiis & circuli Suevici, aliisque univerſalibus vel particularibus Imperii aut quibuſcunque conventibus, pro nunc tamen eàdem præcedentia h) penes Marchionem Fridericum, dum ſuperſtes erit, permanente.

§. 27. De Baronatu Hohen-Gerolſeck i) conventum eſt, ut — Hohen-Gerolſeck.

Politicis ſunt mutata: verum etiam religioni proſpicitur, cui edictum illud Ferdinandeum ſicut aliis locis, ita hic etiam magnum præiudicium attulerat. Vnde Durlacenſis etiam eodem, quo Palatini, modo in grauaminibus Eccleſiaſticis a ſtatu poſſeſſionis anni 1624. ſunt exempti, omniaque ſimpliciter in ſacris ad eam formam redacta, quam ante motus illos habuere: ita vt Catholicis in Marchionatu Inferiori atque Hochbergenſi, omnique eius parte, ex poſſeſſione anni 1624, actiones pro reſtitutione aut retentione denegentur.

g) Hæc alternatio in Comitiis & aliis Conuentibus Imperii diligenter ſeruatur, vt vna vice Marchionatus Superior Baaden Baaden, alteraque item Inferior, Baaden Durlach, ad ſententiam dicendam euocentur. Marchionatu Hochbergenſi poſteriorem ſemper poſt hos locum obtinente.

h) Itaque quamdiu Marchio Fridericus vixit, ille potiori ſemper loco fuit. Defunctus eſt iſte anno 1659, adeoque res ad alternationem rediit.

§. 27.

i) Marchio Fridericus ducta quartum in matrimonium Anna Maria Gerolſeckia hunc ſibi vindicabat Baronatum, quod, Iacobo Patre huius Annæ Mariæ

Digitized by Google

ut ſi Domina Principiſſa Badenſis prætenſa ſua Jura in dicto Baronatu documentis authenticis ſufficienter probaverit, reſtitutio ſtatim poſt latam deſuper ſententiam fiat cum omni cauſa, omnique Jure, vigore documentorum competenti. Cognitio autem hæc finiatur à die publicatæ pacis infra biennium. Nullæ denique actiones l), tranſactiones, vel exceptiones, generales vel ſpeciales clauſulæ in hoc Inſtrumento Pacis comprehenſæ (quibus omnibus per expreſſum & in perpetuum vigore hujus derogatum ſit) ab una vel altera parte ullo unquam tempore contra hanc ſpecialem conventionem allegentur vel admittantur.

Dux de Croy.

§. 28. Dux de Croy m) gaudeat effectu generalis Amneſtiæ, neque protectio Regis Chriſtianiſſimi ſit ei fraudi, dignitatis, privilegiorum, honorum, bonorum aut ullo alio reſpectu: quiete quoque poſſideat eam Dominii Vinſtingen partem, quam Majores ſui poſſederunt: prout nunc à Domina matre ſua dotalitii nomine

---

Mariæ ſine maſcula prole decedente, ſuccedere filia deberet in Feudum fœmininum. Sed cum Imperator illud inter motus Germaniæ in Comitem Croneburgium, ſummum Vigiliarum Præfectum ob egregia belli merita anno 1634 contuliſſet, hic conuentum eſt de reſtitutione, ſi Principiſſa Badenſis iura ſua documentis authenticis ſufficienter probauerit. Quanquam vero hæc lis infra biennium a tempore publicatæ pacis finiri debuerit: nihil tamen horum factum niſi quod allodialia, inter quæ etiam Dynaſtia Lohr fuit, poſt iura ad liquidum deducta impetrauerit. De ipſa vero ditione Gerolſeck obtinenda ipſi Marchiones Durlacenſes poſteà animum adeo deſpondere, vt poſthæc, Comite Croneburgio prolis habendæ ſpe deſtituto, in Comitiis præſentibus libello memoriali expectationem ſibi dari petierint in compenſationem damnorum, nupero bello Gallico perpeſſorum.

l) Hæc clauſula ſaluatoria huius ſpecialis conuentionis an ad hanc ſaltem paragraphum pertineat, vel proxime præcedentem 26. ſimul complectatur, dubitari poteſt. Hoc mihi videtur, cum hiç etiam paragraphus 27. ad cauſam Badenſem ſpectet, quæ velut in duas partes eſt diuiſa.

§. 28.

m) Quoniam Dux iſte in protectionem Regis Galliæ ſe deberat non ſine offenſa Cæſaris Ferdinandi, ideoque etiam ſpeciali amneſtia cautum ipſi fuit. Quod ad Dominium Viſtingen attinet, quem & Rheingrafii participant, conſtituitur, vt in quieta poſſeſſione

Digitized by Google

nomine poſſidetur. Juribus imperii, quoad dictum Dominum Vinſtingen in eo ſtatu, quo fuerunt ante hos motus, ſalvis permanentibus.

§. 29. Quod controverſiam Naſſau Siegen n) contra Naſſau Siegen attinet, cum res hæc per commiſſionem Cæſaream Anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo tertio ad amicabilem compoſitionem ſit remiſſa, reaſſumatur ejusmodi commiſſio, & tota lis vel amicabili compoſitione, vel juridica ſententia, coram competenti judice decidatur; Comite Johanne Mauritio de Naſſau, ejusque fratribus absque ulla turbatione pro ſuis quotis duntaxat in apprehenſâ poſſeſſione manentibus. Naſſau Siegen.

§. 30. Comitibus Naſſau Saræpontanis o) reſtituantur omnes eorum Comitatus, Dynaſtiæ, territoria: homines & bona Naſſau-Sarbrücken.

ſione eius partis maneat, quam maiores ſui habuerunt: & prout nunc a Matre eius dotalitii nomine poſſidetur.

§. 29.

n) Hæc controverſia integris editis ſcriptis in vnam alteramue partem multos annos ventilata, neque compoſita adhuc eſt, Principe Catholico Agnatos ſuos Euangelicos in Aula Cæſarea, feruore religionis multis modis ſuperante. Statum cauſæ breuiter hic recenſet Buckiſch. Huius deciſio fere tota pendet a quæſtione, an Teſtamentum Iohannis Medii Sigenſis prius, quo de primogenitura diſpoſuerat, altero poſtea condito ruptum fuerit? Eſt adhuc ſub iudice lis, coram Aulico Iudicio varie verſata; quod tamen multis vicibus haud obſcura indicia dedit, quid Euangelici Principes ſibi expectandum haberent a litis euentu, ſi ſententia ferenda eſſet.

§. 30.

o) Reſtitutio Comitum Naſſouiorum ad Saræpontem contra Ducem Lotharingiæ inprimis decreta eſt, qui potiſſimam harum ditionum partem ex occaſione occupauerat, dum ſcilicet anno 1629. Camera Spirenſis lata ſententia, pro Lotharingio pronunciaſſet, cuius deinde reuiſionem Saræpontani petebant. Ita autem conuentum de reſtitutione, vt ſaluum ſit reviſorium, cuius proſequendi facultatem ſibi Lotharingius petebat. Sed res omnis exitu caruit, Caroli Lotharingici incredibili vecordia & obſtinatione, qui nulla ratione adduci potuit, vt occupatis cederet re Superioribus, & his etiam Comitiis, nec non in

Digitized by Google

bona Eccleſiaſtica & ſæcularia, feudalia & allodialia nominatim verò Comitatus Saræpontanus & Sarvverdanus integri cum omni cauſa, ut & fortalitium Homburgi cum tormentis bellicis, mobilibusque ibi repertis; Salvis utrinque reſpective tam ratione Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo nono, ſeptimo Julii, per ſententiam ad judicatorum in reviſorio, quam aliis etiam de illatis damnis p) competentibus juribus actionibus exceptionibus & beneficiis Juris juxta Leges Imperii determinandis, niſi partes potius ament amicà transactione rem componi. Salvo etiam jure, quod Comitibus de Lainingen-Daxburg q) in dicto Comitatu Sarvverdano competere poteſt.

§. 31.

---

in Conuentu Deputationis Francofurtenſi, multis prætextibus in perpetuum, nec ſine manifeſto ludibrio extracta, donec Galli interuenere ultimis motibus, qui capto Homburgo Lotharingios quidem deiecere, ſed propterea ditiones non reſtituerunt Imperio, Camera Metenſi illas Regi addicente reunionum nomine. Nupera pace reſtitutum quidem Homburgum, ſed omnibus munimentis nudatum: qua ratione ſaltem Lotharingici poſſeſſione excidere.

p) Supra artic. 2. in publicata amneſtia conſtitutum fuit, *ut omnes & ſingulæ hinc inde tam ante bellum quam in bello verbis ſcriptis aut factis illatæ iniuriæ, violentiæ, hoſtilitates, damna, expenſæ, absque omni perſonarum rerumve reſpectu ita penitus abolitæ ſunt, vt quicquid eo nomine alter aduerſus alterum prætendere poſſet, perpetua ſit obliuione ſepultum.* Qua igitur nunc ratione hic competentes actiones & iura de illatis damnis utrimque reſeruantur? Dicendum eſt, damna quorum hic fit mentio, aut alterius generis ab illis eſſe, quæ articulo 2do nominantur, aut paciſcentibus ſpeciales fuiſſe rationes, de quibus mihi nondum conſtat, cur exceptionem hic admiſerint idoneam fouendis litibus in hac cauſa.

q) Iohannes Naſſovius, Johannis Ludouici & Catharinæ Sarwerdanæ filius tertius, cum cœlebs ſupremis tabulis hæredes agnatos ſuos ſcripſiſſet Albertum atque Philippum, præterita ſorore germana, Emiconi Comiti Leiningenſi nupta, cuius Mater Comitatum Sarwerdanum in gentem Naſſouiam prima intulit, ex ea re Comites Leiningenſes, hac Catharina prognati ſeſe etiam in litem Sarwerdanam interueniendo immiſcuere.

§. 31.

r) Quoniam hæc etiam Domus pace Pragenſi excluſa fuerat, ideoque nominatim

Digitized by Google

§. 31. Domus Hanoica r) reſtituatur in Præfecturas Bobenhauſen, Biſchoffshein am Steeg & Wilſtatt. Domus Hanoica.

§. 32. Joannes Albertus s) Comes Solmenſis in quadrantem Oppidi Buzbacenſis & quatuor pagos t) ad jacentes reſtituatur. Solm.

§. 33. Itemque reſtituatur Domus Solms, u) Hohen-Solms in omnia bona & jura ſibi Anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ſeptimo adempta, non obſtante transactione deſuper cum Domino Georgio Landgravio Haſſiæ poſtea facta.

§. 34. Comites de Iſenburg x) gaudeant Amneſtia generali ſupra artic. 2. & 3. deſcripta, ſalvis tamen juribus y) Domino Georgio Landgravio Haſſiæ vel cuivis tertio contra eosdem, ut & contra Comites de Hohenſolms competentibus. Iſenburg.

§. 35.

minatim eius ſit mentio, vti & plurium aliorum, qui ſequuntur.

§. 32.

s) Huius cauſam Landgrauius Haſſo Darmſtattenſis difficilem fecerat, quod eius ditiones occupaſſet belli tempore ſub Cæſaris auſpicio, cum Johannes Albertus Senior, Magnus Aulæ Palatinæ Præfectus cum Friderico V. proſcriptus fugatusque eſſet. Reſtitit diu Darmſtattenſis, titulo oneroſo has ſibi res comparatas eſſe dicens. Sed pace aliter placuit.

t) Iſti ſunt Gribel, Gambach, Holtzheim & Dorffgute.

§. 33.

u) Hic vniuerſa Domus Solmenſis in omnia bona & iura reſtituitur, quæ anno 1637. aucupio Darmſtattenſium amiſerat, non obſtante transactione, quam iniquis temporibus cum Georgio Landgrafio facere coacti fuerant.

§. 34.

x) Hi cum iam in Comitiis Ratisbonenſibus anno 1642. certa cum Darmſtattenſi inita, & a Cæſare confirmata transactione Comitatum ſuum recuperaſſent, pagis ſaltem tribus cum dimidio exceptis, & reſeruata Darmſtattenſibus expectatiua; reſtitutione non opus habuere, ſed ſaltem gaudere iubentur amneſtia generali, qua muniendi ideo fuerunt, quod eos Cæſar Ferdinandus læſæ Maieſtatis & fractæ pacis damnaſſet, vniuerſis eorum bonis Darmſtattenſi donatis, qui ipſi in bello haud contemnendam operam nauauerat.

y) Iſenburgii quidem apud Tractatus Weſtphalicos vehementer petiere, vt omnis transactio, cum Darmſtattenſibus inita reſcinderetur, quod iniuria temporum & neceſſitate ea ſibi extorta eſſet. Sed impetrare illud non potuere, vt nominatim eius rei mentio fieret. Ex memoriali tamen, quod anno 1674. menſe Maio in Comitiis exhibuere, conſtat, anno 1649. delegatos ex circulo

Rhein-Grafen.

§. 35. Rheingravii z) in ſuas Præfecturas Troneck & Wildenburg, itemque Dynaſtiam Marchingen cum pertinentiis & cætera omnia Jura à vicinis uſurpata, reſtituantur.

Sain.

§. 36. Vidua Domini Erneſti a) Comitis Sainenſis reſtituatur in eam poſſeſſionem arcis, oppidi & Præfecturæ Hachenburg cum pertinentiis, ut & pagi Bendorff, in qua fuit ante deſtitutionem, ſalvo tamen jure cujusvis.

Falckenſtein.

§. 37. Caſtrum & Comitatus Falckenſtein, b) reſtituatur ei, cui de jure competit. Quicquid etiam juris Comitibus de Raſſeburg cognominatis Löwenhaupt, in Præfecturam Bretzenheim, feudum Archiepiſcopatus Colonienſis, nec non Baronatum Reipoltzkirch in diſtrictu Hundsruck ſita, competit, id eis cum omnibus juribus & appertinentiis ſalvum ſit.

§. 38.

ſo Superiore Rhenano declaratoria quadam ſententia iſtam transactionem reſcidiſſe, & reſtitutionem in omnia ſibi erepta fieri iuſſiſſe: id quod plerisque locis factum etiam ſit.

§. 35.

z) Hi apud Imperatorem Ferdinandum ingens odium incurrerant, in exercitu Sveeorum militantes, vbi etiam ſummos ordines aſſecuti ſunt. Hic reſtituuntur in ſuas præfecturas & omnia iura, a vicinis vſurpata. Inter vicinos autem illos longe moleſtiſſimus erat Carolus Lotharingiæ Dux, inquieti ingenii Princeps, cuius peruicacia etiam factum, vt Rheingrauii vix decennio poſt conuentam pacem plenarie reſtitui potuerint, Galliæ Rege ad Statuum interceſſionem, officium ſuum interponente, cuius fortioris Imperiis Dux tandem parere eſt coactus.

§. 36.

a) Hanc poſt obitum filii Eius Elector Colonienſis eo nomine omni ditione ſpoliauerat, quod Feudum illud extinctis maſculis ad ſe deuolutum contenderet, negante Vidua, & Feudi fœminei naturam Filiarum gratia allegante, a quibus etiam anno 1636. mandatum de reſtituendo impetratum. Sed ſilentibus inter arma legibus, res usque ad Pacis Tractatus extracta, vbi decreta reſtitutio, ſed ſaluo cuiuſuis iure.

§. 37.

b) Cauſam huius litis vide apud Buckiſch hoc loco. Scilicet Soror Emiconis, Comitis Falkenſteinii, Sidonia, nupſerat Alexio Löwenhaupt, Comiti de Rasburg, genere Sveco. Quæ etſi fraternæ hæreditati pro ſe hæredibusque ſuis ſolenni iuramento renunciaſſet, atque ante Fratrem diem obiiſſet: poſteri tamen eius, captata occa-

Digitized by Google

occaſione ex diſſidiis, quæ Comiti Wilhelmo Wirichio Falckenſteinio cum Duce Lotharingiæ Carolo intercedebant, ius ſuum in Comitatum illum vindicare non erubuerunt, negotium imprimis promouente Comite Manderſcheidio, qui Sidoniæ Falkenſteiniæ e filio Stenone Lœwenhauptio neptem vxorem duxerat, ac proinde Comitum de Rasburg cauſam atque prætenſionem in Comitatum Falkenſteinium, quam a prædicta Sidonia arceſſebant, ſuam etiam fecerat. Inde Wilhelmus Wirichius ad Lotharingium, velut directum Dominum, in ius vocatus, atque ſententia anno 1646. lata damnatus eſt, Comitatu Lœwenhauptiis adiudicato. Quamuis vero Falkenſteinius ab hac ſententia ad quemcunque Superiorem prouocaſſet, ſuasque querelas ad Conuentum Osnabrugenſem, vbi negotium pacis illo tempore maxime feruebat, detuliſſet; nihil tamen ſuper hac re deciſum, ſed conuentum ſaltem eſt, vt caſtrum & Comitatus Falkenſtein ei reſtituatur, cui de iure competit: recte ad hæc verba notante Obrechtio, ſingulari plane loquendi formula pacificatores vſos, cum lis circa rem aliquam mota definiri ita non poſſit, cum hoc ipſum ſit, quod inter Partes controuertitur. Sed feruor Svecorum in Lœwenhauptium popularem ſuum, qui ſaltem iudicio Caroli Lotharingici cauſam hactenus obtinuerat, effecit, ne ipſum officiis plane deſtituerent; inde media via placuit, vt ſententia, in foro Lotharingico pronunciata hic neque reſcinderetur, neque etiam confirmaretur: Sed vt ſuum cuique ius integrum maneret, poſtea vtrimque debito loco proſequendum. De cœtero manſit Falkenſteinius in poſſesſione, donec Manderſcheidius Comitatum vi inuaſit, ſubditosque coegit, vt in verba ſua iurarent. Vnde in Comitiis Superioribus querelæ eius ad Ordines delatæ, de quibus libellum memorialem vide apud Lundorpium Tom. 6. p. 926. Tandem Falkenſteinius fatigatus aduerſariorum iniuriis, cum interea filium vnicum, columen familiæ ſuæ amiſiſſet, totum Comitatum cum omnibus iuribus & appertinentiis Carolo, Duci Lotharingico vendidit, qui Manderſcheidio iterum pulſo, contulit filio ſuo naturali, Comiti Valdemontio. Neque tamen ſic etiam res quietæ fuere. Cum enim poſt pacem Neomagienſem longe maxima pars prouinciarum Imperii trans Rhenum a Gallis reunionum nomine opprimeretur, Lœwenhauptii, compendium ex his turbis ſuum facturi, adeunt Metenſem Cameram, atque ibi deductis ſuis iuribus impetrant, vt in Falkenſteinium Comitatum immitterentur, quod anno 1681. factum, Lotharingio fruſtra obnitente, qui Ducatu ſuo ipſe etiam fugatus ad Auſtriacos exulatum iuerat. Quid poſt pacem Ryswicenſem actum ſit, me latet, niſi quod nuper audiuerim, Comites Lœwenhauptios denuo mouere ſe; vetereſque ſuas prætenſiones renouare.

§. 38.

c) Waldeccii hic non tam reſtituuntur in loca ipſa, hoc paragrapho nominata;

Waldeck. §. 38. Reſtituatur etiam Domus Waldeck c) in poſſeſſionem vel quaſi omnium jurium in Dynaſtia Dedinghauſen & pagos Nordenavv, Lichtenſcheid, Defeld & Nidern Schlaidern, prout illis Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto d) gaviſa eſt.

Ottingen. §. 39. Joachimus Erneſtus Comes Ottingenſis e) in omnia Eccleſiaſtica & ſecularia, quæ pater ipſius Ludovicus Eberhardus ante hos motus poſſidebat, reſtituatur.

Hohenloh. §. 40. Item Domus Hohenloica f) in omnia ipſi ablata, præcipuè Dynaſtiam & Weickersheim: itemque in Cœnobium Scheffersheim g) abſque omni exceptione, inprimis retentionis h) reſtituatur.

§. 41.

---

minata; eorum enim poſſeſſionem ope Svecorum recuperauerant; quam in poſſeſſionem iurium, quæ illis Paderbornenſes Præſules dubia facere ſunt conati.

d) Cum igitur anno 1624. litigioſa hæc iura eſſent, Paderbornenſibus ius clientelare obtendentibus, ideoque hic paragraphus ſopire omnem controuerſiam non potuit: de qua anno demum 1668. tranſactum fuit, hac lege, vt Waldeccii totum Comitatum controuerſum iure proprietatis pleniſſimo, & ſine vllo nexu feudali haberent cum iure ſuffragii in Comitiis Imperii & conuentibus circularibus, dum maſcula eorum ſtirps ſupererit: Ea vero extincta, vt integer Comitatus ad Paderbornenſes redeat, ſolutis viginti millibus Imperialium filiabus vltimi Comitis, quæ retinere poſſeſſionem poterunt, donec iſta pecunia numerata fuerit.

§. 39.

e) Hic etiam, quod pace Pragenſi amneſtia excluſus fuiſſet ob nimium in Suecos ſtudium, nominatim hoc loco reſtitui debuit aliorum exemplo.

§. 40.

f) Horum Comitum nominatim reſtituendorum par ratio: militauerant enim Suecis contra Imperatorem.

g) Fortaſſis hoc cœnobium edictum Ferdinandum etiam complexum fuerat; quanquam huius cauſa rectius ad artic. 5. §. 25. pertinet, vbi cœnobiorum, anno 1624. poſſeſſorum longe maior ſecuritas, quam ſi ex amneſtia reſtituatur, quod iuxta artic. 3. §. 2. non aliter fit, quam ſaluis quorumcunque iuribus.

h) Nam qui Comitum Hohenloicorum terras locaque occupauerant, magnas impenſas in illas feciſſe dicebantur. Cum igitur iure communi retentio rei ob factas eiusmodi impenſas licita ſit, ne reſtitutio impediretur, exceptioni retentionis renunciandum fuit. Quæritur vero, an etiam per id ſumptuum repetendorum actio ſublata fuerit? Nihil hic deciſum eſt: ideoque ſtandum cenſeo iis, quæ leges in communi ſuper tali cauſa decernunt.

§. 41.

Digitized by Google

§. 41. Fridericus Ludovicus Comes de Lövvenſtein & Wertheim i) in omnes ſuos Comitatus & Dynaſtias, quæ tempore hujus belli ſequeſtratæ, confiſcatæ, aliisque ceſſæ fuerunt, in Politicis, & Eccleſiaſticis reſtituatur. Lövvenſtein & Wertheim

§. 42. Ferdinandus Carolus Comes de Lövvenſtein & Wertheim in omne id, quod defunctis ejus agnatis Georgio Ludovico & Joanni Caſimiro ſequeſtratum, confiſcatum, aliiſque ceſſum eſt, in Politicis, & Eccleſiaſticis reſtituatur, ſalvis tamen iis bonis & juribus, quæ Marcæ Chriſtianæ, filiæ dicti Georgii Ludovici de Lövvenſtein ex hæreditate paterna & materna competunt, in quæ plenariè reſtituatur. Pariter etiam Vidua Joannis Caſimiri de Lövvenſtein, in ſua bona dotalitia & hypothecata, reſervato jure ſi quod in ſupradicta competit Comiti Friderico Ludovico, vel amicabili compoſitione vel legitimo Proceſſu proſequendo.

§. 43. Domus Erbacenſis l) in primis Comitis Georgii Alberti hæredes in Caſtrum Breubergicum, omniaque ejus jura, ipſis cum Domino Comite Lövvenſteinenſi communia, tam quoad præſidium, ejuſdemque directionem, quàm cætera civilia jura reſtituantur. Erbach.

§. 44. Vidua & hæredes m) Comitis à Brandenſtein, reſtituantur in omnia ex cauſa belli adempta bona & Jura. Brandenſtein.

§. 45.

§. 41. & 42.

i) His duobus paragraphis reſtitutio Comitum Wertheimenſium decernitur diuerſo modo. Primus enim caſtra Suecorum ſecutus fuerat: Alter Ferdinandus Carolus Cæſari fidem & ſeruitia præſtabat, cuius Camerarius atque Conſiliarus Aulicus erat. Quia igitur ille contra Imperatorem a Suecis: Hic contra Suecos ab Imperatore reſtituendus fuit, ideoque cauſæ eorum diuerſis paragraphis tractantur. De æmulatione horum Comitum in negotio religionis, cum bona quædam communia habeant, alibi forſan erit dicendi locus.

§. 43.

l) Controuerſiam de caſtro Breubergico inter Comites Erbacenſes & Wertheimenſes hic ſuccincte recenſet Obrechtius, & prolixius Speneruş *in Syll. geneal. p.* 297.

§. 44.

m) Comes a Brandſtein multis legationibus & muneribus aliis oppido Suecis perutilis fuit. Hinc ira in eum Imperatoris, tanquam Hoſtis ſui miniſtrum, quam nunc amneſtia placare debuit.

Digitized by Google

Kevenhüller, Löfler, Pelingam,

§. 45. Baro Paulus Kevenhüller n) cum Nepotibus ex fratre, Hæredes Cancellarii Löffleri, Marci Conradi à Rhelingen, liberi & hæredes; Item Hieronymus à Rhelingen unà cum uxore, nec non Marcus Antonius à Rhelingen, quiſque in omnia ſibi per confiſcationem adempta, plenariè reſtituti ſunto.

Spira, Weiſſen-

§. 46. o) Contractus p), permutationes q) transactiones

§. 45.

n) *Poſt* Electores, Principes & Status reſtitutos, ſequuntur nunc aliqui minorum gentium, de quibus, quod Pragenſi pace excluſi eſſent, ſpecialis cautio neceſſaria eſt exiſtimata. Nam prolixus hic Catalogus *nominatim restituendorum* duplici fere fini videtur eſſe factus: Primo, vt, ſi quorum pacta reſtitutio ab amneſtia generalis regulis in quibusdam deflectit, id exprimeretur: & ſecundo, ne illis, qui Pace Pragenſi per receſſum ſeparatum excluſi ab amneſtia erant, obiici poſſet, ipſos vniuerſali amneſtia gaudere non debere, quod iam ſpeciali conuentione nominatim eſſent excluſi.

§. 46.

o) Hoc & ſequenti paragrapho tres caſus proponuntur, qui diligenter diſtinguendi ſunt. Duos hic coniunctos videmus, quorum vnus ab initio vsque ad verba *liceat* &c. continetur. Alter vero incipit a verbis *quodſi vero*, & finit paragraphum. Tertium paragraphus ſequens habet. De ſingulis videbimus.

p) Quid ſint contractus & quæ variæ eius ſignificationes, ius commune docet. In genere eſt omnis actus inter duos, qui ex conventione efficacem obligationem producit: cuius iterum multæ diſtinctiones 1. in verum & quaſi contractum, 2. in nomitatum & innominatum, 3. in realem, verbalem, literalem, & conſenſualem, 4. in contractum bonæ fidei & ſtricti iuris, 5. in unilaterem & bilaterem, & quæ ex modo obligandi diſtinctiones aliæ eſſe poſſunt. Hos omnes nomine contractus hic comprehendi, non eſt dubium. Sed quid de pactis dicendum? Reſpondeo, ſi tale eſt, quod obligationem producit, id ex paritate rationis & mente legis huc etiam pertinere crediderim; Quare ſi verum eſt, quod cummuniter traditur, ſcilicet hodie omnia pacta ſufficienti & determinato conſenſu inita obligationem parere, quamuis iure Romano quædam eorum auxilio magiſtratus deſtituantur, mea quidem ſententia iſtorum etiam habebitur ratio: quia paciſcentium conſilium fuit omnibus in genere ſubuenire, quibus vi metuque ſiue res, ſiue obligatio extorta eſt. Alias diuiditur etiam contractus in voluntarium & inuoluntarium, quo delicta referuntur, ſiue vera, ſiue quaſi delicta. Sed quia de his remedia ſpecialia ſunt prodita, extraordinario pacis

Digitized by Google

cis ſubſidio nemo opus habet. Quodſi vero qui ex eiusmodi delicto tenetur, alteri vi metuque promiſſionem extorſerit, ſe contra illum non acturum fore, reſcinditur merito promiſſum, & reſtituitur actio: enim vero hoc eo ex capite fit, quo omnes obligationes abolentur; Sed ſtatim aliud ſubnaſcitur dubium: quia enim iure communi contra ea, quæ vi metuque facta ſunt, remedia etiam ordinaria ſunt prodita: hoc extraordinarium ex pace ſuperfluum videri poterat. At enim vt iam non dicamus, remediis etiam extraordinariis locum dari, ſi ordinariis ſint pinguiora: quod hic fit auctoritate ipſius pacis, ſpecialiter in quibusdam, circa proceſſum deſuper inſtituendum, de quibus paragraphus 48vus agit. Hic conſiderandum inprimis venit, actiones de vi & quod metus cauſa, uti & exceptiones ex hoc capite non facile concedi, ſi quid inter belligerantes partes actum vel contractum fuerit: præcipue ſi reducta pace perpetua obliuio & amneſtia omnium eorum promulgata eſt, quæ vltro citroque hoſtiliter ſunt facta. Inde neceſſarium vtique erat, actus, qui videbantur iure belli ſubſiſtere poſſe, cum in hoſtem meum omnis coactio ſit licita, pace reſcindere, & pro non actis declarare. Neque obſtat, quod hic de priuatis actibus agatur, quos belli Duces extra miniſterium Publicum in ſuos priuatos vſus vi metuque intentato extorſerant. Cum enim in hoſtem iure belli omnia liceant, hoſtis autem meus non ille modo ſit, qui bello cauſam dedit; ſed omnis, qui partes eius eſt ſecutus, ſiue arma ipſe contra me ſumpſerit, ſiue hoſti meo receptum dederit: hoc ſane diſcrimen inter actus publicos & priuatos ac eiusmodi diſcrimen non valde attenditur. Nam ex bello non ille modo facere compendium poteſt, cuius auſpiciis & iuſſu geritur bellum: ſed & miles gregarius permiſſu Superioris: vt adeo de agminum ductoribꝰ eo minus dubium ſupereſſe poſſit. De cætero ampliſſimus hic ſe nobis aperiret campus per omnia contractuum genera diſcurrendi, qua ratione vnumquodque indebite aut illicite extorſum aboleri iterum reſcindique debeat. Sed hæc res altioris telæ eſſet, quam vt illam exordiri præſens inſtitutum noſtrum permittat. Saltem de quaſi contractibus dicamus, ſi quis vi metuque adactus fuerit ad alterius negotia gerenda vel adminiſtrandam tutelam, ad rerum atque hæreditatis communionem, ad hæreditatis aditionem, indebiti ſolutionem & ſimilia, quod hac fini poteſt fieri, vt quis contra voluntatem ſuam commodaque negotiis & difficultatibus implicetur, non erit actio ex eiusmodi quaſi contractu contra eum, qui hoc modo illicite coactus fuit, niſi forſan in quantum tractatione rei eſt locupletior factus, ad damnum vitandum ex hoc etiam loco habebit exilium.

q) Permutatio eſt ſpecies contractuum innominatorum, quem hic non putauerim ideo nominatum, vt alii excludantur; Sed tantum exempli cauſa, quia fortaſſis grauamina extabant contra eiusmodi coactas permutationes

tationes

burg. Lindau, Reutlingen, Heilbrun.

nes r), obligationes s) & Inſtrumenta debiti t), vi metuve u), ſeu ſtatibus, ſeu ſubditis x) illicitè y) extorta, prout in ſpecie queruntur Spira,

---

tationes. De reliquo non eſſet dubitandum, ſi quid datum factumque vi aut metu eſſet, quod quis ſponte ſua neque dediſſet neque feciſſet, quin eodem pacis beneficio reſciſſio atque condictio detur, licet alter paratus ſit ex ſua parte adimplere etiam contractum, vel iam adimpleuerit. De actione æſtimatoria idem ſit iudicium.

r) Transactio eſt conuentio de re dubia vel litigioſa, aliquo dato, aliquo retento: qua credibile eſt inter belli viciſſitudines multos Creditores ad iniquas conditiones fuiſſe adactos, ſi forte fortuna in debitorum ſuorum manus venerant, qui eos coegere liti renunciare accepta portiuncula, quare exiſtimatum eſt, tanto magis neceſſarium eſſe, vt eiusmodi conuentionis mentio fiat, quanto maior eſt in iure transactionis auctoritas, quæ alias ne quidem propter enormem læſionem infirmatur, cum eandem vim cum re iudicata habeat, neque Imperiali reſcripto aut prætextu Inſtrumentorum poſtea repertorum reſcindatur: quin etſi nulla litis cauſa fuerit, id tamen, quod transactionis cauſa datum, vel promiſſum eſt, tanquam indebitum, reddi nequit. Ex quibus aliisque transactionis priuilegiis apparet, quanto melior eorum, qui metum adhibuere, conditio futura fuiſſet, niſi pax coactis ſpeciali ſuccuriſſet auxilio.

s) Quo refero contractus omnes nominatos tam reales, quam verbales & conſenſuales.

t) His ſine dubio contractus literalis ſeu Chirographarius intelligitur, ſiue Inſtrumentum publicum fuerit, ſiue priuatum, cuius tres ſpecies Doctores plerumque enarrant 1. Chirographum debitoris, quod eſt ſcriptura, in debiti & crediti fidem facta 2. apocham creditoris, qua fatetur, debitorem ſoluiſſe, & 3. librum rationum, qui data & accepta continet. Si quis igitur coegerit alterum ſibi chirographum ſcribere in crediti fidem, quod nullum erat, aut ſi debitor creditorem coegiſſet ſibi apocham dare, ſiue ſuper vſuris, ſiue de ſorte ſoluta, eiusmodi Inſtrumenta omnia, vt pote illicite extorta, abolentur & nulla declarantur.

u) Contra hæc prodita quidem ſunt beneficia ordinaria iuris. Sed cur hic etiam extra ordinem ſubueniatur, iam ſupra dictum eſt.

x) Nihil igitur refert, ſiue ſtatus quis ſit, ſeu ſubditus: nam vtrique etiam pariter amneſtia ſunt comprehenſi.

y) Quid hoc ſibi vult illicite? Num aliqua vi metuque etiam licite extorqueri poſſunt? Sane hæc eo pertinere videntur, vt quod exercituum vel agminum duces, aliique, qui nomen militiæ dederunt, contra mandata eius, cuius auſpiciis bellum geritur, in priuatū compendium quicquam eorum exegerint,

Digitized by Google

Spira, Weiſſenburgum ad Rhenum, Landavia, Reutlingia Heilbrunna z), aliique, ut & redemptæ ceſſæque actiones a), abolitæ atque ita annullatæ ſunto, ut ullum judicium actionemve, eo nomine intentare minimé liceat b). Quod ſi verò debitores c) Inſtrumenta Cre-

gerint, id pro nullo habeatur. Sin vero iuſſu Superiorum exactum eiusmodi aliquid fuerit, id ius belli defendat. Sane enim vbique bellum vis metusque comitantur, vt hoc nomine omnes contractus, transactiones & reliqua, ex occaſione ab hoſtibus exacta pro non geſtis habere ab omni belli iure valde alienum eſſet.

z) Harum quinque ciuitatum, aliarumque querelæ ſi ad manus nobis eſſent, iudicare facilius poſſemus de ſenſu & mente legis: Sed dum de iſtis inſtructi rectius fuerimus, ſtare interim liceat ſuperiori ſententia.

a) quas ſcilicet creditores minoris nobis vendunt, vel alias ob cauſas cedunt. Sed quæritur, an & hic oporteat vim metumque adhibitum eſſe, vel ſufficiat, ſi præiudicio & fraudi debitorum id factum fuerit, a quibus ceſſionarii facilior eſt exactio. Sane de vi metuque nihil hic repetitur: quæ tamen ſi ſubintelliguntur, dicendum eſt, creditorum bono decerni abolitionem: Sin vero de redemptis ceſſisque actionibus in fraudem vel odium debitorum inter creditorem & ceſſionarium ſiue vi aut metu res acta eſt, debitoris gratia fit abolitio, ne alii ſoluere teneatur, quam ſuo creditori.

b) Primus itaque caſus breuiter hic eſt, vt fiat reſtitutio eorum, qui vi metuque aliquo debito ſunt irretiti, quo etiam redemptæ ceſſæque actiones pertinent. Hoc omne ita aboletur annullaturque, ac ſi geſtum nihil vnquam fuiſſet, actione & iudicio denegato. Sed cuius hic erit probare vim metumque? procul dubio allegantis, prout ex ſequenti paragrapho ſatis apparet. Quod ſi tamen cum militaribus viris res fuerit, nec cauſa appareat, cur quis ſua ſponte in eiusmodi actus ſibi damnoſos facile conceſſerit, non infirma præſumptio vis metusque facti contra eum ſtabit, qui illo tempore his vti potuit.

c) Alter caſus eſt, cum ſubuenitur creditoribus, quibus debitores Inſtrumenta crediti vi metuue extorſere. Verbi gratia: Dux militiæ debuerit quondam Mercatori Auguſtano aliquot millia Imperialium. Accidit, vt capta vrbe, dum redimit populus direptionem & incendium, Dux ille ſupra id, quod hoc nomine exigit, a creditore etiam ſuo inſtrumentum crediti extorqueat priuato nomine. In hoc creditor hic reſtituitur, cum multæ ſuperioris non ſit repetitio, quam amneſtia abolet.

d) Nota hic, quando res debitorum agitur, hæc inſtrumenta vocari *inſtrumenta crediti*: cum ſupra, vbi creditorum ratio habebatur, *inſtrumenta debiti* appellarentur. Res eadem eſt, ſed

Digitized by Google

Crediti d) vi metuve creditoribus extorſerint e), ea omnia reſtituantur, actionibus deſuper ſalvis f).

Extorta debita.

§. 47. Debita ſive Emptionis g), venditionis, annuorum redi-

ſed alio aliove nomine ex diuerſis reſpectibus indigitata. Nam debitor dum inſtrumento fatetur, Titium ſibi totidem crediddiſſe, inſtrumentum crediti videtur facere. Ille idem, qui ſe debere Titio hæc ait, debiti inſtrumentum conficit. Hoc ſi creditor in manu habet, a debitore inſtrumentum debiti vocatur. Sin debitor a creditore repetit, reſpectu creditoris inſtrumentum crediti mea quidem ſententia repetere dicitur. Si cui aliter videtur, non contendo.

e) Ergo hic etiam vis metusque vnice ratio habetur. Nam ſi debitores alio nomine inſtrumenta ſua modo licito extorſerint, veluti ſententia iudicis & executione in creditores refractarios hoc loco non imperatur reſtitutio.

f) Reſtitutio igitur decernitur cum effectu, vt ſaluæ ſint actiones, quicquid de remiſſione earum pactum inter creditorem & debitorem fuerit, etiamſi iuramentum acceſſerit, creditorum inſtrumento non amplius vſurum. Nam quæ hac ratione lex reſcindit, illa iuramentum ſeruare nequit, cum ſimul ab hoc etiam abſolutio data cenſeatur.

§. 47.

g) Tertius denique eſt caſus, cum obligatione inter quosdam contracta ſuperuenit alius, debitumque a debitore extorquet in odium creditoris. Debita vero hic intelligimus non tam inſtrumenta debiti & crediti, quam ipſam rem vel ſummam annuam debitam. Nam ſi ipſum inſtrumentum a creditore extortum fuiſſet, alio capite reſtitutio fieret ſecundum vniuerſalis & illimitatæ amneſtiæ fundamentum, ſupra art. 3. §. 1. deſcriptum. Sunt vero debita emptionis, venditionis, annuorum redituum; nam his verbis vnum contractum deſcribi puto, cum quis numerata certa pecunia reditus annuos ſibi ſolui ſtipulatur, qui plerumque ad vſurarum menſuram conſtitui ſolent. Eſt contractus iure ciuili incognitus, & odio fœnoris leniendo moribus inuentus, fraudulentia & auaritia creditorum, ne vſuræ ſiſtantur, quamuis alterum tantum ſolutum fuerit. Hæc debita an contrahi poſſint in perpetuum, ne ſcilicet ſoluendæ ſortis inuito creditore facultas ſit, alii viderint. Iam noſtra cura eſt de ipſa re, quæ hoc paragrapho occurrit. Videtur inuenta eſſe ad exemplum penſionum ſeu cenſuum annuorum ex fundo. Sed reuera nihil aliud ſunt quam ipſum foenus, tantoque grauius, quod ſæpe in poteſtate debitorum non ſit, eo ſe liberandi: quanquam creditorum etiam cauſa aliquando deterior fieri poſſit, ſi eis repetendi mutui pro arbitrio optio non datur, debitoribus interea ad paupertatem labentibus. Quicquid ſit, vtimur hoc iure, & eiusmodi conuentiones nimis

Digitized by Google

redituum, ſive alio nomine h) vocentur, ſi ab una alterave belligerantium parte in odium Creditorum violenter extorta ſint i), contra debitores veram violentiam & realem ſolutionem interceſſiſſe allegantes, & ſe ad probandum offerentes l), nulli proceſſus executivi m) decernantur n), niſi his exceptionibus o) prævia plenaria cauſæ cognitione p) deciſis q).

§. 48.

nimis quam frequentes eſſe teſtantur Inſtrumenta, quibus mutuum, quod reuera eſt, hac forma quaſi induitur, ne fœnerari videamur, cum interea fœneratores longe malitioſiores ſimus quam ſi confeſſio de pecunia mutua data extaret.

h) Quare debita, quocunque etiam nomine veniant, huius legis beneficio frui poſſunt, ſi ſoluta ſunt.

i) Quatuor hic requiruntur, vt lege agere liceat, 1. vt ſit debitum, 2. vt ab vna alteraue belligerantium parte ſit extortum, 3. vt factum id fuerit in odium creditorum, & 4. vt factum violentum interuenerit. Quod ad primum de debitis attinet, iam dictum eſt. Secundum concernit vnam alteramue belligerantium partem, quæ exempli gratia confiſcatione alioue modo hoc debitum extorſit: id quod tertio factum eſſe oportuit in odium creditoris, quem in poteſtate non habebat. Et denique vt violenter extortum ſit: Id quod eandem ſignificationem habere puto quam ſi dictum fuiſſet, vi metuque.

l) Hic duo probare debitores debent, 1. veram, non fictam, vel ex condicto ſimulatam violentiam, & 2. realem ſolutionem. Vno horum deficiente, debitor a proceſſibus executiuis non liberabitur.

m) Proceſſus executiui ſunt, qui ad ſolam productionem inſtrumentorum, paratam executionem in ſe habentium, decernuntur ſolitis mandatis ſine clauſula: cuius rei cauſa ſuſpicaces creditores & ſolliciti de credito ſuo plerumque ſibi in Inſtrumentis eiusmodi clauſulis, quas vocant, executiuis, proſpiciunt, debitoribus ad omnia paratis, modo pecunia potiantur, qua opus ad ſuas neceſſitates habent.

n) Sed ad cuius petitionem? Procul dubio ad creditoris, qui allegat, ſolutionem alii factam ſe inuito, debitorem non liberari, etiamſi is neceſſitate fuerit adactus, niſi forte decretum magiſtratus interuenerit, cui vterque ſubiacet, idque ex iuſta cauſa.

o) Nempe de debito ab vna alteraue belligerantium parte, in odium creditorum ſibi violenter extorta.

p) De cauſa hac plenarie quidem, id eſt, ſufficienter, & adhibita omni diligentia, cognoſcendum eſt, ſed non proceſſu ordinario, diuturno illo & æterno: quo tempore enim lis finienda ſit, paragrapho ſequenti ſtatuitur.

q) Itaque deciſione etiam, id eſt, ſententia opus. Atque hac deciſione

Digitized by Google

§. 48. Proceſſu deſuper inſtituto r) à pacis publicatione s) infra bien-

vel ſententia aut abſoluitur debitor, ſi probauerit violentam extorſionem in odium creditorum ab vna alteraue parte belligerantium factam, vel ſi ſuccumbit in probationibus, remittitur ad proceſſus executiuos, qui tum decernuntur.

Cœterum huius paragraphi ſenſus omnino expeditior fieret, ſi particula *ſi*, quæ poſt verbum *vocentur*, ponitur, ſtatim ab initio poneretur, hoc modo: *ſi debita, ſiue emptionis* &c. tum enim plana omnia & perſpicua ſunt: cum vocibus hac ratione disiectis, quis, niſi re probe examinata, prima lectione aliud verbum expectet, quod ſe referat ad *debita* illa, & de illis aliquid prædicet. Atque hæc obſcuritas forte in cauſa fuit, cur Buckiſch totum hunc paragraphum interpretatione a verbis & mente eius plane aliena, corruperit magis, quam iuuerit, quod vnicuique rem omnem attentius expendenti, facile apparebit.

§. 48.

r) Hic totus paragraphus longe commodius cum ſuperiori coniungi potuiſſet: cum hic de proceſſibus agatur, quorum paulo ante mentio facta, ſimulque ſtatuatur, quomodo decerni atque finiri debeant. Imo illud ipſum, quod initio ſtatim legitur, *proceſſu deſuper inſtituto* &c. vsque ad verbum *imponenda*, cum in ſequentibus nihil habeat, quo referri poſſit, manifeſtam partem verborum finalium præcedentis paragraphi conſtituit. Vt adeoque, ſi nouus vtique incipiendus fuiſſet, is longe rectius a verbis *Proceſſu autem* &c.) exorſus eſſet, quemadmodum id etiam recentiora exemplaria faciunt.

Cœterum horum verborum ſenſus eſt, cum proceſſus *deſuper*, id eſt, ſuper exceptionibus debitorum de debitis, in odium creditorum, ab vna alteraue belligerantium parte violenter extortis, inſtitutus fuerit, eum infra biennium a pacis publicatione finiendum eſſe, ſub poena perpetui ſilentii, contumacibus debitoribus imponenda.

s) Hunc igitur proceſſum debitores inſtituere ſtatim a pacis publicatione, ſeque ad probandum de vera violentia & reali ſolutione offerre: eundemque infra biennium finire debent.

t) Quid ſi iuſto biennio elapſo finiatur? Exiſtimo totum biennium debitoribus cedere: quamuis enim *infra biennium* hunc ſenſum poſſit habere, vt tempus deſignet iuſto biennio minus: Alterum tamen de exacto toto biennio, non excludit: vti Germanico ſermone idem eſt, inner Jahr und Tagen, & in Jahr und Tagen. Hæc explicatio vel ideo neceſſaria, quia alias finiendo proceſſui certum tempus præſcriptum non eſſet, cum neſciretur, quo deſinat terminus, infra biennium fixus, an dies ſit vel hora, ſi iuſto biennio non abſoluitur.

u) Ne ſcilicet elapſo biennio, debitores amplius cum ſupra dictis ſuis exceptionibus audiantur.

x) Sed

Digitized by Google

biennium t) finiendo ſub pœna perpetui ſilentii u) contumacibus debitoribus x) imponenda. Proceſſus autem hactenus y) eo nomine z) contra ipſos a) decreti, unà cum transactionibus b) & promiſſionibus pro futura creditorum reſtitutione factis c), tollantur & enerventur d), ſalvis tamen iis pecuniarum ſummis e), quæ flagran-

x) Sed quid ſi creditores contumaces fuerint, proceſſu tergiuerſationibus vltra biennium extracto, nulla debitorum culpa? Hoc caſu aut his etiam perpetuum ſilentium erit imponendum, aut ſaltem elapſum biennium illis non obſtabit, quo minus ad exceptiones ſuas probandas admittantur.

y) Id eſt, qui vero proceſſus antea ad conuentam usque pacem decreti ſunt. Hanc enim ſignificationem τὸ *hactenus* habere hic puto.

z) Id eſt nomine debitorum, ſiue emptionis, venditionis, annuorum redituum, ſiue alio, ut ſupra §. 47.

a) Debitores ſcilicet, de quibus paulo ante ſermo fuit. Hi itaque Proceſſus plane ſunt alii a Proceſſu, ſuper exceptionibus debitorum inſtituto, de quo initio huius paragraphi fuit actum.

b) Nimirum, ſi interea debitores cum creditoribus ſuper lite tranſegiſſent.

c) Scilicet ſi promiſiſſent debitores, ſe nihilominus Creditoribus ſoluturos, quamuis ſibi debita iſta ab aliis, eorum odio violenter ſint extorta. Sic enim hic intelligo futuram Creditorum reſtitutionem, non vt ipſi reſtituantur creditores, ſed vt illis reſtituantur credita. Vox igitur creditorum hic eſt in plurali genitiui caſus, non a voce creditores; ſed a voce credita. Nam ſi hic ſenſus non eſt, ego plane non capio, quid Debitores Creditoribus ſuis de futura reſtitutione promittere potuerint, quod hoc loco & hac occaſione tollendum iterum, atque eneruandum ſit.

d) Ad eum finem, vt præteritorum actorum nulla ſit autoritas, neque etiam ulla facultas vel neceſſitas coeptam hoc modo litem proſequendi, etiam cum illa iam conteſtata eſſet. Sed ante omnia audiendi ſunt debitores de ſuis exceptionibus, qui abſoluuntur, ſi eas probauerint; vel damnantur ad ſolutionem, ſi in probatione earum defecerint.

e) Sicuti hic & ſuperior paragraphus multis modis obſcurus valde, & ancipiti ſæpe ſenſu eſt; ita nullus me tamen locus magis torſit, quam hic ipſe, de cuius vero intellectu animoque paciſcentium adhuc dubito. Neque multum præſidii Interpretes mihi ſuppeditant. Id quidem mihi probatur, quod communiter tradunt, hic exceptionem eſſe aliquam ab iis, quæ paulo ante de vi metuque fuerant dicta. Sed hac explicatione ſenſus ipſe mihi nondum planior ſit. Neſcio, quid Buckiſch in mentem venerit, vt exemplo legis Rhodiæ de iactu hanc rem explicare voluerit, quod huc plane non videtur

Digitized by Google

videtur congruere. Paulo propius tangere rem videtur Obrechtus, qui hunc caſum ſimilem fere illi eſſe ait, qui habetur l. 9. §. 1. ff. quod met. cauſa: ubi Vlpianus ita ſcribit: *Sed licet vim factam a quocunque Prætor complectatur, eleganter tamen Pomponius ait, ſi, quo magis te vi hoſtium, vel latronum, vel populi tuerer, vel liberarem, aliquid a te accepero, vel te obligauero, non debere me hoc edicto* (ſc. quod metus cauſa) *teneri, niſi ipſe hanc tibi vim ſubmiſi: Coeterum ſi alienus ſum a vi, teneri me non debere; ego enim opera potius mea mercedem accepiſſe videor.* Sed cur hæc etiam mihi iam non ſufficiant, explicabo. Scilicet in hac tota paragrapho & ſuperiori res omnis inter Creditorem & Debitorem vertitur, quatenus ſcilicet ille *debita ſiue emptionis, venditionis, annuorum redituum*, ſiue alio nomine, a Debitore ſuo exigere: & quatenus hic ſe contra illum defendere poſſit, ſi interea ab vna alteraue belligerantium parte, odio creditoris ad ſoluendum violenter compulſus fuerit, veramque violentiam & realem ſolutionem allegert atque probare velit. Tum de Proceſſu deſuper inſtituendo finiendoque, item pœna contumacibus debitoribus imponenda agitur, vti & tollendis eneruandisque Proceſſibus haſtenus contra debitores decretis vna cum transactionibus, & promiſſionibus, de futura Creditorum reſtitutione factis. Iam demum ſequitur hæc mira & impedita exceptio: *Saluis tamen iis pecuniarum ſummis, quæ flagrante bello pro aliis ad auertenda maiora eorum pericula & damna bono animo & intentione erogatæ ſunto.* Quod qua ratione cum antecedentibus cohæreat, ego ſane non comprehendo. Nam ſi iſtæ pecuniarum ſummæ a debitore *pro aliis* ſunt erogatæ quid id ad Creditorem, cuius cauſa tamen hic propterea videtur melior facta? Aut ſi Creditor erogauit, cur ſoluere debitor debet, quod creditor bono aliorum impendit? Denique quo pertinet hoc verbum imperatiui modi, *erogatæ ſunto*, quod cum prioribus, ſtructura verborum & dicendi genere plane non conuenit? Quod ſi dicimus in genere hic ſtatui, abſque reſpectu creditoris vel debitoris repetitionem eſſe earum pecuniarum, quas quis flagrante bello pro aliis, ad auertenda maiora eorum pericula & damna, bono animo erogauit. Quid igitur ex lege vel regula exceptionem facimus? Vt taceam, hoc ipſum vix connexionem verborum pati, *ſaluis tamen*, quæ ad priora, coniunctione aduerſatiua *tamen* manifeſto reſpiciunt. Fingemus caſum maioris perſpicuitatis cauſa ad ſuperiora delineatum. Caius debet Titio centum nomine emptionis venditionis, annuorum redituum. Titius creditor bello Germanico Suecis adhæſit. Cæſareani a Caio in odium Titii hæc centum violenter extorſere. Poſt pacem Titius petit iſta centum a Caio. Hic allegat, realem ſolutionem ſibi per veram violentiam odio Titii a Cæſareanis extortam, ſeque ad probandum offert. Quid hic ſtatuendum? Scilicet *nulli Proceſſus executiui decernantur, niſi exceptionibus Caii præuia plenaria cauſæ cognitione deciſis.* Hic primus caſus. Titius inſtituit Proceſſum ſuper

exceptio-

exceptionibus Caii de violentia & reali ſolutione, ſibi odio Titii extorta. Caius debitor probat exceptiones ſuas intra biennium. Quid hic iuris? Scilicet Caius abſoluitur ab vlterioribus Proceſſibus executiuis, ne bis ſoluere teneatur, etſi Titio Creditori non ſoluerit. Hic ſecundus caſus. Quodſi vero caius in probantis exceptionibus deficit, cauſa ſatis cognita, tum executiuis Proceſſibus ſine dubio locus erit. Tertius caſus eſt, ſi inſtituto Proceſſu ſuper exceptionibus Caius debitor ſit contumax, vel ita tergiuerſetur, vt Proceſſus finiri intra biennium non potuerit, quid hic dicendum? Caio debitori perpetuum ſilentium de exceptionibus ſuis pro pœna imponitur, ſimulque contra eum decernuntur Proceſſus executiui. Quartus caſus eſt, ſi iam belli tempore & ante pacem Titius Creditor contra Caium debitorem Proceſſus impetrauerit, quid tum iuris? Reſpondeo, iſti Proceſſus decreti tollantur & eneruentur. Quintus caſus, quid ſi belli tempore transactiones & promiſſiones pro futura crediti reſtitutione ſint factæ? Reſpondeo, iſtas etiam vna cum proceſſibus decretis tolli & eneruari. Sed in duobus latet adhuc nodus. 1. quis fecerit transactiones & promiſſiones illas? & 2. quid hoc ſibi velit, *pro futura Creditorum reſtitutione*? Quod ad primum attinet, ego non video, cur non debitor hic ſit intelligendus, qui transactiones & promiſſiones illas fecit: imo cur neceſſario non debeat intelligi. Nam ſi alius tertius; quid ea res ad Proceſſum inter creditorem & debitorem? Secunda autem quæſtio maiori difficultate implicata eſt. Nos verba hæc pro futura Creditorum reſtitutione ſupra explicauimus de promiſſis debitorum, recipientium, ſe creditoribus credita nihilominus ſoluturos, quamuis ſibi ab aliis eorum odio violenter iam ſint extorta: & hac ſane ratione omnia huc usque cohærent. Sed turbant ſtatim ſequentia, *ſaluis tamen iis pecuniarum ſummis* &c. quæ quo pertineant, incertum. Itaque pergamus in caſibus fingendis, & ponamus Sextum. Creditor Titius ſcilicet flagrante bello, ad auertenda maiora debitoris pericula & damna, bono animo certam pecuniæ ſummam erogauit, cuius reſtitutionem debitor, neceſſitate tum adigente, promiſit, quid hic iuris? Cum æquum eſſet, Creditorem hanc ſummam repetere poſſe, ſi vel abſente & inſcio debitore, bono animo pecunias pro eo expenderit tanquam negotiorum geſtor: æquitati multo magis conuenit, repetitioni locum fieri ex promiſſo debitoris. Hic genuinus eſt huius loci caſus, & manifeſta conſtitutionis æquitas: quæ igitur ratio dubitandi? Scilicet debitor, in neceſſitate & periculo conſtitutus, videri poterat vi metuque ad hanc promiſſionem adactus eſſe, adeoque exceptione vti poſſe, cuius hic effectus ſecundum paulo ante dicta, vt promiſſiones, pro futura Creditorum reſtitutione factæ, tollantur & eneruentur. Itaque hunc caſum a ſuperiori exceptione iterum excipi oportuit, vt ſaluæ nimirum creditori eæ pecuniarum ſummæ maneant, quæ flagrante bello pro debitore, ad auertenda maiora eius pericula & damna,

bono

Digitized by Google

flagrante bello f) pro aliis g) ad avertenda majora eorum pericula &

bono animo & intentione erogauit, qua deinde occaſione ex caſu ſpeciali in ſimilibus lex vniuerſalis condita eſt, vt is etiam, qui tali neceſſitate pro alio quid erogauit, etiamſi debitorem ante illum non habuerit, repetere ſuum poſſit. Vt proinde in his verbis diuerſis reſpectibus & exceptionem a ſuperioribus habeamus, & legem ſiue regulam pro omni ſimili caſu.

f) Itaque vt repetitioni pecuniarum, ſic erogatarum locus ſit, opus eſt, vt erogatæ fuerint 1. flagrante bello, 2. pro aliis, 3. ad auertenda maiora eius pericula & damna 4. bono animo & intentione. Sed quid hic ſignificat *flagrante bello?* num idem erit, quod *durante bello?* an ſtrictius accipiendum? Hoc ego malim, eam ob rationem, quia non omnium promiſſa vel acta geſtaque belli tempore, ita comparata ſunt, vt vis metusque in conſiderationem veniat. Imo vix ſufficient omnes indiſtincte minæ, ſi e longinquo, nec præſenti periculo intententur: itaque flagrante bello id eſt vi metuque hoſtium præſente, & abiecta auxilii ſiue liberationis ſpe geſtum quid oportuit. Ponamus iterum caſum Bello inter duos populos exorto, tributa inuicem a vicinis præſidiis imperari hoſtibus ſolent. Sed cum huius indictionis non maior ratio habeatur, quam eo vsque locorum, quo vis hoſtilis & exactio abspue impedimento pertingere poteſt. Itaque hoſte terris longius diſſitis & neceſſario præſidio a tumultuaria inuaſione circumtutis indicente tributa aut pecuniarum contributiones, altera vero belligerantium parte ſolutionem earum vetante, ſi quis motus territusque minitantibus literis, quæ circummitti ſpargique clam ſolent, intempeſtiva pro amico ſollicitudine eo nomine cum hoſti tranſegerit, id etſi bono animo & ex mandato etiam amici ſui feciſſet, id tamen ad auertenda maiora eius pericula & damna flagrante bello feciſſe non exiſtimabitur. Nam ibi proprie bellum non flagrat, vbi præſentanea vis non eſt, ſed metui ſaltem poteſt. Ex aduerſo cum quis obſeſſa vrbe, in qua amicum habet, cum duce iniuſſu etiam ſuo tranſigit, vt intactas eius terras a belli iniuriis relinquat: vtique condictionem repetitionemque habet ex hac conſtitutione, cum omnino flagrante bello hoc factum fuerit; Idem erit iudicium, quando hoſtis cum exercitu tranſit, aut ſtatiua in hoſtili terra habet: quibus exemplis iam ſatis intelligi puto, quid ſit *flagrante bello* factum aut non factum.

g) De promiſſionibus debitorum pro futura crediti reſtitutione factis ſermo in præcedentibus fuit. Itaque rationis eſt, vt hic ſub *aliis* iſti imprimis comprehendantur. Sed vt ante dixi, lex horum occaſione vim ſuam & effectum his latius porrigit. Intelliguntur autem alii, quorum pericula & damna ſiue iuſſu ſiue iniuſſu redempta ſunt. Nam etſi inſciis illis & ſine mandato erogatæ pecuniæ hac fini fuerint, condicendarum ius erit. Qua re differt hæc

Digitized by Google

& damna h) bono animo & intentione i) erogatæ ſunto l).

§. 49. m) Sententiæ n) tempore belli o) de rebus merè ſecularibus

hæc lex a lege 9. §. 1. ff. quod metus cauſa &c. quam ſupra allegaui. Ibi enim ſupponitur, me aliquid a te accepiſſe, vel te obligaſſe vt a vi hoſtium vel latronum vel populi te liberarem aut tuerer. Hic etiam iniuſſu tuo, modo te non vetante, ſi pro te pecunias expenderim, ad auertenda maiora damna atque pericula, teneberis mihi.

h) Pericula & damna quomodo differant, curioſius forſan erit quærere, quam vtilius. Quid ſi dicerem, pericula vitam & corpus concernere, damna res & poſſeſſiones? Sed videtur alia differentia latere in voce, *maiora*. Hoc modo periculum eſt metus damni accipiendi, & damnum, quod iam acceptum eſt. Vtrique auertendo erogare pecunias licet, ſi maiora ſcilicet fuerint. Sed hoc iterum intelligi duplici modo poteſt 1. pericula, quæ imminent maiora iam præſentibus: & damna iam datis maiora pertimeſcenda 2. maiora pericula & damna erogatis ſummis pecuniarum. Ecce vero quanta erit in hac æſtimatione litium materies, præcipue inter rixoſos & ſi res contra vota ceciderit, vbi officia ſpontanea non ſemper eo loco habentur, quo ea haberi apud gratos par eſt.

i) Hic alter contentionis campus. Sic enim plerumque cum hominibus eſt comparatum, vt officia aliorum ab euentu æſtiment: at quæ fors ſecus tulerit, malo imputent & inſidioſo conſilio. Qua vero ratione Judici conſtabit de animo & intentione alterius? Num locum iuramento dabimus? Periculoſum hoc ſane recuſante reo, cui præſtito iuramento perit exceptio de vi & metu. Sed hæc ad iudicia pertinent, nobis de legis ſententia hic eſt negotium. Coeterum quid ſit *bono animo & intentione*. Non dubium eſt, quin huc pertineat, quod pietate, amicitia, caritate in proximum, aut miſeratione geſtum eſt, imo quicquid officio boni viri includitur, pro merito ſuo habendum erit. Sed & cum inter creditorem & debitorem hac ſuper re diſceptatur, non exiſtimo, hunc audiendum eſſe, ſi dicat, creditorem iuuiſſe ſe hac mente, ne ſibi creditum pereat. Hoc enim bono animo & intentioni non repugnat. Quicquid ſit, dubium non eſt, cum ad ſingularia venitur, quæ infinitis circumſtantiis variant, quin moroſi & ingrati hoc ipſo occaſionem ſint arrepturi alendæ litis.

l) Alia exemplaria habent, *erogatæ ſunt*. Atque hoc conuenit orationi eiusque ſtructuræ, quæ hic imperatiuum non admittit. Erogatas autem pecunias intelligimus ante pacem ſolutas. Nam ſi promiſſæ ſaltem fuerint, condicendarum nulla actio erit, vniuerſali & illimitata amneſtia eiusmodi etiam promiſſa ita penitus abolente, vt quicquid eo nomine alter aduerſus alterum prætendere poſſit, perpetua obliuione ſepultum ſit. §. 49.

m) Poſtquam ſupra art. 3. §. 1. conſtitutum fuerat, ex amneſtia vniuerſali &

& illimitata reſtitui omnes ſtatus & ſubditos debere, in eum ſtatum in ſacris & profanis, quo ante deſtitutionem gauiſi ſunt, *non obſtantibus, ſed annullatis quibuscunque interim in contrarium factis mutationibus.* Et mox art. 4. in omnibus §phis usque ad hunc locum reſtitutione eorum, qui ſpecialiter nominati ſunt, pleræque ſententiæ contra illos latæ reſciſſæ per ipſam reſtitutionem fuerint, videri poſſet, hæc diſpoſitio ſuperioribus repugnare. Sed cum procul dubio belli tempore multæ etiam ſententiæ contra nonnullos latæ fuerint, quæ ad motus quidem Bohemiæ Germaniæue, vel fœdera hinc inde contracta nullum reſpectum habebant, & a quibus adeo ex formula amneſtiæ directis verbis peti reſtitutio non poterat. Interea autem veniebat, vt Germania fere tota in duas partes inter belligerantes diuiſa, is contra quem pronunciatum eſſet, ex motibus Germaniæ Bohemiæue inuidiam Iudici crearet, quaſi ſui odio & in gratiam aduerſarii iudicium tuliſſet, poſt reſtitutionem eorum qui expreſſe & nomitatim amneſtia ſunt comprehenſi atque reſtituti, placuit aliquam etiam illorum in genere haberi rationem, quibus forte belli tempore per ſententias latas aliquid præiudicii aut damni datum. Sed cum ſimul Iudicis etiam habenda ratio fuerit, media via in honorem eius ſelecta eſt, qua non reſcindebantur ſententiæ, ſed ab effectu rei iudicatæ tam diu ſuſpendebantur, donec conſtaret, num victa pars intra ſemeſtre ab inita pace ſpacium petere reuiſionem velit quo facto durat ſuſpenſio vsque ad exitum reuiſionis, per quam vel confirmandæ, vel emendandæ, vel reſcindendæ ſunt. Enimuero vt huic ſuſpenſioni & reuiſioni locus ſit, quatuor requiruntur, nimirum, vt (1.) ſententiæ ſint latæ (2.) tempore belli, (3.) de rebus mere ſecularibus, & (4.) vt vitium & defectus in Proceſſu non manifeſte pateat, vel in continenti demonſtrari poſſit.

n) Num omnes, an quædam ſaltem? Buckiſch excludit priuatas cauſas, & hic eas tantum intelligit ſententias, quæ in cauſis inter Status vertentibus latæ ſunt. Sed cum amneſtiæ beneficium qua occaſione hic de ſententiis agitur, etiam ad ſubditos pertineat, neſcio an talis reſtrictio legi & animo paciſcentium conueniat. Potius hæc locutio hic indefinite poſita ſecundum Logices regulas æquipollere debet vniuerſali.

o) Hoc belli tempus laxius habet ſpacium, quam quod ſupra deſignatum fuerat *flagrante bello.* Comprehendit enim omne tempus, quo bellum durauit, cuius pars ſaltem per viciſſitudines locorum & temporum eſt, quando bellum flagrat. Nam etiam induciarum tempore belli tempus eſſe intelligitur, quo tamen flagrare bellum nemo dixerit, cum requieſcat potius & veluti reſpiret. Cæterum ad belli hoc tempus omne pertinet ſpacium, quod a primis motibus Bohemiæ usque ad pacem Weſtphalicam bellum occupauerat, vulgariter a triginta annis, quibus durauit, tricennale dictum.

p) Res ſunt vel mere Eccleſiaſticæ, vel mere Seculares, vel mediæ ſiue mixtæ. Habet autem res Eccleſiaſtica appellationem ſuam vel a ſubiecto, perſo-

Digitized by Google

ribus p) pronunciatæ, niſi proceſſus vitium q) & defectus r) manifeſtè pateat, vel in continenti demonſtrari poſſit s), non quidem omnino ſint nullæ ab effectu tamen rei judicatæ ſuſpendantur t), donec

perſona Eccleſiaſtica, quæ rem poſſidet, vel a forma eius, quæ in conſecratione conſiſtit, vel denique a fine & uſu, cui eſt deſtinata. Eodem modo ſe res cum mere ſecularibus habet. Mixtæ autem ſunt, quæ ex utroque participant: & quo plus minuſue mixturæ ab vna alteraue ſpecie erit, res illa proprius etiam inter Eccleſiaſticas vel Seculares numerari meretur. Quid iuris ſit in ſententiis tempore belli de rebus mere Eccleſiaſticis vel mixtis pronunciatis, art. 5. §. 2. traditur. Igitur hic inſpectio eſt de rebꝰ mere Secularibus.

q) Nam ſi Proceſſus vitium & defectus manifeſte pateat, vel in continenti demonſtrari poſſit, iſtæ ſententiæ ſtatim reſcinduntur, vt nulliter latæ. Sed quid, ſi vitium illud in Proceſſu non ſit tam ex iniuria aut præuaricatione Iudicis, quam culpa vel negligentia eius partis litigantis prouenerit, contra quam pronunciatum eſt? Vel quid ſi vitium non ſit in proceſſu, ſed in ſententia, forte contra ius partium lata? quo caſu illa ipſo iure non eſt nulla. Mea quidem opinione huic exceptioni neque hinc neque illinc locum dederim, ſed ab effectu rei iudicatæ ſuſpendetur ſententia, donec in reuiſorio de cauſa ex integro erit cognitum. Nam primo caſu damnum nemo creditur ſentire, quod ſua ſibi culpa acceſſit, etiamſi error vel imprudentia Aduocati aut Procuratoris acceſſerit, quia tum reſtitutione in integrum opus, quando ille ſoluendo non eſt: in cuius locum iam hic ſuccedit reuiſio, tanto nunc pinguius, quod ſine reſpectu ad inopiam Procuratoris Aduocatiue concedatur: in alterum caſum iure etiam ordinario appellationes & reuiſiones ſunt proditæ, quarum copia hic ſit, quamuis fatalia, belli tempore forte præterierint.

r) An hæc differant, quæri poſſet, ſi ſubtilis curioſitas placeret. Vitium enim in agendo videtur conſiſtere, defectus in omittendo. Sed quia omne vitium actionis defectum in ſe habet ab actionis rectitudine, ſiue infra eam ſteterit, ſeu debitam normam exceſſerit, nullum periculum eſt in ſenſu huius loci aucupando, etſi inutili accuratione tibi mentem non turbaueris, aut capur fregeris.

s) Senſus itaque eſt, Sententiæ, tempore belli de rebus mere Seculari bus pronunciatæ, ſi Proceſſus vitium aut defectus manifeſte pateat, vel in continenti demonſtrari poſſit, ſint omnino nullæ; Sin id dubium eſt, ſuſpendantur, donec de reuiſorio conſtet. Hac ratione quod disiunctim de vno & altero caſu diuerſo effectu ſtatui luculentius potuiſſet, ſic effertur, vt caſu ſecundo pro regula poſito, primus exceptionem contineat: cui deinde alterutrum ex his duobus neceſſarium, ſi ratio eius habenda: vt vel manifeſtum

donec acta Judicialia (ſi alterutra pars intra ſemeſtre ab inita Pace u) ſpatium petiverit reviſionem x), in Judicio competenti y), modo ordi-

niſeſtum ſit & viſibile Proceſſus vitium, atque defectus, vel, vt in continenti demonſtrari poſſit.

t) Effectus rei iudicatæ multifarii ſunt. Præcipuus, qui hic indicatur, eſt, ne ſententiæ executioni mandari poſſint, antequam conſtet, num alterutra pars intra ſemeſtre ſpacium ab inita pace reuiſionem petere voluerit. Itaque hoc ſemeſtre datum ad exemplum decendii, intra quod a ſententia appellandum: quæ currentibus his fatalibus etiam ſubſiſtit; ſed eodem modo ab effectu rei iudicatæ ſuſpenditur. Pariter ſe res in reuiſione petenda ordinario iure habet: niſi quod hic ſpatium ſemeſtre detur ab inita pace. Illic vero reuiſio olim peti debuerit intra tres menſes ante Calendas Maii, vel ſi tempore latæ ſententiæ usque ad Calendas Maii tres menſes non ſupererant, tunc denunciatio fiebat Moguntino, ſequenti anno, circiter tres menſes ante Calendas Maii, *Blumius Proc. Cam: tit.* 79. *n.* 14. Hodie vero reuiſio ſub pœna deſertionis intra quatuor menſes a die latæ ſententiæ proximos & denunciari, & denunciata etiam in Camera reproduci debeat. *Receſſ. Imp.* 1654. §. in Fall 125.

u) Num hic concluſam pacem & ſubſcriptam intelligimus: an vero ratihabitam? Neque enim nihil refert, vtrum ſtatuas: non modo enim a concluſa pace usque ad ratificationem eius infra art. 17. ſpacium octo ſeptimanarum datum; verum etiam Imperator Ferdinandus in Receſſu Imperii 1654. ſupra allegato, ſtatim ab exordio conqueritur, ratihabitionem ultra illud conſtitutum tempus protractam fuiſſe: demum enim ſecuta eſt 18. Febr. anni ſequentis 1649. adeoque decem fere ſeptimanis conſtituto tempore tardius. Nos diem ſeu tempus *ab inita pace*, ſtatim poſt pacem concluſam, ſubſcriptam & publicatam, quod altera ſtatim die a pace concluſa factum, ceſſiſſe arbitramur, quia *art.* 16. *§.* 1. habetur, ſimul atque Inſtrumentum pacis a Plenipotentiariis & Legatis ſubſcriptum & ſignatum fuerit, omnia, quæ conuenta ſunt, vtrimque *e veſtigio* executioni mandanda eſſe: quibus verbis *e veſtigio* apparet, tempus ratihabitioni præſcriptum in pace exequenda expectari non debere: id quod eodem artic §. ſequ. 2do clarius adhuc exprimitur, mandaturque omnibus, qui ex hac pacificatione ad aliquid reſtituendum vel præſtandum obligantur, vt id ſine tergiuerſatione & noxa intra tempus concluſæ & ratificandæ pacis præſtent, & transacta exequantur. Vnde etiam Imperator Ferdinandus in edicto ſuo, de exequenda pace propoſito, mandat, daß alle und jede, welche vermög dieſes Friedens und deſſen gemeiner oder auch einzeler ſonderbahrer Regul u. Verordnung etwas wieder abzutreten, zu erſtatten, zu geben, zu thun oder zu leiſten ſchuldig, alsbald nach Verkündigung und Vernehmung dieſes Kayſerl. Edicts noch vor

Aus

Digitized by Google

Ausgange der zu Einbring- und Auswechſelung allerſeits ratificationen angeſetzten Zeit unweigerlich reſtituiren abtretten, geben, thun und leiſten ſollen. Id quod plane ſingulare in hac pace eſſe videtur, cum alias usque ad mutuas pacis ratihabitiones omnia in ſtatu, quo ſunt, maneant, hoſtilitatibus tantummodo & violentiis interea prohibitis ſublatisque. Ita in nupera adhuc pace Ryswicenſi art. 50. expreſſe habetur, tempus reſtitutionis tum locorum, tum captiuorum & Obſidum, vel quod vnus ex pace præſtare alteri debet, aut petere ab eo poteſt, a ratihabita demum pace currere: quo etiam contributiones, exactiones, pabulationes, & ſimilia interdicta ſunt. Itaq; ex his dictis manifeſtum eſt, quod hic de tempore ſemeſtri ab *inita pace* dicitur, eodem ſenſu intelligendum, quo §pho præcedenti biennium *a pacis* publicatione datum fuit: publicata autem pax erat poſtridie a concluſione eius, quod factum $\frac{15}{25}$. Octobris 1648.

x) Ex his verbis, & quia reuiſionis fit mentio, Buckiſch non inepte concludit, legem de ſententiis accipiendam eſſe, quæ in Aula Imperatoris vel Camera Imperiali ſunt latæ: quanquam in eo fortaſſis erret, quod vim eius ad cauſas reſtringat, inter Status Imperii controuerſas.

y) Competens iudicium vel pro loco accipitur, vel pro ipſo Iudice. Priori ſenſu eſt ipſa Camera & Iudicium Aulicum, vbi iſtæ reuiſiones agitari ſolent. Altero vero ſunt Commiſſarii Cæſarei ac Deputati Statuum, quorundam Conſiliarii, qui a Moguntino eam ab cauſam euocati præuio iuramento acta reuident, auditisque Aſſeſſorum rationib9, cur eiusmodi ſententiam tulerint, de cauſa cognoſcunt, eamque decidunt.

z) Modus reuiſionis Ordinarius præſcriptus in ordinatione Cameræ eſt, cum Ordinariis viſitationibus Cameræ, quæ ſingulis annis Calendis Maii inſtitui debebant, reuiſionum etiam cauſæ tractabantur. Extraordinarius, cum impeditis viſitationibus, quo minus ſtato tempore conueniant, extra ordinem hoc iudicium habetur. In quo ad ſubſtantialia Proceſſus attinet, eundem Procedendi modum in Aulico etiam Iudicio ſeruandum eſſe, tradunt communiter Scriptores. Inſignes tamen duæ differentiæ eſſe deprehenduntur: vna, quod reuiſio actorum petita a ſententia, in Iudicio Aulico lata effectum ſuſpenſiuum adhuc habere dicatur, qui alteri in Camerâ introductæ, per Imperii receſſum ademptus eſt: aſſeritur hoc ipſum in ordinatione Iudicii Aulici, ab Imperatore Ferdinando anno 1654. renouati, & in Comitiis publicari citato probationis cauſa Inſtrumento Pacis art. 5. §. 55. vbi habetur, ne partes ibidem litigantes omni remedio ſuſpenſiuo deſtituantur. Sed illo tempore, cum hæc ita placuere, reuiſio etiam in Camera Imperiali effectum iſtum ſuſpenſiuum adhuc habuerat. Poſtquam autem illud deinde iuſtitiæ promouendæ cauſa, poſt ferias & graues deliberationes, abrogatum fuit communi Statuum conſenſu, & auctoritate ipſius Imperatoris, dubitare aliquis non immerito poſſet, annon eadem lege Iudicium quoque Aulicum teneatur:

 neque,

Digitized by Google

ordinario vel extraordinario z) in Imperio uſitato rèvideantur, & æquabili jure ponderentur a) atque ita dictæ ſententiæ vel confirmentur b) vel emendentur c) vel ſi nulliter latæ ſint, planè reſcindantur. d)

§. 50.

neque, vt audio, vſus diuerſus eſt, qua de re videſis *Vffenbach de Conſilio Aulico cap. 23. Sect. 4.* Vnde legi in quodam libro, in der Oldenburgiſchen Succeſſions Sach hat ſtarck behauptet werden wollen, als ob bey denen reuiſionibus, ſo per modum ſupplicationis bey Reichs Hoffrath geſucht und erhalten werden, das medium ſuſpenſiuum ſtatt hätte: Wozu man ſich des Inſtr. Pacis art. 5. §. 55. wie ingleichen die Reichshoffraths-Ordnung hoc loco bedienet. Es iſt denſelben aber ſo wol der letztere Reichs-Abſchied anno 1654. §. 124. als bißherige bey Reichs-Hoffrath iederzeit hergebrachte Obſeruanz entgegē geſetzet, auch per maiora & abſque relatione ad Cæſarem das contrarium geſchloſſen, und der Secundæ paritoriæ die euentualis comminatio executionis würcklich angehengt worden. Deinde variatur etiam in reuiſione petenda. Nam pro reuiſione, apud conſilium Aulicum obtinendā, loco Moguntini *ſupplicatur ad Cæſaream Maieſtatem, vt acta iudicialia denuo, adhibitis aliis grauitati negotii paribus, neutrique partium addictis, ex vtraque religione æquali numero Conſiliariis, reuideantur*: quibus tertium addo, quod Cæſar non opus habeat, conſtituendi iudicii reuiſorii cauſa, deputatos Statuum conuocare: Sed *liberum* ei ſaltem relinquitur, *in cauſis maioribus, & vnde tumultus im Imperio timeri poſſent, inſuper etiam quorundam vtriusque Religionis Electorum & Principum ſententias & vota requirere.*

a) Ne ſcilicet fauor vnius vel alterius partis iuſtitiæ fraudi ſit.

b) Si appareat, ex iuris dictamine latas eſſe.

c) Si qua parte a via iuſtitiæ recedunt.

d) Nulliter latas hic non modo quoad vitium vel defectum in proceſſu intelligo; verum etiam, ſi contra ius partis omnino ſunt latæ, adeoque in ſe iniuſtæ: qua in re reuiſionis idem eſt effectus, qui appellationis: vbi cum ad formam Proceſſus, tum ante omnia ad ſententiæ ipſius, a qua appellatum fuit, iuſtitiam vel iniuſtitiam reſpicitur.

§. 50.

e) Hic paragraphus cum ſatis ſit clarus & expeditus, longa commentatione non habet opus. Scilicet ex iure Feudali notum eſt, inueſtituram intra annum & diem eſſe petendam. Sed inter motus ciuiles euenire facile potuit, vt Vaſalli, aperto Feudo, inueſtituram illam vel petere noluerint, vel impetrare non potuerint. Ne itaque hoc eis fraudi ſit, conſtitutum eſt, vt tempus ab anno 1618. vsque ad initam pacem, in computum non veniat, ſed annus ille atque dies petendæ inueſtituræ a die factæ pacis cedere incipiat. Poſſet aliquis exiſtimare, cautionem hanc ſuperfluam eſſe, cum ſupra ex generali amneſtia omnes, & in ſpecie etiam Vaſalli, quoad bona feudalia & ſubfeudalia, reſtituti

fuerint.

Digitized by Google

§. 50. Si quæ etiam feuda e) regalia vel priuata f) ab Anno milleſimo ſexcenteſimo decimo octavo g) non fuerint renovata, nec interim eorum nomine præſtita ſervitia h) nemini id fraudi eſto, ſed tempus i) repetendæ Inveſtituræ à die factæ Pacis l) cedere incipiat.

§. 51. Tandem omnes & ſinguli m) tàm bellici Officiales militesque n), quàm Conſiliarii & Miniſtri togati Civiles & Eccleſiaſtici o), quo-

fuerint. Enimuero quia inter Tractatus Pacis acriter diſputatum eſt, vtrum Felonia etiam ſub amneſtia comprehendatur, ita vt per eam ſublata cenſeri poſſit? Creditum eſt, non plane extra rem fore, ſi huius negotii inter cœtera, de quibus nominatim conuentum eſt, mentio fierit. Atque ex his etiam patet, cur exiſtimatum ſit, ius commune Feudale huic negotio abſoluendo non ſufficere, quod alias inter legitima impedimenta inueſtituræ non renouatæ bellum etiam refert. Agitur enim hic non modo de impedimentis, quæ ex parte Domini aut Vaſalli extrinſecus oriuntur, integra vtriusque amicitia: Sed de Felonia inprimis quæſtio fuit, cuius intuitu directi Domini Feuda, vt ſibi aperta repetebant, nec Vaſallis, inveſtituram petentibus volebant annuere, quod inter bellum contra ſe ſtetiſſent. Quare hoc crimen, ne poſt pacem noceat Inueſtituram petentibus, ſtatuendum utrique fuit. Atque idem dicendum de cauſis, ex quibus Dominus directum ſuum dominum amittit, ſi forte Vaſallus propterea inueſtituram amplius noluerit petere.

f) Nullum igitur diſcrimen, quamuis Statuum præcipue cauſa videantur hæc ita ſancita eſſe.

g) Hic locus manifeſto probat, annum decimum octauum ſuperioris ſeculi datum eſſe pro termino. Nulla enim allegari ratio poteſt, cur, quod hic de Feudis dicitur, non extendi debeat ad omnes alios caſus, vbi cui reſtitutio neceſſaria eſt. Procul dubio autem ab anno ſignificat, ab initio anni, vt idem ſit, quod *ab initio motuum Bohemicorum*: quemadmodum alibi ſtatus, in quem quis reſtituendus eſt, deſignatur ex eodem initio, qualis ſcilicet ante motus Bohemicos fuit.

h) His enim cauſis amitti feudum, notius eſt, quam vt dici debeat.

i) Scilicet cedere tempus vt dies dicitur, cum aliquid deberi incipit.

l) Quæ dies fuit $\frac{14}{24}$ Octobris 1648. Hâc dies publicatæ pacis vnâ eſt poſterior, & dies pacis ratihabitæ pluribus menſibus.

§. 51.

m) Includuntur hic ſpecialiter amneſtia, & reſtituuntur omnes, qui vni alteriue parti belligerantium toga vel ſago militarunt, in eum ſtatum, quo ante Bohemiæ Germaniæue motus gauiſi ſunt, aut iure gaudere potuerunt.

n) Itaque gregarii etiam milites hoc loco intelligendi ſunt: quia amneſtia a ſummo ad infimum, & ab infimo ad ſummum.

o) Quæ-

Digitized by Google

quocunque nomine aut conditione cenſentur p), qui uni alterive parti, earundemve fœderatis aut adhærentibus q), togâ vel ſago militarunt, à ſummo ad infimum, ab infimo ad ſummum absque ullo

o) Quæſitum memini, an Eccleſiaſtici ad togatos vel ſagatos rectius referantur? Non modo enim militare ſacram militiam dicuntur: Verum etiam ſuos habent Generales & Officiales ſubalternos, qui eos continuo in armis exercent. Adhæc diſtribuuntur in legiones & centurias ſuas, vexillaque ſequuntur diſtincta coloribus & figuris. Sed educunt ingentes exercitus, atque contra hoſtes ſuos, quos hæreticos appellant, æſtate hyemeque fortiſſime prœliantur. Inter eos ſunt veluti miles Prætorianus, Ordines religioſi, qui Imperatori ſuo ante alios fidi & ſtrenui pugnatores, habituque inuicem diſcreti, vt noſſe ex hac teſſera facile poſſis, cuius quisque gentis & agminis ſit. Iſti rurſus famam fortitudinis meritaque diuerſa habent, vbi ſtrenuitate & audacia eminent Patres Societatis, quos Triariis haud abſurde comparaueris, qui reſtituere inter certamina rem debent, quando ad extrema velut eſt peruentum. Vnde cum hi arma expediunt, nutare pugnam & rem ad Triarios rediiſſe credimus. Eſt præterea hoc etiam inſigne militiæ apud Eccleſiaſticos, quod alienis impenſis viuunt velut ex hoſtico, bellumque hac ratione ſe ipſum alit. Aut ſi vtique hybernandum apud amicos eſt, gratuitis vtuntur hybernaculis, quæ militis inſtar dum primo rogare videntur bonis verbis, mox occupant vi, ſi cedere operi ſponte plebs noluerit; Huic enim militiæ omnis terra tributaria facta eſt. Sed nunquam eos militibus ſimiliores videas, quam cum in armis ſtant, & excubiis vario genere tegumentorum, quibus armantur, totique velut cataphracti ſunt, a capite ad calcem, quæ ſingula deſcribere longum eſſet. Sed ouum ouo non eſt ſimilius, quam galeæ militari tiara iſta, qua caput induti ſunt, cum e ſuggeſtu imperatorio ad milites ſuos, in pugnam concitandos concionem habent. Atuero quicquid ſit, cum hoc loco Eccleſiaſtici ad togatos referantur, ordinis dignitatem & prærogatiuam, ſi qua eſt, eis non inuidebimus. Imprimis cum videri velint ab omni ſanguine adeo abhorrere, vt malint potius captiuos ſuos hoſtes viuos cremari, quam vt minimam ejus guttam effundi patiuntur, miro miſericordiæ prodigio.

p) Subditos tamen hic comprehendi non arbitror, qui toga vel ſago non militarunt: quamuis enim eorum etiam in fine huius §phi fiat mentio, id tamen ideo tantummodo factum, vt occaſio eſſet, ad Subditos Auſtriacos tranſeundi, quos generali illa amneſtia, vti *art.* 3. deſcripta fuit, non comprehendi, vel hoc ipſum argumento eſt, quod hoc loco de illis longe aliter conuenerit. Interea reliquis etiam ſubditis ſupra *art.* 3. §. 1. ſatis proſpectum.

q) Quæ hic intelligantur partes belligerantes: & qui Fœderati eorum aut adhæ-

lo diſcrimine vel exceptione r), cum uxoribus, liberis, hæredibus, ſucceſſoribus, ſervitoribus s), quoad perſonas & bona t) in eum vitæ, famæ, honoris, conſcientiæ, libertatis, Jurium ac privilegiorum ſtatum u), quo ante dictos motus gaviſi ſunt, aut jure gaudere potuerunt x), utrinque reſtituti ſunto y), nec eorum perſonis aut bonis ullum creator præjudicium, ullave actio vel accuſatio intentator, multo minus ulla pœna, damnumve quocunque prætextu irrogator z). Et hæc quidem omnia quoad illos a), qui Cæſareæ Majeſta-

adhærentes, ex *art.* 1. conſtat, vbi vide ſis, quæ ibi notauimus.

r) Exceptionem tamen in Subditis & Vaſallis hæreditariis domus Auſtriacæ notabilem factam eſſe, docet §phus ſequens.

s) De his nominibus non valde laborandum. Hæredes tamen & Succeſſores in eo forſan differunt, quod illi in allodialia ſuccedant: hi in feudalia; habentes iam cauſam a primo acquirente. Quod Seruitores attinet, hoc nomine intelligo Vaſallorum ſeruos aut famulos armatos, bewehrte Knecht, quorum opera etiam in ſeruitiis præſtandis vtimur.

t) Hæc duo ſumma ſunt capita, in quæ reſtitui aliquis poteſt.

u) Superuacaneum eſſet, iſta omnia ſubtilius diſcutere, & quomodo vnumquodque ab altero differat, explicare. Videntur enim in cumulum coniecta maioris cautelæ cauſa, quanquam ex articulo 3. §. 1. addi adhuc potuiſſent non modo *dignitates & immunitates* verum etiam reſpectu bonorum, id, quod ibi habetur de *ditionibus feudalibus, ſubfeudalibus & allodialibus*; & vereor tamen, ne ſic etiam ſufficientem partium enumerationem habeamus.

x) Id eſt, ante motus Bohemiæ Germaniæue: paulo ante dictum fuit, *ab anno* 1618. quod ſi hic applicandum, idem eſſet, ac ſi ſcriptum fuiſſet, ante annum 1618.

y) Id eſt, ab vtraque parte.

z) Intelligenda hæc ſunt de cauſis, militiam concernentibus, in qua contra vnam vel alteram partem ſtetere. Quin enim aliis ex cauſis contra illos ſic reſtitutos actiones vel accuſationes intendi poſſint, tanto minus eſt dubitandum, quia iuxta *art.* 3. *§.* 2. omnes reſtitutiones ex capite amneſtiæ intelliguntur, *ſaluis iuribus quibuscunque.*

a) Supra dictum fuerat, *omnes & ſinguli, quocunque nomine aut conditione, absque vllo diſcrimine vel exceptione* &c. Ecce tamen hic exceptio notabilis in Subditis & Vaſallis hæreditariis Domus Auſtriacæ, de quibus ſpecialiter conuentum. In reliquis vero ſupra dicta pleniſſimum effectum habere debent.

b) Burgoldenſis *ad Inſtrumentum Pacis parte* 1. *diſc.* 31. *n.* 13. ex his verbis argute obſeruauit, *Principes vel Status non eſſe Vaſallos vel Subditos Imperatoris,*

Maieſtatis & Domus Auſtriacæ ſubditi & vaſalli non ſunt b), pleniſſimum effectum habeant c).

Imperatoris ſubditi & vaſalli hæreditarii.

§. 52. Qui verò ſubditi & vaſalli hæreditarii d) Imperatoris & Domus Auſtriacæ ſunt, eàdem gaudeant Amneſtiâ, quoad perſonas, vitam, famam & honores e), habeantque ſecurum reditum in priſtinam

toris, ſed Imperio ſubiectos, vbi ad marginem triplex NB. ponit, poſtquam totam hanc quæſtionem in ſuperioribus *diſc.* 23. *n.* 1. late, ſed more ſuo, frigide atque confuſe tractaſſet. Sed vtcumque de re ipſa ſit, in cuius examen iam non deſcendo, ex hoc ſaltem non valde iuuatur eius ſententia. Statim enim ſequentia in ſpho 52. indicant, quomodo ſit intelligendum, ſi quis in Imperio Cæſareæ Maieſtatis ſubditus & Vaſallus non eſſe dicitur. Scilicet, ſi non eſt ſubditus & Vaſallus hæreditarius Domus Auſtriacæ, qua ratione Burgoldenſi vis omnis argumenti ſui perit, quanquam in eo non erret, cum perhibet, Principes & Status Imperii mere Subditos Imperatoris non eſſe. Nos ea hoc loco aliam obſeruationem vtiliorem capimus, ſcilicet, in Inſtrumento Pacis, vbi Imperator & Domus Auſtriaca coniunguntur, per Imperatorem intelligendum proprie eſſe Caput & Rectorem Domus Auſtriacæ, qui ſimul eſt Imperator: quod factum etiam fuiſſe ſupra notauimus ad artic. 1. verba: *Cæſaream Maieſtatem, Domum Auſtriacam.* Quando enim Imperator qua Imperator nominatur, tunc formula eſt: *Imperator & Imperium.* Sed hoc ſenſu Imperator nullos habet ſubditos & Vaſallos hæreditarios, quia ipſe Imperium non iure hæreditario tenet, ſed ex libera electione habet.

c) Pleniſſimum effectum in omnibus, quæ hic ſancita ſunt.

§. 52.

d) De ſubditis & Vaſallis hæreditariis Domus Auſtriacæ paulo aliter conuenit, facta ſcilicet diſtinctione inter earum perſonas, vitam, famam & honores, & inter bona eorundem. Quoad primum, eadem gaudent amneſtia, atque inſuper ſecurum reditum in priſtinam patriam conſequuntur. De ſecundo vero, quid placuerit ſpho ſequenti videbitur.

e) Nimirum hæc omnia facilius reſtituuntur quam bona, plerumque aliis iam diu donata, ex quo illi gratia Cæſaris exciderant.

f) Hic quæri poteſt, quid ſit *ſecurus reditus?* quid item *patria priſtina?* Reditum cum effectu intelligo, vt quis ibi habitare poſſit, ſicut ante præſcriptionem vel exilium fuerat. Securus autem eſſe debet non modo a metu pœnæ per ſententias forte ante hac impoſitæ: verum etiam a metu futuræ ultionis, amneſtia & obliuione penitus ſepultæ. Quod ad *priſtinam patriam* attinet, de hac ita ſentio: Qui Auſtriacus fuit, redire in Auſtriam quidem poteſt;

Digitized by Google

ſtinam patriam f), ita tamen, ut ſe teneantur accommodare legibus patriis g) Regnorum & Prouinciarum h).

§. 53.

poteſt; ſed in alias ditiones Domus Auſtriacæ absque conſenſu transferre domicilium nequit: & ſic in reliquis. Quamuis enim omnes prouinciæ Domus Auſtriacæ pro communi quadam patria Vaſallorum & ſubditorum hæreditariorum reputentur; ſingulæ tamen ſeparatam etiam conſtituunt patriam: vt adeo, quando de patria cuiusque priſtina ſermo eſt, ad ſignificationem ſpecialiorem merito ſit reſpiciendum. Eſt adhuc quædam ſtrictior Patriæ acceptio de certo loco, quo quis natus, v. gr. Viennæ, Pragæ, Lintzii, Græcii, & cœtera. Sed quia hic reſtituendorum fauor verſatur, non exiſtimo, intra arctos adeo terminos appellationem Patriæ hic ſtare debere.

g) Hæc verba concernunt religionem potiſſimum Euangelicam, eiusque liberum exercitium, cuius habendæ facultatem Auſtriaci in omnibus prouinciis ſuis hæreditariis, edictis ſuſtulerant, medio bello, inanibus poſthac precibus & minis inter Tractatus Pacis adhibitis, vt reſtitutionem religionis ſuæ aut ſaltem conſcientiarum libertatem pro illis impetrarent: quanquam vulgo creditur, nec diſſimulatum ab ipſis Cæſareanis fuit, Ferdinandum Cæſarem a Succis ingenti pecuniæ ſumma redemiſſe, ne ſuis officiis huic poſtulato penitus inſiſterent. Ac proinde notari hic omnino meretur, cum præcedenti paragrapho mentio inter alia facta fuiſſet *libertatis conſcientiæ*, hic eam omiſſam eſſe, quod non fortuito vel indiligentia, ſed ſtudio & ex animi deſtinatione factum eſſe nihil dubito. Adeoque accommodare ſe legibus Patriis regnorum & prouinciarum eſt renunciare publico religionis ſuæ exercitio, quod ibi ante bellum viguit. Exemplum eiusmodi Patriæ legis, in Bohemia a Ferdinando II. Anno 1627. latæ, exhibet Buckiſch ad hunc locum, vbi ſacra Romana ſtabiliuntur, abolitis & reſciſſis omnibus indultis & priuilegiis, quæ pro libertate Euangelicæ religionis olim ibi viguere: daß alles, was der Catholiſchen Religion zu Abtrag, Nachtheil und Præiuditz bey vorigen Zeiten durch Majeſtät-Brief, Lands-Tag-Schlüß, Reuerſalien, Reſolutionen, Priuilegien, oder andere Satzungen und Ordnungen, wie die Nahmen haben mögen, ſtatuirt, erhalten oder geſchloſſen, jetzund zu ewigen Zeiten caſſiret ſeyn und bleiben ſolle. Sequentia autem huius edicti: Wie denn auch hinfüro keiner ins Land oder in Städten, er ſey dann unſerer Catholiſchen Religion zugethan, ſolle angenommen werden, hoc paragrapho abrogata iterum ſunt.

h) Auſtriaci quinque regnorum ſe Reges ſcribunt, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ & Sclavoniæ. Prouinciarum autem ingens numerus. Pleræque in titulis eorum deſcriptæ ſunt.

§. 53.

i) Ratione bonorum, ad Subditos & Vaſallos Domus Auſtriacæ pertinentium,

tium,

Digitized by Google

§. 53. Quantum autem eorundem bona i) concernit, ſi ea antequam in Coronæ Sueciæ Galliæve partes tranſierunt l), confiſcatione

tium, expediundæ difficultatis cauſa, media quædam via placuit, ſpecie æquitatis vtrique parti honeſta: Reuera autem ad vota Auſtriacorum comparata. Placuit nimirum, vt ea bona, quæ confiſcatione aut alio modo amiſſa fuere, antequam Subditi & Vaſalli Auſtriaci in partes Sueciæ Galliæue tranſierunt, porro ſint amiſſa, & modernos apud poſſeſſores maneant; quæ vero ipſis eam ob cauſam, quod pro Gallis aut Suecis contra Domum Auſtriacam arma ſumpſiſſent, erepta ſunt, iisdem, qualia nunc ſunt, reſtituantur. De illo bonorum genere agitur hoc §pho, de poſteriore, ſequenti. Qui acta legit Tractatuum pacis, ei ignotum eſſe non poteſt, quantis motibus hæc ſola res hinc inde tractata ſit, & quam prope ſæpe partes paciſcentes propterea a rumpenda omni negotiatione abfuerint. Suecis amneſtiam vniuerſalem & illimitatam vrgentibus; Auſtriacis e contrario & honorem dignitatemque Principis ſui, & quod res ipſa, ob exulum multitudinem, factu plane non amplius ſit poſſibilis, allegantibus, ea obfirmatione animi, vt viderentur maluiſſe omnia infecta relinqui, & ex integro renouare bellum, quam permitti, vt fidelibus Cæſaris, optime de ipſo ſago togaque meritis Miniſtris donata ſemel proſcriptorum bona rurſus eripi, & reſtitui perduellibus poſſent. Creditum nihilominus vulgo eſt, aduerſæ parti non fuiſſe duraturam conſtantiam, qui quacunque ratione bello tam pernicioſo defungi malebant, ſi modo alteri paulo obnixius inſtitiſſent. Atque reputatum eſt, exulibus non magnopere famæ, vitæ honorumque reſtitutione conſuli, quando ademptis bonis egentes errantesque nihil habeant, ex priſtina dignitate, quam vt ſplendide eſurire cogantur.

l) Color ex eo quæſitus, quod Sueci Galliue non habeant, de quo iuſte querantur, ſi quid interea, antequam bellum cum ipſis coeptum, Auſtriaci ſuis in regnis atque prouinciis mutauerint, quibus ſummo cum imperio præſint, & quorum rationem nemini reddere teneantur. Atque Cæſareani huic rationi initio Tractatuum tantopere inſtitere, vt negarint, amneſtiam ex natura belli incipere prius poſſe, antequam exortum illud fuerit: quam ob rem diu etiam contendere, non poſſe initium eius in aliud tempus collocari, quam annum 1630, quo primum inter Domum Auſtriacam & Suecos erupit bellum. Enimuero quia hoc modo multi principes & Status Imperii, occaſione motuum Bohemicorum proſcripti, beneficio amneſtiæ excludendi fuiſſent, res quidem, quod ad Imperium eiusque Status attinet, ad initium motuum Bohæmiæ Germaniæue redacta tandem fuit: Sed pro Subditis & Vaſallis Auſtriacis tenuit nihilominus Cæſar, vt ſaltem quoad bona illorum, promulgata illa vniuerſalis & illimitata amne-

ne aut alio modo amiſſa fuère m), etſi plenipotentiarii Suedici n) diu multumque inſtiterant, ut iis etiam illa reſtituerentur; tamen, cum Sacræ Cæſareæ Majeſtati hac in re ab aliis nihil præſcribi o), nec ob Cæſareanorum conſtantem contradictionem p) aliter tranſigi potuerit, Ordinibusque Imperii ea propter q) bellum continuari è re Imperii non fuerit viſum, porrò quoque amiſſa ſunto r), ac modernis poſſeſſoribus permanento.

§. 54. Illa verò bona s), quæ ipſis poſt ob eam cauſam t), quod pro Suecis aut Gallis contra Cæſarem, Domumque Auſtriacam arma ſumpſiſſent, erepta ſunt iisdem qualia nunc ſunt u), absque refuſione tamen ſumptuum & fructuum perceptorum, aut damni dati reſtituantur. **Bona amiſſa.**

§. 55.

amneſtia eos non iuuaret, ſi ante bellum, cum Suecis coeptum, amiſſa iam fuerint.

m) Forte iudiciali ſententia, ſi lis ſuper iis fuiſſet, aut ceſſione non omnino voluntaria.

n) Hoc pro honore Suecorum vt adiiceretur, Auſtriaci, poſtquam cupitis potiti ſunt, facile potuerunt concedere.

o) Id eſt, cum Auſtriaci in hac cauſa, ſuas prouincias hæreditarias concernente, nihil ſibi ab aliis præſcribi voluerint.

p) Quodſi Sueci eandem ſeruaſſent conſtantiam, forſan aliter cecidiſſet alea, in primis poſt captam partem vrbis Pragæ, quo caſu inopinato omnia apud Auſtriacos terrore erant completa, vt quibusuis conditionibus feſtinaretur ad Pacem. Sed hac de re agi ex integro non poterat, cum ſuper ea tranſactum iam plene fuiſſet.

q) Ordines Imperii tamdiu fortiter reſtiterant, donec animaduertere, Suecos labaſci, Volmario Auſtriaco illis inſuper ad aurem ſecretum illud inſuſurrante, ex quo facile intellexere, fidem Suecis non duraturam, neque ſe alio fini, niſi inuidiæ excipiendæ cauſa, Auſtriacis obiici.

r) Atque hoc Exules illi pro ſolatio reportarunt.

§. 54.

s) Quanquam non multum valde fuerat, quod ſic eſt reſtitutum, conqueritur tamen Obrechtus ad hunc locum hoc etiam promiſſum arte & malitia Ieſuitarum multis modis eneruatum eſſe, quibus alias opima portio ex omni illa præda obuenerat.

t) Ergo ſi aliam ob cauſam bona illa amiſerint, ceſſare reſtitutio videtur. *erepta ſunt*) Hoc verbum violentiam continet, quo iterum reſtringitur beneficium promiſſæ reſtitutionis, quia multa bona poſſunt amiſſa eſſe, quæ fortaſſe non dici poterunt eſſe erepta.

 u) Vti

Lutheranor. Prætenſiones in Bohemia &c.

§. 55. De cætero in Bohemia x), aliisque quibuscunque provinciis hæreditariis Imperatoris, Auguſtanæ Confeſſioni addictis ſubditis vel creditoribus y) eorumve hæredibus, pro privatis ſuis prætenſionibus z), ſi quas habent, & earum nomine actiones intenderint, aut proſecuti fuerint, Jus & Juſtitia æque ac Catholicis citra reſpectum, adminiſtretur a).

Excepta à reſtitut.

§. 56. A dicta tamen univerſali reſtitutione excepta ſunto b), reſtitui vel redhiberi nequeunt c), mobilia & ſe moventia d), fructus

u) Vti exules a poſſeſſoribus modernis neque fructus, ex re reſtituenda perceptos repetere, nec agere de damno, interea dato poſſunt; Scilicet ſi res deterior facta fuerit: Ita poſſesſores refuſionem ſumptuum petere nequeunt, ſi res interea melior ſit facta. Vnde ſequitur, multo minus retentioni locum eſſe ob ſumptus, in rem factos.

§. 55.

x) Buckiſch his verbis probare conatur, Bohemiam in ipſo Inſtrumento Pacis hoc loco pro hæreditaria prouincia Domus Auſtriacæ agnitam eſſe. Rem ipſam ego in dubium non voco. Sed de argumento, quo vtitur, mihi longe aliter videtur, quia non ſequitur, poſt regnum Bohemiæ fit mentio aliarum prouinciarum, quæ Domus Auſtriacæ ſunt hæreditariæ, ergo etiam regnum Bohemiæ eſt hæreditarium: nam aliud eſt regnum, & aliud Prouincia.

y) Hos puto alios eſſe a Subditis & Vaſallis Domus Auſtriacæ. Nam his ſupra §. 52. liber reditus in priſtinam patriam conceſſus fuit eum ad effectum vt ibi etiam manſionem atque domicilium habere poſſint, ſi legibus patriis ſe accommodant.

z) Cum priuati non poſſint habere niſi priuatas prætenſiones, verbum *priuatis*, ſuperfluum hic eſſe videtur.

a) Citra reſpectum intellige de religione.

§. 56.

b) Enumerantur hic, quæ placuit a reſtitutione ex capite amneſtiæ excipi ex rationibus ſingularibus, quæ deſumuntur vel ex natura & conditione rei, vel circumſtantiis aliis.

c) Eſt enim de bello, vt de quauis calamitate publica: pereunt Domino, quæ ſic pereunt: vt incenſæ domus, villæ, fruges ſyluæ. Vno verbo, omnia, quæ bellum abſumpſit, vt non amplius extent: quorum precium læſis non magis debetur, quam de damnis bello datis, ſancitâ ſemel amneſtiâ, ſuper eſt actio.

d) Differunt mobilia & ſe mouentia vt genus & ſpecies. Hæc enim ſub illis etiam comprehenditur quidem, ſed dicuntur ſe mouentia ex ea ratione, quod vi locomotiua gaudeant, & principium motus in ſe habeant, cum reliquorum mobilium motio ab agente externo dependeat: quod horum non detur

Digitized by Google

ctus percepti e), aut ſtoritate belligerantium partium interverſa f) itemque tam deſtructa g), quam publicæ ſecuritatis cauſà in alios uſus converſa ædificia, publica & priuata, ſacra & profana h), nec

detur reſtitutio ratio eſt, quia aut vſu conſumuntur, aut occultari facile poſſunt. Atque hinc multæ & difficiles lites forent oriundæ, quas reducta pace, minui oportet. Sed & mobilia, ab hoſtibus capta facilius fiunt capientium, quam immobilia, ſeu res ſoli, quorum Domini in bello non videmur vltra eſſe, quam illis inſiſtimus, armisque tenemus. Vnde mobilia prædæ & manubiis adnumerantur, in quæ ſingulorum etiam militum ſæpe ius eſt, & manus iniectio. Immobilia rediguntur in ærarium, & ſunt reipublicæ. De actionibus, nominibus & creditis fruſtra hic quærit Buckiſch: illa enim ſupra art. 46. reſtitutioni obnoxia ſunt facta; niſi forte diſtinctionem facere volueris inter nomina & credita vi metuque extorta, vel bello capta: Qua de re cogitandum denuo erit. Dubito ſane, num qui inſtrumenta debiti ita cepit, nomina exigere etiam poſſit, inuito debitore, qui hoſti non eſt obnoxius.

e) Adeoque multo magis percipiendi. Sunt autem fructus percepti non illi modo qui conſumpti ſunt: ſed & qui ex agro & arboribus ſunt collecti, etiamſi adhuc extent, & reſtitui poſſint.

f) Interuertere eſt callide ſurripere quid vel intercipere, quod plerumque fit, cum rem commodatam aut creditam nobis vindicamus doloque, ne Domino reſtituatur, efficimus. Sed hic vbi autoritas belligerantium interuenit, conſideratio doli ceſſat. Interuerſa autem maxime autoritate belligerantium illa intelliguntur, in quæ ſtatim indicto bello manus iniicimus; vel quæ cum vrbs diripienda datur, milites capiunt ex præda, publice conceſſa. De populatione & vaſtatione agrorum idem iudicium eſto. Eiusmodi enim expeditiones ſemper autoritate belligerantium ſuſcipiuntur.

g) Hæc a reſtitutione in tantum excepta ſunt, vt reparari ſumptibus eorum non debeant, qui deſtruxere. Quin vero ſic deſtructa poſt reſtitutionem reparari non poſſint, niſi alia lex dicta fuerit, huius loci ſenſus omnino non eſt.

h) Verbi gratia in quadam Ciuitate, Auguſtanæ Confeſſioni addicta habuere Pontificii templum extra moenia, vrbi propinquum, quo ante motus Bohemicos vſi ſunt ad ſuorum ſacrorum cultum. Hoc belli tempore ea ratione dirutum fuit, quod incommodare vrbi propinquitate ſua videretur, obſidionis caſu. Eiusmodi enim ædificiis hoſtis multis modis vti poteſt in damnum obſeſſorum. Huius templi reſtitutionem ſi facta pace, Catholici petunt, eos ex hoc §pho repulſam pati neceſſe eſt; æquitati tamen conueniret, vt ſinantur ædificare aliud ligneum, quod incendi ſubito poſſit quouis hoſtili periculo. Idem ius dicimus,

ſi

nec non depoſita publica vel privata hoſtilitatis intuitu confiſcata, i) legitime vendita l), ſpontè donata m).

Juliacenſis ſucceſſionis cauſa.

§ 57. Quia verò etiam cauſa Juliacenſis n) ſucceſſionis inter intereſſatos, niſi præveniatur, magnas aliquando turbas in Imperio excitare poſſet, ideo conventum eſt, ut ea quoque Pace confectà ordinario proceſſu, coram Cæſarea Majeſtate o) vel amicabili compoſitione p), vel alio legitimo modo q) ſine mora r) dirimatur.

ſi templum intra vrbem, proximum moenibus, muniendi loci cauſa vallo comprehenſum, aptatumque munimentis eſt.

i) Significanter additur *hoſtilitatis intuitu.* Quæ res enim non ſunt hoſtium, etiamſi apud hoſtes inueniantur, capientium non fiunt. Add. *Grotius lib.* 3. *de J. B. & P. c.* 6. *§.* 5. *&* 26.

l) Neque enim omnes contractus belli tempore celebrati, reſcinduntur, ſed illi tantum, ad quos vi metuque altera contrahentium pars adacta fuit. *Vide ſupra §.* 46.

m) Ergo cum vis aut metus adhibetur, donatio reſcinditur, & reſtitutio Inſtrumenti donationis decernitur, ſi quod factum. *d. §.* 46. *quodſi vero debitores* &c.

§. 57.

n) De hac cauſa integra volumina typis publice edita proſtant, quæ hic in compendium redigi non poſſunt. Eſt autem cauſa ſucceſſionis *inter Intereſſatos*, in qua Poſſeſſores ſunt Marchio Brandenburgicus & Dux Neoburgicus. Auctores vero Domus præcipue Saxonica, & ſuo etiam modo Duces Bipontini. De qua quomodo hic ſit conuentum, ne propterea noui motus excitentur, ſequentia docent.

o) Hæc lis huc vsque nondum inſtructa eſt. Coeterum hac in cauſa actores ſibi longe melius conſuluere ordinario Proceſſu, cui finiendo nullum tempus præſcriptum, quam Marchiones Onoldini, qui biennio ſuo cauſam Kitzingenſem perdidere.

p) De qua tamen ſpes etiam decollat.

q) Forte arbitris aut mediatoribus.

r) Diutiſſima huc vsque mora, fuit. Cui imputanda illa ſit, non eſt meum decernere. Quia tamen nulla poena in moram conſtituta, vnicuique parti ex hac pace ius integrum & ſaluum manet, quod quauis occaſione contradictionibus & reſeruationibus mutuis ſibi quiſque conſeruare maximopere ſtudet.

Digitized by Google

MEDITATIONVM
AD
INSTRVMENTVM PACIS
CÆSAREO-SVECICUM
SPECIMEN SECVNDVM.

ANNO M DCC VII.

Digitized by Google

Digitized by Google

MEDITATIONUM
ad
INSTRUMENTUM PACIS
SECIMEN SECUNDUM.

Articulus V.

Proœmium.

CUm autem præſenti bello, a) magnam partem, b) Gra-

Q

a) *Cum autem præſenti bello) Sequitur articulus de Compoſitione gravaminum Eccleſiaſticorum, cujus ſupra etiam* art. 3. §. 2. *fin. mentio injecta fuerat. Ratio, cur de his rebus tranſigendum eſſet, erat, quia gravamina, quæ inter utriusque Religionis Status vertebantur, præcipue cauſam & occaſionem dederint bello tricennali, quod tunc pace finiebatur. Inconſultum igitur fuiſſet, conſtituendæ pacis perpetuæ negotium ſuſcipere, relicto tanto fomite irarum, unde facile conflari iterum incendium poſſet.*

b) *magnam partem) i. e. ex magna parte. Fuere quidem motus Bohemici prima belli initia. Neque proſcriptus Elector Palatinus, Fridericus, aliique cum eo Principes atque Status nullam armorum cauſam dedere. Sed tumultus tamen hæc omnia potius, quam bellum in Imperio. At ex quo anno 1629. edicto Ferdinandeo propoſito bona Eccleſiaſtica per univerſam Germaniam ab iis etiam repetita atque vindicata ſunt, qui ſuperioribus motibus ſe non immiſcuerant: miſſis per omnes Provincias militum agminibus, edicti exequendi cauſa, repente omnia æſtuabant, querelarum irarumque plena,*

Gravamina, c) quæ inter utriusque Religionis d) Electores, Principes & Status Imperii e) vertebantur, cauſam & ocaſionem

na. Unde Sueci vix arma in Germaniam tulere, cum repente Proteſtantes tot injuriis conſternati certatim ſe junxere libertatis tuendæ cauſa, quam favor Religionis mirifice adjuvabat, cujus jugulum peti, ex juſtitiæ adminiſtrandæ calumnia, neſcire nemo amplius poterat poſt tot edita adverſariorum ſpecimina, undique in Monaſteria & Eccleſias, earumque bona, facto agmine ſturnorum inſtar involantium, augente rei indignitatem Jeſuitarum impudentia avaritiaque, qui opimiora quæque ſibi ex præda deſtinabant, gratia Cæſareæ Aulæ, cujus auctoritate etiam cum invidia ipſorum Catholicorum, atque inprimis Ordinum Religioſorum ſublevabantur.

c) Gravamina) Non ſane omnia gravamina, cujuscunque ſint generis, hic intelligi, extra dubium eſt. Fuere enim non pauca etiam eorum de rebus mere civilibus ſeu ſecularibus, quæ etſi cauſam & occaſionem bello dederint, non ex hoc articulo, ſed aliis Inſtrumenti Pacis locis dijudicanda ſunt; prout id art. 4. §. 49. *exempli cauſa probari poteſt. Gravamina igitur hic accipienda paulo ſtrictiori ſenſu de gravaminibus 1 (circa* Eccleſiaſtica, *& 2) circa ea, quæ* intuitu Eccleſiaſticorum in Politicis mutata ſunt, ex hoc artic. 5. §. 2. *quamobrem hic articulus 5tus ſupra* art. 3. §. 2. *appellatus eſt* articulus de Gravaminum Eccleſiaſticorum compoſitione. *Interea illud quoque veriſſimum, non de Religione modo ejuſque exercitio atque libertate hoc agi articulo, verum etiam maximam ejus partem occupari circa bona Eccleſiaſtica eorumque poſſeſſiones.*

d) quæ inter utriusque Religionis) En locum inſignem & notabilem, ubi Status Imperii in duas, non tres Religiones omnium paciſcentium auctoritate atque ſuffragiis dividuntur. Ut pudere proinde novos illos Criticos & Cenſores inventi ſui, quo ſibi tantopere placuere, merito debeat, qui nuper ferre mentionem de Statibus utriusque Religionis noluere. Præterea illud etiam hoc loco oſtenditur, agi hoc articulo noſtro non de omnibus gravaminibus Eccleſiaſticis, ſed de illis ſolummodo, quæ inter utriusque Religionis Status vertebantur. Nam quæ Gravamina inter ſolos Catholicos vel ſolos Evangelicos intercedunt, ex alia lege dirimenda ſunt. Sicuti Evangelicorum cauſa multa artic. 7. *infra conventa inveniuntur. A quibus dum nonnulli Controverſiis inter Conſortes unius religionis componendis argumentum deſumunt, meo quidem judicio mali interpretis munere fungi videntur.*

e) Electores, Principes & Status Imperii) Paulo poſt additur immediata nobilitas quæ quia hoc prooemio omiſſa, pro excluſa ideo habenda non eſt: cum textus ipſe ſuppleat, quod in præfamine ſeu exordio defuit.

f) Cau-

Digitized by Google

nem f) dederint, de iis, prout ſequitur, conventum & tranſactum eſt. g)

f) *Cauſam & occaſionem.*) *Aliud quidem eſt cauſa belli, accurate loquendo, & aliud occaſio: neque Gravamina, rem accurate conſiderando, dici poſſunt bello occaſionem dediſſe, quæ ſemper ab opportunitate temporis dependet, in cujus excuſationem ſive vera cauſa, ſive prætextus aſſumuntur. Sed hic non opus eſt ſubtilitate verborum, ubi paciſcentes populari modo locuti ſunt.*

g) *De iis, prout ſequitur, conventum & tranſactum eſt. Si inter conventum & tranſactum differentia ſtatuenda, prius verbum ad tractationes, poſterius ad abſolutionem tractationum referri poſſet. Sed neque iſtas minutias Paciſcentes tunc in animo habuiſſe crediderim. In hoc potius inquirere præſtat, an hic articulus Vtus etiam Gallos obliget, in quorum Tabulis Pacis non invenitur. Poſſet videri otioſa quæſtio, cum quæ Gallis ſunt ceſſa, pleno Dominii jure Eis ita fuerunt quæſita, ut Cæſar & Status omni ſe imperio in illa abdicaverint: Sed accidit tamen, ut occaſione cauſæ vel caſus Hagenoenſis in Conventu Deputatorum Francofurtano res ipſa varie inter Catholicos & Proteſtantes diſceptata fuerit, Bavaro & Moguntino primum, mox cæteris Catholicis uno ore affirmantibus, Regem Galliæ hoc noſtro artic. sto non teneri, atque adeo poſſe ipſum Hagenoiæ Religionis Catholicæ protectionem atq; conſervationem, etiam contra ſtatum anni vigeſimi quarti, ſuſcipere, vigore §vi Inſtrumenti Gallici,* ſit tamen Rex obligatus. *Ibi enim obligari Regem, ut conſervet Religionem Catholicam, quemadmodum ſub Auſtriacis Principibus conſervata fuit, non vero ex ſtatu dicti anni: quare cum generi per ſpeciem derogetur, ad hanc conventionem ante omnia alia attendendum fore: neque hoc jus, Regi ſemel quæſitum, vocari magis in dubium poſſe, quam ipſi propterea liceat aliis in Imperio locis compoſitionem Gravaminum inter Cæſarem & Status, vi pacis cum Suecis initæ, placitam, hoc prætextu convellere, cum illa ipſa etiam in Gallicis Tabulis* §vo cum etiam ad majorem, *firmata & ſtabilita ſit. Sed hercle ſtatus Proteſtantes contra hæc ex hoc ipſo* §vo cum etiam ad majorem &c. *longe rectius contendere, cum inter Imperium & Galliam placuerit, ut tranſactio de Compoſitione gravaminum, Tractatu etiam cum Gallis abſoluto, firmaretur & ſtabiliretur* eo plane modo, ac ſi de verbo ad verbum huic inſtrumento inſerta legeretur, *ideoque civitatem Hagenoienſem beneficio reſtitutionis, ex lege conceſſa, non minus, quam alios Status Evangelicos fruituram, neque Regem Galliæ ſalva pace intercedere, vel impedimentum afferre poſſe. Manſiſſe enim Civitatem illam liberam Imperii Ur-*

bem

Digitized by Google

Tranſactio Paſſavienſis Pax Religionis.

§. 1. I. Tranſactio anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſecundo a) Paſſavii inita, & hanc Anno milleſimo quingenteſimo

bem ſtatumque, neque Galliæ Regi ceſſam, qui pace nihil aliud in decem illas Civitates Alſaticas obtinuerit, quam Præfecturam Provincialem, juraque, ab hac præfectura dependentia, prout illa Domus Auſtriaca olim exercuerat: neque obſtare §*vum ſupra allegatum*, ſit tamen Rex obligatus. *Ibi enim* conſervare Catholicam Religionem *non hoc ſibi velle, ac ſi per id omnis reſtitutio Proteſtantium Civium, alias ex formula Pacis Suecicæ debita, excluſa intelligeretur, ſed ſaltem, Catholicam Religionem una ibi eſſe conſervandam, id quod fieri etiam poſſit, absque Proteſtantium injuria & expulſione: nam conſervationem unius Religionis alterius extirpationem neceſſario non poſcere; imo contrariari potius ejusmodi interpretationem bonæ fidei & Paciſcentium intentioni, qui id unice egerint, ut omnes Religionis cauſa obortæ ſimultates & querelæ ſopirentur reſtitutione omnium generali & æqua, quæ quisque ao. 1624. ſe poſſediſſe docere poterat. Adhæc circumſcribi ibidem expreſſis verbis conſervationem Religionis Catholicæ*, quemadmodum ſub Auſtriacis Principibus conſervata fuit: *quod non temere, ſed definitionis cauſa ſit additum, cum nemini non conſtet, Auſtriacos ſuam Catholicam Religionem Hagenoiæ usque ad annum 1624. conſervaſſe, etiamſi Proteſtantibus liberum Auguſtanæ Confeſſionis exercitium cum Templis, ſcholis & reditibus debitis fuerit relictum. Denique ultima etiam verba*, omnesque, quæ durante bello novitates irrepſerint, tollantur, *ſatis declarare, de id genus novitatibus ſaltem ſermonem ibi eſſe, quæ durante cum Suecis bello irrepſere, ut iniquum prorſus fuerit, ſenſum ad illa etiam extendere velle, quæ anno 2410 in uſu atque poſſeſſa fuere, & poſtea turbata, nunc ſecundum Pacis Tabulas reſtituenda ſint. Atque hæc illo tempore inter utriusque Religionis Deputatos ſic ventilata ſunt, procul dubio meliori Proteſtantium cauſa. Nam univerſe verum eſt, Gallos etiam ad ſervandam toto Imperio tranſactionem de Compoſitione gravaminum ſic eſſe obligatos, ex* §*vo Pacis Gallicæ*, cum etiam ad majorem &c. *Ut contra omnes ejus violatores præſtare quoque guarantiam ſuam teneantur, nedum ut ipſi hac obligatione ſoluti cenſeri poſſint.*

§. 1.

a) Tranſactio anno 1552. &c.) Hujus tranſactionis, eamque ſubſecutæ Pacis religioſæ confirmatio, & in dubiis quibusdam atq; controverſiis declaratio, uberem materiam novis litigiis cavillisque dedit, quibus executio Pacis multis in cauſis non parum remorata eſt. Ut ſane neſciam, annon præſtitiſſet, Pacem religioſam penitus abrogare, & de ſingulis capitibus nova lege ſecundum ea ſtatuere, prout inter Paciſcen-

Digitized by Google

ſimo quinquageſimo quinto ſecuta Pax religionis b) prout ea anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto c) Auguſtæ Vindelicorum, & poſt in diverſis Sacri Romani Imperii Comitiis univerſalibus d) confirmata fuit, in omnibus ſuis Capitulis, e) unanimi Impera-

Paciſcentes convenerat. Nam quia Pax religioſa multis in rebus Catholicorum commodis longe aptior erat, quam Weſtphalicæ Pacis nova ſcita: ideoq; iſti avidiſſime arripiebant, quod hic habetur, ſcilicet ratam ipſam habendam, ſancteque & involabiliter ſervandam eſſe. Quamobrem ſi quis dubius caſus ex Pace Weſtphalica decidendus erat, (dubium autem faciebant fere omne, de quo non expreſſis verbis nominatim conſtabat) illi ſtatim confugiebant ad Pacem religioſam, indeque velut ex fundamento, quo controverſiæ Religionis niterentur, petendam eſſe gravaminum dijudicationem contendebant, Proteſtantibus fruſtra objicientibus, de talibus Weſtphalica Pace aliter placuiſſe. Poſtquam enim Catholici illud ſemel obtinuere, ut religioſam pacem pro baſi totius tranſactionis haberent, facile eis deinde fuit, calumnia interpretationis invenire rimam, qua elaberentur, ſibique præſidium aliquod ex Pace religioſa circumponerent. Atque experientia ſane docuit, hac arte liquidiſſimas reſtitutiones protractas in hunc usque diem eluſasque fuiſſe, neque ullum fere caſum poſt primas a pace executiones, dimiſſasque Suecicas copias, quæ adverſariorum cupiditates aliquanto adhuc metu ſuo in officio continebant, veniſſe in diſceptationem, quem non hac calliditate aut ſimili alia, ſtupenda ſæpe cum audacia evitarint, quo minus debito loco & jure haberetur, id quod cum integra acta in conventu Deputatorum Francofurtenſi, tum ante alia notiſſimus ille, & paulo ante notatus caſus de reſtitutione Evangelicorum in civitate Hagenoenſi teſtatum facere poteſt: quanquam negare nolim, aliquando ab altera etiam parte officium boni interpretis nimio ſuarum rerum ſtudio fuiſſe neglectum: exempla alia ſuis quæque locis, data opportunitate, non tacebimus, pro inſtituto noſtro, quod animum affectibus omnino vacuum ſibi poſtulat.

b) *Secuta Pax religionis*) Conſtat articulis fere quindecim, qui in receſſu hic allegato legi poſſunt.

c) *Prout ea anno 1566.*) Hæc confirmatio extat in dicto receſſu, §. und nachdem &c.

d) *Et poſt in diverſis Comitiis Univerſalibus*) Cum per repetitas iſtas confirmationes Paci religioſæ nihil novi adjectum fuerit, ſuperfluum eſſet & nullo uſui, ſi evolutione Receſſuum ſingula loca colligere vellemus.

e) *in omnibus ſuis Capitulis*) Sane hæc verba captioſa ſunt, & Catholicis ſæpe occaſionem præbuere, abutendi religioſa Pace in Weſtphalicæ fraudem

peratoris, Electorum. Principum & Statuum utriusque Religionis conſenſu f) initis ac concluſis g) rata habeatur, ſancteque & inviolabiliter ſervetur. h) Quæ vero de nonnullis in ea Articulis controverſis, i) hac Transactione communi partium placito ſtatuta ſunt,

dem. Nam multa eorum, quæ in hac Pace circa Religionem & poſſeſſiones Eccleſiaſticas conventa ſunt, non tam fuere declarationes ſuper articulis quibusdam, in Pace religioſa controverſis, quam mutationes & placita diverſa, quibus Paci religioſæ derogatum fuit: quo ſtante, quod negare nemo poteſt, qua ratione, Pax religioſa ut in omnibus ſuis Capitulis rata habeatur, & ſancte ſervetur, edici potuit? Itaque omnino hæc verba limitatione opus habent, ſcilicet, in quibus Paci religioſæ per poſteriorem Weſtphalicam non eſt derogatum.

f) unanimi Statuum utriusque Religionis conſenſu. Hæc verba reſtrictionis cauſa videntur potiſſimum intuitu *reſervati Eccleſiaſtici*, quod dicitur, adjecta eſſe, quod reſervatum Rex Ferdinandus ex poteſtatis plenitudine ſuffragiis tantum Catholicorum ſtatuum, reclamantibus Evangelicis obteſtantibusque fidem ejus ſancivit. Sed & ex altera parte decretum illud famoſum Ferdinandi, invitis Catholicis, gratia Evangelicorum editum, pro ſubditorum conſcientia & Religionis libertate, eandem ob cauſam vehementes contradictiones expertum eſt. Quicquid itaque Imperator non unanimi Statuum utriusque Religionis conſenſu, ſed ad ſuggeſtionem unius partis pro auctoritate in Pace religioſa ſtatuit, ad hanc confirmationem non pertinet, ſed ex alio titulo æſtimandum eſt.

g) initis ac concluſis) i. e. deliberatis & confectis. Cœterum neſcio, annon hic ſit ἀκυρολογία quædam, *inire capitula*, *concludere capitula*, ſi pro conventionis aut transactionis cujusdam articulis ſive capitibus, primo tractatis, deinde abſolutis, accipitur: inire pacem recte quidem dicimus; ſed an ſic etiam iniri capitula dicantur, forſan dubites:

h) rata habeatur, ſancteque & inviolabiliter ſervetur) Primo rata habetur Transactio Paſſavienſis, & Pax Religioſa, quia utramque conventionem olim prurientia & inquieta hominum ingenia variis ſcriptis laceſſere atque ſubruere non dubitavere. Notum eſt virulentum Burkardi, Cancellarii Colonienſis, ſcriptum *de Autonomia.* Neque minus ſceleſte & nefarie genio ſuo hic induſſere Jeſuitæ Dillingenſes in tractatu, quem *Compoſitionem Pacis* inſcripſere. Deinde Transactio illa & pax, ſic rata denuo habita, munitur novo promiſſo, quod ſancte & inviolabiliter in poſterum ſit ſervanda.

i) Quæ vero de nonnullis in ea articulis controverſis) Articulos illos controverſos Religioſæ Pacis longo ordine

Digitized by Google

ſunt, k) ea pro perpetua dictæ Pacis declaratione, l) tam in Judiciis, quam

ordine recenſet ſcriptum illud Proteſtantium, initio Tractatum pacis Cæſareis & Catholicis exhibitum anno 1645. decima Decembris. Sed & eosdem diu ante hac velut in compendio complexum fuerat ferale illud edictum Ferdinandi II. anno 1629. editum, quo id genus controverſiæ ſumma cum Proteſtantium injuria, ex voto & re Catholicorum, non ſine tacita conſpiratione deciſæ ſimul, miſſisque per univerſum Imperium Commiſſariis, vi militari ſubnixis, executioni dari cœptæ ſunt. Unde primo conſternatio ubique & queſtus; deinde turbæ & civile bellum, commodo Suecorum auxilio, velut Deo ex machina, in ſalutem Proteſtantium, quorum res absque hac ſocietate fere jam conclamatæ erant: in tanto Saxonum inprimis ſtupore, qui futurorum incurii faſcinatique Auſtriacorum inſidioſis blandimentis, præſentia modo reſpectabant.

k) hac transactione communi partium placito ſtatuta ſunt.) Transactio hic intelligitur totus articulus 5tus, quatenus de Compoſitione gravaminum agit. Commune autem partium placitum eſt conventio belligerantium, ex una parte Domus Auſtriacæ cum ſuis Fœderatis; & ex altera Coronæ Suecicæ cum ſuis Fœderatis. Interea commune etiam placitum cenſetur, quod utriq; parti ex plurium ſententia placuit, etſi hinc & illinc nonnulli forte fuiſſent, quibus aliter viſum de quibusdam capitibus.

l) ea pro perpetua dicta pacis declaratione) Declaratio proprie dicitur, cum de dubio ſcripti alicujus ſenſu certi quid ſtatuimus. Aſt hic latior ſignificatio obtinet, ubi pro declaratione Religioſæ Pacis etiam accipiuntur non ea modo, quæ ſuperioribus ejus Capitulis de novo adjecta ſunt: Sed & quæ prorſus in contrarium mutata, veteribus abrogatis, cujus generis non pauca hoc articulo reperiri lectio ipſa docet. Unde infra §vo 50. hujus articuli dicitur etiam certo reſpectu transactio, in verbis: *Hanc inprimis ſive declarationem ſive transactionem*, quo loco hæc duo particula disjunctiva SIVE manifeſte a ſe invicem diſtinguuntur. Quamobrem olim Deputatis ad punctum reſtituendorum nulla religio fuit, publicis ſuffragiis de Pace Religioſa hanc confeſſionem edere, illam Pace Weſtphalica hactenus confirmatam eſſe, qua hæc illi non derogat, id quod ſtricte ſumptum cum declaratione ejus non ubique ſatis convenit. Ita etiam ex altera parte perpetuitas hujus declarationis ipſius Pacis Religioſæ non eſt abſoluta, ſed habet terminum, quo exiſtente certo caſu finitur, nimirum ſi de ipſa Religione convenerit: quamvis effectu hoc idem ſit, ac ſi dictum fuiſſet, *nunquam*, quia ſalva hac pace, quæ omnem vim pro-

quam alibi obſervanda m) habebuntur, donec per DEI gratiam de Religione ipſa convenerit, n) non attenta cujusvis ſeu Eccleſiaſtici ſeu politici, o) intra vel extra Imperium, p) quocunque tempore

prohibet, inter Religiones, tot ſtudiis & affectibus diverſas, concordia nulla ſperari poteſt.

m) tam in judiciis quam alibi obſervanda) In judiciis, ut ſecundum hæc placita ſententia feratur, non obſtantibus ullis aliis contrariis conſtitutionibus vel moribus. *Alibi* vero cum inter partes extra judicium adhuc diſceptatur, ſive in Comitiis, ſeu coram Arbitro: ſive denique ubicunque contigerit, cauſam Religionis inter contendentes agitari.

n) donec per Dei gratiam de Religione ipſa convenerit.) Hic ex §vo 25. addendum, *amicabili partium compoſitione univerſali* Recitemus ipſa verba, quia pleniorem ſenſum habent: *donec controverſiæ Religionis amicabili partium compoſitione univerſali definiantur.* Neque enim ſufficit, quamcunque conventionem fieri. Sed ipſas controverſias Religionis definitas eſſe oportet, idque non vi metuque, neque etiam dolo; ſed amicabili partium compoſitione univerſali, id quod a ſpe & eventu longe adhuc abesſe videtur. Imo idem fere eſt, ac ſi dictum fuiſſet, *perpetuo*, vel in perpetuum. Neque alia mens Evangelicorum fuit; ſed cum Catholici ejusmodi formulam reſpuerent, qua Religioni ſuæ exilium perpetuum indici videbatur; qui initio quadraginta, mox centum annos indulſerant, Proteſtantes vero ſuorum ſacrorum ſecuritatem certo tempore finire nollent; hoc medium utrimque placuit. Evangelicis tanto minus ſuſpectum, quod crediderint eadem ratione ſe propoſitum tenere poſſe. Cœterum nota hic differentiam eſſentialem ſeu ſpecificam reſtitutionis ex capite gravaminum a reſtitutione ſuperiore ex capite amneſtiæ. Scilicet qui ex capite gravaminum reſtituuntur, vigore hujus transactionis ab omni perſecutione tuti ſunt, non attentis ullis juribus, actionibus vel exceptionibus. Unde perpetuam finitæ litis exceptionem contra Eos habent, qui veteres lites aut jura priſtina reſuſcitare voluerint. At reſtituti ex amneſtia reſtituuntur ſalvis aliorum juribus quibuscunque, ſive reſtituenti, ſive reſtituendo, ſive cuivis tertio competentibus: ex quo poſſeſſionem quidem priorem recuperant, ſed a perſecutione juris tuti non efficiuntur, id quod illis fit.

o) non attentis cujusvis, ſeu Eccleſiaſtici ſeu Politici) Ne partes de Religione hocmodo convenirent, obſtitere quondam editis paſſim aculeatis ſcriptis improbi quidam, in turbido piſcari ſoliti, tantoque ad diſuadendum audaciores, quod ipſi plerumque cucullati extra calamitates & pericula bellorum in alienis miſeriis ventrem paſcerent; quia ab hoc hominum genere hoſtes

Digitized by Google

ſtes etiam injurias belli abſtinent, cum, ſi pro merito cuiq; par referendum eſſet, illi in primis vexandi atque obterendi forent, cum plerumq; primi bellorum omnium incentores exiſtant, quæ ob religionem geruntur. Quæſo enim quis ſine ſtomacho & indignatione eos in republica libenter ferat, qui in ſinu ejus foti, & maximis honoribus commodisque macti eo omnes ſuas cogitationes atque ſtudia conferunt, ut quam pacem poſt diuturnum & ferale bellum munere divino tandem adepti ſumus, & quæ tanti Reipublicæ ſtetit, eandem ipſi rurſus convellant cum ſecretis Conſiliis & Suggeſtionibus, tam vero etiam ſcriptis publicis. Equidem prætenditur religionis propagandæ fervor; Sed habent illi egregii Viri abunde, quod apud utrosque Indos, a religione gentili ad fidem Chriſtianam convertendos agant. Nos, qui Chriſtiani ſumus, ſi nant quibusdam opinionibus diſſentire, cum in formula Fidei Catholicæ quam Apoſtoli vulgo concepiſſe creduntur, ambo conveniamus. Niſi forte gravior eſt minusque ferendus error, ſi quis ad imperia Curiæ Romanæ faſces non protinus ſubmittit, quam cum Sinenſibus iam ſibi credulis mira indulgentia hoc nihilominus permittitur, ut poſſint Confutio ſuo feſtis diebus ſacra facere, victimas mactare, thura adolere, cereasque accendere, modo de cætero illos ſuos Magiſtros laute & liberaliter habeant, atque eis honoris cauſa aſſurgant. Adeo facilius fertur, vel diſſimulatur ſaltem cultus gentilis & Idololatricus, quam ſi apud nos vel tantillum in ceremoniis mutes, aut ab id genus Doctoribus Ariſtarchis diſceſſeris. Miſcebunt potius ſumma imis, quam ut in minima etiam re ſuæ dignitatis & reverentiæ jacturam facerent; Quemadmodum vero ſibi ſatis ſunt conſcii, res ſuas lubrico loco fore, ſi ferre oporteat, quibus veritatem libere licet dicere, cui audaciæ compeſcendæ officium illud ſacro ſanctæ, ſi Diis placet, Inquiſitionis inſtitutum, & immani prorſus rigore hactenus, ubi datum eſt, exercitum. Ita ſumma ægritudine inter ſe verſari illos patiuntur, oculisque lividis ſemper transfigunt, quos ex pacto vel inſtitutis reipublicæ tolerare debent, non modo diſſentiente, verum etiam obloquentes. Ut non mirum, ſi cuniculos ad ſuffodiendam illam pacem agant, quæ inviſos ſibi tantopere æmulos protegit. Interea reipublicæ intereſt, ut quo ferociores illi atque irrequietiores hac vitæ parte ſunt, eo majori ſeveritate legumq; cuſtodia eorum refrenetur inſania, id quod hoc loco fit, & pluribus aliis, per omnem fere Tabellarum Pacis ambitum.

p) intra vel extra imperium) Inter eos, qui extra Imperium pacificationi contradixere, fuit Romanus Pontifex ante alios notiſſima ſua Bulla, in quam deinde Conringius calamum ſtrinxit, tantorumque auſuum ineptias & vanitatem imperandi pro merito ultus eſt, remoto penitus ſipario, poſt quod hæc fabula in morem ludicri umbratilis agitur; Obſecro, num rei Chriſtianæ non te miſeret, cujus libertatem, qua primis temporibus gaviſa eſt Eccleſia, calliditas & ſpecioſæ fraudes ſub unius Hominis

Digitized by Google

jugum miſerunt. Atque eſt profecto inſtar faſcini, cum ineunte ſeculo decimo ſexto Larva huic fucatæ ambitioni detracta fuiſſet, & defectioni tuta atque honeſta pateret via, tot populis excuſſo jugo ad avitam libertatem certatim provocantibus, duraſſe tamen alios, atque maluiſſe pati Imperium, exterisque miſere & indigne ſervire; quam memores conditionis ſuæ atque officii exemplo aliorum cum ſuæ dignitati, tum ſubditorum utilitatibus conſulere. Sed illud plane prodigii loco habendum, fuiſſe Principes, qui e carcere ſemel emiſſi, atque guſtata Chriſtianæ libertatis dulcedine & prærogativa poſthæc ad veteres illos & ſuperbos Dominos ſua ſponte revertuntur. Privatos non valde miror quibus, ubicumque ſunt, eſt ſerviendum. At qui ditiones genteſque ſuo arbitratu regunt, hos nemine cogente non modo ſuæ ingenuitatis oblivisci ſed & maximo ſuo damno pati, imo jubere, ut in ſtatu ſuæ reipublicæ nova ſtatus contrarii facies formetur, admiſſis Hominibus, quos in poteſtate ſua non habent, & qui continuo occurſu peregrinæ jurisdictionis cum imperio civili colliduntur, eique moleſtiſſima negotia faceſſunt, id vero quo nomine potius appellem, non invenio: hinc reverentia impetum cohibente, illinc vero indignitate rei acuente iras; Nobis igitur ſine invidia & fraude fore confidimus, ſi, quæ nunc dicuntur paulo fortius vindicandæ pacis gratia, aut deinde ex occaſione dicenda erunt, liberaliter & ſincere proferimus. Hoc munus poſtulat ſibi Interpretis candor & probitas; qui ſupra verba pollent, uti poſſunt argumentis nervoſioribus licentiæ retundendæ. Hoc enim oraculi inſtar Principes, ſibi dictum putent, Clerum nunquam agere modeſtius, ſanctiusve, quam cum deſinit metui, & incipit metuere. Fertur hoc ipſum olim Cardinalis Sanctacrucius Foxio, Legato Gallico in colloquio ſecreto affirmaſſe, præſente Thuano, adhuc Juvene. Romanam, nempe, Curiam, ubi obſequare, aſperam & inſolentem, miteſcere protinus, atque tractabilem ſe prabere, quam primum ſibi rem cum illis eſſe ſentit, qui minarum intrepidi oſtenſo contra terrore inermem auctoritatem, nec ultra valituram, quam ſuperſtitio cogit, ſtrenue percellunt cujus moniti, tota vita utiliſſimi meminiſſe eum, ſed auctoris oblivisci juſſit. Operæ pretiũ hercle eſt, referre ipſa verba Santacrucii, prout *in Vita Thuani lib I.* leguntur. *Cogis me*, inquit, ille Cardinalis ad Foxium, *in tuam gratiam renudare, quæ in Aula noſtra*, Romana puta, *ſumma ſilentii reverentia teguntur, cui illud ingenium eſt, ut exquiſita ſeveritate, cum occaſio ſe offert, & impune licet, in exteros utatur, & ſi quis dignitate præſtans ei ſe ſubiicit, eam cauſam longo comperendinationum ſufflamine protelari gaudeat, dum interim per gentes toto orbe fama vulgatur, & noſtri nominis terror ſpargitur, quæ ſeveritas eo usq; valet, quousq; vel infirmitate, vel religionis metu toleratur. Nam ſi aliquis princeps exiſtat, qui neutro attineatur, caute ſumma diſſimulatione ab ea ſeveritate diſceditur*; FAMA

SIQUI-

SIQVIDEM ET HOMINUM PATIENTIA Hujus AULÆ STAT MAJESTAS *& quod vaſer Florentinus dixit*,(Machiavellum puto deſignari) *iis rebus conſervatur, quæ aliis imperiis ſunt exitio. Id tibi dictum eſto,a quo didiceris,& Candor meus,& fides tua,& ejus,qui heic tecum eſt*, (ad Thuanum ſcilicet reſpexit,) *vel in hac ætate prudentia,requirit,ut a nemine reſciſcatur.* Exponit deinde porro, quomodo illo tempore Galeacius Sanſeverinus in Gallia juſſu Pontificis ab officio Inquiſitionis Rege inſalutato comprehenſus, Romamque continuo ductus,interceſſioneRegis,ad cujus honorem ea res pertinebat, liberari carcere diu non potuerit, etſi Rex eam ob cauſam extra ordinem Sangoartium Romam miſiſſet,ut captivum repeteret à Pontifice. Paulo, cui alias animus immitis & aſper erat,bonis maliſque verbis rem protrahente: donec Sangoartius ludibrii pertæſus,elapſo triduo,quod ante præſcripſerat, Papam conveniret, eiq; ferociter minaretur, ni Galeacium e veſtigio carcere dimitteret, Regique reſtitueret,& ſe illa adhuc die diſceſſurum,&Oratorem Regium poſt biduum ſecuturum eſſe. Tum demum enim Paulus,ubi poſt primos animi motus ad ſe rediit,re cum fidisCardinalibus communicata,expenſoque, quanti pertinacia diuturnior conſtare ſibi poterit, Captivum Sangoartio tradidit, ad Regem inGalliam reducendum,monito tamen antea in arcano, *caveret, ne mandata, quibus uſus erat , potius ad publicam offenſionem , quam ad Regis dignitatem ſpectantia,emanarent,ſatisque haberet, quod voti compos gratificationem Regis deſiderio reſpondentem a Pontifice impetraſſet.* Quæ omnis Hiſtoria in Vita Thuani,uti dictum,ſumma jucunditate legitur, ubi illud imprimis Pontificis repugnantiam,& quam invitus vir natura durus atque truculentus tandem conceſſiſſet, oſtendit, quod Sangoartii libertate dicendi offenſus non excandeſceret modo atque exclamaret; verum etiam geſtibus indecoris oculos & brachia hûc illûc digladiantiũ more transferret,multaq; in Regem ipſum convitia evomeret, tanquam de religione actum eſſet , & Eccleſia vim indignam pateretur,ſi quemClientem Regis velut ex gremio ejus ſumma GalliciNominis contumelia captivum dolo ſurripuerat, & de cujus ſupplicio apud ſeHomo ſanguinarius animo jam conſtituerat, reddere teneretur.Sed quid antiqua moramur? cum recentiſſimum exemplum hodie nobis Polonia ſiſtat, bello civili ob electos duos apud ſe Reges miſere turbata. Scimus enim quæ non arma Pontifex Clemens primo moverit, pro Rege Auguſto,quæ mandata ad Primatem cæteroſq; regni Epiſcopos dederit: quas minas &fulmina monitoria intentarit.Quibus hortamentis ipſiStanislao Æmulo incutere terrorem fuerit conatus.Num vero propterea in eos,qui hactenus inobedientes ſe præbuere, gravius quid decretum? num tacti aliqui fulminibus,cum toties intonuiſſet? Minime vero gentium: Res omnis intra oſtentationem ſtetit, & rinxit quidem aliquando ſanctiſſimus Pater: Verberare hactenus nunquam ſuſtinuit: quidquid

Digitized by Google

re q) interpoſita contradictione vel proteſtatione, r) quæ omnes inanes & nihili vigore horum declarantur, s) In reliquis omnibus t) autem inter

etiam Romæ Orator Auguſti Regis ad acuendam iram, armaque expedienda ſuggerat. Quin Pontifex alteri etiam parti, etſi cum libertate ſæpe loquenti aures ſuas præbet, juſſitque defuncto nuper Primati ut juſta fierent. Neque dubium, adjuturum tandem adverſæ partis rationes, quamprimum comperit, fortunam belli eo inclinare: neque enim Romæ ullius amicitia tanti eſt, ut cum periculo ſuo eam colendam putent. Uti hujus Aulæ vis omnis & exiſtimatio opinione conſtat, quam ubi ſpreveris, reliqua nullum pondus habent, niſi quod error alienus iterum commodat, ita non facile majeſtatem ſuam in diſcrimen vocant, cum deeſſe vident, qui juſſa ſua exequi velint, quibus apud ſe nihil opis ad metum incutiendum. Nam ſingulari Numinis providentia hactenus factum reor, ut qui tot ſeculis Orbem velut offrenatum ſuis ductant artibus, eo venire potentiæ nunquam tamen potuerint, ut navicula ſua piſcatoria adverſo etiam flumine unquam navigare auſint reflante vento acriore, conſcii nempe ſibi, quam vana ſit ira ſine viribus.

q) quocunque tempore) i. e. ſive belli, ſeu jam factæ pacis tempore: imo quocunque tempore etiam poſt publicatam pacem, adeo ut, ſi quis vel hodie contradicere vellet, ejus conatus pari modo ex hac lege reprimerentur.

r) interpoſita contradictione vel proteſtatione) Contradictiones & proteſtationes plerumque uno actu conjunguntur, addita etiam reſervatione cujusque juris competentis. Itaque non opus eſt, iſta hic ſubtiliter diſtinguere: alias omnis Proteſtatio contradictionem continet. At poſſunt eſſe contradictiones ſine proteſtatione.

s) quæ omnes inanes & nihili vigore horum declarantur) Recte. Sunt enim judicia hominum de rebus & actionibus noſtris, ad quos nihil iſta pertinent. Nam dum ſimulant, ſe conſulere nobis & animabus noſtris, manifeſta prævaricatione ſuis ſunt intenti rebus; nam quo plures ſunt oves, tanto plus lanæ tondetur. Sed & quibus bonis non libenter cedunt, avaritiæ magis, quam pietati imputandum eſt. Ridicula profecto res, impactum ſacrilegii crimen, quia illa eadem poteſtas civilis, quæ rem ſacris dicavit, pro utilitate publica, eandem poteſt reddere ſeculo, ſi ſalus Reipublicæ id poſtulet. Quid ad hominem alienum & longe a nobis in exteris oris diſſitum ea res? niſi cœca reverentia nobis ipſis impedimento eſſe mallemus. In ejusmodi neceſſitate non abſurde dixit quidam Dux Venetus ad nuncium quendam Apoſtolicum: *Somo Venetiani, doppo Chriſtiani*: i. e. primo Veneti ſumus, deinde Chriſtiani. Quo indicare voluit, ſi Pontifex ipſis ereptum ire illud vellet, quo libertatem dignitatemque Venetæ gentis tueri oportet, ſe ne quidem Chriſtianos tales eſſe cupere, qui obſequium aliquod

Digitized by Google

inter utriusque Religionis Electores, Principes, Status omnes & ſingulos u) ſit æqualitas exacta, mutuaq; w) quatenus formæ Reipublicæ, x) conſtitutionibus Imperii y) & præſenti Conventioni z) conformis eſt, ita ut quod uni parti juſtum eſt, alteri quoque ſit juſtum, aa) violentia omni & via facti ut aliâs, ita & hic inter utramque partem perpetuo prohibita. bb) §. 2.

aliquod ſe Pontifici debere credant religionis cauſa.

t) in reliquis omnibus) i. e. in omnibus iilis, de quibus Pax Religioſa, & hæc Weſtphalica non aliter diſponit. Ut hic tam Politica, quam Eccleſiaſtica in medio relicta intelligi veroſimile ſit.

u) inter utriusque Religionis Status omnes & ſingulos) Statuum itaque hic ratio habetur, non privatorum, quibus ſingulariter cautum eſt infra §. 34. & 35 v. g. quas dignitates, immunitates & privilegia Status Catholici Eccleſiaſtici habent ex publica lege: illa Statibus Eccleſiaſticis apud Evangelicos denegari non poſſunt, Unde obſervavimus, Ducem Brunsvicenſem, Erneſtum Auguſtum, dum Epiſcopatum Oſnabrugenſem obtinebat, ex Ordinis Eccleſiaſtici prærogativa, ad Catholicorum exemplum, ante Principes Secalares primum ſibi locum vindicaſſe, non ſine præjudicio propriæ domus.

w) ſit æqualitas exacta mutuaque) Hæc æqualitas paulo poſt ita deſcribitur, ut quod uni parti juſtum eſt, alteri etiam ſit juſtum.

x) quatenus formæ reipublicæ) Quæ ſit apud nos forma Reipublicæ, & quo nomine appellanda, absque ullo fructu diverſimode hactenus diſputatum eſt. Sed qualis illa tandem fuerit, dicere in genere & ſummatim poſſumus, eſſe talem, quæ omnium Statuum exæquationem in Republica non admittat.

y) Conſtitutionibus Imperii) Inter quas eminet Aurea Bulla, ex qua Electores præcipua multa habent ante reliquos Status.

z) & præſenti conventioni) Quæ ex facto poſſeſſionis, certo anno habitæ, alium meliori loco & conditione præ alio cenſet. Videndum etiam, annon huc pertineat art. 8. Inſtrum. Pac. ubi Statibus antiqua jura, prærogativæ, libertates, privilegia & reliqua confirmantur, quorum ea eſt natura, & conditio, ut inter omnes exactæ æqualitati locus dari nequeat.

aa) ita ut quod uni parti juſtum) Quia hic de partibus ſermo eſt, utique perſpicuum, partes intelligi utriusque Religionis hoc ſenſu, ut quod uni juſtum, ne alteri diverſæ Religionis ex eo, quod diverſæ Religionis eſt, injuſtum ſit. Præterea in hac æqualitate ſervanda, perpetuo reſpiciendum eſt ad eos, qui de cœtero ejusdem Status & conditionis ſunt, excepta tantummodo Religionum diſparitate Abs hoc reſpectu ſi fuerit, inter diverſos Ordine & dignitate multa uni juſta eſſe poſſunt, quæ alteri injuſta ſunt, aut ſaltem more patrio non permiſſa.

bb) violentia omni & via facti ut aliâs

Digitized by Google

Terminus 1624.

§. 2. II. Terminus a quo Reſtitutionis a) in Eccleſiaſticis, b) & quæ intuitu eorum in Politicis mutata ſunt, c) ſit dies prima Januarii

lias, ita & hic inter utramque partem perpetuo probita) Hæc verba, *ut alias ita & hic*, iterum manifeſto probant, de Religione potiſſimum, & de iis, quæ ad illam ſpectant, agi.

§. 2.

a) Terminus a quo reſtitutionis) Poſtquam Transactio Paſſavienſis & Pax Religioſa pro baſi & fundamento hujus transactionis de compoſitione gravaminum ſubſtrata fuit, prima ſtatim cura & inſpectio eſt de reſtitutione eorum, quæ inter belli vices in Eccleſiaſticis mutata fuere. Ubi poſt tædioſas diſceptationes placuit tandem certum Terminum a quo ſtatuere, qui index & regula ſit reſtituendorum. Quanquam vero Status Evangelici initio contenderent, ut omnia hic etiam, ſicuti cum reſtitutione ex amneſtia factum, reſtituantur in eum ſtatum, quo ante motus bellicos & deſtitutionem unumquodque fuit; id tamen a Catholicis impetrari non potuit, principium reſtitutionis ab anno 1630. repetentibus, quo bellum cum Suecis eſt initum. Tandem media via electa eſt, anno 1624. pro termino reſtitutionis aſſumpto: Atque id rurſus duplici modo, pro reſtituendorum conditione. Nam Electores, Principes & Status Imperii juxta Calendas Januarii dicti anni reſtitui placuit. At ſubditos eorum diverſæ Religionis ex qualibet anni parte. Atque hujus diſtinctionis cauſa totus fere hic articulus 5tus in duas partes præcipuas diſpertitus fuit, ex quibus una de Statibus agit ab hoc §vo usque ad §vum 30. incluſive: Altera de ſubditis a §vo 31. usque ad §vum 44. etiam incluſive. Hanc differentiam ſi plurimi Commentatores ad Inſtrumentum Pacis obſervaſſent, ſane cauſam non habuiſſent, cur tantopere roderent ungues, in conciliando hoc noſtro §vo cum §vo inferiore 31. quos fere omnes una ſententia inter ſe pugnare volunt, ridiculis diſtinctionibus tentata concordia.

b) in Eccleſiaſticis) Eccleſiaſtica hic ſunt non religio modo, ejusque exercitium, cujus profeſſio ſine dubio in arbitrio Statuum a tempore Religioſæ Pacis ſemper fuit, ut hac quidem parte reſtitutione nulla opus eſſet; Sed inprimis bona Eccleſiaſtica, eorumque opimæ poſſeſſiones, tum jurisdictio Eccleſiaſtica, & quicquid territorialis poteſtatis nomine venit, cujus rei cauſa bellum tot annorum præcipue geſtum eſt.

c) Et quæ intuitu eorum in Politicis mutata ſunt) Quæ in Politicis mutata ſunt, ut beneficio hujus reſtitutionis fruantur, opus eſt, ut *intuitu Eccleſiaſticorum* vel, uti §vo 29. habetur, *intuitu Religionis*, ſint mutata. Eccleſiaſtica itaque ſimpliciter reſtituuntur, quocunque etiam reſpectu, vel titulo mutatio in illis contigerit: Politica vero

vero non aliter, quam Eccleſiaſticorum intuitu, id quod inprimis notandum contra nonnullorum cavillas & improbas eluſiones, qui legi vim in eo faciunt, quando contendunt, mutationem in Eccleſiaſticis, quæ poſt annum 1624. facta oportuiſſe factam eſſe intuitu & odio Religionis. Quo callido invento eximere plurima, ſibiq; retinere hactenus conati ſunt, quibus terminus Reſtitutionis ex anno 1624. neceſſitatem reſtituendi impoſuerat, manifeſta calumnia, dum illud *intuitu Eccleſiaſticorum*, ad ipſa Eccleſiaſtica abſurde trahunt, quod lex pro nota characteriſtica reſtitutionis cauſa in Politicis unice definierat. Qua confuſione multis huc usque, qui non ſatis diligenter attenderant, impoſitum eſt. Egregii ante alios ex hoc loco Sophiſtæ ſibi eſſe viſi ſunt Jeſuitæ Paderbornenſes in cauſa Falckenhagienſi contra Comites Lippiacos, qui adeo Conſilio Imperiali Aulico fucum facere hac futilitate non erubuere. Agebatur ſcilicet res de Reſtitutione Monaſterii Falckenhagen, quod Comites anno 1624. prima die Januarii ſine omni controverſia poſſederunt. At cum ejus reſtitutionem ex hoc loco & §vo inferiore 25. Comites peterent, poſt confectam pacem, negavere Jeſuitæ, hanc obligationem ad ſe pertinere, addita ratione, quod ex legato Monaſterium illud petierint, idq; ſententia Judicis conſecuti ſint, non intuitu vel odio Religionis, ſed ex titulo civili, Legati, puta aut Donationis, miro illorum favore, quos non puduit ſtatim ab abſoluta pace, ſanctimoniam ejus frivolis ejusmodi diſtinctiunculis tentare. Et profecto ni Evangelici Status in tempore providiſſent, decreta reſtitutione & absq; mora executioni mandata, poſt evaporatum exequendæ pacis primum ardorem Comites Lippiaci forte in hanc usque diem ſumma cum injuria fruſtrati jure ſuo fuiſſent. Quanquam ne ſic quidem ab omni perſecutione tuti ſunt & moleſtia vacui, quando a facta etiam reſtitutione, jam ſupra quinquaginta amplius annos turbantur ſubitis mandatis, ex Conſilio Aulico emendicatis, quibus id unice agitur, ut poſſeſſione Jeſuitis reſtituta, ejecti Comites, & ad petitorium rejecti æternis litibus vexarentur, qua de re forſan plura ad §vum 25tum. De cœtero memini occaſione hujus loci quæſitum etiam fuiſſe: Si quis initio Religionis vel Eccleſiaſticorum intuitu non fuerit dejectus, verbi gratia, dignitate & munere Senatorio, ſed aliis ex cauſis veluti irrogatæ multæ nomine, aliquo crimine promeritæ, poſtea vero Catholicis forte, qui eadem culpa tenebantur, reſtitutis, ipſe intuitu Religionis perferre pœnam porro debuit, ne in ſtatum illum reſtitueretur, quem anno 24to habebat, an ex hac lege reſtitutionem petere nihilominus poſſit? Certe non videtur; initium enim dejectionis eſt inſpiciendum. Nam ſi ex hoc reſtitutio ſecundum formulam legis non debetur, ea, quæ poſt hæc contingunt, cum in arbitrio Principis ſint poſita, vix eſt, ut impetrare reſtitutionem poſſint.

rii Anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi quarti: d) Fiat itaque e) reſtitutio f) omnium Electorum, Principum & Statuum utriusque Religionis, g) comprehenſa libera Imperii nobilitate, h) ut & communita-

d) Sit dies prima Januarii anni 1624) Quæſitum eſt, num hac prima dies Januar. ſecundum computum Calendarii Gregoriani, an veteris Juliani ſit numeranda? Quia illud ipſi Catholici intelligunt *vid. Buckiſch ad h.l.)* in hoc Evangelici tanto lubentius cis concedere poſſunt, quod hic terminus reſtitutionis decem diebus longius retrotrahatur, quem initio voluere amplius ad annum usque 18. vel 21. extendi. Accedit, quod honori Cæſaris datum fuerit, ut diem confecti Inſtrumenti Pacis 14. Octobris ad rationem Calendarii novi notarint, quæ dies 24. fuiſſet, ſi Juliani ductum ſequi placuiſſet.

e) Fiat itaque. Hinc incipit primum caput hujus articuli de Reſtitutione Statuum utriusq; Religionis, comprehenſa libera Imperii Nobilitate, ut & Communitatibus & pagis immediatis. Atque id ipſum ex hoc loco adeo manifeſtum mihi videtur, ut mirum ſit, fuiſſe qui hac de re dubitarint. Omnis enim, qui hic ut reſtituendi enumerantur, immediati ſunt; Communitatibus etiam & pagis non omiſſis, quorum alias rariſſima inter immediatos ſit mentio, cum pene nullo numero in Republica ſint.

f) Reſtitutio) Omnis quidem Reſtitutio præſupponit dejectionem ſed ne legi fraus fiat, conſtitutio applicanda etiam eſt illis, qui vel nunquam dejecti fuere, vel amiſſam poſt annum 24tum poſſeſſionem interea recuperarunt, antequam pax fieret. Etſi enim illi reſtitutione non opus habent, cum re ipſa fruantur; beneficio tamen legis pari jure cum illis gaudent, qui poſt pacem ex formula ejus reſtituti ſunt. Ambo enim ab omni perſecutione juris & facti in perpetuum ſecuri fiunt ex ſolo illo ſtatu, qualem anno vigeſimo quarto intuitu eorum fuiſſe compertum eſt.

g) Electorum, Principum & Statuum utriusq; Religionis. Notandum hic ſingulariter & cum attentione, reſtitutionem fieri Electorum, Principum & Statuum: non vero ipſius Status cujusq; loci, quo Eccleſiaſtica & Politica anno dieque conventâ fuere: id quod poſtea in executione Pacis multis & impeditis litigiis occaſionem dedit. Ex hoc enim mox quatuor illa dubia enata ſunt, quæ in Comitiis Superioribus Catholici propoſuere, & quæ deciſa ex ſententia Statuum volebant, antequam de reſtitutionibus reſiduis cum fructu agi poſſet. Et profecto non idem eſt, Electores, Principes & Status in eum Statum reſtituere, quo prima die Januarii anni 1624ti fuere: & ſtatum ipſarum rerum, uti tunc fuit, reſtituere, cum Homines Statum ſuum facilius mutare poſſint, quam ipſa loca. Non eſſe de nihilo hanc diſtinctionem, declarabimus infra ad § 31. luculentis rationibus. Hic exempli tantum loco ſit, quod Status Catholici jure ſuo refor-

Digitized by Google

nitatibus & pagis immediatis i) plenarię & purè, k) ceſſatis omnibus in-

S 2 terim

reformandi non ſic abuti potuiſſent, uti hactenus factum, ſi non ſubditi in priſtina ſacra, ſed ipſa ſacra certum in Statum fuiſſent reſtituta, cum hac ſecuritate, ne moveri poſſint. Semper enim certius conſtat de Statu loci, quam de Statu perſonæ in loco. Animadvertere hoc poſt pacem Evangelici, atq; adeo legem hoc ſenſu intelligendam eſſe in Conventu Francofurtenſi multis argumentis pugnavere, quæ tum Legatus Saxo in cauſa Hildeſienſi longo ordine adducebat. Sed facile ſuboluit Catholicis, quantũ inter hæc interſit: itaque non paſſi ſunt verba legis ſibi eripi, prætextu intentionis Paciſcentiũ, de qua ex lege ipſa ſit judicandum, non aliunde. Unico exemplo rem manifeſtabo. Fuit in aliqua urbe, certoque ejus ſacello anno 1624. nullum nec Catholicæ nec Evangelicæ Religionis exercitium. Poſt illum annum Dominus loci ibi ſuæ Religionis exercitium inſtituit. Confecta pace, reclamant ſubditi diverſæ Religionis, & reſtitutionem petunt Status dicti anni. Jam ſi Pax de Statu loci decreviſſet, res ſane plana foret: quando autem Tabulæ de Statu hominum cujusvis conditionis loquuntur, docenda utiq; erit poſſeſſio juris, ſeu facti ſaltem, prohibendi, ne ſacra illic locorum fiant, alias Domini Territorii conditio potior eſt propter jus reformandi.

h) Comprehenſa libera Imperii Nobilitate) Supra ad hæc verba ego notavi, cum inter Status, Civitates liberæ Imperiales ſuo ſint loco, poſt quas demum ponatur libera Imperii Nobilitas, hunc ordinem inter alia pro argumento eſſe, Civitates Nobilitatem antecedere. Enimvero cum infra §vo 28. Libera & Immediata Imperii Nobilitas liberis Imperii Civitatibus præpoſita inveniatur, fateri jam cogor, argumentum illud ab ordine hoc ductum, nihil valde concludere: & poſſunt utiq; verba *comprehenſa libera Imperii Nobilitate* ſic intelligi, quaſi inter Status comprehenſa ſit, non addito, quo ſtare loco debeat: quamvis cum Nobilitas iſta propriè non ſit Status Imperii, aliud dubium remaneat, quomodo comprehendi inter Satus poſſit? Cœterum liberæ Civitates contra Ordinem nobilem longe fortiori cauſa agunt ex jure liberi ſuffragii, quo partem habent in adminiſtranda Republica, & tertium Collegium Imperii conſtituunt cum voto deciſivo, ita ut ex ſemiſſe Imperii, quam penes Status eſſe vulgo perhibent, rurſus trientem ſi collegia computes poſſidere videantur.

i) ut & Communitatibus & pagis immediatis) Iſtorum pagorum aliquos recenſet hoc loco Bukiſch. Interea quia ſaltem pagorum immediatorum hic ſit mentio & præterea de Subditis mediatis infra peculiari loco & longo ordine ex profeſſo agitur, mihi hercle videntur illi rectius ſentire, qui ab hac conſtitutione, quatenus ſcilicet hæc ſecundo §vo eſt comprehenſa, mediatos tam Status quam Subditos excluſos volunt. Ne-

que

quæ tanti hercle ſunt diſſentientium rationes, ut propterea mutare ſententiam noſtram ſit opus. Videamus in compendio, quibus armis pugnent. Primo ſe fundant in *Paciſcentium intentione*, quorum mens fuerit, ea media adhibere, quibus una opera removeri omnes controverſiæ, & decidi dubia poſſint; At hoc fieri melius non potuiſſe, quam ſi verbis Pacis ſtrictè inhæreamus, & deciſionem omniũ dubiorum ad certam quandam & generalem regulam menſuremus Reſpondeo: Quod ſi ex ſtrictis legis verbis de mente Paciſcentium judicandum, vicit procul dubio noſtra ſententia, cum hoc loco non niſi Immediatorum lex meminiſſe inveniatur: alio vero loco itidem mediatorum. Neq; fieri cum ratione potuit, ut una regula generali comprehendantur, quorum longe diverſa eſt conditio, & de quibus adeo ipſi Paciſcentes diverſa ſtatuere voluere. Recte igitur repoſitum a Catholicis der Art. 5. §. 2. geſetzte general-terminus des 1. Januar. des 1624. Jahrs betreffe allein die unmittelbahre Stände, Communitäten und Dörffer, nicht aber mittelbahre Landes-Stände und Unterthanen, vor welche das gantze 24ſte Jahr, und zwar nicht ſimpliciter, wie bey denen immediatis, ſondern per exceptionem a regula, als ein neues, ihnen vorhero nicht zugeſtandenes Recht angeſetzet worden.

Alterum fundamentum diſſentientium eſt, Weiln ſonſten, utar verbis ipſis, uti in Protocollo leguntur, mit etwas überſtand wenig Zeilen hernach dieſes Jahrs u. Tages wiederumb gedacht würde: innuuntur ſcilicet his verbis ultima hujus paragraphi *reductione ad Statum dicti anni dieique in omnibus facta*. Sed tantum abeſt, ut mihi hic quicquam indecens aut ſaltem ſuperfluum videatur, ut potius hanc neceſſariam repetionem duxerim, cum plura contineat, certe luculentiora. Decreta enim in Superioribus ſimpliciter reſtitutio, ad Statum, anni 1624. 1. Januarii, his ipſis explicatur, quod ſcilicet fieri ita debeat, ut omnia in omnibus ad Statum dicti anni dieique reducantur.

Tertium fundamentum in eo collocant, Weiln die Diſpoſition gedachten § 2. und deſſen Connexion klar weiſe, daß nach gemachter regul von derſelben nicht allein ad Status immediatos, ſondern auch alle nachgehende inferiret worden. Sed hæc recitaſſe refutaſſe eſt, cum plane aliud ex hoc textu eluceſcat: neq; obſtat vocabulum *itaq;* quod ajunt apud Latinos illativum eſſe. Eſto enim, certe plus inferre non poteſt, quam quod conceptis verbis declaratur Erat ſcilicet in proxime præcedentibus Terminus reſtitutionis a quo paulo generalius poſitus: Hic itaq; reſtringitur ad Calendas Januarii pro Statibus immediatis. Nam hoc termino non conſtringi mediatos Status & ſubditos, manifeſtum eſt ex inferiori §vo 31. ubi his totus annus vigeſimus quartus, & quælibet ejus pars pro termino reſtitutionis ponitur, id quod conciliari nullo modo cum hoc noſtro §vo 2do poſſet, ſi Mediatos etiam inter illos numeramus, quorum reſtitutio hic decreta.

Quartum fundamentum ex §vo 23. deſu-

Digitized by Google

deſumunt, Weiln daſelbſt und ehe man noch auf den 31ſten §vum komme, de mixtis Epiſcopatibus, und wie es mit dem Exercitio Religionis zu halten, etwas ſtatuiret werde, woraus die Intention zu ſehen, weiln in Epiſcopatibus mixtis nicht lauter Status Immediati ſeyn. Reſpondeo, non eſt hæc noſtra ſententia, §vum hunc ſecundum non de aliis agere, quam de *Statibus* Immediatis: Sed negamus, illum de aliis agere, quam *Immediatis*, ſive Status ſint Imperii, ſtricte ſic dicti, ſive non. Fit enim etiam mentio expreſſa immediatæ Nobilitatis, uti & Communitatum & Pagorum Immediatorum, qui Statuum numero proprie non veniunt. De cætero an Capitulares, aut Canonici in Bonis Eccleſiaſticis Immediatis, ſive Archiepiſcopatus ſint, ſive Epiſcopatus, &c. quorum illi poſt Principem maxima pars ſunt, propius ad Mediatos quam Immediatos accedant, jam non placet inquirere. Certe vacante ſede repræſentant ipſi Principem, atque hoc etiam ſuperſtite in communionem regiminis admittuntur, quamquã nomine Principis expedire ſoleant quæ ad publica ſpectant, quemadmodum Venetiarum Dux ſuo nomine adminiſtrat omnia, cum interea vis Imperii apud Rempublicam & Senatum ſit, cujus injuſſu decernere nihil poteſt, quod ad rerum ſummam ſpectat, ni de capite ſuo velit periclitari. Quicquid ſit, factum procul dubio eſt ob cauſæ continentiam, ut, poſtquam de Epiſcopatibus actum, Canonicorum ſive Capitularium cauſæ ſtatim conjungerentur. Nam hunc unum §vum 23. ſi exceperis, reliqua omnia & anteriora & ſequentia usque ad §vum 31. de ſolis Statibus & aliis Immediatis loquuntur. Notum autem eſt, unam hirundinem non facere ver.

Quintum denique & ultimum argumentum ita formatur; Weiln die Reſtitutio geſchehen ſolle, in Eccleſiaſticis; die Eccleſiaſtica aber nicht allein Immediatos, ſondern auch Mediatos betreffen, ſo ſey dahero dieſer §. 2dus auf beede zu ziehen. Reſpondeo: Si generatim lex diceret, *Fiat reſtitutio omnium*, neque ſtatim ſequeretur enumeratio illorum, quos inter omnes comprehendi voluit, ſpeciem aliquam haberet hæc ratiocinatio. Aſt ubi non ſufficienti modo enumeratione partium ordine & diligenter defungitur: Verum etiam de illis, qui ad Claſſem Immediatorum non pertinent, alio loco, modoque diverſo, ſeparatim & ex profeſſione tractat, nihil ſane eſt, cur exiſtimemus, conjungenda nobis eſſe, quæ Paciſcentes tanta ſollicitudine & cura ab invicem disjunxere. Ut jam nihil dicam, hac ſeparatione miram lucem affundi plurimis in Pace Weſtphalica locis, quæ minus recte intelliguntur, ubi ſemel locum facimus confuſioni.

k plenarie & pure) Plenarie, prout nimirum unusquisque dicta die & anno poſſedit; & *pure*, non attentis ullis exceptionibus.

Digitized by Google

terim l) in iſtiusmodi cauſis m) latis, publicatis & inſtitutis n) ſententiis

l) Caſſatis omnibus interim &c.) En aliam differentiam reſtitutionis ex capite gravaminum a ſuperiori illa ex capite amneſtiæ. Illic nimirum ſecundum artic. 3. §. 2. fit reſtitutio *ſalvis litis pendentiis deſuper in Aula Cæſarea ſive in Camera Imperiali vel aliis Imperii Immediatis aut Mediatis Dicaſteriis vertentibus.* Hic vero, *Caſſatis omnibus interim in ejusmodi cauſis, latis, publicatis & inſtitutis ſententiis.* Illic cuique ſive reſtituenti, ſive reſtituendo, ſive etiam tertio ſalva ſunt jura ſua quæcunque. Hic transactiones, pacta, decreta, quin ipſæ Executiones reſcinduntur. Illic reſtituenti integra relinquitur jure experiundi facultas cum reſtituto. Hic ſemel reſtitutus poſthac in habita, vel recuperata poſſeſſione nullo modo turbari amplius poteſt, ſed ab omni perſecutione juris & facti perpetuo tutus eſt, donec controverſiæ Religionis compoſitæ fuerint. Hæc adeo ex Inſtrumento clara ſunt, & perſpicua, ut omnino ſit mirum, plurimos Commentatores tanta ſocordia & cœcitate agere potuiſſe, ut exiſtimarint, in ſola terminorum reſtitutionis a quo diverſitate omnem differentiam utriusque Reſtitutionis conſtare, qua ſententia profecto excogitari nihil poteſt, quod abſurdum magis & a mente Paciſcentium alienius ſit. Erit autem operæ pretium, ex hac occaſione totum iſtud argumentum ex integro tractare, ut uno velut conſpectu conſtet, quantum interſit inter utramque reſtitutionem, illam inquam ex capite amneſtiæ, & alteram ex capite gravaminum. Ac primo quidem in hoc genere cauſarum in univerſum eſt verum, qui reſtitutionem petit, habere, cur dejectionis alterum accuſare poſſit. Fieri enim nequit, ut unius petendi ſuperſit facultas, ubi de altero non ſuppetit querela. Intereanihilominus inter hæc duo prima eſt differentia, quod remedium ex amneſtia in tempus ſaltem præſens ſit comparatum, illud vero de gravaminibus in omne tempus, adeoque etiam futurum. Nam qui ex bello nihil turbatum amiſſumque habet, cujus petere reſtitutionem poſſit, illi etiam actio reſtitutoria hac amneſtiæ publicatæ formula non datur, etiamſi poſt pacem aliqua ſuarum rerum parte fuerit læſus: cum alter, cui tempore pacis occaſio ex bello defuit, petendæ reſtitutionis ex capite gravaminum, hoc juris interea ſit conſecutus, ut turbatus etiam aut dejectus poſt pacem omni reliquo tempore experiri beneficio legis poſſit, quæ nomine gravaminum in turbatores etiam futuros lata eſt; quia per hanc ipſam legem ex nudo facto poſſeſſionis quæſitum & perpetuum jus habet in re Eccleſiaſtica, quod omnia anteriora aliorum jura abſorbet & extinguit. Sane quidem conceſſum nemini eſt, ut poſt pacem aium turbet, eique vim inferat. Enimvero cum illud

lud ſit in Politicis, ceſſat natura ſua remedium ex amneſtia, quod facta tantum in bello præterita reſpicit, & ſuppetunt cum beneficia juris ordinaria, tum inprimis actio ex formula Pacis artic. 17. § 4. præſcripta. At qui in Eccleſiaſticis vel etiam in Politicis intuitu Eccleſiaſticorum ita turbatus, aut quocunque modo affectus injuria eſt, etſi ex eadem formula agere poſſit, fundamentum tamen ſuæ actionis in illa transactione habet, quæ de gravaminibus Religionis articulo quinto longo ordine prodita eſt; quod diverſum in amneſtia, quæ hoſtiles quidem læſiones ante pacem corrigit, de reliquis vero poſt illam judicare alias leges ſinit.

Altera differentia eſt, quod amneſtia non ad quasvis læſiones, injurias aut damna, medio bello data pertineat; ſed ad illa ſolum, quæ occaſione Bohemiæ Germaniæve motuum, aut fœderum hincinde contractorum ſunt illata: nam ſi quis extra hos reſpectus mali quid eſt perpeſſus, illi reſtitutione ex amneſtia non ſuccurritur, ſed ordinario jure contra adverſarium experiundum erit. Cum quæ res ex formula gravaminum repetuntur, aut defenduntur, earum cauſa judicanda ſit ſola poſſeſſione certo anno dieque habita, nullo omnino motuum Bohemiæ Germaniæve, aut fœderum, hinc inde contractorum ratione. Nam hoc unum ſufficit *poſſediſſe*, neque amplius de titulo quæritur, neque de occaſione, qua quis poſſeſſionem nactus eſt.

Tertia differentia in eo conſiſtit, ut, qui amneſtia frui vult, eum oporteat docuiſſe, injurias ſibi eſſe illatas, vel damna data *ab altera belligerantium parte*, non vero a ſua. *Vid. Art. 2.* ibi *ab una vel altera parte ultro citroque hoſtiliter facta ſunt*: item *artic. 3. §. 1. ab una vel altera parte.* At reſtitutio ex capite gravaminum peti poteſt, quando me aliquis mearum etiam partium poſſeſſione dejecit, modo diverſæ a me Religionis fuerit.

Quarta differentia. Reſtitutio ex amneſtia datur etiam inter Conſortes ejusdem Religionis; altera vero de gravaminibus non aliter, quam ſi partes diverſæ Religionis ſunt.

Quinta differentia Reſtitutio ex amneſtia peti poteſt in ſacris & profanis, nullo diſcrimine. At vero altera ex parte Gravaminum non datur niſi in Eccleſiaſticis, & quæ *intuitu eorum* in Politicis mutata ſunt.

Sexta differentia. Reſtitutio ex capite amneſtiæ fit *eum utrimque in Statum*, quo quis ante deſtitutionem gaviſus eſt. At illa ex capite gravaminum, indiſtincte in Statum anni vigeſimi quarti, primæque diei Januarii ſi immediatus fuerit; aut cujusvis anni partis, ſi Mediatus.

Hinc fluit differentia ſeptima. Quod ſcilicet reſtitutio ex capite amneſtiæ proſit utrique parti, & ei qui reſtituit, & ei qui reſtituitur. Conſervantur enim illi etiam ſua jura in re, quam reſtituere debet. At reſtitutio ex capite gravaminum, quia cujusque partis jura ſola certi temporis poſſeſſione definit, nocet reſtituenti ſemper & ſine con-

Digitized by Google

conditione: in quantum ſcilicet reſtituit. Nam transferuntur omnia in eum, cui fit reſtitutio ut nec pacta, nec transactiones, neque ſententiæ latæ; imo ne executiones quidem in contrarium allegatæ audiantur, cum nuda illa poſſeſſio, lege ſic jubente, certiſſimus ſit acquirendi, transferendique Dominii aliorumque jurium modus, quo omnes aliorum cauſæ & petitiones, utcunque de cœtero juſtiſſimo titulo nixæ abſorbentur & extinguuntur. Deſcendendum huc neceſſario fuit, cum nulla alia ratio eſſet componendorum gravaminum religionis.

Octava differentia; Reſtituendus ex capite amneſtiæ non in eum modo ſtatum reſtituitur, quo ante deſtitutionem eſt gaviſus, ſed & in eum quo *jure gaudere potuerit*. Cum qui ex capite gravaminum reſtituitur, nihil ultra modum atque cancellos habitæ anno 1624. poſſeſſionis petere amplius poſſit. Illi non nocet, neque fraudi eſſe debet, ſi jure ſuo, quo plenius ante deſtitutionem uti poterat, non ſit uſus. Sive quod impeditur ab alio ſit, ſeu quia occaſio utendi tunc non erat, quod in actibus diſcontinuis ſæpe evenit: Sive quod ei non lubitum erat. At vero huic nudus Status, nudumque factum poſſeſſionis dicti anni metam quaſi figit, terminumque utendi juris ſui ponit, quem movere non licet, non attento cujusque partis jure aut titulo. Imo etiamſi ipſe ante illum annum re illa uti liberius potuiſſet, ſi modo hoc anno ab alio impeditus aut prohibitus fuerit, jure id ſive injuria factum, nihil intereſt.

Denique Nona & ultima differentia, ante alias loco præcipuo notanda, quod tales reſtitutiones ex amneſtia omnes & ſingulæ intelligendæ ſint *ſalvis juribus quibuscunque, ſive reſtituenti ſive reſtituendo, ſeu cuivis tertio competentibus in bonis reſtituendis ſive Eccleſiaſticis ſive ſecularibus, ſalvis item litis pendentiis quibusvis, in Dicaſteriis ſeu immediatis, ſeu mediatis, vertentibus.* At qui ex formula gravaminum reſtituuntur, tuti perpetuo atque ſecuri fiunt ab omni perſecutione juris & facti, hoc *artic. 5. §. 25. fin.* caſſatis omnibus interim in ejusmodi cauſis lati, publicatis & inſtitutis ſententiis, decretis, transactionibus, pactis & executionibus. Igitur reſtitutus ex capite amneſtiæ vocari iterũ eadem de re in jus & quavis actione competenti conveniri poteſt, ſive is ipſe fuerit, contra quem reſtitutionem obtinuit, ſive alius tertius. Reſtituti autem ex capite gravaminum nulli amplius reſpondere tenentur, qui litem de re ſuſcitare volunt; Sed tueri ſe poſſunt perpetua finitæ litis exceptione, quæ actionis peremtoria eſt, & omne judicium tollit. Unde eorum error, ut hoc denuo moneam, abunde detegitur, qui reſtitutos ex amneſtia eadem ſecuritate, eademq; juris firmitate gaudere exiſtimant, qua illi gaudent, quibus ex capite gravaminum indulgetur Reſtitutio. Illa nihil novi juris confert: Hæc eſt novus acquirendi Dominii modus, ſive titulus publicæ tranquillitatis cauſa inventus primum a Paciſcentibus, & deinde in Imperio lege ſeu Conſtitutione Prag-

matica

Digitized by Google

matica auctoratus. Adhæc qui attendunt animum, facile evitaverint inſidias, quæ incautis plerumque ſtrui ſolent. confuſione effectuum diverſorum utriusque Reſtitutionis; Nempe meliori a liquardo agunt conditione, qui reſtitutionem ex lege amneſtiæ petunt, quam qui ex lege gravaminum. Sed ex adverſo eſt alio reſpectu beneficium reſtitutionis ex capite gravaminum longe pinguius altero, quod de amneſtia eſt proditum. Hinc ſi quis forte e. g. ante annum vigeſimum quartum in poſſeſſione alicujus rei Eccleſiaſticæ, aut exercitii Religionis ſuæ fuit, poſtea vero illa ſe dejectum ita ſentit, ut de poſſeſſione, dicto anno habita, docere non poſſit: is propediem confugere ſolet ad legem, de amneſtia latam, atq; ex ea reſtitutionem petit eum in Statum, quo ante deſtitutionem fuit: Cumque adverſarius excipit, reſtitutionem quidem hoc nomine ipſi deberi, ſed interea ſibi etiam ſua jura ſalva & integra relinqui, ac proinde cauſam ipſam de exercitio vel re Eccleſiaſtica de integro in diſceptationem trahendam eſſe; alter confeſtim, ut judicium declinet, ſe §vo 13. articuli noſtri munire conatur, ubi traditum eſt cautumqe, ne terminus anni 24ti præjudicium creet illis, qui ex capite amneſtiæ ſunt reſtituendi: quo effugio multis hactenus eſt impoſitum: cum tamen iſte §vus 13. (de quo ſuo loco ex profeſſo erit dicendum) non dicat eum, qui ex capite amneſtiæ reſtituitur, omnium jurium eſſe participem cum illo, qui reſtitutionem ex capite gravaminum eſt nactus, ſed ſimpliciter & nude illud ſolummodo, terminum illum arctiorem anni 24ti, qui omnibus ex lege gravaminum reſtituendis, nullo cujusquam diſcrimine eſt poſitus, non debere præjudicare illis, qui de reſtitutione ex lege amneſtiæ agunt, qui hoc anno non coarctantur, ſed petere reſtitutionem poſſunt eum in ſtatum, quo ante deſtitutionem fuere, poſtea vero quocunque tempore, occaſione Bohemiæ Germaniæve motuum, re vel jure aliquo ſuo dejecti ſunt. De cætero in univerſum manet verum fixumque, eum qui uno vel altero remedio experitur, nihil ſibi de illo polliceri plus poſſe, quam cuique lex tribuit. Ita qui ex amneſtia eſt reſtitutus, pati alterum debet jus adhuc ſuum legitima via perſequi, quod ei integrum per pacem eſt ſervatum. Qui vero ex capite gravaminum reſtitui vult ad conſequendos effectus, qui hoc remedium manent, eum oportet omnem ſpem ſuam & ſuffugium in poſſeſſione collocare anno vigeſimo quarto habita, miſſumque protinus facere terminum, reſtitutioni ex amneſtia poſitum, ex quo ſecurus nunquam fieri poterit à metu, ne alter rem illam denuo poſt factam reſtitutionem, vindicet alio titulo. Sed de his nunc ſatis.

m) in iſtiusmodi cauſis) In cauſis ſcilicet Eccleſiaſticis, vel etiam in cauſis Civilibus ſive Politicis, quatenus reſpectum aliquem ad Eccleſiaſtica habent, quorum intuitu mutatio contigit.

n) latis, publicatis & inſtitutis) Uti ferre & publicare ſententias recte dicimus; de decretis etiam hæc duo verba utcunque tolerari poſſunt: ita quo tertium

Digitized by Google

tentiis, decretis, transactionibus, o) pactis ſeu dedititiis, ſeu aliis, p) & execu-

tium, *inſtitutis*, reſpiciat, non ſine cauſa quis dubitet. Nam etſi ad transactiones, pacta & executiones referre velimus, vereor, ne ſic recte loquamur de pactis, transactionibus atq; executionibus jam abſolutis perfectisque; aſt imperfecta reſciſſione non habent opus. Sermo itaque hoc loco ἀκυρολογίαν vix effugiet, niſi ſuppleatur ex §vo 25. de litis pendentiis ſeu litibus motis. id eſt, *inſtitutis* actionibus. Neq; dubium eſt, hæc ſubintelligi etiam: In quibus enim cauſis ſententiæ latæ & publicatæ, imo factæ jam executiones reſcinduntur, ibi multo magis æquum eſt, tolli & aboleri lites in judicium deductas ibique adhuc pendentes. Sed fortaſſis ſententiæ inſtitutæ hic dicuntur, quæ poſt relationem, in cauſa factam, ſcriptæ quidem a Judice, ſed latæ vel publicatæ nondum ſunt: quanquam hoc ipſum etiam minus proprie, niſi fallor.

o) Sententiis, decretis, transactionibus) Sententia eſt, quam Judex pronunciat. Decretum, quo Princeps inter partes litigantes, cauſa cognita, jus dicit. Transactio fit ſuper re dubia vel litigioſa, dato, vel aliquo retento.

p) pactis ſeu dedititiis ſeu aliis) Dedititius eſt, qui ſe in alterius poteſtatem ſeu imperium dedidit, ut apud Curtium *dedititiorum* multitudo: & apud Cæſarem, *Belgæ dedititii*. Non multum aberant a captivis ſive ſervis, niſi quod imaginar a quadã libertate gaudebant, ſic tamen, ut ad veram libertatem Romanæq; Civitatis jura pervenire nunquam potuerint. Horum nomen poſtea ad eos etiam eſt translatum, qui ſe in defenſionem, protectionem & tutelam alterius potentioris dedidere, invito Domino Territoriali, aut in præjudicium ejus. Hinc pacta dedititia, quibus eju modi deditio conventa. Sed cum hic non tam de ſubditis, quam ipſis immediatis Statibus agatur, pacta dedititia forte intelligenda ſunt, quæ Status quidam imbecilliores coacti fuere inire cum potentioribus, iisque Eccleſiaſticorum ſuorum curam commendare, aut quæ inter deditionem hoſti factam extorta ſunt a ſe dedentibus, damno eorum atq; præjudicio: id quod Auguſtanæ Civitati in primis accidit, cum ſe Cæſarianis dedere iniquiſſimis conditonibus fuit adacta. Sunt adhuc alia pacta dedititia, Capitulatione Leopoldina art. 8. prohibita, quibus protectio aut patrocinium externis Principibus in Status quosdam & Civitates Imperii immediatos mediatosq; quæſitum eſt, ſive illud conceſſione Imperatorum factum, ſive externi illi hæc uſurparint, aut pacto ſibi compararint. ſive deniq; dicti Status & Civitates ſua ſponte in clientelam alterius ſe dedidere. Ejusmodi pacta dicto loco Capitulationis vocantur Schutz-u. Schirm-Briefe, cujus prima mentio capitulatione Ferdinandi IV. facta, monenti Trevirenſi ad Artic. 6. uti Protocollum de 22 Aprilis ſt. v. 1653. teſtatur: Weiln zu verneh-

Digitized by Google

executionibus, q) reductione ad Statum dicti anni dieique in omnibus facta. r)

T 2 §. 3.

nehmen, daß einige ausländiſche Potentaten ſich unterſtünden über mediat-Stände des Reichs einige Schirm-Gerechtigkeit zu prætendiren, da dann aus einer ſchlechten differenz zwiſchen Herren u. Unterthanen gar leicht ein blutiger Krieg entſtehen könne, als wäre gewiße Vorſehung zu thun. Man wiße, daß die alten Hertzoge von Lützelburg eine Protection auf die Stadt Trier prætendiren, und was daraus zwiſchen Franckreich u. Spanien vor ein Krieg entſtanden. Die Frantzoſen hätten an. 1632. die Stadt eingenommen, die Spanier aber wieder belägert, und den Churfürſten nacher Niederland gefangen geführet. Es ſey auch bekandt, daß der Prælat zu Maximin durch Käyſerliche Decreta inſtituiret ſey, deme ſich die Frantzoſen wiederſetzet, und mit der Commiſſion einzuhalten begehret hätten. Weiln nun ſolche Verbündniße höchſtſchädlich, hätten ſie dieſe Erinnerung thun wollen; ſtelleten dahin, ob nicht dieſes paſſus halber ein neuer Articul der Wahl-Capitulation inſeriret, und ſolche Protections-Ubung verbothen werden möchte. Cui monito ſeſſione quarta die 15. April. ſt. v. ſequentia addidit Legatus Saxonicus: Weiln Se. Churfürſtl. Durchl. zu Sachſen / ſo viel dieſe Schutz-Gerechtigkeit betrifft, von Kayſerl. Majeſt. unterſchiedliche Protectoria hätten, ſo bäte man dieſer Clauſul anzuhencken, daß ſolches denen Reichs-Fürſten an ihren juribus Protectionis unpræjudicirlich ſeyn ſolle. Wenn auch die Reichs Stände keine Protection ſollten ſuchen können, ſo ſchiene es, als ob hierdurch dem Inſtrumento Pacis circa poteſtatem fœderum pangendorum etwas derogiret würde. Derohalben etwan die Worte *Immediat*-Stände auszulaſſen wären. Endlich werde es ſchwerlich ſeyn können, alle ietzige Protectiones aufzuheben. Denn es habe das Reich ſelbſt, wie bey Burgund zu ſehen, ſeine Protection. Stelle es derowegen zu weitern Bedencken. Sed his non obſtantibus manſit res, & novus articulus ad eum modum compoſitus fuit, uti in utraque Capitulatione legi poteſt.

q) *Et Executionibus*) Reſcindi ſæpe Executiones, in Eccleſiaſticis factas hac Weſtphalica Pace, non eſt mirum. Pleræque enim illarum inter motus Civiles, in primis poſt propoſitum illud Ferdinandi II. edictum damno rei Evangelicæ, & ſumma cum injuria Statuum Proteſtantium factæ erant.

r) *reductione ad Statum dicti anni dieique in omnibus facta*) i. e. ut quo quisque Statu Electorum, Principum & Statuum Imperii utriusque Religionis anno 1624. prima die Januarii fuerit, in eum in omnibus reſtituatur. Hoc enim ſibi hæc verba volunt; quominus enim illa de Statu loci vel rerum accipi poſſint, obſtant, quæ paulo ante præceſſere, *Fiat reſtitutio omnium Electorum*. &c.

§. 3. a)

Digitized by Google

Augſpurg. §. 3. Civitates a) Auguſta Vindelicorum, Dunckelſphühla, Biberacum & Ravensburgum, retineant bona, Jura & exercitium b) Religionis c) dicti anni dieique; ſed ratione dignitatum Senatoriarum aliorumque munerum publicorum, ſit inter utrique Religioni addictos æqualitas idemque numerus.

§. 4. In ſpecie autem a) quoad Civitatem Auguſtam, ſint ſeptem

§. 3.

a) *Civitates*) Hic ante omnia ſpecialiter de reſtitutione quatuor Civitatum Imperialium, utrique Religioni addictarum, quæ nominantur, conventum eſt. Sed quia de quatuor tantum, Catholici poſthac male de iis conventa ad omne Civitates mixtas extendere conati ſunt, cum de reliquis infra §. 29. ſeparatim cautum fuerit. Sunt autem quatuor iſtæ Civitates Auguſta Vindelicorum, Dunckelſphühla, Biberacum & Ravensburgum. Cur opus fuerit, ut iſtarum expreſſa mentio fieret, ejus rei rationem reddit Obrechtus hoc loco, ubi in primis laudat Lehmanni Scriptum de Pace Religioſa, pro meliori intellectu eorum, quæ hic pacta ſunt. Nos ſicuti Hiſtorica non valde proſequimur, ſed de verbis tantum legis, eorumque vero ſenſu maxime laboramus lectorem eo remittere ſine inſtituti noſtri mutatione poſſumus.

b) *retineant bona, jura & exercitium*) Scilicet fit diſtinctio inter bona, jura & exercitium Religionis: & inter dignitates Senatorias aliaque munera publica. Bona enim, jura & exercitium Religionis retinet ibi unaquæque pars, prout ea dicto anno dieque poſſederat. Ratione vero dignitatum Senatoriarum aliorumque munerum publicorum inter utrique Religioni addictos æqualitas ſancitur, idemque numerus: quod ultimum quantis difficultatibus apud Tractatus Pacis involutum fuerit, & quantopere Magiſtratus Catholico Romanus contra hanc æqualitatem ubique reclamaverit, ex Theatro Europæo videri poteſt *apud Buckiſch ad hunc locum.*

c) *Bona, jura & exercitium Religionis*) Hoc non de bonis tantum & juribus Eccleſiaſticis intelligo, ſed & aliis Politicis, ſi quid in iis intuitu Eccleſiaſticorum mutatum eſt per vices temporum & ex belli occaſione de exercitio Religionis res difficultate caret.

§. 4.

a) *In ſpecie autem* &c.) Hic §vus cum ſex ſequentibus ordinat Statum Civitatis Auguſtanæ in Politicis, ubi tamen in dignitatibus Senatoriis æqualitas illa, ſupra deſcripta, idemque Senatorum numerus omni ex parte non ſervatus eſt. Nos ſi contra inſtitutum noſtrum hic pauciora adnotamus, improbari id nobis non debet. Sunt enim res transactæ diuque executioni mandatæ, quarum notitia ex ipſo Statu Civitatis Auguſtanæ, prout ſecundum hæc conventa in præſentia conſtitutus eſt, optime petitur.

b) ex

Digitized by Google

ptem Senatores Conſilii Secretioris ex familiis Patriciis delecti, ex his deſumpti Reipublicæ Præſides duo, vulgo Stadt-Pfleger dicti, unus ſit Catholicus, alter Auguſtanæ Confeſſionis. Ex reliquis quinque, tres Catholicæ Religioni, & duo Auguſtanæ Confeſſioni addicti. b) Senatores reliqui, Senatus, ut vocant minoris, nec non Syndici, Aſſeſſores Judicii Urbani, aliique Officiales omnes ſint æquali numero utriusque Religionis. Quæſtores rei numariæ ſint tres, quorum duo unius, tertius diverſæ religionis, c) ita quidem, ut primo anno duo ſint Catholici, unus Auguſtanæ Confeſſionis altero, duo Auguſtanæ Confeſſionis & tertius Catholicus, & ſic deinceps alternando ſingulis annis.

§. 5. Præfecti rei tormentariæ a) itidem tres parique annua alternatione. Idem etiam circa curam collectarum, annonæ, b) ædilicii muneris, & ſi quæ alia ſunt officia, quæ tribus committuntur, obtineat. Ita quidem, ut ſi uno anno, duo officia (veluti Quæſtura & cura annonæ vel ædilicii muneris) penes duos Catholicos & unum Auguſtanæ Confeſſionis ſint, eodem anno duo alia officia (veluti præfectura rei tormentariæ & collectarum) duobus ex Auguſtana Confeſſione & uni Catholico committantur; ſequenti autem anno circa hæc officia duobus Catholicis, duo Auguſtanæ Confeſſioni addicti, & uni Catholico, unus Auguſtanæ Confeſſionis ſurrogetur.

§. 6. Munera, quæ uni committi ſolita ſunt, pro qualitate rei

 a) vel

b) ex reliquis quinque, tres Catholicæ Religionis, & duo Auguſtanæ Confeſſioni addicti) Hac parte deterior Evangelicorum cauſa facta eſt, neque idem numerus, Catholicis uno Evangelicos vincentibus; quod in Conſilio Secretiore, cujus maxima eſt auctoritas, nequaquam pro exiguo lucro reputari a Catholicis debet; præcipue cum Evangelicis hæc jactura in aliis muneribus publicis non videatur reparata.

c) quorum duo unius, terti[illegible] [illegible]ſæ Religionis) [illegible] [illegible]ores ſem- [illegible] eſſe religionis debent, ex duabus ſcilicet admiſſis, & tertius Religionis alterius, alternatione inter utramque partem ſingulis annis introducta.

§. 5.

a) Præfecti rei tormentariæ) Res tormentaria hic vocatur das Zeug-hauß, Cura Collectarum die Steuer, Cura Annonæ das Kaſten-Ambt, aut ſimili nomine munus *Aedilitium* das Bau-Ambt.

b) [illegible] hac cura num hic etiam comprehendatur venalium rerum vectigal, die Acciſe, viderint alii, moris patrii peritiores.

§. 6. a)

a) vel uno vel pluribus annis inter Catholicos & Auguſtanæ Confeſſionis Cives alternentur; eo quidem modo, uţ de officiis quæ tribus perſonis committuntur, nunc dictum.

§. 7. Templorum tamen & Scholarum cuique parti ſuarum cura integra reſervetur. a) Ii autem Catholici, b) qui nunc tempore hujus pacificationis in Magiſtratu & officiis præter numerum ſupra conventum ſuperſunt, priſtino quidem per omnia honore commodoque fruantur. Veruntamen usque dum eorum loca vel abdicatione vacaverint, vel domi ſe contineant, vel ſi ſenatui quandoque intereſſe velint, voto tamen careant.

§. 8. Neutra vero pars ſuæ Religioni adhærentium potentia a) ad

---

§. 6.

a) Pro qualitate rei) Prout nimirum expedit munus illud in una eademque perſona continuari unum, vel plures annos,

§. 7.

a) Templorum tamen & Scholarum cuique parti ſuarum cura integra ſervetur) Æqualitas in muneribus Eccleſiaſticis in eo conſiſtit, ut utraque pars Templorum ſuorum & Scholarum curam ſeparatim gerat: id quod negotii natura poſtulat, cum nemo alienis ſacris addictus cum ratione peti poſſit, ut ſuæ fidei & curæ ea permittantur, quorum fida & integra adminiſtratione ipſe exiſtimet ſe contra fidem & conſcientiam facturum eſſe.

b) Ii autem Catholici) Agitur hic de Catholicis, qui tempore concluſæ Pacis ſupra numerum in Magiſtratu & officiis inventi ſunt. Atque hi fruuntur quidem priſti[illegible] h[illegible]ore commodisque per omnia: Sed domi ſe conti[illegible]nere debent, vel ſi utique in Senatum venire aliquando velint, voto id eſt, jure dicendi ſententiam carent; idque tamdiu obſervandum, donec loca eorum morte vel abdicatione vacaverint, resque adeo ad placitum Statumque numerum redierit. Intuitu Evangelicorum non opus fuit de hoc caviſſe; Eorum enim numerus eo tempore minor erat juſto & convento.

§. 8.

a) Neutra pars ſuæ Religionis Adhærentium potentia) Catholicos Auguſtæ Vindelicorum auctoritate Epiſcopi ſui, tum vicini Bavari viribus atque favore; Evangelicos autem numero Civium ſuperiores eſſe, experientia docet, Sed nihilominus horum ſemper deterior eſt conditio, dum multa diſſimulare coguntur, ne aſperioribus remediis negotium ſibi faceſſant, ſacrificulis rixæ occaſionem ſæpe quærentibus tanta impudentia, ut res nonnunquam a tumultu & ſeditione prope abfuerint. Adhæc laceſſunt ſe mu[illegible] frequenter acerbis ſcriptis atque concioni[illegible] [illegible]gitata cujusque partis plebe, in odium & execrati[illegible] alterius

ad deprimendam alteram b) abutatur, aut majorem numerum, directe vel indirecte c) ad dignitates Præſidum, Senatorum, aliorumque publicorum munerum aggregare præſumat, ſed quicquid ejus quandocunque & quomodocunque tentatum fuerit, irritum eſto. Proinde non ſolum hæc diſpoſitio quotannis, quando d) de novorum Senatorum aliorumque officialium in demortuorum locum ſurrogatione agitur, publicæ prælegitur; ſed etiam Præſidis ſeu Duûm-viri Secretiorum reliquorumque Senatorum, Præfectorum, Syndicorum, Judicum, aliorumque officialium Catholicorum electio

rius Religionis: quod ſane fieri non deberet in Civitate, ubi omnes Religioſa Pace conciliatos quiete & concorditer vivere decet, conjunctis ſtudiis ad promovendam Reipublicæ ſalutem, cum ſociare conſcientias in ſacris non poſſint

b) ad deprimendam alteram) Ferunt, qui Status Civitatis periti ſunt, vim publici Evangelici apud Auguſtanos eo inter alia frangi, quod immenſo ære alieno obruta Creditores potiſſimum Catholicos habeat, quibus ingentes debeat ſummas, annuis uſuris opes ærarii publici fere abſumentibus; unde fit, ut non modo ex uſuris, quæ ſæpe ſtatis temporibus non ſolvuntur, nomina creſcant; Verum etiam ut multa ferre Civitas teneatur Evangelicorum damno eo reſpectu, ne irritati Catholici Creditores iniquo aut alieno tempore condictione crediti multitudine & concurſu petentium inopiam & paupertatem publici detegant. Hæc eſt inteſtina ſcabies, & ægritudo, quæ ne aliquando Civitatem perdat, verentur prudentiores.

c) aut majorem numerum directe vel indirecte,) *Directe*, puto, per electionem: at qua ratione id fieri poſſit *indirecte*, non ita facile eſt explicare. Unus caſus eſſe poſſit, ſi prævaricatione aut negligentia Senatus Evangelici altera pars clam aut precario numerum ſuorum in Senatu & muneribus augeat: id enim quandocunque & quomodocunque tentatum irritum eſſe jubetur, hac fini, ne civibus unius alteriusve Religionis culpa ſuorum Magiſtratuum hac in re fraudi ſit.

d) quotannis, quando &c.) Quæritur, num hac etiam prælectione opus eo anno, quando nemo in Senatorium Ordinem cooptandus, neque alii Officiales in demortuorum locum ſurrogandi ſunt? Uſus hic erit optimus interpres. Ex verbis tamen, uti hic leguntur, neceſſitatem vix nobis feceris. Nam id, quod dicitur, *quotannis*, limitari ſtatim videtur per adverbium temporis *quando*. Niſi dicere velis, pertinere hanc cautionem etiam ad caſum, cum Præſides aliive in dignitatibus jam conſtituti ſecundum ordinem ambulatorium Magiſtratum de novo ineunt quotannis. Quicquid ſit, extenſio-

Digitized by Google

ctio & nunc poſthac ſit penes ipſos Catholicos, e) Auguſtanæ vero Confeſſioni addictorum penes eosdem, & defuncto Catholico alius Catholicus f) pariterque Auguſtanæ Confeſſioni addicto eidem addictus ſurrogetur.

§. 9. Pluralitas autem votorum in cauſis religionem a) ſive directe ſive indirecte b) concernentibus, nequaquam attendatur, c) neque illa Auguſtanæ Confeſſioni addictis d) Civibus ejus loci magis quam Auguſtanæ Confesſionis, Electoribus, Principibus & Statibus in

---

tenſionem illam hoc ex loco vix tuebimur, quo mentio tantum fit, novorum Senatorum, aliorumque Officialium in demortuorum locum ſurrogandorum.

e) Catholicorum Electio & nunc & poſthac ſit penes ipſos Catholicos) Utraque igitur pars ſuos in Senatum & ad dignitates muneraque publica legit, quæ optima ratio vitandæ cujuscunque fraudis, & amoliendi ambitus inſidioſi.

f) Defuncto Catholico alius Catholicus &c.) Itaque Evangelici non posſunt ſibi Catholicum legere, etſi vellent: neque Catholici Evangelicum.

§. 9.

a) Pluralitas autem votorum in cauſis Religionem.) Hic §vus duo continet; unum, quod pluralitas votorum in cauſis, Religionem concernentibus non attendatur; & alterum, quid habendum, ſi Catholici in aliis quibusvis negotiis pluralitate votorum in præjudicium Evangelicorum abuti vellent.

b) Sive directe, ſive indirecte) Cauſas, quæ indirecte Religionem concernunt, eſſe puto, cum Senatores & Magiſtratus tanquam unum corpus conſiderari nequeunt: vel ubi Catholici & Auguſtanæ Confeſſioni addicti in duas partes eunt, *art.* §. *52. infra.*

c) nequaquam attendatur) id eſt, nullum fiat Senatus Conſultum ſecundum plures ſententias, neque imperio Magiſtratus Catholici ad eum modum pareatur.

d) neque illa A. C. addictis) id eſt, quæ remedia A. C. Status in Imperio Romano habent, ne numero Catholicorum in adminiſtranda Republica ferendisque ſuffragiis vincantur, eadem omnia Civibus Auguſtanis Evangelicis præſidio eſſe poſſunt. Extant hæc præſidia ſupra allegata §. 52. hujus articuli 5ti, ubi tres caſus recenſentur, cui addi adhuc quartus poteſt, quando nimirum agitur de jure proprio Auguſtanæ Confeſſionis Civium, in quantum unam partem Civitatis conſtituunt. Tunc enim idem eſt, ac ſi de jure tertii ageretur. Quod vero ad pluralitatem Votorum in materia Collectarum attinet, cum hæc res neque Osnabrugenſi Pacificatione, neque huc usque in Comitiis, ad quæ remiſſa fuit, deciſa ſit, in ea Auguſtanæ Confeſſionis Civibus a Catholicis non magis

Digitized by Google

in Imperio Romano præjudicet. Quod ſi Catholici e) pluralitate votorum in his vel aliis quibusvis negotiis f) in præjudicium Auguſtanæ Confeſſioni addictorum abutantur, reſervatum his ipſis eſto vigore hujus Transactionis ad introducendam alternationem quinti ſenatoris ſecretioris, g) aliaque legitima remedia h) provocare.

§. 10

magis præjudicari poterit, quam Status Evangelici in hoc articulo a Catholicis contribuendi neceſſitatem ſibi imponi patiuntur.

e) *Quod ſi Catholici*) Alterum remedium contra abuſum pluralitatis votorum eſt, reſervata Evangelicis provocatio ad introducendam alternationem quinti Secretioris Senatoris, aliaque legitima remedia.

f) *in his vel aliis quibusvis negotiis*) Non igitur ſolum in Cauſis Religionem ſive directè ſive indirectè concernentibus; ſed etiam in aliis quibusvis negotiis. Requiritur autem, ut abuſus ille vergat *in præjudicium Auguſtanæ Confeſſioni addictorum*, quibus verbis alicui dari occaſio poſſet ulterius cogitandi, annon omne illud ad cauſas, Religionem indirectè concernentes, pertineat, quo Catholici in præjudicium A. C. addictorum abuti volunt? adeo ut hæc verba ſuperiorũ *indirectè concernentibus* quaſi interpretatio eſſe poſſint. Sanè enim quod Catholici in fraudem Evangelicorum numero ſuffragiorum ſuorum ſtatuunt, cum id niſi ex odio Religionis fieri non poſſit, etſi conſultatio de rebus Civilibus ſit, in quibus cauſis ſæpè etiam una pars alteri intuitu Religionis & quaſi per inſidias ægre facere poteſt: abſurdum non videtur dicere, ejusmodi cauſas videri Religionem indirectè concernere: nam illud *indirectè* complectitur omnia, quibus inſidiæ nobis ſtruuntur, aut damnum datur prætextu quidem alieno; revera autem reſpectu Religionis & ad invidiam ejus.

g) *ad introducendam alternationem quinti Senatoris Secretioris*) Scilicet uti ex §vo ſuperiori 4to conſtat, Auguſtæ Vindelicorum ſeptem ſunt Senatores Conſilii Secretioris. Ex his quatuor Catholicæ Religionis eſſe debent, tres ex Auguſtanæ Confeſſioni addictis ſumuntur, & ſic Catholici uno numero Evangelicos hoc in Collegio vincunt. Sed ne illi hac prærogativa abutantur, edicitur hic, ſtatuiturque in eventum pœna introducendæ alternationis in quinto Senatore, data Evangelicis facultate provocandi ad iſtam alternationem, qua re id habituri eſſent, ut decedente quinto hoc Senatore Catholico, alium Auguſtanæ Confeſſionis alternis ſemper vicibus eligi in hunc Ordinem oporteat.

h) *aliaque legitima remedia*) Tam ex Pace Weſtphalica, quotquot de violatione ejus actiones & accuſationes eſſe poſſunt: quam ex aliis formulis juris Civilis, quibus damnum, præjudicium vel injurias a nobis removemus.

Digitized by Google

§. 10. De cœtero Pax Religioſa, a) itemque ordinatio Carolina de Electione Magiſtratuum, b) nec non tranſactiones de Annis c) milleſimo quingenteſimo octuageſimo quarto, & milleſimo quingenteſimo nonageſimo primo (quatenus huic diſpoſitioni directe vel per indirectum non repugnant) d) ſalvæ & inviolatæ per omnia maneant. e)

Dunckelſp. Biberach. Ravensburg.

§. 11. Deinde Dunckelſpühlæ, Biberaci & Ravensburgi a) duo ſint conſu-

§. 10.

a) De cœtero Pax Religioſa) Hic quatuor confirmantur, quatenus huic tranſactioni non ſunt contraria: 1. Pax Religioſa, 2. Ordinatio Carolina, 3. Tranſactio de anno 1584. & 4. alia de an. 1591. Quod ad Pacem Religioſam attinet, actum de hac re eſt ad §. 1. hujus articuli.

b) Ordinatio Carolina de Electione Magiſtratuum) Hanc Ordinationem Imperator Carolus V. anno 1548. poſt devictos Proteſtantes, & Civitates Imperiales in ordinem redactas præſcripſerat, ubi Catholicorum cauſa in eo potior fuit, quia conſtitutum erat, ut eorum potius in eligendis Magiſtratibus ratio haberetur, ſi modo ad hæc munera civilia ſint idonei, & horum copia detur. Sed hoc ipſum jam abrogatum ubique eſt, introducta æqualitate inter utrique Religioni addictos, ratione dignitatum Senatoriarum aliorumque munerum publicorum.

c) tranſactiones de annis) Factæ ſunt iſtæ tranſactiones Rudolpho II. Imperatore, ejuſque Diplomate confirmatæ, quibus id fere cautum erat, quod ſupra §. 7. continetur. Reſque ab eo tempore usque ad annum 1628. utcunque quiete manſere, quamvis Catholici, cum occaſio ferret, paulatim rerum ſummam iterum ad ſe trahere conati fuerint. Poſt annum vero 1628. omnia ſusque deque verſa ſunt, tollentibus ubique criſtas Pontificiis ſub clypeo Edicti Ferdinandei, cujus executio per univerſum Imperium urgebatur. Mox ſupervenit bellum cum Suecis, variusque fuit Civitatis Status pro ſorte armorum, donec Pace Weſtphalica tandem componeretur ſtabili & perpetua lege, modo Pontificii ſervare modeſtiam didiciſſent.

d) quatenus huic diſpoſitioni directe vel per indirectum non repugnant) Hæc clauſula ideo neceſſaria fuit, quia moris eſt improbis hominibus, per cavillas manibus pedibusque eludere, quæ, cum ſibi incommodant, ex lege directis verbis impugnare non poſſunt.

e) ſalvæ inviolatæque per omnia maneant) Uti hæc omnia poſt Pacem effectui data ſunt, ea de re vide Receſſum Executionis apud *Lundorpium Tom. VI. lib. IV. c. 92. & Knipſchild de Civ. Imp. l. 3. c. 4.* ubi ſimul Epiſcopi Auguſtani Proteſtatio habetur, quem non puduit, inani & pacifraga contradictione laceſſere Statum Civitatis ab Executoribus ſecundum hujus legis formulam Imperiali auctoritate conſtitutum.

§. 11.

a) Deinde Dunckelſpuhlæ, Biberaci & Ra-

Digitized by Google

conſules, Catholicus unus, alter Auguſtanæ Conf. quatuor ſecretioris conſilii æquali numero utriusque Religionis: Eadem etiam æqualitas circa Senatum, Judicem Urbanum, præfecturam ærarii, ut & alia omnia officia, dignitates ac munera publica obſervetur. Quoad Præturam Judicii vero, Syndicatum & Secretarios Senatus & Judicii, nec non quoad alia hujusmodi officia, quæ uni tantum perſonæ committuntur, alternatio perpetuo obſervetur. Ita, ut demortuo Catholico ſemper Auguſtanæ Confeſſioni addictus & vice verſa ſuccedat. Quantum ad modum Electionis & votorum pluralitatem, nec non curam Templorum ac Scholarum, itemque anniverſariam prælectionem hujus diſpoſitionis attinet, idem quod de Auguſta dictum eſt, obſervetur.

Ravensburgi) Quemadmodum in his tribus Civitatibus ſingula ſint ordinata & conſtituta, de eo vide Receſſus Executionis apud *Knipſchild. de Civit. Imper. lib 3. c. 4. n. 8 42 & Lim. Jur Publ. l. 7. c. 14. §. & 41. præcipue in Tom. addit.* Cœtera ex ſuperioribus facile intelliguntur. Unum memorabile eſt, quod ſilentio non prætereundum. Scilicet erant Biberaci anno 1624. Cappucini, ſed extra Civitatem habitabant. Cum vero anno 1632. eorum monaſterium injuria belli deſtructum fuiſſet, religioſi illi in Civitatem migravere, ibiq; manſionem habuere usque ad Pacem. Itaque cum anno 1649. de executione hujus legis Biberaci ageretur, quæſtio orta eſt, num expellendi iterum Civitate ſint Cappucini illi, & ad priſtinum locum ſunt relegandi? Negabant Catholici id juſtum eſſe, aut pelli ſaltem Patres prius non poſſe, quam Monaſterium ſuum extra urbem reſtaurarint. Pro ratione allegabatur, Cappucinos anno 1624. habitaſſe quidem extra urbis mœnia, ſed exercitium ſuæ Religionis in Civitate etiam libere habuiſſe. Aſt negabant Evangelici, illos in Urbe tolerari poſſe, qui anno 1624. in illa non habitarunt, neque proprium templum ibi poſſederunt. Re ad Executorum judicium delata decretum fuit, Patres Cappucinos ſacellum ſuum, prope Cancellariam Civitatis poſt annum 1624. ædificatum transferre debere extra urbem ad eum locum, ibiq; exſtruere rurſus, ubi dicto anno poſitum erat: uno tantum menſe, paucisque amplius diebus illis conceſſis, quibus morari in urbe poſſent, ſed privata tantum domo, clauſoque Oratorio. De cœtero miſſum ſtatim faciant Cancellariam, clavesque Conſuli reſignent, mobilia ex illo loco alio transportent, & denique exercitium Religionis in ipſa urbe omittant: neque publico aut Civibus alimentorum cauſa oneri ſint. *Vid. Buckiſch.* ad hunc §vum, ubi ex Receſſu executionis verba huc pertinentia allegat, quæ profecto legi merentur.

Digitized by Google

Donavverd. §. 12. Quod ad Civitatem Donawerdam a) attinet, ſi in proxime venturis Comitiis Univerſalibus in priſtinam libertatem reſtituenda

§. 12.

a) *Quod ad civitatem Donaverdam &c.*) Hæc Civitas ſub initium ſuperioris ſeculi conſpiratione Catholicorum oppreſſa hic ſaltem honoris cauſa videtur nominari, cum ejus reſtitutio ab ejusmodi conditione ſuſpenſa fuerit, quam unquam extituram credere jam tum nemo ſanus poterat. Quis enim ſibi perſuaderi patiatur, fore, ut Catholici in Comitiis Univerſalibus conſentirent de Donaverda in priſtinam libertatem reſtituenda, non ſine contumelia & indignatione Bavari, cujus beneficio habent, quod Urbs illa ad Obſequium Romanæ ſedis reducta fuerit. Sed & Evangelicorum non valde intererat reſtitutionem fieri, cum de religione nihil cautum amplius fuiſſet, quam ut eodem jure in Eccleſiaſticis gaudeat, quo cœteræ liberæ Civitates vigore hujus transactionis gaudent, id quod nullo modo in commodum Religionis Evangelicæ cedere poterat, jam diu ex hoc loco ita pulſæ, ut anno 1624. quo reſtitutiones in ſacris æſtimantur, nullum ejus exercitium neq; publicum neque privatum ibi viguerit. Quam ob rem Catholicis Bavaro hoc lucrum ob egregia de ſe merita ultro gratificantibus, Proteſtantibus vero haud valde ſollicitis de reſtitutione Urbis, in qua manſura Religio Catholica erat, etiamſi in priſtinam libertatem reſtituta eſſet, haud mirum ſanè, in proximis poſt Pacem Weſtphalicam Comitiis hujus negotii conficiendi curam nemini admodum cordi fuiſſe, præſertim cum Bavarus ſumptus, in Executione factos a Statibus repeteret, quorum computus ad incredibilem pecuniæ vim excreverat. Hodie tamen Cæſaris Joſephi decreto & auſpiciis hæc Urbs libertatem recuperavit, cum Bavarus præſenti bello Gallorum partes amplexus, evocatisq; in Imperium hoſtibus ingens & periculoſum bellum conflavit, quod non Auſtriacis modo, ſed & Suevis atq; Franconibus denunciaverat, ſi recuſarent arma ponere, & rationibus ſuis atque conſiliis, pridem cum Gallis ſociatis, morem gerere. Hinc tribus primis annis bellum vario eventu geſtum, vaſtataque inprimis Suevia, donec prælio Hochſtattano cum Gallis ſuis fuſus fugatusque, relictis ditionibus, in Provincias Belgicas exulatum ire coactus eſt, ubi raro exemplo Elector & Princeps Germanus contra Patriam exercitus hoſtium ducere, & auſpiciis Gallorum pugnare jubetur, quorum miles ſtipendiarius eſt factus perpetuo opprobrio gentis Bojorum, quæ olim ob res fortiter pro Auſtriacis geſtas non modo ſummis in Republica honoribus eſt ornata: verum etiam ingentia commoda retulit. Interea hac memorabili clade affectus Elector dum Germania pellitur, omnesque ſuas regiones arbitrio hoſtium relinquit, occupata ſtatim utraque Bavaria conſulta-

Digitized by Google

enda eſſe judicabitur ab Imperii Statibus, eodem gaudeat Jure in Eccleſiaſticis & Politicis, quo cœteræ Imperii liberæ Civitates vigore hujus Transactionis gaudent, ſalvis tamen quoad hanc Civitatem eorum, quorum intereſt, juribus. b)

§. 13. Terminus autem Anni a) milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi — An.1624. in puncto Religionis & Reſtitutionis idem terminus.

ſultatum ſæpe fuit, quid de ipſo Electore fieri deberet, ut temeritatis ſuæ & perduellionis pœnam daret. Neque obſcurum erat, quid Conſtitutiones publicæ contra eos decernerent, qui tantis auſibus patriam oppugnatum arma cepiſſent. Igitur tandem Imperiali Banno ſeu Proſcriptione ictus eſt, poſtquam hæc cauſa in aula Cæſarea multum diuque agitata fuiſſet. Interea omnis ditio Bavari in poteſtatem Auſtriacorum eſt redacta, quæ nunc inſtituta adminiſtratione ad lubitum regitur; ne tamen Status etiam ab omni tantæ victoriæ fructu prohibiti viderentur, hoc ſibi in partem ſolatii gratiæque imputare poſſunt, quod Donaverda urbs nuper, ut dictum, in libertatem vindicata, & cæteris urbibus Imperialibus accenſita iterum, atque Circulo Suevico pro Statu immediato reddita fuit.

b) *ſalvis tamen quoad hanc Civitatem eorum, quorum intereſt juribus)* Hoc in Bavari gratiam videtur adjectum ſumptus, uti dixi, repoſcentis, quos in executionem auctoritate Cæſaris erogaverat. Atque hoc præcipue fuit telum, quo reſtitutionis neceſſitatem olim declinavit, cum ipſa Civitas tantis rationibus exſolvendis non par ſit; alii vero pro ejus libertate conferre nihil velint.

§. 13.

a) *Terminus autem anni)* Non ita multi anni ſunt, cum hic §vus in cauſa Palatina diverſis Interpretum opinionibus varias explicationes eſt expertus. Elector Palatinus jus ſibi reformandi ſine lege & modo liberum ex Pace Religioſa atque §. 30. hujus artic. 5ti aſſerturus, ut ſubditos Palatinos dejiceret a præſidio paragraphi ſequentis 31. *Hoc tamen non obſtante* &c. fortiſſimo inter alia hoc etiam argumento eſt uſus, quod ipſe, ſeu potius deceſſores ejus ex capite amneſtiæ ſpecialiter ſint reſtituti; ſic autem reſtitutis terminus anni 1624. nullum præjudicium creare debeat. Unde concludere voluit, non modo terminum poſſeſſionis ex anno 1624. ſubditis ſuis nihil de facto prodeſſe: quod verum, cum hoc anno poſſeſſionem nullam habuerint: Verum etiam eos provocare ad hoc beneficium legis propterea non poſſe, quod ipſe Elector ex capite amneſtiæ ſit reſtitutus. Ex adverſo ſubditi Palatini argumento prorſus contrario de poſſeſſione anni vigeſimi quarti excipere ſe, & ad Statum, qui fuit ante motus Bohemicos, provocare omnino poſſe exiſtimabant, quia reſtitutis ex capite amneſtiæ, inter quos ipſi articulo ſuperiori §. 13. nominatim relati

fuere,

Digitized by Google

fuere, iſte terminus anni 1624. nullum præjudicium creet. Quanquam vero hæc ſententia præ altera Electoris Palatini majori probabilitate nitatur (videtur enim prior illa omne auxilium ſubditis ex capite gravaminum reſtituendis eripere, cum pauci erunt, quorum Domini reſtitutionem ex capite amneſtiæ non poterunt petere, & hac exceptione reſtitutionem ſubditorum, qui anno 1624. poſſederunt, elidere) mea tamen opinione neutra cum ſenſu & ſcopo hujus loci congruit, qui ſimpliciſſimus eſt, & nihil aliud ſibi vult, quam ne illi, qui ex capite amneſtiæ reſtitui cupit, opponi poſſit, quo minus effectum hujus reſtitutionis conſequatur, eum anno 1624. non poſſediſſe. Quemadmodum vero longe diverſi ſunt effectus reſtitutionis ex capite amneſtiæ, & alterius ex capite gravaminum, quorum alter tertio cuicunque jus ſuum, quod in rem vel perſonam habet, integrum illibatumque ſervat; alter vero perpetuo extinguit, caſſatis omnibus pactis, transactionibus, ſententiis & executionibus: ita hæc confundenda non ſunt, neque exiſtimandum eſt, eum, qui ex amneſtia reſtituitur, hac reſtitutione omnia beneficia & jura participare, quæ reſtitutis ex capite gravaminum, & habita poſſeſſione anni 1624. ſunt comparata, etſi ipſi dicto anno dieque in poſſeſſione non fuiſſent Quippe ut adhuc ſemel hac occaſione compendio dicam, differunt reſtitutiones, illa ex capite amneſtiæ, & hæc ex capite gravaminum tribus fere rebus, primo objecto. Reſtitutione enim ex amneſtia complectitur ſacra & profana: altera ex capite gravaminum Eccleſiaſtica tantum, & Politica hactenus, quatenus intuitu Eccleſiaſticorum quid in iis mutatum. Secundo effectu. Nam reſtitutus ex amneſtia nihil novi juris acquirit, quam ante deſtitutionem habuit, adeoque ſi rem aliquam poſſedit, a qua poſtea dejectus eſt, nudam ſaltem ejus poſſeſſionem conſequitur, ſalvis quorumcunque juribus, quæ in rem illam alii competebant; nam is etiam in iſta, ſi forte turbatus fuerit, ſimul reſtituitur. At reſtitutio ex capite gravaminum ſic reſtitutum perpetuo ſecurum facit a perſecutione juris, quod alius ſibi vindicaverat, data exceptione peremtoria litis finitæ, quaſi transactum ſuper re dubia aut controverſa fuiſſet. Denique termino reſtitutionis a quo, qui diverſis temporibus & annis conſtat. Reſtituti enim ex capite amneſtiæ indiſtincte reſtituuntur in eum ſtatum, quo ante deſtitutionem gaviſi ſunt, ſi is occaſione Bohemiæ Germaniæve motuum, vel fœderum hinc inde contractorum turbatus deinde fuerit. At qui ex capite gravaminum reſtituuntur, ſi ſunt Status vel ſubditi immediati ex habita poſſeſſione prima die Januarii 1624. judicantur reſtituunturque. Sin vero ſubditi mediati, ex habita poſſeſſione quacunque dicti anni parte. Unde perſpicuum eſt, neminem, niſi ſpeciali legis providentia aliunde juvetur, quod ſubditis Palatinis factum eſſe ſupra docuimus ex eo, quod ex amneſtia ſit reſtitutus, ad fruitionem beneficiorum ex capite gravaminum admitti, ſi termino

reſtitutionis, a quo deſtituitur, dato ſingulariter reſtituendis ex hoc titulo. Quare vehementer errant, & utriusque reſtitutionis vim atque naturam aut non intelligunt, aut captioſe confundunt, qui ad §. 31. *Hoc tamen non obſtante*, hujus articuli eo loco, ubi mentio fit exercitii Auguſtanæ Confeſſionis, anno 1624. habiti, de ſuo addunt extra verba & mentem legis, vel *reſpective anno 1618.* quaſi reſtitutis ex capite amneſtiæ hæc ipſa reſtitutio proficeret etiam ad conſequendos omnes illos effectus, quibus gaudent reſtituti ex capite gravaminum ſecundum poſſesſionem, anno 1624. habitam. Quæ profecto interpretatio Paciſcentibus nunquam in mentem venit, qui utramque reſtitutionem accuratiſſimis notis, non objecto modo & effectibus, ſed inprimis diverſis temporibus diſtinxere. Atque hæc ita ſe habere, manifeſto exemplo Ducis Wurtenbergici probo. Reſtitutus is ſupra fuerat Artic. IV. §. 24. ex capite amneſtiæ in omnia & ſingula, Secularia atque Eccleſiaſtica bona & jura, *ante hos motus* ubicunque poſſeſſa: Interque illa ſpecialiter in Dynaſtias Blaubeyern Achalm, & Stauffen. Sed in fine additur, ſalvis tamen & reſervatis Domus Auſtriacæ, nec non Wurtenbergicæ in ſupra dictas Dynaſtias, prætenſis juribus & actionibus &c. At vero cum artic. V. §. 25. *quæcunque monaſteria* &c. de Monaſteriis aliisve bonis Eccleſiaſticis mediatis, eorumque juribus res agebatur, Wurtenbergici adeo non exiſtimabant ſe reſtitutione ex capite amneſtiæ ſecuros eſſe, ut potius omnem lapidem moverint, ut nominarentur etiam expreſſe inter reſtituendos ex capite gravaminum & poſſeſſione, anno 1624. prima die Januarii habita, his verbis: *Interque illa ſpecialiter etiam Monaſteria, fundationes atque bona Eccleſiaſtica, omnia & ſingula a Principe Wurtenbergico anno 1624. poſſeſſa.* Qua reſtitutione ex hoc anno illud demum conſecuti ſunt, ut cum adverſus ſuperiorem reſtitutionem ex capite amneſtiæ Domui Auſtriacæ jura ſua & actiones in quasdam Dynaſtias reſervata ſint. Hac e contrario Ordinibus Religioſis, aut ſi qui alii iſta bona Eccleſiaſtica olim poſſedere, non ſpes modo omnis, ſed & remedia omnia juris & facti præciſa fuerint, & in perpetuum abolita, donec de Religione ipſa convenerit: *non attenta*, ut ſupra ad §. 1. dictum, *cujusvis ſeu Eccleſiaſtici ſeu Politici contradictione vel proteſtatione*, quæ omnes inanes & nihili declarantur. Vel uti infra §. 25. habetur: *non attentis, ſed irritis prorſus exceptionibus, quæ ex quibuscunque prætextibus aut rationibus deſumi poſſent.* Atqui ſane niſi Dux Wurtebergicus hæc Eccleſiaſtica anno etiam 1624. poſſediſſet, neque de retentione eorum ipſi alia ſpeciali pacto cautum in pace fuiſſet, ego profecto valde metuo, ut ſuperiori reſtitutione ex capite amneſtiæ excludere illos potuiſſet, quorum repetitioni vel poſſeſſio, anno 1624. habita, vel alia remedia recuperatoria favebant, etſi docuiſſet, bona iſta a ſe ante hos motus poſſeſſa fuiſſe. Peſſimum itaque Interpretem hujus loci agit Buckiſch, qui

Digitized by Google

qui putat, *hic exceptionem a regula haberi, quatenus Catholici aut Acatholici bona Eccleſiaſtica percipere, vel Religionem ſuam exercere poſſint*: addit declarationis cauſa hunc caſum: *Si ergo quis occaſione forte belli toto tempore & anno illo 1624. abſens, ac ex capite amneſtiæ rediens reditus bonorum Eccleſiaſticorum poſſidere, aut exercitium Religionis ſuæ publicum introducere velit, videtur ipſi non eſſe denegandum*: quod miror Pontificium hominem Viennæ ſcribere auſum, ſententia adeo abſurda, ut non modo cum ſenſu hujus ævi plane non conveniat; ſed & ipſis Catholicis arridere non poſſit, quibus hactenus viſum, reſtitutionem ex capite gravaminum variis artibus accidere magis, quam permitti, ut hac ratione ultra verba & ſenſum extendatur. Rem propiori acu tangit Obrechtus, qui ſcribit, quia ex hoc termino, cujus hic fit mentio, de anno 1624, controverſiæ potuiſſent enaſci contra terminum amneſtiæ, qui poſt prolixam Diſputationem in Tractatibus Pacis tandem redactus fuit ad initium Germaniæ Bohœmiæve motuum: *Itaq; Pacificatores ſpecialiter hos terminos diſtinxiſſe ut poſterior tantum pertineat ad cauſas Eccleſiaſticas, non vero ad reſtitutionem ex capite amneſtiæ.* Scilicet reſtitutio ex capite ameſtiæ, non in Politicis modo, ſed & Eccleſiaſticis decreta eſt: Reſtitutio item ex capite gravaminum non Eccleſiaſticis modo datur, verum etiam certis caſibus in Politicis. Cum vero utriusque reſtitutionis terminus a quo longe ſit diverſus, facilis inde occaſio litium in Eccleſiaſticis inter reſtituentes & reſtituendos naſci poterat, utraque parte cauſam ſuam diverſis terminis tuente: Itaque neceſſarium fuit edicere, ne terminus anni 1624. qui reſtitutionibus ex capite gravaminum eſt datus, fraudi aut præjudicio ſit iis, qui ex capite amneſtiæ volunt reſtitui: id quod præterea eam etiam ob cauſam profuit ſtatuere, ne malevoli inde anſam arriperent cavillandi terminum amneſtiæ, quaſi poſteriori legis parte abrogatus eſſet, dato alio termino anni 1624. poſteriora enim prioribus derogare, inter Brocardica jura habetur, quorum ſæpe magnis in rebus, & nonnunquam etiam evidentibus, ingens eſt abuſus. Ideoque placuit tranſigentibus diſtinguere clare utrumque terminum ex cauſis reſtitutionis, & ſancire, alterum alteri fraudi eſſe non debere. Unicum nihilominus mihi ſupereſt dubium, ſcilicet qui factum ſit, ut hoc loco, non ſatis commodo, uti apparet, de hac re ſtatuatur. Sciendum enim, paragraphos hujus articuli, cum inſtrumentum Pacis conficeretur, non ita diſtinctos fuiſſe, uti poſthac privatorum cura factum eſt, qui ſingulas orationis periodos, quoties nova linea incipit, in paragraphos diſtribuere, cum originaria dispartitione plures ſæpe unum feciſſent. Sic ab initio totus articulus 5. non niſi in viginti paragraphos eſt diſtinctus, ex quibus deinde quinquaginta octo facti ſunt. Ita etiam hic §.13. cujus commentatione nunc occupamur, ultimam partem conſtituit §.2. quem recentiores poſtea in tredecim paragraphos diviſere. Hic §.2. cum omnibus ſuis parti-

mi quarti b) nullum præjudicium creare debet c) iis, qui d) ex capite Amneſtiæ aut aliunde e) reſtituendi veniunt.

§. 14. III.

partibus, uti ab initio deſcriptus fuit, hæc duo fere continet, 1.) Terminum reſtitutionis a quo, & 2.) Civitates quaſdam Imperiales, de quibus ſpecialiter conventum, Poſtquam harum Civitatum negotia abſoluta fuere, tum demum hæc regula annectitur, quæ ante Civitatum illarnm cauſam ſtatim poſt terminum reſtitutionis a quo ſtare longe commodius potuiſſet, Quando nunc hac diſpoſitione falli quis poſſet, ut crederet, Civitatum ſaltem dictarum cauſa conventa iſta fuiſſe. Neq; minus illud turbat, quod regula hæc eo loco tradita ſit, ubi de Statibus tantum & Subditis immediatis agitur, ut dubium ſit, an ad mediatos etiam pertineat, quorum infra demum § 30. incipit mentio. Quicquid ſit, uti non negem, loco commodiori hanc rem collocari potuiſſe, ita apud me quidem nullum eſt dubium, quin omnium ſubditorum bono hæc lex ſcripta ſit, quod ego non tam ex latitudine verborum & ſenſus colligo, quam inde conjecto, quod hic ſtatuatur de toto anno vigeſimo quarto, cum etiam deſignanda dies prima Januarii fuiſſet, ſi regula ſolos immediatos concerneret. Jam vero cum anni fiat mentio, omiſſa diei deſignatione, id alio non pertinet, quam ut prima dies Januarii hujus anni Immediatis cedat; Mediatis vero quælibet ejusdem anni pars.

b) anni 1624,) Cum nec dies anni, ut ſupra §. 2. neq; quælibet ejus pars, ut infra §. 31. hic adjiciatur, totus annus merito eſt intelligendus, quatenus reſtituendis ex capite gravaminũ pro conditione Status cujusque ſubſidio eſſe poteſt.

c) nullum præjudicium creare debet) Scilicet in genere, ne petentibus reſtitutionem Eccleſiaſticorum ex amneſtia in eum Statum, qualis ante deſtitutionem fuit, opponi poſſet exceptio poſſeſſionis eorundem, qualis erat anno 1624. qua in re facilis eſt confuſio, cum tamen unum remedium altero certo modo nunc ſit pinguius, nunc minus pingue. In ſpecie autem, ne terminus anni 1624 ſic præjudicet, 1.) ut reſtitutionem ex capite amneſtiæ, in Eccleſiaſticis etiam debitam impediat. 2.) nec ipſi amneſtiæ afferat præjudicium. 3) ne ad proſcriptiones & confiſcationes extendatur eorum bonorum, quæ adverſa pars anno 1624. poſſedit. & 4) denique, ne articulis aliter conventis deroget: de quibus exceptionibus vide ſis artic. 3. §. 2. Quemadmodũ ex adverſo æquum eſt, ne terminus amneſtiæ præjudicium creet illis, qui ex capite gravaminum reſtitutionem poſtulant, ſuperiori ex amneſtia in eo pinguiorem, quod omnes actiones & jura cujuscunque tertii penitus extinguat, cum reſtitutio ex capite amneſtiæ decreta ſit ſalvis juribus quibuscunque circa bona reſtituenda, ſive ſecularia, ſive Eccleſiaſtica fuerint, ut adeo, cum quæſtio eſt, quid præſidii vel auxilii reſtituto adverſus perſecutiones

Digitized by Google

ſive reſtituentium ſive aliorum in poſterum comparatũ ſit, hoc maxime inſpici debeat, num quis ex amneſtia vel ex capite gravaminum ſit reſtitutus.

d) de iis qui) Cum itaque non Status modo aliique immediati, verum etiam ſubditi ſecundum articulum 3. ex amneſtia reſtituantur: hic autem alii ab aliis non diſtinguantur, vel ex hac etiam formula generali hujus loci apparet, ſubditos non minus iſtis verbis comprehendi, quam illos immediatos, quamvis in cœteris horum ſaltem ratio usque ad §. 30. habeatur.

e) ex capite amneſtiæ aut aliunde, &c.) Ecce aliud argumentum, quo conſtat, beneficia reſtituendis ex capite gravaminum comparata non deberi illis, qui reſtitutionem ex capite amneſtiæ quærunt, vel jam conſecuti ſunt: alias enim ex pari cauſa uſui etiam illis forent, qui aliunde reſtituendi veniunt: id quod tamen iniquiſſimum, cum qui aliunde reſtituendi ſunt, i.e neque ex amneſtia neque ex capite gravaminum, ejusmodi ſæpe cauſas & jura habere poſſunt, quæ ex jure communi unice æſtimantur, neq; ad Pacis Weſtphalicæ Tabulas pertinent. Cœterum hic Interpretes anxie quæſivere, quæ cauſæ vel qui tituli intelligantur per hoc vocabulũ *aliunde*, ex quibus detur reſtitutio. Errat procul dubio Bukiſch, qui per id medium quoddam inter reſtitutionem ex amneſtia & reſtitutionem ex gravaminibus ſecundum annum 1624. conſtitui opinatur. Rhetius *Jur. Publ. lib. II. tit. 1.* §. 67. intelligit eos, qui ex gratia reſtituuntur, quo referri poſſunt, quæ infra §. 38. & ſeqq de Statibus atque ſubditis Domus Auſtriacæ conventa ſunt. Sed hic ſolus caſus omnem latitudinẽ vocis *aliunde* exhaurire non videtur, quamvis hoc veriſſimum ſit, non ſequi: hi ex gratia ſunt reſtituti, ergo etiam reditus bonorum Eccleſiaſticorum percipiunt quos prima Januarii 1624 non perceperunt. Propius rem tangit Deckerus de Pac. Civil. Relig. part. I. c. 11. §. 80. p. 61. *aliunde reſtituendos eos fore, qui ex capite læſionis vel deſtitutionis violentæ aut per amneſtiam, aut gravaminum deciſionem oblivioni non traditæ vel abrogatæ juvandi, quid enim iniquius, quam eos, qu jure communi gentiumque legibus pro reſtituendis judicantur, certo cuidam anno dieive ſub præjudicio cauſæ alligare?* Exempla non improbo: Sed ratio ſubſiſtere non poteſt, quia Weſtphalica Pax multos, quibus forte jus commune reſtitutionem in ſacris & profanis adjudicaſſet, ſuffragio ſuo non deſtituit modo, ſed & alios in vicem eorum, ut reſtituendos ſubſtituit. His addi poteſt, cum quis ex pacto, transactione vel ſententia Judicis reſtitutionem petit, quoties Pax Weſtphalica diverſa non ponit impedimentum, quo procul dubio in Conventu Deputatorum Francofurtenſi, cum de vi & ſignificatu hujus vocabuli diſputatum etiam fuiſſet, Legatus Brandenburgicus Huberus reſpexit, qui die 31. Maji ſt. v. 1656. pro voto dixit: Das Wort *aliunde* verſtünde ſich de transactionibus, ſententiis, rebus judicatis & juribus ante bellum exercitis: quamvis Altenburgicus Legatus eo tem-

Digitized by Google

§. 14. III. Bona Eccleſiaſtica immediata a) quod attinet, ſive ſint
X 2 Archi-

tempore maluerit nihil definiri ex ingenio illorum hominum, qui ſemper anguem in herba latentem metuunt, quamvis poſt omnes angulos diligenter excuſſos nihil inſidiarum potuerint indicare. Fortaſſis autem illa quorundam ſententia reliquas omnes vincit, quibus placet, hic aliunde *reſtituendos* eſſe imprimis illos, *quos cujuscunq; articuli INSTRUMENTI Pacis diſpoſitio vel priſtino Statui, vel nuper convento reddi juſſerit.* Exempla habemus hac Pace Weſtphalica artic. II. § 12. 13. & 14. Item artic. 13. §. 3. & 10. artic. 15 §. 4. & 7. art. 16. §. 14. & quæ poſt pacem publicatam in Conventu Norimbergenſi, ejus exequendæ cauſa indicto de reſtitutione locorum, militumque deductione utrimque placita, & in acta relata fuere: quanquam in eo mihi quidam paulo liberaliores eſſe videntur, qui non modo articuli cujusdam diſpoſitionem *manifeſtam & exiſtentem*: Verum etiam *impoſterum ab accuratioribus eruendam* huc ſufficere putant, addita ratione, *videre Pacificatores non modo præſentibus dubiis ſed & ſi quæ oriri poſſent, futuris prævenire voluiſſe*: quæ ſententia oppido campum aperit infinitis litigiis. Nam inter diſſentientes, qui erunt illi accuratiores, quibus in dubiis datum mentem legis ita eruere, ut aliis hac ſententia tanquam Pacis diſpoſitione ſit ſtandum. Habebit procul dubio hæc quæſtio eandem difficultatem, quam cum de ſuffragiis ſanioribus diſceptatur, majori ſentientium parti prævalituris. Ne taceam ſumme eſſe periculoſum, poſteris poteſtatem facere, ut ex tabulis Pacis, earumque verbis dubiis eruere ſenſum & diſpoſitionem poſſint, ibi manifeſto non exiſtentem, idque præſumptione, quod quis Paciſcentibus ipſis fuerit accuratior, qua ſane re convelli pacem omnem nullo negotio poſſe vident etiam non accuratiores.

§. 14.

a) Bona Eccleſiaſtica immediata &c.) Bona Eccleſiaſtica, quæ Status Imperii poſſident vel immediata ſunt vel mediata. De illis nunc agitur hoc §vo & ſeqq. de his §. 25. Sunt autem bona Eccleſiaſtica immediata, quæ non ſunt ſub alterius Status poteſtate territoriali, & quorum adeo poſſeſſores hoc reſpectu Cæſari & Imperio immediate ſunt ſubjecti. Mediata vero, quæ non modo in aliorum Statuum territoriis ſita, ſed & quæ de Territorio eorum ſunt, atque ſublimi illo jure Superioritatis reguntur. Inter hæc diſcrimen ex Pace Religioſa notum eſt, quod alia ante Tranſactionem Paſſavienſem a Proteſtantibus occupata fuerunt: alia vero demum poſt illam, quorum longe maximus erat numerus. Cum itaque Ferdinandus II. edicto ſuo, quo claſſicum in Germania cecinit hæc inprimis inſidioſa Pacis Religioſæ interpretatione a Proteſtantibus abſtuliſſet, incredibili horum terrore, quo ad arma cum Suecis conjungenda velut conſternati ſunt, in Tractatibus

Archiepiſcopatus,b) Epiſcopatus, Prælaturæ, Abbatiæ, Baliviæ, Præpoſituræ, Commendæ, c) ſive liberæ fundationes ſeculares,d) aut alia, una cum reditibus, penſionibus, aliisque e) quocunque nomine

bus Pacis poſt varias propoſitiones placuit tandem utrobique terminum reſtitutionis a tempore TranſactionisPaſſavienſis ad annum 1624. ejusq; primum diem Januarii producere,ut quod unusquisq; illo anno dieque poſſedit, id retinere in poſterum etiam poſſit,decreta reſtitutione, ſi quis interea poſſeſſione forte quocunque modo excidiſſet.

b) Sive ſint Archiepiſcopatus) Sequitur enumeratio Bonorum Eccleſiaſticorum, quamvis non ſufficiens, uti videtur, quia adhuc alia ſunt, quorum nomina non exprimuntur.

c) Commendæ) Olim dubitatum fuiſſe, an Commendæ etiam ad Bona Eccleſiaſtica pertineant,refert Gilmannus. At hic locus eximit nobis dubitationem. Quid ſint autem *Commendæ*, & quando Reipublicæ Chriſtianæ malo in formam præſentem ex inſtituto ab initio laudabili degenerarint, vide apud Paulum Sarpium *Hiſt. Concil. Trid. lib. 2. pag. 424. & lib. 6. p. 862.*

d) Sive liberæ fundationes Seculares) freye Weltliche Stiffter, cujusmodi duo ſunt Ratisbonæ, quæ appellantur das Ober-Münſter und das Nieder-Münſter, ubi virgines aluntur nobilitate generis conſpicuæ ſub Abbatiſſæ cujusdam directione, quæ relinquere Conventum ſuum ex arbitrio, & nubere pro animi ſententia poſſunt, ſola Abbatiſſa excepta, cui vitæ genus, ex quo electionem ſemel accepit, mutare non licet. Hæc gaudet Principali nomine & dignitate, atque ſic voti caſtitatis pretium habet mundanos honores titulosque. Cœteræ dum Monaſterio addictæ ſunt, ſub certis quidem regulis vivunt, aſt tanta libertate atque emancipatione, ut frequenter cœtus illuſtrium virorum fœminarumque diurnos nocturnosque & apud ſe agant, & alibi actos concelebrent. Cœterum hic reduplicata particula disjunctiva *ſive*, nimirum *ſive ſint Archiepiſcopatus &c. ſive liberæ Fundationes Seculares*, videtur BonorumEccleſiaſticorum duplex diſcrimen conſtituere: ut alia ſint Bona Eccleſiaſtica ſtrictius dicta, alia Eccleſiaſtica ſecularia, ratione quadam non abſimili ab ea differentia,quæ eſt inter Sacerdotem Religioſum & ſecularem.

e) una cum reditibus, penſionibus, aliisque) Horum enim cauſa Bona Eccleſiaſtica hodie appetuntur; Pontificii quidem hoc noſtratibus olim objecere. Sed eadem ſane cauſa fuit, cur ipſi cœlum terramque moverint, ut amiſſa recuperent. Profecto enim bellum illud Germanicum, quod hac Pace compoſitum rurſus fuit, conflandum nunquam fuiſſet, niſi clerus & inter eos flabra præcipua, ordines religioſi Auſtriacorum Principum aures & conſcientias fatigaſſent importunis ſugge-

ne ſignatis, ſeu in Urbibus ſeu ruri ſitis f) ea ſeu Catholici, ſeu Auguſtanæ Confeſſionis g) Status h) die prima Januarii Anni milleſimi

ſex-

ſuggeſtionibus. Id profecto facturi nunquam, niſi præſenſiſſent, ex vindicatis illis Eccleſiaſticis Bonis culinas eorum egregie fumigaturas.

f) ſeu in urbibus, ſeu ruri ſitis) Hæc diſparatorum conjunctio indicat, fuiſſe olim aliquos, qui ex ejusmodi diſcrimine calumnias captarint, quaſi ex Pace Religioſa utrobique idem jus non ſit ſtatuendum.

g) ea ſeu Catholici, ſeu Aug. Confeſſ.) Subjectum poſſeſſionis horum Bonorum ſunt Status, ſive Catholici, ſive Auguſtanæ Confeſſionis. Non enim hic dicitur, quæ Bona Eccleſiaſtica immediata, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Prælati, Abbates &c. poſſederunt; ſed quæ STATUS. Quamvis non negem, illos etiam fore tales eo ipſo, quod ejusmodi Bona immediata poſſident, quibus jus Status eſt mancipatum. De cætero hic iterum neceſſaria fuit Catholicorum & Evangelicorum conjunctio: Illi enim negabant, Hos, i. e. Status Evangelicos ex Pace Religioſa idoneos eſſe bonis Eccleſiaſticis immediatis poſſidendis, id quod tota illa actione ſatis explicuere, quam vehementiſſimis certaminibus cum Proteſtantibus ſuper Reſervato illo Eccleſiaſtico ſuſceperant. Unde neminem latet, quantis animorum motibus eadem hæc res in Conventu Osnabrugenſi utraque ex parte agitata fuerit, cum Evangelici etiam Eccleſiaſticis Statibus plenam libertatem mutandi religionem, ſalvis Statu, dignitate & bonis, vindicatum irent. Catholici vero illos, qui a ſe ad Religionem Proteſtantium tranſiiſſent, aut deinde tranſituri eſſent, omnibus Eccleſiaſticis honoribus & bonis privatos privandosque declararent. Poſt longam contentionem ceſſere tandem Catholici, ut quos Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, ſimiliaque bona Eccleſiaſtica Auguſtanæ Confeſſioni addicti Status anno 1624. prima die Januarii poſſederint, ea tranquille & imperturbate poſſidere ultra poſſint. In caſus futuros concedere nihil voluere, ea animi obfirmatione, ut tandem absque circuitu dixerint, die Catholiſchen hätten ſich reſolvirt, lieber immerfort und ſo lang noch einer von ihnen übrig wäre, den Krieg fortzuſetzen, ehe ſie dem Reſervato Eccleſiaſtico auch in futurum renunciiren wollten. Es wäre genug, daß ſie es quoad præteritum gethan.

h) Status) Quæri poteſt, cur hic mentio non fiat Nobilitatis Immediatæ, uti ſupra §. 2. factum, cum regula univerſalis pro reſtituendis ex termino reſtitutionis a quo traderetur? Ego cauſam hanc ſubeſſe puto, quod hic de Eccleſiaſticis tantum agatur Statibus: Corpus autem Nobilitatis immediatæ ſit Corpus Politicum, cujus membra ejus generis Bona poſſidere nequeant, quatenus ſcilicet ut nobiles conſiderantur. Quin enim fieri etiam

Digitized by Google

ſexcenteſimi vigeſimi quarti poſſederint, i) omnia & ſingula nullo plane excepto, k) ejus Religionis Conſortes l) qui dicto tempore in reali eorum poſſeſſione fuerunt, m) usque dum de Religionis diſſidiis n) per DEI gratiam conventum fuerit, tranquille & imperturbate posſideant, o) neutrique parti liceat alteri ſeu in Judicio, ſeu extra

etiam Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Commendatores, & ſimiles poſſint, nemo negat. Sed eo ſenſu ſunt Status, & ad Nobilitatem immediatam non pertinent.

i) die prima Januarii 1624. poſſederint) Itaque hæc tria oportet concurrere, 1) ut bona Eccleſiaſtica ſint immediata, 2) ut hæc fuerint a Statu poſſeſſa, & 3) prima die Januarii 1624. quibus poſitis nihil ultra deſideratur ſive ad actionem pro reſtitutione Bonorum dicta die annoque poſſeſſorum ſi poſthæc poſſeſſione quis exciderit; ſive ad exceptionem finitæ litis contra Cleri Romani vindicias, ſi poſſeſſionem retinuerit.

k) omnia & ſingula, nullo plane excepto) Equidem qui omnia dicit, dicit etiam ſingula: & qui omnia & ſingula dicit, nihil excipit, ut hæc verboſitas & cumulatio terminorum idem effectu ſignificantium ſupervacanea videri poſſit. Sed ne inutilis viſa fuerit, effecit Adverſariorum aſtutia, qui olim Pacem Religioſam tot ſubdolis inventis & cavillis maxima ſui parte eluſerunt. Unde territi Proteſtantes veſtigiis & exemplis antiquis maluere omnes latebras ſi fieri modo poſſet, excutere, & dejicere Sycophantas ex præſidiis ſuis, quam committere, ut latus nudent verboſitatis metu.

l) ejus religionis conſortes) Religionis ſcilicet vel Catholicæ vel Evangelicæ.

m) qui dicto tempore in reali eorum poſſeſſione fuerunt) Igitur reali poſſesſione eſt opus, non mentali ſive intentionali. Unde merito rejecti illi, qui poſtea contra reales Poſſeſſores poſſesſiones ſuas mentales, quaſi omnino poſſeſſionem retinuiſſent, allegare voluerunt. Neque etiam magis auditi, qui latitantes in loco, ubi Bona Eccleſiaſtica ſita ſunt, deinde perhibuere, occultato quan vis corpore, poſſeſſione ſe intuiſſe. Ille enim realiter poſſidet, qui publice rem in poteſtate habet, ſuoque nomine detinet, non qui occultis locis abditus, dum ipſe poſſidetur magis, quam poſſidet, mox velut ex inſidiis erumpens neſcio quam imaginariam poſſeſſionem venditat, atque puerilibus nugis verum poſſeſſorem ludificare conatur. Realis enim poſſeſſio hic idem eſt, quod alibi dicitur, nudum factum poſſeſſionis, uſus, obſervantia, exercitium. *Vid. Receſſ. Noriberg. Execut.* §. So denn Chur-Fürſten und Stände des Reichs &c.

n) usque dum de Religionis diſſidio) Vide quæ ſupra ad §. 1. notata ſunt.

o) tranquille & imperturbate poſſideant) His verbis omnis via juris & facti

Digitized by Google

extra, negotium faceſſere, multominus turbas aut impedimentum aliquod inferre: Si vero, quod Deus prohibeat p) de Religionis disſidiis amicabiliter conveniri non poſſit, nihilominus hæc conventio perpetua ſit & pax ſemper duratura.

§. 15. Si igitur a) Catholicis Archiepiſcopus, Epiſcopus, Prælatus,

factí ad repetenda Bona illa præcluſa eſt. Poſſeſſoribus enim neque in judicio, neque extra illud faceſſere negotium licet, multo minus vero turbas & impedimentum aliquod inferre.

p) Si vero, quod Deus prohibeat &c.) Fuit hæc cautio ideo neceſſaria, quod Romano-Catholici cum tempore cauſari potuiſſent, per ſe non ſtetiſſe, quo minus de Religione non conventum fuerit. Eſſe ſuam Religionem vere Catholicam & Apoſtolicam, id tot ſcriptis in lucem editis adeo luculenter ſe demonſtraſſe, ut veritas niſi apud obduratos animos non potuiſſet non ſuam vim habere: Sed Proteſtantes apud ſe conſtituiſſe etiam contra propriam conſcientiam recalcitrare, quo adeptis ſemel tam opimis ſpoliis perpetuo fruantur. Hoc ſibi vero tolerandum non eſſe, cum omnia fecerint, quæ convincendis iſtis hominibus adhiberi poſſent. Igitur manifeſta eorum obſtinatione ad alia ſibi remedia merito reſpiciendum, cum ſpes reconciliationis decoxerit. Neque enim juſtum eſſe, ut Eccleſia Romana perpetuo ſuis bonis fraudetur, quæ belli neceſſitatibus ſpe quadam reducendi aberrantes ad ſuum gremium ejusmodi conditione dimiſit, qua ſatis declaravit, illa pro omnino derelictis non haberi. His & ſimilibus inventis, quorum admodum ferax eſt Clerus ex temporum occaſione, obviam iri melius non poterat, quam adſerta hac Clauſula, ut hæc conventio perpetua ſit, & pax ſemper duratura, etiamſi de Religionis disſidiis amicabiliter conveniri non poſſet. Adhæc ſubintelligenda eſt iſta Clauſula omnibus illis locis, quibus de cauſis & bonis Eccleſiaſticis aliquid diſponitur, quod valere debet usque ad compoſitionem Religionis. Neq; enim exiſtimandum huic loco ſaltem contra futuras obtrectationes remedium adhiberi, cœtera neglectui habita. Pertinet itaque ad paragraphum etiam primum hujus articuli, itemq; ad paragraphum nonum, & trigeſimnm primum, & ubicunque ejusmodi conditio invenitur, quæ ex humano ingenio inter impoſſibiles referenda eſt, quamdiu animi disputationum avidi unionem quærunt in opinionum diſſidiis ſociandis, non vero in caritate & ſanctimonia vitæ, quæ cum ſine fuco eſt & ſimulatione, disſentientes etiam & formulis quibusdam diſcretos nullo negotio conciliat & unum in cœtum colligit.

§. 15.

a) Si igitur &c.) Hæc eſt illatio ex paragrapho ſuperiore, & concernit decantatiſſimum illud Reſervatum Eccleſiaſticum, quod in Imperio tot motibus occa-

Digitized by Google

tus, aut Aug. Conf. addictus in Archiepiſcopum, Epiſcopum, Prælatum electus vel poſtulatus, b) ſolus aut una cum Capitularibus c) ſeu ſingulis, ſeu univerſis, d) aut etiam alii Eccleſiaſtici Religionem impo-

occaſionem dedit. Sequitur enim ex præcedentibus, ſi Catholici & Auguſtanæ Confeſſioni addicti Status illos demum Archiepiſcopatus, Epiſcopatus & cœtera, tranquille & imperturbate poſſidere poſſint, quos anno 1624. poſſederunt; Illos Præſules, qui poſthac religionem mutant, excidere bonis, quæ poſſideri nequeunt ab illo, qui alienis ſacris nomen dedit, qua de re tamen hic, ut omne dubium præcidatur, paulo diſtinctius agi placuit.

b) *Catholicus Archiepiſcopus &c. aut Auguſtanæ Confesſioni addictus in Archiepiſcopum &c. electus vel poſtulatus*) Catholici hic vocantur Archiepiſcopi, Epiſcopi &c. Proteſtantes vero in Archiepiſcopum, Epiſcopum &c. Electi vel Poſtulati; id quod provenit ex conventione illa de titulis Principum Eccleſiaſticorum ex Aug. Conf. quæ extat infra §. 22. Revera ſunt nugæ, & plusquam pueriles tricæ, illis non abſimiles, quibus etiam Curia Romana ſibi placet, quæ Imperatorem Romanum, quando nondum coronatus eſt, non Imperatorem vocat, ſed electum in Imperatorem.

c) *ſolus aut una cum Capitularibus*) Si ſolus mutat, ſolus excidit, jure ſuo: ſi una cum Capitularibus, iſti ſimul etiam ſuis juribus excidunt. Quodſi ſinguli, res ſingulos tangit; Sin univerſi, etiam univerſos.

d) *ſeu ſingulis ſeu univerſis*) Hoc vero jam ſane nimium eſt, in quo Catholicis concedere Evangelicos oportuit, Quia enim Epiſcopus cum univerſo ſuo Capitulo corpus conſtituit, quod omnia jura Cleri in Eccleſiam illam habet, res indigniſſima profecto eſt, religionis mutatæ cauſa omnes ſedibus pelli, cum nemo ſit, qui expoſcere ab eis rationem inſtituti poſſit, permiſſa ſemel in Republica Conſcientiæ libertate. Aliud eſt, ſi Epiſcopum tantum vel quosdam ex gremio pœnituerit priorum ſacrorum: tum enim reliqui intervenire poterunt, atque meliori ſpecie objicere, ſua intereſſe, ne Caput aut ſocios habeant a ſua Religione diverſos, cum propriæ ſecuritatis cauſa, tum ut tranquillitas & antiqua Religio in communitate conſervetur. Res ſe eodem pene modo habet, ut apud Civitates, ubi ſi nonnulli ſaltem ex Magiſtratu aut Civibus aliena ſacra amplexantur, ſtatus Civitatis non mutatur. At quando omnis populus deficit, & in aliam tranſit ſectam, cum nemo ſuperſit, qui priori Religione opus habeat, huic cedendum erit, quia prorſus iniquum eſſet, omnes Civitate expelli hac fini, ut mittatur Colonia Religionis conſervandæ cauſa. Neque eſt, quod jactent Catholici, ſe pari nobiſcum jure agere. Nos enim vix ſesqui Epiſcopatus, aliasque valde paucas Abbatias

Digitized by Google

impoſterum mutarint, excidant illi ſtatim ſuo jure, e) honore tamen

batias vel Prælaturas habemus, de quibus periclitari poſſimus; cum illi ex adverſo bonis ſuis Eccleſiaſticis totum Imperium occupent, quorum ab invitis eripiendorum cupiditates uti merito abjiciunt Proteſtantes, ita non poteſt non illis moleſtum accidere, Catholicis facultatem non ſupereſſe, ea nobis addicendi, quæ ſui juris ſunt, quoties veritate & conſcientia urgentur, cum baculo enim & ſtipe nemo lubens exit. Enim vero quia ſic pace placuit, noſtrum etiam eſt hic acquieſcere, ne temeratæ publicæ tranquillitatis arguamur, a qua cogitatione toto animo longiſſime abſumus.

e) excidant illi ſtatim ſuo jure) i. e. munere, dignitate, loco & omni jure Archiepiſcopi, Epiſcopi &c. Meminimus, hanc quæſtionem diebus noſtris fuiſſe agitatam, cum Elector Saxoniæ Fridericus Auguſtus Lutherana ſacra ejuraſſet. Quandoquidem enim jam a tempore Reformationis Electores Saxoniæ Epiſcopi Miſnenſes ſemper facti ſunt, ex quo Catholici illis bonis dejecti fuere, atque adeo etiam prædictus Elector ante mutationem Religionis ex patrio more huic Epiſcopatui præfuiſſet, quæſitum poſt hæc fuit, jam manifeſta defectione, an fas ſit, in poſſeſſione Eccleſiæ Miſnenſis ipſum relinqui, ex quo Pontifici Romano Sacramentum dixit? aut num non potius vi hujus §vi noſtri omni jure exciderit, aliusque Epiſcopus eligendus ab iis ſit, quibus id de jure competit? Scio equidem placuiſſe nonnullis diſtinctionum inter Poloniæ Regem & Electorem Saxoniæ. Illum voluere Pontificium factum, hunc vero Lutheranum manſiſſe. Sed forſan in Politicis ejusmodi diverſi reſpectus cogi in unam perſonam poterint & diſtingui. Religio, quæ totum ſibi hominem poſtulat, ferre juxta ſe æmulam non poteſt. Uti miles integro juramento & fide inter partes inimicas dividere affectus ſuos operasque nequit: ſic nemo duarum Religionum erit ſectator ex æquo; aut huic cœtui, aut illi nomen eſt dandum. Qui vult medius aut ambidexter eſſe, ab utraque parte pro transfuga æſtimatur. Si fas eſt verum dicere, mihi ſane non conſtat, qua ratione, quove jure poſt inſtrumentum Pacis, & ſalva hac lege Status Catholicus poſſidere Epiſcopatum Miſnenſem poſſit. Minime vero omnium retinere illum poterit ipſe Elector & Epiſcopus, ex quo abjurato Lutheraniſmo in Pontificis Romani ditionem ſe dedidit. Verba enim nimis clara ſunt: *excidat ſtatim ſuo jure*, niſi dicere malimus, quod ad hunc Epiſcopatum attinet, illum nominetenus tantum ſupereſſe: revera autem bona illa Eccleſiaſtica jamdiu Civitati reddita qualitatem & privilegia rei ſacræ vel Eccleſiaſticæ amiſiſſe. Neq; obſtat, remanere adhuc formam aliquam Regiminis Eccleſiaſtici in Capitulo, & muneribus Canonicis, quia hæc obſervare etiam licet in il-

Meditat. Spec. II,)

Digitized by Google

men famaque illibatis, f) fructuſque & reditus citra moram & exceptionem cedant,g) Capituloque, aut cui id de jure competit, h) inte-

lis Archiepiſcopatibus, Epiſcopatibusque,quæ expreſſa conventione per Pacem Weſtphalicam ſeculariſata ſunt,uti loquuntur. Sane ipſis hactenus Electoribus Saxoniæ nomen & dignitatem Epiſcopi Miſnenſis non valde cordi fuiſſe,vel ex eo liquet,quod titulos ſos hoc novo decore ornare non magnopere curaverint, eam procul dubio ob cauſam,quia credidere, Duces Miſniæ non opus habere ejusmodi inanibus titulis, cum Epiſcopatus Miſnenſis reipſa jam partem conſtituat ipſius Ducatus, Si quis eſt,cui iſtæ rationes nondum ſatisfaciunt, illi conſiderandum relinquo, annon reſponderi poſſit,bona Eccleſiaſtica Epiſcopatus Miſnenſis non eſſe bona immediata,ſed ſub poteſtate Territoriali Ducum Miſniæ ſita? quo dato, petit hic locus in ferenda ſententia contra Electorem, aliusque pro deciſione cauſæ quærendus eſt, ubi de Bonis Eccleſiaſticis mediatis lex ſtatuit.

f) bonore tamen famaque illibatis) Hoc ex Pace Religioſa repetitum, de quo tamen cautum eſſe videtur cura ſupervacanea,ex quo libertas conſcientiæ in Imperio ſemel eſt admiſſa,cujus fructus in Civitate nullus fere eſſet, ſi cum famæ honoriſq; detrimento foret conjuncta: ut jam taceam,omnes ejusmodi leges,quæ conſcientiis erroneis infamiæ pœnam irrogant,non iniquitatis modo, ſed & manifeſtæ abſurditatis facile argui poſſe; cum miſeratione potius digni ſint homines, quorum intellectus falſis opinionibus obnubilatus eſt: neq; eſt,quod contumaciam imputent. Nemo enim voluntarie errat, ſed neceſſario ſe corrigit, poſtquam convictus eſt erroris. Convictus autem ille dici nequit,quem alter de eo inſtruit,quod ſibi verum rectumque videtur, antequam ille etiam aſſenſum præbet, ex intima conſcientia elicitum: tum enim ut intellectus reſiſtat, fieri plane non poteſt. Quod ſi vero intra ſe convictus reſpectu cujusdam commodi vel utilitatis ſimulare amet,ſe convictum non eſſe,uti nemo cognoſcere aut definire poteſt, quid alter apud ſe ſentiat; ita ſane extra omne humanum forum ejus rei dijudicatio erit.Neq; intereſt cujusquam, quid alter apud ſuum animum ſtatuit,ſi de cœtero ſe ſacris publicis accommodat,& cum turba hiſtrioniam facit.

g) fructuſq; & reditus citra moram & exceptionem cedant) Hæc nimirum eſt illa Diana,quam procantur homines. Honos, fama, facile relinquuntur, neque exempla valde movent; ubi vero de bonis,fructibus & reditibus quæſtio eſt,quibus culina fumat, ea vero forcipe tenacius ſervant, ad extremum potius halitum pugnaturi,quam ut Mammona ſuum miſſum faciant. Cœterum diſtinctio hic fit inter fructus & reditus extantes & perceptos. Illi reſtituendi ſunt; hi relinqvuntur *decedenti*, ubi conſumpti fuerint.

a) Ca-

Digitized by Google

integrum ſit aliam Perſonam Religioni ei, ad quam beneficium iſtud vigore hujus Transactionis pertinet, addictam, eligere aut poſtulare, i) relictis tamen Archiepiſcopo, Epiſcopo, Prælato, &c. decedenti fructibus & reditibus interea perceptis & conſumptis. k) Si ergo Status l) ſeu Catholici ſeu Aug. Conf. addicti Archiepiſcopatibus,

h) *Capitulo, aut cui id de jure competit*) Quodſi vero Archiepiſcopus una cum toto Capitulo ſimul Romanæ Eccleſiæ repudium miſerit, ad quem ea res pertinebit? Imperatores hoc jus ante multa ſecula abdicavere, Pontifici Romano id ipſum ſine præjudicio Eccleſiæ Germanicæ concedi non poteſt. Patriarcham non habemus. Archiepiſcopo in alium Archiepiſcopum nulla ſuppetit poteſtas. Multo minus vero alieno Capitulo attribui jus eligendi poteſt. Erit procul dubio rariſſimus caſus, aut potius moraliter impoſſibilis. Quod ſi tamen evenerit, aut ego vehementer fallor, aut Pontifex ad ſuam curiam revocabit hoc negotium, cum nemo ſit, qui propiori jure tractare illud poterit.

i) *eligere aut poſtulare*) Quid ſit electio, quid poſtulatio? ex Jure Canonico conſtat; poſtulantur enim, qui eligi ob vitium Canonicum non poſſunt: manifeſto in tanta re ludibrio, quaſi parum referat, legi vim fieri, dummodo prohibitam rem ingenioſa fraude & nominibus alienis tegere liceat. Quæ enim non eſt hæc ludificatio, ut manentibus perpetuo graviſſimis juſtiſſimisque cauſis, ob quas Sacri Canones prohibuere, ne quis duarum Eccleſiarum ſit Epiſcopus, ambitionis & avaritiæ damnata crimina nova appellatione ſublevemus.

k) *perceptis & conſumptis*) Quid ſi percepti quidem fuerint, ſed nondum conſumpti? ſi ſtricte verba ſequimur, perceptio ſola vix ſufficiet. De fructibus enim & reditibus ſermo, quin in horrea & ærarium publicū inferuntur, quando percipiuntur. At ſic collecti magis Eccleſiæ eſſe creduntur, quam Præſulis ejus, quorum tantum fidus diſpenſator eſt. Unde inter fructus & reditus conſumptos refero, quæ ad privatos Epiſcopi uſus ſepoſita jam ſunt.

l) *Si ergo ſtatus*) Hic ratione longe commodiore novus inciperet paragraphus, ubi de reſtitutione agitur Bonorum Eccleſiaſticorum immediatorum, quæ Calendis Januariis anni 1624. poſſeſſa ſunt. Sed quia aliter Paciſcentibus placuit, ſequendum nobis etiam eſt. Cœterum verba, *ſi ergo*, illativa ſunt magis ex §. 14. quam ex iis, quæ in hoc §vo præcedunt. Supra enim §. 14. definitum fuerat, ut bona Eccleſiaſtica immediata, quæ anno 1624. poſſeſſa fuere, poſſidere etiam porro poſſint quiete & imperturbate. Hic ergo quæri poterat, quid dicendum de illis ſit, quæ dicto quidem anno dieq; poſſeſſa ſunt, poſtea vero amiſſa iterum, ita ut is, qui ſic poſſedit, tempore initæ pacis in poſſeſſione amplius non fuerit? Hunc igitur tam in Eccleſiaſticis quam Politicis reſtituendum

Digitized by Google

bus, Epiſcopatibus, beneficiis aut præbendis ſuis immediatis m) a die prima Jan. Anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi quarti judicialiter aut extrajudicialiter exciderint, n) aut quocunque modo turbati fuerint, o) vigore harum illico tam in Eccleſiaſticis quam Politicis omnibus novationibus abolitis reſtituantur, p) ita quidem, ut q) quæcunque bona Eccleſiaſtica immediata die prima Januarii Anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi quarti Catholico Præſule regebantur, Catholicum caput recipiant, & viciſſim quæ dicto Anno, dieque Aug. Conf. addicti poſſidebant, retineant etiam in poſterum, remiſſis tamen, r) quæ una pars contra alteram prætendere poſſet, perceptis interea fructibus, damnis & expenſis. s)

Prætenſiones utriusque partis remiſſæ.

§. 16.

endum eſſe edicitur. Intermedia demum reſervatum Eccleſiaſticum continent, ut jure ſuo excidat, qui impoſterum, i e. poſt pacem religionē mutarit.

m) aut præbendis ſuis immediatis) Nota hic ſemper repeti, & inculcari quaſi qualitatem illam bonorum, quæ eſt immedietas, ne quis exiſtimet, quæ horum gratia conſtituuntur, ad bona etiam Eccleſiaſtica mediata pertinere, de quibus infra ſeparatis paragraphis paulo aliter eſt conventum.

n) judicialiter aut extrajudicialiter exciderint) Hoc eſt, ſive jure ſive facto. Nam *judicialiter* & *extrajudialiter* hic aliquanto latius accipiendum eſſe puto, quam alias fit juridico ſenſu, cum utrumque dicitur de iis actibus, qui coram Judice vel in judicio fiunt, & deinde ratione modi in judiciales & extrajudiciales diſtingvuntur.

o) aut quocunque modo turbati fuerint) Hoc inter alia eo pertinere puto, ut ſi forte Capitulum, quod anno 1624. in poſſeſſione erat vel Catholicum vel Auguſtanæ Confeſſioni addictum eligendi in Epiſcopum, turbatum poſthæc coactumq; fuiſſet ad faciendam electionem contra animi ſui ſententiam, non modo Capitulum in priſtinam libertatem reſtituatur: verum etiam ille ipſe hoc modo Electus abdicare ſe dignitate & munere teneatur, quando conſtat, anno 1624 prima die Januarii diverſæ Religionis Præſulem Eccleſiæ præfuiſſe.

p) vigore harum illico tam in Eccleſiaſticis quam Politicis reſtituantur) Fit hic reſtitutio non in Eccleſiaſticis tantum, ſed & Politicis, quia Eccleſia in omnem illum ſtatū reſtituitur, quo dicto anno dieve gaviſa eſt, novationibus omnibus abolitis, uti hic ſtatim ſequitur.

q) ita quidem ut &c.) Hæc majoris perſpicuitatis cauſa, & ad mentem Paciſcentium tanto melius declarandam pro exemplo adjiciuntur. Verba ipſa ſunt clariſſima, neque opus habent ullo interprete.

r) remiſſis tamen &c.) Ille ergo qui decedere ſic loco cogitur, lucratur fructus perceptos, neque de damnis datis conveniri poteſt: ex adverſo autem

non

Digitized by Google

§.16. IV. In omnibus Archiepiſcopatibus, a) Epiſcopatibus, & reliquis fundationibus immediatis b) jura eligendi & poſtulandi c) juxta cujusque loci conſuetudines & ſtatuta antiqua illibata maneant, quatenus illa Imperii conſtitutionibus, d) Transactioni Paſſavienſi, Paci religioſæ, & inprimis huic declarationi & transactioni ſunt Jura elegendi & poſtulandi.

Y 3

non auditur etiam, ſi expenſas factas imputare velit.

i) expenſis) Duplici hoc ſenſu intelligi poteſt; aut ne acceptorum expenſorumque rationem reddere cogatur Capitulo: aut ne ſumptus ſive impenſas, in rem poſſeſſam intereaſ factas repetere poſſit. Neque quicquam prohibet, utrumque hoc loco intelligi; ubi habetur *remiſſis expenſis, quæ una pars contra alteram prætendere poſſit.* Priori enim caſu Capitulo perit actio de reddendis rationibus; & altero Epiſcopo deceſſuro de expenſis in rem factis.

§. 16.

a) In omnibus Archiepiſcopatus) Hoc paragrapho confirmantur jura eligendi & poſtulandi juxta cujusque loci conſuetudines & ſtatuta antiqua, quatenus illa Conſtitutionibus Imperii, Transactioni Paſſavienſi, Paci Religioſæ & huic Transactioni non ſunt contraria, nihilque in ſe continent, quod uni alterive parti Religionis ſuæ intuitu adverſum eſt.

b) fundationibus immediatis) Ecce ubique fere magna circumſpectione repeti illud de bonis *immediatis*, ne quisquam exiſtimet, de mediatis etiam hic ſimul ſtatui, quorum longe alia conditio; atque hæc bene notanda, neque unquam oblivioni danda ſunt, quoties de aliquo caſu judicium eſt ferendum.

c) jura eligendi & poſtulandi) Vide de iſtorum differentia Bukiſch ad hunc locum: Scilicet jus elegendi ſecundum Canones eſt regia quaſi via perveniendi ad ſummas Eccleſiaſticas dignitates. Jus poſtulandi ſequioribus temporibus in fraudem legum deinceps introductum prævaricatione & vafritie hominum, qui in ſubſidium & ſub alio titulo poſtulantur, cum eligi non poſſunt ob vitium aliquod Canonicum: Hoc modo inventa ratio eſt eludendorum Canonum, ut ambitioſi ſub alio nomine rem ipſam per Canones alias prohibitam & damnatam conſequi tamen poſſint.

d) quatenus illa Imperii Conſtitutionibus) Nota hic quinque caſus, cum ſtatuta antiqua & conſuetudines Eccleſiaſticæ non attenduntur, 1) ſi contraria ſint Conſtitutionibus Imperii, id quod ſane arguit, poteſtate Civili derogari poſſe juri & ſtatutis Eccleſiaſticis. 2) cum non adverſantur Transactioni Paſſavienſi. 3) Paci Religioſæ. 4) huic Declarationi & Transactioni, & 5) denique, ſi nihil contineat Confeſſioni utriusque partis adverſum.

e) &

ſunt conformia, & intuitu Archiepiſcopatuum e) & Epiſcopatuum Aug. Conf. addictis permanentium, ea nihil in ſe contineant illi Confeſſioni adverſum, ſicut etiam pariter in Epiſcopatibus & Eccleſiis, in quibus Catholicis & Aug. Confeſſ. ordinibus mixta jura admittuntur, ſtatutis antiquis nihil de novo admiſceatur, quod Catholicorum vel Aug. Confeſſ. addictorum conſcientiam & cauſam pro cujusque parte lædere, eorumve Jus imminuere poſſit.

Nobiles Patritii graduati.

§. 17. Poſtulati vero ſeu electi, a) in capitulationibus ſuis ſpondeant, b) ſe ſuſceptos Eccleſiaſticos Principatus, dignitates & beneficia nequaquam hæreditario jure poſſeſſuros, aut id acturos, c) ut hæreditaria fiant, ſed libera ſit d) ubique capitulo, & quibus id præter-

---

e) & intuitu Archiepiſcopatuum) Hic iterum ponuntur duo caſus. Unus de Archiepiſcopatibus Epiſcopatibusque, qui penes A. C. addictos Status manent: & alter de Epiſcopatibus & Eccleſiis, ubi utraque pars mixta jura habet. Illic conſuetudines & ſtatuta antiqua ſic tantum valent, quatenus nihil in ſe continent, quod ſit Auguſtanæ Confeſſioni adverſum. Hic vero cavetur, ne ſtatuis antiquis aliquid de novo admiſceatur, quod conſcientiam unius vel alterius partis lædere, aut jus eorum imminuere poſſit.

§. 17.

a) Poſtulati vero ſeu Electi &c.) Hoc §vo de duobus proſpicitur. Unum eſt, ne quisquam dignitates & beneficia Eccleſiaſtica, poſtquam ea adeptus eſt, hæreditaria faciat. Et alterum, ne Nobiles Patritii & Academicis dignitatibus inſigniti, aliæve perſonæ idoneæ excludantur.

b) in Capitulationibus ſuis ſpondeant) Capitulationes ſunt pacta inter Electum & Capitulum inita, quibus ille de certis rebus fidem ſuam interponit. Hic ſpondere jubetur, ſe ſuſceptos Epiſcopatus aliave beneficia Eccleſiaſtica immediata hæreditario jure non poſſeſſurum, neque id acturum, ut hæreditaria fiant, ſed liberam electionem atque poſtulationem relicturum.

c) aut id acturos) Hoc non ubique olim ab iis, qui tales Epiſcopatus poſſedere, obſervatum fuiſſe, conqueſti ſunt aliqui, productis etiam atque in publicum editis Tractatibus quibusdam cum Anglis Hollandisque ejus rei conficiendæ cauſa initis. Quicquid ſit, conatus ſaltem, ſi qui fuere, eventu caruerunt.

d) ſed libera ſit &c.) Libera eſt Capitulo electio & poſtulatio non ab obligatione vel neceſſitate, facere illam velit aut nolit: ad eligendum enim omnino tenetur: ſed a coactione atque vi, ne quis præſcribere illi poſſit vel imperare, ut hunc præ illo eligat potius. Ex hoc loco Capitulo Lubecenſi mota fuit quæſtio, an obligare ſe potuerit, ut certis vicibus ex ſola Do-

mo

Digitized by Google

præterea e) pariter cum capitulo pro more competit, tam Electio & poſtulatio, quam ſede vacante adminiſtratio f) & Jurium Epiſcopalium exercitium, operaque detur, ne Nobiles Patricii, gradibus

mo Gottorpienſi Epiſcopos ſuos legere teneatur, linea Gluckſtadienſi excluſa? Nos manum de tabula. Interea hoc verum eſt, electionem eo liberiorem fore, quo minus ad certas perſonas eſt alligata. Fervet hodie hoc ipſum negotium, obitu Epiſcopi Lubecenſis, ſuſcitatum, cujus exitum expectare malimus, quam de jure partium multa diſputare. Viderint illi, quibus cauſa hæc tractanda mandata eſt. Nobis curioſitas non eſt tanti, ut vel cum invidia redimere eam placeat.

e) *Capitulo & quibus id præterea*) Hoc ex inſtitutis & moribus cujusque Eccleſiæ eſt judicandum.

f) *quam ſede vacante adminſtratio)* Vacante ſede redit ad Capitulum omnis poteſtas regendi Eccleſiam, adminiſtrandique res ejus, vice Epiſcopi, donec electus alius fuerit: quæ poteſtas hic appellatur jurium Epiſcopalium exercitium. Neque enim jure proprio videntur poſſidere, ſed inſtar ejus, cui mandata eſt jurisdictio: vel ad formulam vicariæ poteſtatis. Interea eſſe tamen poſſunt jura quædam Epiſcopalium, quorum uſum & exercitium Capitulum non habet, donec alius electus fuerit, qualia ſunt, quæ Epiſcopi velut oſſibus inhærant, ſuamque habent ſubſiſtentiam in ipſa ejus perſonali dignitate atque munere. Nam ſi Bullati Doctoris nomen iſtos ſuo jure ad dignitates ejusmodi Eccleſiaſticas non promovet, ſaltem iis obeſſe non debet, ſi hoc munere alias digni habeantur, ne inter alias perſonas idoneas, quarum hic fit mentio, referri poſſint. Neque enim Bullati omnes ingenui ſunt de grege plebis: neque omnes Academici ex luto ignorantiæ emerſerunt. Titulus Doctoralis non ex vulgi modo opinione æſtimatur; verum etiam habet in Civitate prærogativas ſuas legum favore. Hic uti in Academiis raro ſuis Candatis conſtat ob ſumptus, in rem faciendos, opificum more, quos etiam pro cujusque tribus conſuetudine artis ſuæ ſpecimen edere oportet, cum ponunt tirocinium, & Magiſtri nomen atque privilegia aſſumunt. Ita qui impenſis illis ferendis pares non ſunt, & proinde a Comite quodam Palatino, ubi vilius hæc merx venit, dignitatem Doctoralem emit, qua opus habet, ut meliorem ſuam conditionem faciat, injuſtum profecto eſſet, hanc ſolam ob cauſam digniori præcludere aditum ad honores, quod omnibus ſolennitatibus in comparando titulo ſuo uſus non fuerit, præcipue cum auctor, qui poteſtatem facit conferendarum id genus dignitatum, utrobique idem ſit, Imperator ſcilicet, & corruptelis apud diſpenſatores earundem ex omni parte occaſio æque facilis pateat iis, qui facultatem habent erogandi nummos in manus oculatas.

g) *ubi*

dibus Academicis inſigniti, aliæque perſonæ idoneæ, ubi in fundationibus non adverſatur, g) excludantur, ſed ut potius in iis conſerventur.

Preces primariæ.

§. 18. V. Ubi Sacra Cæſarea Majeſtas jus primariarum precum a) exercuit, exerceat etiam impoſterum, dummodo decedente Auguſt. Conf. addicto in ejus Religionis Epiſcopatibus Aug. Confeſſ. addictus ad normam ſtatutorum & obſervantiæ idoneus b) precibus fruatur. In mixtis vero ex utraque religione ſeu Epiſcopatibus, ſeu aliis locis immediatis c) precibus primariis præſentatus non gaudeat, niſi beneficium vacans Religionis conſors poſſederit.

Annatæ. Jura Pallii, &c.

§.19. Si quid Annatarum, a) Jurium Pallii, confirmationum, Men-

g) *ubi id fundationibus non adverſatur*) Hæc clauſula earum fundationum cauſa adjecta eſt, in quibus ad Epiſcopale munus, vel in ordinem Canonicorum nemo recipitur, niſi certam imaginum Majorum ſeriem, nullo alieno ſanguine commaculatum, docere poſſit. Hoc tales Buckiſch ait, *octoanus* vocari, & ſic octo generationes intelligi; ridicula profecto appellatione, ſive vocem *anus*, quæ diverſa ſignificat, ad genus maſculinum, ſive ad femininum referas.

§ 18.

a) *Ubi Sacra Cæſarea Majeſtas jus primariarum precum*) Quid ſit jus primariarum precum, ab aliis exponitur. Hic Imperatori illud, quamvis Catholico, etiam in Proteſtantium Bonis Eccleſiaſticis ſalvum & integrum conſervatur, hac conditione, ut in conferendis Epiſcopatibus, qui Caput habent Auguſtanæ Confeſſioni addictum, ejusdem Religionis Præſulem nominare debeat: in mixtis vero præſentatus a Cæſare primariis precibus gaudere aliter non poſſit, niſi beneficium vacans ejusdem Religionis conſors poſſederit. Uno verbo, loca in omnibus Eccleſiis immediatis Proteſtantibus ex anno poſſeſſionis decretorio debita ſemper ſupplenda ſunt iis, qui cum decedente eandem Religionem profitentur, neque iſta regula obtentu aliquo primariarum precum mutari poteſt.

b) *ad normam ſtatutorum & obſervantiæ idoneus*) alia conditio, quæ eo ſpectat, ne, ubi *octoanis* tantum locus datur, ſurogentur alii, tot partium enumerationibus non ſufficientes.

c) *ſeu Epiſcopatibus, ſeu aliis locis immediatis*) Ecce iterum mentio de Bonis & locis immediatis. De mediatis, quibus Imperator jus primariarum precum habet, infra §. 26. agitur.

§. 19.

a) *Si quid annatarum*) Sunt iſtæ annatæ vaferrimum expilandæ Germaniæ inventum ſub ſpecioſo titulo comparandarum adverſus Turcas virium: immenſa vi auri argentique quotannis Patria noſtra hoc nomine turpiter & nefarie

Digitized by Google

Menſium Papalium, & hujuſmodi jurium & reſervationum nomine b) in bonis ſtatuum Auguſt. Confeſſionis Eccleſiaſticis c) immediatis,

nefarie emungitur, nullo uſui, niſi ut Romani Pontificis opes damno noſtro augeamus, cum longe conſultius eſſet exemplo Gallorum ſapere, & collectam ex primis annuis reditibus pecuniam ad ſuſtentandam publicæ rei dignitatem convertere, vel ad alios neceſſarios uſus ſeponere. Neque ſane ego dubito, ſi quas auri argentique ſummas ex Germania quotannis pro rebus nauci Romam deportari patimur, publico ærario inferri mandaremus, quin brevi opes habituri ſimus gerendis bellis, quoties opus eſt, plusquam ſufficientes.

b) Jurium pallii, confirmatorum, menſium Papalium, & hujusmodi jurium & reſervationum nomine) En magnum numerum præſtigiarum, quibus Germani ab Italis ſibi imponi patiuntur, ut pecunia ſua res non caſſa nuce dignas redimant: id quod tanto magis mirum, cum aliis in rebus tenaciſſimi ſimus jactandi noſtra. Jamdiu eſt, quod Oecumenica Concilia juſtiſſimis & ſeveris decretis ejusmodi expilationes abrogarint. Quæ non igitur eſt hæc faſcinatio & inſania, cum aliis in cauſis auctoritate iſtorum nitamur, beneficiis eorumdem uti nolle, quæ ad noſtram libertatem commodumque ſummo Patrum conſenſu quondam conceſſa nobis ſunt? Quid enim noſtrum refert, ſi Archiepiſcopus quidam palliolum ex vili lana Roma non acceperit? aut ſi electio ejus à Papa confirmata non ſit? Quodſi hæc dona ſunt a ſancto Patre, gratuita eſſe oportet. Gratis accepit, ſi quid modo accepit; gratis dare debet. Nunc quæſtum turpiſſimum facit ex ſacro officio, & inſtituto Monopolio, venumque propoſitis ineptiſſimis mercibus, quæ ſolo nomine commendantur, Chriſtianam Rempublicam & Eccleſiaſticum Ordinem non minus quam plebejum premit atq; exhaurit. Fruſtra objiciunt, habere Pontificem Maximum opus debere, quibus dignitatem ſuam ſuſtentet, quæ toto orbe Chriſtiano ſumma eſt. Sed fuit tamen Petrus etiam ſummus Pontifex etſi aurum & argentum non habuerit. Honor & reverentia, quæ ſacri Ordinis auctoritatem fulcit, non comparanda divitiis eſt, ſed vitæ ſanctimonia & integritate morum: in primis autem conſtantia & robore fidei, qua primi illi tot miracula edidere, olim ad ſtuporem incredulorum, hodie ad ruborem incutiendum tam degeneri Succeſſori. Neque carebit Pontifex neceſſariis, quamvis ingenioſis adeo fraudibus omnes Eccleſias ſub jugum non miſerit tot graviſſimis tributis impoſitis. Eſt ipſi ſatis opulentum, quod vocant, Petri Patrimonium, regiis proventibus haud impar: unde ſi modeſtiam adhibuerit & continentiam, abunde habebit, quo ſuam dignitatem tuebitur, quæ paratu externo non valde opus habet, minime omnium vero armis defendenda eſt. Si

Digitized by Google

diatis d) a quocunque e) quandocunque aut quomodocunque f) præ-

quid præterea pii & devoti ſua ſponte & ex animi ſententia conferre volunt, nulla invidia erit. At univerſum orbem cenſu deſcribere, & vectigalem facere, proſcriptis publice taxationibus, quæ pretium omnibus ſacris rebus imponunt, velut ex macello, aut taberna piſtoria emendis, hoc vero ſi non eſt manifeſta & execrabilis Simonia, neſcire me fateor, quid illa ſit. Quantis affluant opibus, indicio ſunt immenſæ illæ ſummæ, quas ſæpe nepotibus ſuis extollendis impenderunt. Ut tot myriades aut milliones taceam, in theſaurum ab uno aliquando homine paucos intra annos congeſtas, absque ulla de cœtero parſimonia, cum & laute atque magnifice, ſi qui alii, vixerint, & in ſtupendis molibus extruendis, aut collapſarum ruinis reparandis, nullis ſumptibus pepercere. Atque eſt ſane hæc Glauci & Diomedis ſtultiſſima permutatio cum aurum argentumq; noſtrum pro rebus ludicris & puerilibus damus, non alio fine, quam ut tot opibus congeſtis homines illi ocioſi luxurient, quibus recte collocatis omnes tota Germania pauperes vindicari a miſeria & fame poſſent: benedicente ſine dubio tam pium inſtitutum Divino Numine, cujus nunc maledictione ob pauperes neglectos, perditasque inutiliter opes noſtras miſere tabeſcimus.

c) *in bonis Statuum A. C. Eccleſiaſticis*) En tibi ergo meliorem multis modis conditionem Proteſtantium, qui ſe ab hac rapacitate & deprædatione liberavere, merito exemplo futuri civibus ſuis, ſi ſapere poſſent. Nam virtute tantum & animi fortitudine eſt opus. Neque dubitandum, Catholicos non eadem facilitate, eodemque jure excutere jugum poſſe, ſi vellent modo. Quantamcumq; enim potentiam & auctoritatem Pontifex Romanus hactenus in Orbe Chriſtiano ſibi comparavit, illa tamen nunquam ad eam firmitudinem invaluit, ut vi cogere eos poſſet, qui ſpontanea ſuperſtitione ſibi obedire nollent. Quod, ut denuo dicam ſingulari Dei Providentia factum arbitror, ut Clerus pudore adhuc aliquo & metu regeretur, quem ſane oppido abjecturi forent, niſi ſibi de illorum defectione timerent, quos huc usq; ſola reverentia in officio continuere, vinculo quidem ex hominum opinionibus, præcipue cum partium ſtudia fervent, ſatis forti: at ubi ſemel illud ruptum, & ille ſacer metus excuſſus eſt, prorſus inidoneo ad reſtringendũ, cum homines libertatem ſemel nacti, & priſtinæ ſervitutis memores reverentiam mutare in graviſſima odia ſoleant, & illos tanquam impoſtores hoſtesque ſuos averſari, a quibus ſe tam piis fraudibus olim circumventos atq; ludificatos reminiſcuntur.

d) *immidiatis*) ne de hoc etiam paraphro dubites, immediatorum ſit iterum mentio.

e) *à quocunque*) Jura annatarum, Pallii, confirmationum, menſium Papalium,

Digitized by Google

prætendatur, id validitate & executione à brachio ſeculari impertiendia careat. g)

§. 20. In quorum autem a) Eccleſiaſticorū bonorum immediatorum

Z 2 b) Ca

lium, & ſimilium nominum jura propriè ſunt Romanæ Curiæ debita. Itaq; quando hic dicitur, *à quocunque*, id propterea factum videtur, ut parcatur honori Pontificis, quem nominatim in ſcenam producere verecundia fuit.

f) quandocunque aut quomodocunque) quandocunq; ad tempus ſpectat, ut etiamſi ſolviſſent ejusmodi jura poſt Transactionem Paſſavienſem vel annum 1624. ad ea porro præſtanda non tenerentur. *Quomodocunque* autem reſpicit qualemcunq; obligationem vel prætenſionem. Avaritia enim & cupiditas ingenioſa eſt, cui nunquam ſatis obſtrui omnes petitionum viæ poſſunt.

g) id validitate & executione à brachio Seculari careat) Igitur adverſus ejusmodi prætenſiones duplex hic remedium adhibetur, unum ut validitate careant; & alterum, ne utcunque cupita juventur a Magiſtratu ſubſidiaria executione. Illo jus & obligatio tollitur, qua de re ſtatuere Rempublicam poſſe, nullum eſt dubium, quæ ipſa ſæpe Eccleſiaſtica bona in uſus civiles convertit. Hæc calumniatoribus opponitur, quibus auxilium denegatur, ſi poſtulare pergant, quod ipſis juſtis ex cauſis jam ablatū eſt. Poſſet ſupervacanea omnis hæc cauſa videri, cum Eccleſia Romana à profanis illis, quos appellat, uſurpatoribus, honore & conſcientia integra, jura ſibi ſolvi eam ob rem petere nequeat, quam iſti judicio hujus ſedis non ſine crimine ſacrilegii poſſident. Neq; enim iſtud absque præjudicio fit, cum ipſa acceptatione videar poſſeſſionem ejus approbare, à quo jura ex re poſſeſſa debita exigo. Sed vectigal etiam ex lotio bene olet. Unde nullum eſt dubium, quamvis forte Pontifex Romanus poſſeſſoribus Bonorum Eccleſiaſticorum, qui Auguſtanæ Confeſſioni addicti ſunt, pallium non facile dederit, aut electionem eorū confirmarit, quin tamen lubens avidusque pecunias illas reciperet, quæ ex id genus bonis olim annatarum nomine, aut jure pallii, vel ſimilium rerum, exſolvi moris fuit. Aſt cum Proteſtantibus haudquaquam commodum fuerit, opes ſuas ingrata adeo officioſitate prodigere, illi cum ratione ſibi cavendum eſſe exiſtimavere, ne hoc nomine ſibi lis eſſet; præcipue cum Catholicis etiam apud nos nulla ſit religio, ex bonis Proteſtantium penſiones cenſusque exigere, quæ ſibi ſecundum leges & ſtatuta patria debentur.

§. 20.

a) In quorum autem &c.) Occaſione menſium Papalium, quorum mentio ſuperiori §vo injecta, placitumque fuit, ne quid eorum nomine à quocunque prætendatur. Hic exceptio quædam traditur in fundationibus mixtis, ubi utriusque Religionis Capitulares & Ca-

nonici

Digitized by Google

b) Capitulis utriusque Religionis Capitulares & Canonici vigore præfati termini c) certo utrinque numero admittuntur, menſesque Papales id temporis in uſu fuerunt, d) porro quoque, ſi decedentes Capitulares & Canonici ex numero Catholicorum definito fuerint, obtineant, atque executioni, caſu eveniente mandentur, e) modo

nonici certo utrimque numero ad beneficia admittuntur: tunc enim penes Catholicos illis menſibus locus eſt, executioni etiam eveniente caſu mandandis.

b) bonorum immediatorum) Continuat ſemper lex in bonis immediatis, ne errori occaſio ex eo detur, quod Canonici ſub Epiſcopo ſunt, & videri poſſent Mediatorum numero habendi. Quamvis enim hoc ſuo ſenſu verum ſit, manent tamen bona, ex quibus illi aluntur, immediata, quia partem conſtituunt totius fundi, qui immediatus eſt.

c) vigore præfati termini) anni ſcilicet 1624. & primæ diei Januarii ejusdem anni, quo termino cujusque poſſeſſiones & jura in Fundationibus immediatis æſtimantur.

d) menſesque Papales id temporis in uſu fuerunt) Nota conditionem, ut tum demum hoc obtineat, ſi menſes Papales dicto anno dieque in uſu fuerunt: ſin vero non fuerunt in uſu, ne Catholici quidem tenentur rationem illorum habere, ſed quovis menſe ipſi eligunt, non expectato Pontificis judicio. Interim manet adhuc inſigne diſcrimen inter hos ipſos & Proteſtantes: Illi enim pro habitu anni dieique ſubjiciuntur illis menſibus, aut liberantur. Hi vero ab illis prorſus ſecuri facti ſunt, quandocunque etiam & quomodocunque condicere quis vetera ſua jura vellet. De cœtero quia hoc §vo de menſibus tantum Papalibus agitur, quæri poteſt, an reſpectu Catholicorum idem ſit dicendum de annatis, Juribus pallii, confirmationibus, reſervationibus & ſimilibus. Sed forte inutilis eſt hæc quæſtio, cum illa jura pleraque aut ſane omnia Archiepiſcopos, Epiſcoposque concernant, quorum duo uno in loco ſimul eſſe nequeunt. In Epiſcopatu quidem Osnabrugenſi alternatio ſingulis vicibus inter Catholicos & Proteſtantes electionis ratione introducta eſt. Enimvero uti, cum eligitur Epiſcopus A. C. addictus, ſuperiora locum habent ejus intuitu: ita Catholicum non dubito jure & conditione reliquorum, ſuæ Religionis conſortium fore.

e) atque executioni mandentur) a quo vero? num ab Epiſcopo ejus loci, an ab ipſo Papa, excommunicationibus ſuis in ejusmodi caſibus adverſus inobedientes armato? Prius videtur, ut Epiſcopus ſcilicet ad Papæ poſtulationem auctoritatem ſuam interponat, quanquam non dubitem, hic etiam ex ſuperiori §. 17. repetendam conditionem, atque huc transferendam eſſe, *ubi id*

Digitized by Google

modo Papalis proviſio f) Capitulis immediate è Curia Romana g) & tempore legitimo h) inſinuetur.

§.21. VI. Electi aut Poſtulati in Archiepiſcopos, a) Epiſcopos aut Prælatus Aug. Conf. addicti, à Sacra Cæſarea Majeſtate b) poſt-

 quam

id fundationibus non adverſatur. Quibus inſtitutis etiam Pontifex ſe in exercitio jurium ſuorum accommodare merito debet. Unde ſtatim querelæ & expoſtulationes etiam apud Catholicos, quoties Papam menſibus ſuis abuti, & deſignatione inidonei hominis contra ſtatuta Capitulis præjudicium creare animadvertunt: inſuper etiam habitis brutis illis fulminibus, quæ nonnunquam in illos vibrantur, qui non ad omnia mandata faſces ſervili obſequio ſubmittunt. Teſtes hujus rei eſſe poſſunt, Eccleſiæ Conſtantienſis atque Wormatienſis, imo recenti adhuc exemplo Monaſterienſis, quæ cum Pontifice ob Præpoſiti electionem magnam controverſiam exercet; Capitulo hanc rem ſibi vindicante: Cum e contrario Pontifex eam ſui juris faciat, quaſi munus in Curia Romana vacaverit. Atque hæc lis nondum eſt ſopita, Monaſterienſibus ſuæ Eccleſiæ libertatem & jura gnaviter atque cordate adverſus importuna ejusmodi imperia adſerentibus.

f) modo Papalis proviſio &c.) Præter conditionem temporis, de qua paulo ante, duo adhuc requiruntur, ut Proviſio Papalis immediate e Curia Romana inſinuetur: & ut id fiat tempore legitimo.

g) immediate e Curia Romana) Itaque ſi nuncii Apoſtolici in Germania, ſtationem habentes id ipſum tentent obſequi eis nemo tenetur.

h) tempore legitimo) Hoc tempus legitimum ſecundum Concordata Nationis Germanicæ cum Sede Romana §.3. ſunt tres menſes a die Vacationis in loco beneficii, quibus elapſis, ſi interea de beneficio illo auctoritate Apoſtolica proviſum non fuerit, Ordinarius, vel alius, ad quem illius rei cura pertinet, de eo libere poterit diſponere.

§. 21.

a) Electi aut Poſtulati in Archiepiſcopcs &c.) Status Eccleſiaſtici A. C. addicti non appellantur hic Archiepiſcopi vel Epiſcopi, ſed Electi aut Poſtulati in Archiepiſcopos Epiſcopoſque. In cauſa fuere Catholici, quibus religio erat his omnibus eos deſignare, qui a Pontifice confirmationem neque petunt, neque impetrant. Electorum autem aut Poſtulatorum hic disjunctive fit mentio, quia inter utroſque aliqua eſt differentia. Quos enim per Canones eligere non licet, ſi tamen Epiſcopos fieri volumus, in fraudem legis poſtulari dicimus. Quid ſit autem proprie electio, quid poſtulatio, & quibus differant, ejus rei apud Juris Canonici Scriptores uberior cognitio petitur.

b) a Sacra Cæſarea Majeſtate abs-

que

quam intra annum Electionis aut poſtulationis ſuæ fidem fecerint, c) & juramenta Regalibus conſueta feudis præſtiterint, absque ulla exceptione inveſtiantur, ultraque taxæ ordinariæ ſummam, inſuper ejusdem dimidium d) pro infeudatione pendant, iidem e) aut ſede vacante

que ulla exceptione inveſtiantur) Id enim illis antehac negatum fuerat, quod Catholici affirmaſſent, Proteſtantes bona id genus Eccleſiaſtica habere non poſſe cum qualitate illa ſacra, quam conferunt in Catholicos, accedente Pontificis confirmatione: cujus tamen petendæ nec ipſi Proteſtantes operam hactenus dedere, nec Pontifex impertiendæ voluntatem explicuit.

c) poſtquam intra annum electionis aut poſtulationis ſuæ fidem fecerint.) Tempus itaque in Feudis Eccleſiaſticis pro inveſtitura petenda, quod ex Jure Feudali annus eſt, hic currere incepit, non a morte proximi deceſſoris, ſed a novi Succeſſoris electione aut poſtulatione. Ex quo colligimus, quamvis vacante ſede Capitulum in ceteris Defunctum interea repræſentet, & plenam bonorum adminiſtrationem habeat, tamen renovationem Inveſtituræ petere non poſſe, uti illa omnia agere aut tractare nequit, quæ Epiſcopi præſentiam & auctoritatem deſiderant.

d) ultraque Taxæ ordinariæ ſummam, inſuper ejusdem dimidium &c.) Provenit hoc ex invidia Catholicorum, qui cum Proteſtantes adigere eô non poſſent, ut, quæ ipſi annatarum, Jurium Pallii, confirmationum, reſervationum, & hujusmodi exactionum nomine ſolvere Pontifici debent, hi etiam præſtarent: initio inſtitere, ut ſaltem Cæſari tantundem ſolveretur. Sed quandoquidem hoc etiam Proteſtantibus nimiū viſum; forſan etiam Catholici ipſi advertere, non fore ſine præjudicio Sacri Ordinis ea quæ Pontifici debentur, iisdem ſub nominibus Imperatori exſolvere: media tandem ratio placuit, ut omiſſa jurium id genus mentione, nomine inveſtituræ, ultra ordinariæ Taxæ ſummam inſuper ejusdem dimidium pro infeudatione pendatur. Quo conſilio id ſaltem vitatum, ne Bona Eccleſiaſtica, quæ tanto cum onere ex Romanæ ſedis avaritia in Catholicos tranſeunt, Proteſtantibus gratis omnino cedant, ex hac immunitate longe meliore conditione futuris. Forſan id etiam tacite actum, ut quæ Cæſari penduntur, loco vicario ſint Jurium Papalium, ne prorſus extincta eſſe videantur. Neque enim inſolitum eſt, ludicris etiam & levibus rebus, ſi per ſeria non licet, nobis proſpicere, quæ mox ex temporum opportunitate ingenioſis argumentis, quæ nunquam nos deſtituunt, in noſtras utilitates convertere optime novimus.

e) iidem) Hoc difficillime a Catholicis impetratum. Huc usque enim Status Eccleſiaſtici Proteſtantes adeo ab omnibus Comitiis tam Univerſalibus quam Particularibus prohibebantur,

Digitized by Google

tur,ut ne pace quidem Pragenſi habita eorum ratio fuerit; cum expreſſe quadraginta illis annis jure Comitiorum excluderentur, cum de cœtero fruitio Bonorum Eccleſiaſticorum interea illis relicta erat. Sed hæc controverſia nunc eſt in perpetuum compoſita. Itaque quo magis ego Catholicorum circa hanc contradictionem & repugnantiam conſidero,eo diligentiores atque vigilantiores in iſto ſuo jure conſervando Proteſtantes eſſe oportet, cujus pervincendi cauſa tanta conſtantia opus fuit. Hinc eſt,quod ego non intelligam,qua ratione Eccleſia Lubecenſis ſuam negligentiam excuſabit,quæ cum ad hæc Comitia initio ad præſcriptum Pacis Weſtphalicæ vocata eſſet, miſſoque Legato ſtationem ſuam aliquamdiu conſervaſſet, mox illo domum revocato non modo ſuffragium ſuum atque ſeſſionem ultra triginta & amplius annos hucusque deſeruit: Verum etiam, quod ad huc eſt gravius,permiſit, ut omnino ex Schedula illa expungeretur, qua uti ſolemus ad vocandos ſtatus, cum ſententiam quisque ſuam ordine dicere jubetur: reliquis omnibus, niſi fallor, etſi abſentes ſint, illo tamen Catalogo comprehenſis, & publica voce recitatis,quoties de re quadam deliberanda in ſuffragia mittuntur Ordines. Atqui eſt ſane hæc incuria & oſcitantia hoc majori præjudicio conjuncta, quod Catholici longe ægrius ferant Proteſtantium Eccleſiaſticorum ſuffragia, quam aliorum. Auget periculum deſerta omnino hoc tempore in ſcamno illo transverſo ſtatio, niſi Epiſcopus Lubecenſis illam retinuerit. Nam Archiepiſcopatu Magdeburgenſi extincto, & in Ducatum transmutato, cujus nunc legitimus Poſſeſſor in Scamno Principum Secularium ſuffragium fert. Epiſcopatu vero Oſnabrugenſi poſt mortem nuperi Epiſcopi in Catholicum translato, Lubecenſis ſolus supereſt,qui in Senatu Principum ex Epiſcopis Proteſtantibus capere locum, & ſententiam dicere poteſt: rem tanto minus profecto ſpernendam, quod ejusmodi jura longo tempore non exercita amitti plerumque ſoleant: quod multis olim accidit, qui easdem ob cauſas, quod Comitia non frequentarint, aut digniore loco, aut omnino jure ſuffragii excidere. Quodſi Epiſcopus Lubecenſis,quamvis abſens,pro more ſaltem inter cœteros voce publica excitaretur atque dicere juberetur, conſultum ejus dignitati & loco qualitercunque tandem eſſet, teſtimonio actorum diurnorum, ipſiusque Senatus judicio, in quo talia ſingulis vicibus peraguntur. Quod vero non modo locū ſuum tanto tempore deſeruit; ſed & paſſus eſt nomen etiam ſuum velut ex Albo Statuum deleri, quo deſcripti ſunt,qui ad ſententiam dicendam à Papenheimio, Publico Magiſtratu, in Senatu vocantur,id vero ne aliquando ipſi frandi ſit futurum, ni hunc errorem brevi corrigat,& his ſaltem in Comitiis priorem ſtationem repetat, aut Legato miſſo, aut poteſtate ſuffragandi ſuo nomine alii facta,ego valde vereor.

f) ſede

vacante Capitula f) & quibus adminiſtratio cum iis conjunctim competit g) ad univerſales æque, ac particulares h) deputationum, i) viſitationum, k) reviſionum, aliosque conventus Imperiales, l) literis

f) ſede vacante Capitula) Moris enim eſt, Capitula etiam ad Comitia vocari, cum Sedes Epiſcopo vacat. Atque hoc ipſum jus illa ſedulo exercent, quoties contingit, ut Epiſcopus moriatur. Neque enim expectant electionem alterius, ſed ſtatim à morte illius nova mandata dant ad Legatos, qui res defuncti in Comitiis gerunt, ut interea ſuo etiam nomine agant, donec de alio Epiſcopo Eccleſiæ proſpectum fuerit.

g) & quibus adminiſtratio cum iis conjunctim competit) id quod ex inſtitutis & conſuetudine cujusque loci metiendum.

h) ad univerſales æque ac particulares) Nota particularium Conventuum hic tres deſignari ſpecies: ſcilicet Conventus Deputationum, Viſitationum, Reviſionum. Sunt autem hi omnes Conventus Imperii, quibus Commiſſarii Cæſaris etiam interſunt. Itaque particulares dicuntur, reſpectu Comitiorum univerſalium: alias quando Conventibus Circulorum aut quorundam Statuum opponuntur, quos non Imperator, ſed Directores cujusque Circuli convocare ſolent, eo intuitu univerſalium nomine haberi quoque poſſunt, quoniam Imperium repræſentant, atque ex mandato ejus vel delegatione negotia tractant.

i) Deputationum) Talis nupero Receſſu Imperii decretus, atque Francofurti ad Mœnum anno 1655. eſt habitus, data poteſtate inprimis cognoſcendi de cauſis reſtituendorum ex formula Weſtphalicæ Pacis ſecundum amneſtiam & gravamina Religionis: quanquam etiam de ſecuritate publica & legibus ſumptuariis agi poterat. Qua de re vide ſis Inſtructionem à Cæſare & Imperio datam in dicto Receſſu §. den zwenten punct 191.

k) Viſitationum) Conventus Viſitationum & Reviſionum ad Cameræ Imperialis inſpectionem pertinent, de quibus in Conſtitutionibus Imperii multa egregie ſancita, pauca autem hactenus ſervata ſunt.

l) aliosque Conventus Imperiales) Sed quinam illi præter hos? Conventus enim Imperiales, id eſt, qui nomine totius Imperii celebrantur, hic intelligi, ipſa verba nos docent. Primo reperiuntur veſtigia habiti Conventus Imperialis per omnes Circulos, qui Erfordiæ actus eſt medio fere ſeculo decimo ſexto, ut ſtatuatur de impenſis refundendis, quæ in Gothanam expeditionem contra Ducem Joannem Fridericum ſunt factæ, cujus decreta adhuc in Corpore Conſtitutionum Imperii extant. Deinde Conventus Deputationum alii ſunt Ordinarii, alii extraordinarii. Ordinarii exemplum habemus in eo, qui Francofurtum anno 1655. eſt indictus. Extraordinarii exempla his proximis viginti annis duo illuſtria occurrunt.

Digitized by Google

teris ſolitis evocentur, m) & ſuffragii jure fruantur, prout quiſque n) Statu-

runt, Unum eſt illa Deputatio ab Imperio decreta anno 1681. poſt Neomagienſem Pacem, ut cum Gallo, qui nomine reunionum multas Provincias occupaverat, & Urbem Argentinam vi adhibita in ſuam poteſtatem redegerat, recens pax firmaretur, quæ factis illis hoſtilibus Gallorum turbata valde fuerat. Alterum ſiſtit Deputatio illa, anno 1697 facta, & Hagam Comitum miſſa, promovendæ iterum pacis cauſa, ex quo Gallus ſuperiorem illam Neomagienſem, illato alio bello, & decennium integrum magna Germaniæ devaſtatione geſto, perfide ruperat. Hæc ſupra morem numeroſa fuit, atq; triginta duobus Statibus Deputatis compoſita erat, majori fama, quam ſucceſſu & utilitate, cum non modo Legati Cæſarei auctoritatem ejus multis in rebus, quæ communi nomine agi debuiſſent, laceſſerent, & Exterorum contemptui exponerent: verum etiam ipſi Deputati inter ſe infeſta æmulatione circa ceremonias & ritus mutuo ſibi impedimento eſſent, quo minus unitis animis conſiliisque gerere ſtrenue rempublicam, & locum atque dignitatem ſuam tueri poſſent. Pariter cum omnes Circuli emendandæ monetæ, vel alterius negotii cauſa Conventus indicunt, illos eodem numero æſtimandos eſſe nihil dubito. Hoc tempore, dum iſta ſcribimus, fervet negotium fœderis inter omnes Circulos Imperii iciendi, quam rem *Aſſociationem* appellant. Nondum quidem acceſſere omnes: interea id ſerio agitur, ut jam quinque illis inter ſe fœderatis cæteri etiam primo quoque tempore conjungantur. Quod ſi ea res exitum habuerit, & deinde Circuli Imperii convenerint de communi cauſa conſulturi, conventum illum pro Conventu Imperiali ſuo ſenſu etiam habendum eſſe, mihi quidem nullum eſt dubium. Quamvis enim eam in rem nullum ab Imperio ex Comitiis mandatum habeant, repræſentare tamen Imperium dici hactenus recte poſſunt, quod Conventus omnibus illis partibus conſtet, quibus Imperiũ componitur: quanquam non negem, durantibus Comitiis univerſalibus aliquid extraordinarii hic intervenire, cum alios Imperii Conventus, inter tempus Comitiorum, ordinario jure agere non liceat, niſi ab his nomen & cauſam habeant.

m) literis ſolitis evocentur) Jus convocandi Status Imperatori eſt proprium, quod tamen ex præſcitu & Conſilio Electorum exercet.

n) & ſuffragii jure fruantur, prout quiſque) Hoc præcipue ad locum & Ordinem pertinere videtur, quo ſuffragium eſt ferendum. Quamvis enim iſti Status Eccleſiaſtici ſcamno quodam transverſo in Curia Principum ſedeant, ſententiam tamen eo ordine dicunt, quo ante Religionis mutationem dicere ſoliti erant: quemadmodum etiam ad dicendum excitantur inter Eccleſiaſticos Principes, non Seculares. Quippe

Statuum ante Religionis diſſidia eorum Jurium particeps fuit. Quæ vero & quot perſonæ ad ejusmodi conventus mitti debeant, o) de eo Præſulibus cum Capitulis & conventualibus ſtatuere liberum eſto.

Tituli Principum Eccleſ. ex Aug.Conf.

§. 22. De titulis Principum Eccleſiaſticorum a) ex Aug. Conf. ita

res ex patrio more ſic habet, ut alternis vicibus rogentur ſententiæ, nunc Eccleſiaſticorum, nunc Secularium Principum, ſaltu ab illis ad hos ſemper facto, donec ſuperſunt, qui alternatim ferre ſuffragia poſſunt. Nam ex quo Eccleſiaſtici, qui numero pauciores ſunt, vocari deſiere, tum vero rogantur reliqui Seculares Principes continua ſerie, donec res iterum redeat ad Prælatos & Comites, ex quibus illi rurſus Principibus Eccleſiaſticis conjunguntur: hi ſecularibus, repetita eadem alternatione.

o) *Quæ vero & quot perſonæ ad ejusmodi Conventus mitti debeant.* De hoc ideo cautum, quia teſte Pufendorffio Cæſariani contendebant, ut pro conſervatione Status Eccleſiaſtici ſemper cum Præſule ipſo certi aliqui Canonici Comitiis adeſſent. Sed quia id Proteſtantibus merito grave viſum, non modo ob diſparitatem cum Catholicis, quibus Legatos mittere ex animi ſententia licet: verum etiam quod neque Epiſcopo commodum ſemper eſſet, domo proficiſci; neque Capitulo, numeroſam Legationem diu alere: ideoque Præſulibus libertas ſtatuendi cum Capitulis, quos & quot numero obeundæ legationi nominare velint, tandem relicta eſt. Atque probavit ſane eventus conſilium. Nam ſi his Comitiis, quæ nunc ſupra quadraginta annos durant, Catholicorum voluntati obſequendum fuiſſet, ſane Eccleſiæ iſtæ coactæ fuiſſent, aut omnino Stationes ſuas in adminiſtranda republica deſerere, aut ſumptibus deficere, quos hæc Legatio deſideraſſet. Quare hactenus uno Legato ex Miniſtris ſuis contentæ fuere, aut ſuffragium ſuum mandavere alii.

§. 22.

a) *De Titulis Principum Eccleſiaſticorum)* Quandoquidem Catholici ſecundum Eccleſiæ ſuæ inſtituta eum pro Epiſcopo non æſtiment, qui à Pontifice Romano Confirmationem ſuæ Electionis aut Poſtulationis non impetravit: Eccleſiaſtici autem Principes Auguſt. Conf. ex principiis ſuæ Religionis hujus Præſulis auctoritatem adeo rejiciant & aſpernentur, ut ſupplicare illi de quacunq; re vel gratia indignum ſibi & religioni ducant: Pontifex etiam velut in Rebelles & defectores à ſuo imperio gravibus ubique decretis ſtatuat: de Titulis horum Principum, quibus bona Eccleſiaſtica jam per ſuperiora à Catholicis ceſſa erant, nova difficultas orta eſt. Nolebant enim Proteſtantes deteriori conditione in hac cauſa eſſe. Catholici ſe Religione & conſcientia excuſabant. Sed non diu tenuit hæc controverſia, & mox utrimque conventum eſt, ut Electi vel Poſtulati in Epiſcopos appellarentur. Hac ratione Catholici exiſti-

Digitized by Google

ita convenit, ut, abſque tamen præjudicio ſtatus & dignitatis b) titulis Electorum aut Poſtulatorum in Archiepiſcopum, Epiſcopum, Abbatem, Præpoſitum, inſigniantur, Seſſionem autem in Scamno inter Eccleſiaſticos & ſeculares intermedio & transverſo capiant c) quibus à latere aſſideant d) in conventu omnium trium Imperii Collegiorum Director Cancellariæ Moguntinenſis, nomine Domini Archie-

exiſtimabant, juribus Pontificis qualitercunque eſſe proſpectum. Evangelici vero cum omnia obtinuiſſent, quibus Catholici Eccleſiaſtici in ſuis Epiſcopatibus fruuntur ſuper re inani, quam illi ad conſcientiam referebant, noluere contendere, præſertim cum ipſi etiam Catholici Eccleſiaſtici poſt Electionem vocentur Electi in Epiſcopos, donec Confirmatio Pontificia acceſſerit, quam Evangelici nec velle nec ſperare poterant.

b) Ut abſque tamen præjudicio Status & dignitatis) id eſt, ut Proteſtantibus hi Tituli, neque ratione Status ſui, qui nihilominus pro Eccleſiaſtico eſt habendus; neque ratione dignitatis Archiepiſcopalis vel Epiſcopalis fraudi aut præjudicio ſit. Ex quo ſequitur, Proteſtantes Eccleſiaſticos illos Catholicos Eccleſiaſticos adhuc hodie præcedere, quos olim iſtorum Epiſcopatuum poſſeſſores, dum Catholici erant, anteivere, neque illis ab his objici poſſe, quod non ſint Epiſcopi, ſed Electi tantum in Epiſcopos. Næniæ enim iſtæ & nominum crepundia in ſtatu & dignitate Eccleſiaſtica merito nihil mutant. Talia enim rei poſſeſſæ inſunt, neque ab unius hominis extranei ambitu atque avaritia dependent, quarum rerum cauſa olim orbem univerſum fere ſubjugavit.

c) Seſſionem autem in Scamno inter Eccleſiaſticos & Seculares intermedio & transverſo capiant) De Scamno transverſo res expedita eſt, uti inſpectio ocularis probat. Sed id ipſum Scamnum inter Eccleſiaſticos & Seculares intermedium eſſe, dubito, cum in circo illorum, Eccleſiaſticorum inquam, totum ſit poſitum, cujus adeo ſitui hic facta delineatio non admodum congruit. Sed hæc ipſa oculis melius percipiuntur, quam deſcriptione.

d) quibus à latere aſſideant) Duplex igitur eſt ſitus hujus Scamni transverſi; unus in magno illo Conclavi, ubi relationes & correlationes inter Status celebrantur: & alter in Principum Senatu, qui rogandis ſententiis eſt deſtinatus Ibi è regione Electorum, qui ſummo loco ad dextram Cæſaris ſedent, hoc Scamnum locatum eſt, cui reſpondent menſæ directoriales, quæ in alterò latere ſunt poſitæ. Hic vero Scamnum transverſum Catholicis, primas ſedes occupantibus, eſt oppoſitum, menſa directoriali paulo altius locata, ut à latere hujus Scamni Directores Collegii Principum aſſidere non videantur. Sed hæc non ſunt magni momenti.

Digitized by Google

chiepiſcopi actorum Comitialium generali directione fungens, & poſt ipſum Directores Collegii Principum: Idemque obſervetur in Senatu Principum collegialiter congregato, à ſolis iſtius Collegii actorum Directoribus.

§. 23. VII. Quod Capitulares aut Canonici a) die prima Januarii b) Anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi quarti uſpiam c) vel Aug.Conf. vel Catholici fuerunt, d) totidem illic ex utraque religione e) erunt ſem-

§. 23.

a) Quot Capitulares aut Canonici) Hic §vus agit de mixtis Epiſcopatibus, & duo ſumma Capita habet. Unum de numero Canonicorum: & alterum de exercitio utriusque Religionis. Quod igitur ad numerum attinet, ille reſtituitur, & deinde in perpetuum conſervatur, qualis anno 1624. fuit: ita tamen, ut qui poſt illum annum ſuper numerum conventum irrepſere, & adhuc vivunt, beneficia & præbendas ad vitam retinere poſſint, donec obitu eorum numerus ad Statum dicti anni novis electionibus ſecundum hanc legem redactus fuerit.

b) die prima Januarii) Quia hæc dies, prima Januarii bis in hoc §vo repetitur, ideoque ſubintelligenda etiam neceſſario eſt illo loco intermedio, ubi ſolum anni 1624. ſit mentio, ne incertam regulam habeamus, cum fieri potuerit, ut illo toto anno numerus Canonicorum ex utraque Religione non idem, ſed varius fuerit.

c) uſpiam) ideoque nulli Epiſcopatus aut Fundationes excipiuntur.

d) vel Auguſtanæ Confeſſioni addicti vel Catholici fuerint) Nota hic Auguſtanæ Confeſſioni addictos præponi ordine Catholicis: quod etſi rarius fiat, argumento tamen eſt, ordinem ſcribendi neque uni neque alteri parti prærogativam dare.

e) totidem illic ex utraque Religione) Mota apud Deckherum *Conſult. For. lib. I. c.24. §.5.* eſt quæſtio, quid juris, *ſi certus Canonicorum numerus, in prima fundatione præſcriptus, an.1624. ab utraque parte non completus fuerit, ſed mancus exſtiterit? num ille mancus relinquendus? vel ſi ſupplendus, ex qua religione ſupplementum illud quærendum ſit?* Nos exiſtimamus, numero ſtricte inhærendum, qui ſæpe dicto anno dieq; fuit. Præciſe enim hic ſtatuitur, quod Capitulares vel Canonici anno 1624. die prima Januarii USPIAM fuerunt, tot illic ex utraque Religione ſemper manere debere: neque obſtabit Religio fundationis, quia pacis cauſa multa etiam alia in ejusmodi rebus mutata ſunt: & infra *artic.17.§.3.* expreſſe placuit, ne *contra hanc tranſactionem ullumve ejus Articulum vel clauſulam ulla jura Canonica & Civilia, ulla Statuta ſive Politica ſive Eccleſiaſtica, vel ulla alia exceptiones, quocunque nomine aut prætextu excogitari potuerunt, unquam allegentur, audiantur aut admittantur.*

Digitized by Google

ſemper, f) nec decedentibus niſi ejusdem Religionis Conſortes ſur-

 rogen-

tantur. Unde mihi cum Deckhero non convenit, qui putat, dubitandum non eſſe, quin numerus in poſterum ſupplendus ſit. Hoc ipſo enim prolixa litium ſuppeditaretur occaſio, cum aliam regulam ex pace non habeamus, unde de ſupplemento ratione numeri ex utraque Religione deciſio facienda ſit. Ac profecto res periculi & aleæ plena foret, ſi Proteſtantes ſemel quacunque ex cauſa ab obſervantia & ſtatu anni dieique decretoria dimoveri ſe paterentur. Longe difficilius enim ratione & argumentis perficiuntur, quæ certa ſanctione ex lege aut formula Pacis carent; Catholicis inprimis antiquitate poſſeſſionis & jurium ſuperioribus, qui Proteſtantibus nulla re facile concedent, cujus condicendæ facultatem illi ex pace non habent. Ego non dubito, quin a Catholicis etiam multa bona Eccleſiaſtica poſſideantur, ubi in nonnullis a primis Fundatorum Inſtitutis receſſum ſit. Equidem verum eſſe fateor, id auctoritate Pontificis factû, ſi modo ubiq; factum. Sed cujus rei Pontifex illic poteſtatem dare potuit, ejusdem mutandæ jus & arbitrium longe amplius certiusque Summi Paciſcentes habuere. Quodſi vero nihilominus in Eccleſia quadam Epiſcopo & Canonicis libere placuerit, augere Canonicorum numerum, eundemque ad Fundationum initia reducere, quanquam Proteſtantibus autor non eſſem, ut hic faciles ſe præberent, vix alia erit expediundæ difficultatis via, quam ut ex utraque Religione æquale ſupplementum ſtatuatur. Quodſi vero illud ex impari numero ſit conficiendum, ubi ſervari æqualitas nequit, Capitulum ipſum vero ſecundum ſtatum anni 1624. numero æquali conſtet, aut ſupra numerum antiquum imparem adjiciendus adhuc unus ex eadem conventione erit, paritatis obtinendæ gratia: aut ad exemplum eorum, quæ ſupra hoc Art. 5. §. 5. & 6. circa Auguſtanæ Civitatis ſtatum ordinandum placuere, unius Canonici, qui imparitatem facit, electio ita alternatim inſtituenda, ut Evangelici atque Catholici ſingulis vicibus permutentur. Sin vero numerus Canonicorum anno 1624. impar jam fuit, providendum erit, ne novis Electionibus Supernumerariorum alteretur illa proportio, qua una pars alteram vincit, neve per id una erga aliam minor majorque autoritate & potentia efficiatur. Sed conſultiſſimum eſt, ſtare eo numero, qui anno 1624. ejusque prima die Januarii inventus ibi fuit, qua ratione neceſſe non erit, ſupervacaneis quæſtionibus & dubiis nodum in ſcirpo quærere.

f) *erunt ſemper*) ita ſcilicet, ut etiamſi de Religionis diſſidiis amicabiliter conveniri non poſſit, nihilominus hæc conventio perpetua ſit, & pax ſemper duratura, juxta ea, quæ paulo ante §. 14. habentur.

g) ne-

rogentur. g) Si vero alicubi jam plures h) Catholici vel Auguſtan. Conf. Capitulares aut Canonici beneficia poſſident, quam Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto, i) ii quidem ſupernumerarii

g) nec decedentibus, niſi ejusdem Religionis Conſortes ſurrogentur) id eſt, ſi Canonicus Eccleſiæ Romanæ Sectator eſt mortuus, ſurrogandus illi eſt, qui ejusdem eſt Religionis: ſin Auguſtanæ Confeſſioni addictus, huic ſuppar.

h) ſi vero alicubi jam plures) Nimirum evenire facile potuit, ut inter belli vices poſt initium anni 1624. numerus Canonicorum ex utraque Religione, qualis illo tempore erat, mutaverit, prout una vel altera pars belligerantium potentia & occaſione eſt uſa. Nihil enim frequentius erat, ex quo Auſtriacis bellum cum Suecis exarſit, quam ut uterque hoſtis omnibus locis, ubi rerum potiebatur, non modo animum ad firmanda bello quæſita attenderet, verum etiam æmulatione ferventiſſima certaret in promovenda Religione ſua. Unde toties reſtituta, iterumque locis pulſa ſacra legimus, prout fortuna belli huic vel illi facultatem ejus rei dabat. Quodſi igitur ejusmodi quid accidiſſet, cum ex una parte ſcripta jam lex eſſet, ut numerus Canonicorum ſecundum ſtatum anni dieique toties nominatæ in ſuum ordinem redigeretur: ex altera vero durum fuiſſet & inhumanum, eos dignitate, ordine, beneficiis atque præbendis ſuis exturbari, quorum fruitionem eadem fide eodemque jure nacti plerumque erant, quo alter habuit, quem vis metusve, aut mors dejecerat, ideoque placuit, relinqui eos in dignitate & fructibus, donec morte locum fecerint iis, quos lex ad ſucceſſionem vocat ex illa Religione, cui locus ille debetur.

i) quam anno 1624) Hic ut ſupra jam monui, non fit mentio primæ diei Januarii: Sed ea procul dubio ſubintelligenda eſt, non modo quod paulo ante & poſt hoc ipſo in paragrapho, & hac eadem in cauſa illam lex pro regula numeri Canonicorum ex utraque Religione conſtituat: verum etiam cum nulla eſſet ratio expediendæ rei eo caſu, quando hoc ipſo anno 1624. per vices Canonicus ex Auguſtana Confeſſione, & alius ex Eccleſia Romana ſe excepiſſent, id quod ſane poſſibile factu erat, ſive unus alterum ſtatione dejecerit: ſive morte ſua occaſionem dederit ad illius electionem: Duo enim unum ejusmodi beficium poſſidere, eoque frui non poſſunt; multo minus vero pro una perſona reputari, præſertim ſi diverſæ ſint Religionis. Canonicatus enim ſinguli pro individuis reputantur, quæ mixtionem ex diverſis aut contrariis non recipiunt. Alia eſt Eccleſiarum aut Epiſcopatuum ratio, qui ex cœtu conſtant, cui mixtio non modo non repugnat, ſed quem fere ubique perficit. Unde arbitror, facile diverſitatis ratio-

Digitized by Google

rii k) beneficia & præbendas ad vitam retineant, l) mortuis vero, m) tam-

rationem percipi, cur infra §. 31. totus annus, & quævis ejus pars intuitu ſubditorum; eotumque Religionis exercitii dari potuerit. Hic vero dari omnino oportuerit primam Januarii diem ejusdem anni pro termino reſtitutionis & futuræ obſervantiæ, quia ibi cum duo in templis aliqua anni 1624. parte exercitium Religionis habuerunt, ambobus id ſtatis horis diebusque aſſignari poterit alterno uſu. Sed eodem modo duo unum Canonicatum poſſidere nequeunt, qui pro parte Catholicus & pro parte Evangelicus nunquam concipitur.

k) ii quidem ſupernumerarii) Vocantur ſupernumerarii non eo ſenſu, quo ante §. 7. de Catholicis dictum, qui tempore hujus Pacificationis in Magiſtratu & officiis præter numerum ſuperfuere, ſed inita ratione ad eam partem, quæ in præſentia majori numero eſt, quam ex ſtatu anni vigeſimi quarti eſſe deberet, & cujus cauſa ut altera pars in numero ſuorum diminutionem patiatur, opus eſt. Nam quo minus ſupernumerarios iſtos intelligere poſſis eo ſenſu, quo opponuntur definito numero Canonicorum, qui univerſum Capitulum abſolvit, obſtat, quia tum non opus fuiſſet cavere de ſucceſſione Catholicorum in locum Proteſtantium, & vice verſa de horum ſucceſſione in illorum locum, donec redintegratus utrimque fuerit conventus Canonicorum numerus. Sed tantummodo de toleratione ſupernumerariorum ſtatuendum fuiſſet, dum ipſi morte ſua vacuam domum faciant. Ex quo etiam ſequitur, hos ſupernumerarios non modo dignitate, honore, commodisque priſtinis frui, ſed & auctoritate, voto, omnique alio Capitularium & Canonicorum jure, pro eo ſcilicet munere, quod quisque obire ſolet: quanquam providendum merito ſit, ne ex hoc numero ſuffragiorum aliis præjudicium aut moleſtia creetur. Tanto minus enim convenit his abuti ad negotium adverſæ parti faceſſendum, quod tota res de majori numero temporaria ſit, in illorum gratiam & honorem conceſſa, quos alias oportuiſſet ſtatim loco decedere, ſi Paciſcentes anno & termino decretorio ſtrictè inhærere voluiſſent.

l) ad vitam retineant) id eſt, ad vitæ tempus, ſeu quamdiu vivunt: alias *ad vitam retinere* videtur hoc ſibi velle, quaſi deberent retinere *ad vitam* ſuſtentandam.

m) mortuis vero) De abdicatione ſeu renunciatione idem ſentio, ſi libera fuerit, non coacta, aut dolo elicita. Quid vero dicendum de reſignatione, uti appellatur, quæ etiam renunciatio conditionalis dicitur, cum quis ea conditione ſe munere Eccleſiaſtico ſeu Canonicatu abdicat, ut alius ab ipſo nominatus beneficium illud conſequatur. Hic ne fraus legi fiat, ſi abdicare ſe talis Catholicus vult, opus eſſe arbitror

tamdiu Catholicis Auguſtanæ Confeſſioni addicti, & his Catholici ſuccedant, donec redintegratus fuerit n) utriusque Religionis Capitularium & Canonicorum numerus, qui die prima Januarii Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto erat. o) Exercitium vero Religio-

tror, ut in Proteſtantis alicujus gratiam fiat renunciatio: idem vice verſa de Evangelici abdicatione ſentio. Forſan Capituli etiam conſenſus erit neceſſarius, quia ſibi arbitrium de ſucceſſore penitus tolli nequit, quod liberrimum habuiſſet, vacante ex morte Canonicatu. Id præterea inter Evangelicum & Catholicum reſignaturum adhuc intereſſe videtur, quod ille ſuo arbitratu abire poſſit, ſi Conſenſum Epiſcopi & Capituli adhibuerit. Hic vero auctoritate etiam & venia Pontificis opus habere videatur, qui ſibi de ejusmodi actibus cognoſcendi ſtatuendique facultatem reſervaſſe propterea dicitur, quia rem ſimoniæ proximam eſſe perhibent, cujus labem tollere neminem, præter unum Pontificem, poſſe volunt: credulitate non invidenda illis, qui ſpontaneam ſervitutem & vincula cujusdam Religionis nomine (alii cœcam ſuperſtitionem appellarent zelum hunc intempeſtivum) ſibi circumdari in parte gloriæ habent & pietatis.

n) *donec redintegratus fuerit*) Redintegratio nomen Canonicorum & Capitularium utriuſque Religionis præſupponit quidem integrum numerum totius Capituli: Sed non integrum Capitularium ex utraque Religione, prout anno 1624. fuerat. Unde liquet, modum redintegrandi, qui hic præſcribitur, plane diverſum eſſe ab eo, qui ſupra §. 7. eſt deſcriptus. Ibi enim Auguſtæ Vindelicorum ſtatim aſſumuntur ex utraque Religione in Senatum illi, qui conſtituere illum debebant. Sed quia hoc ipſo factum, ut quidam Catholici, ante pacem Senatorii Ordinis compotes facti, abundarent, illis relinquitur quidem honos & utilitas; Sed ut domi ſe contineant, Senatuque abſtineant, præcipitur: aut ut voto ſaltem careant, ſi in Senatum utique venire aliquando velint, donec morte ipſorum ſtatus numerus redierit. Hic vero ejusmodi ſupernumerarii, ex quacunque ſint religione, non modo in dignitate, ordine & commodis, ſed omnibus juribus Canonicorum relinquuntur: at illis mortuis eliguntur alii diverſæ Religionis ad complementum numeri, qui hactenus defecerat.

o) *qui die prima Januarii, anno 1624. erat*) Inſigni itaque nequitia hunc locum interpretatione ſua corrupit Buckiſch, qui de Epiſcopatu Argentoratenſi ex eo ſibi finxit exceptionem, quod, ibi certus Proteſtantium Capitularium numerus pacto quodam, ad certum ſaltem tempus, fuerit conventus, quo elapſo, quod poſt annum 1624. demum factum, oportuerit omnem

Digitized by Google

omnem Capituli iſtius vim in manus Catholicorum quaſi poſtliminio redire. Referam ipſa ejus verba, ne injuriam ipſi videar feciſſe: *Cæterum de Argentoratenſi Capitulo hic diſceptabatur, quod Acatholici diſerte inter Capitula mixta referri cupiebant, Catholici autem negabant, & merito. Etſi enim vi pacti, anno hujus Seculi quarto initi, octo Canonici Acatholici in quindecim annos admiſſi fuerint, quibus, tempus poſt in ſeptennium prorogatum, ſic ut illi anno 1624. adhuc tolerati ſint, attamen quia hoc ſeptennio elapſo, Canonicatus poſſeſſi iterum dimittendi fuerant, & mox totum Capitulum e meris Catholicis compoſitum fuerit, optimo jure ſeſe Catholici opponebant.* Nihil poterat homo nauci commentari, quod non modo Paciſcentium menti magis adverſum eſſet, ſed & quod cum ipſis verbis Tabularum Pacis magis pugnaret. Si iſta effugia adhuc patent, quibus Paciſcentes tanta circumſpectione & cura omnes vias obſepſere, actum eſt de toto hóc Articulo, gravaminum compoſitioni conſecrato, neque deinde ullus caſus reſtitutionis erit, quem non eodem ludibrio, interpretationis eludere licebit. Non invenio, quo nomine potiſſimum hujus rei indignitatem appellem. Vix enim vafritiem vel impoſturam dicere auſim, quod manifeſta abſurditate ſe prodit, neque ullum ingenium, aut ſpeciem artis, ne veteratoriæ quidem, habet. Impudentiæ exemplum eſt in homine, qui poſtquam ad ſacra Romana animi vanitate atque levitate tranſiit, ſtudio adulationis nec fidem amplius nec conſcientiam penſi habuit. Ut plana omnia fiant, oculisque etiam expoſita, audiamus primo legem: deinde videamus de caſu, cui lex applicanda eſt. Cum ſupra §. 2. generalis regula tradita fuiſſet, faciendam reſtitutionem omnium ſtatuum, & cœterorum immediatorum utriusque Religionis ſimpliciter in eum ſtatum, quo Calendis Januarii anni 1624 fuere: Deinde §. 14. edictum ſpecialius fuiſſet, ſi quis ſtatus, ſeu Catholicus, ſeu Auguſtanæ Confeſſioni addictus beneficiis ſuis aut Præbendis immediatis a prima die Januarii 1624. *judicialiter* aut *extrajudicialiter* exciderit, aut quocunque modo turbatus fuerit, ut vigore hujus transactionis *illico* reſtituatur, abolitis omnibus novationibus. Tandem hoc noſtro §. 23. ſpecialiſſime pro deciſione præſentis caſus cautum fuit, ut quot Capitulares aut Canonici die prima Januarii 1624. *uſpiam* (ergo etiam Argentorati) vel Auguſtanæ Confeſſionis vel Catholici fuerunt, ut totidem illic ex utraque Religione ſint *ſemper* (ergo etiam poſt pactum illud temporarium) nec decedentibus niſi ejusdem Religionis ſurrogentur. Sequenti §. 25. habetur porro, *unicum ſolumque hujus transactionis, reſtitutionis obſervantiaque futura fundamentum* eſſe debere *die prima Januarii anni 1624. habitam poſſeſſionem, irritis prorſus omnibus exceptionibus, ex quibuscunq, prætextibus & rationibus deſumi poſſent, & reſtitutis omnibus in priorem ſtatum absque mora & indiſtincte, quibus*

Digitized by Google

bus aliquid quovis modo aut prætextu à dicto tempore interverſum aut ademptum eſt. Denique quem ſtatum perſonæ & rei, quamve poſſeſſionem Paciſcentes intellexerint, illius anni diei-que deſignatione, patet ex Receſſu Executionis Noribergenſi, ubi ſtatuitur, daß fürnehmlich nach dem bloßen facto poſſeſſionis, uſus, obſervantiæ & exercitii, ohne einige andere Exception die Caſus liquidi zur Richtigkeit zu befördern. Hæc de regula ſive lege. Jam inſpiciamus caſum. Initio Superioris Seculi decimi ſeptimi in Capitulo Epiſcopatus Argentoratenſis octo Canonici A. C. addicti fuere reperti. Hos cum illo tempore Romano-Catholici ægre ferrent, atque propterea res ad vim ſpectare videretur, fit inter utramque partem pactio, ut Evangelici à Catholicis etiam in quindecim annos ſint admiſſi toleratique. Deinde hoc exeunte termino in alterum ſeptennium facta prorogatio, cujus demum finis in annum 1626. incidit. Atque hac ratione Canonici Evangelici ex pacto, cum Catholicis inito, anno 1624. in poſſeſſione locorum ſuorum reperti ſunt. Poſthac invaleſcentibus in Germania motibus, & convento termino interea exſpirante, pelluntur Evangelici prævalida Catholicorum potentia, animum audaciamque procul dubio faciente Edicto Ferdinandeo, quod circa tempora illa cudebatur, aut jam exiverat. Ex eo ſecutum bellum eſt, quo incerta omnia, & pro cujusq; partis varia fortuna nunc Catholici nunc Evangelici ſuperiores. Qui enim hodie reſtitutus fuerat à victore ſuarum partiū, mox verſis rebus pellebatur iterum ab hoſte, vires & potentiam adepto. Sic turbata omnia & inſtabilia erant: vis ſola jus dicebat. Cum ad pacis actionem eſt ventum, prima cura fuit de reſtituendis ex amneſtia, altera de compoſitione gravaminum Religionis. Hæc maximas difficultates habuit, & impeditum valde negotium pertinacia Catholicorum, quibus magnopere cordi erat, ut edicto Ferdinandeo ſua conſtaret auctoritas: ubi hoc impetrari non potuit, Evangelicorum adverſa conſtantia, manibus pedibusque depulſa neceſſitas reſtituendi omnia in eum ſtatum, quo in Eccleſiaſticis ante motus Bohemicos fuere, de quo Evangelici ferventiſſime initio certaverant: Itaque hac ſuper re tranſigendum fuit; dato ex utraque parte aliquo & remiſſo. Evangelici loco anni 1618. à quo motus Bohemici originem traxere, annum propoſuere vigeſimum primum. Catholici, qui prima vice de anno trigeſimo, cui belli cum Suecis ſuſcepti initium debebatur conceſſerant, deſcendere retro ad annum vigeſimum ſeptimum, ne nihil dediſſe viderentur. Sed illo tempore res Evangelicorum peſſimo jam loco erant, Auſtriaca domo armis ſuis victricibus per omnem fere Germaniam pro arbitrio res adminiſtrante. Tandem utrique in medio convenere, de anno 1624. ſed ut omnis occaſio futuris litibus præcideretur, atque cujusque reſtitutio planum haberet & cavillis omnibus liberum fundamentum, cujusque partis jura in ſola poſ-

Digitized by Google

poſſeſſione ſunt poſita, quæ cum facti ſit, tot jurgiis atque litigiis obnoxia eſſe non poteſt, quam diſceptatio de dominiis aut juribus. Enimvero quia poſſeſſiones etiam dividuntur in naturales & civiles, in mentales & corporales, in juſtas & injuſtas, in poſſeſſiones bonæ fidei & malæ fidei, in poſſeſſiones facti & juris, ne rixoſi, quibus reſtituendum quid eſſet, ab his diſtinctionibus anſam captarent eludendæ pacis, pro regula reſtitutionis & obſervantiæ futuræ aſſumere placuit, nudum factum poſſeſſionis, eumque ſtatum, quo quisque anno dieque illa decretoria re controverſa uſus eſt. Hinc poſſesſio illa, quæ fundamentum eſt reſtitutionis obſervantiæque futuræ, octo fere propugnaculis munitur adverſus Sophiſtarum id genus arietes. Primum enim habita poſſeſſio *unicum ſolumque* eſt fundamentum. Deinde poſſeſſio judicatur ex nudo facto poſſeſſionis ſeu ſtatu: non qualitate aliqua ſeu forma, quæ in poſſeſſionibus alias attenditur. Tertio reſcinduntur omnes ſententiæ, decreta, transactiones, pacta & executiones. Quarto rejiciuntur omnes exceptiones, à quibuscunque prætextibus & rationibus deſumi poſſent. Quinto fit reductio ad ſtatum dicti anni dieique in omnibus nude atque ſimpliciter. Sexto edicitur, ne poſthac quiſquam in habita vel recuperata poſſeſſione turbetur. Septimo turbatorum aut quocunque modo deſtitutorum reſtitutio plenaria imperatur & ſine ulla exceptione. Octavo datur liberatio ab omni perſecutione juris & facti, ut ſic poſſidentes aut reſtituti perpetuo tuti ſint, etiamſi de Religionis diſſidiis amicabiliter conveniri non poſſit. Quibus adde alia, quæ circa executionem pacis ejusque firmitudinem habentur infra art. 16. & 17. ubi & Receſſu Executionis Noribergenſi §vo So dann Chur-Fürſten und Stände &c. Fac jam mihi poſt pacem publicatam accedere Paciſcentes octo illos dejectos Canonicos Argentoratenſes, allegare poſſesſionem Canonicatuum, anno 1624 prima die Januarii habitam, eamque probare adverſariorum etiam confeſſione, atque adeo ex pacis formula petere reſtitutionem: quid obſecro erit, cur non jus & æquum petere cuiquam poſſint videri? Si vi, armis, aut metu intentato poſſediſſent, auxilium ipſis nihilominus in lege foret: imo ſi nullum alium poſſeſſionis ſuæ titulum allegare poſſent, quam unicum illum, quod poſſident, audiendi tamen eſſent. Nunc electi quondam Canonici ex pacto, cum ipſis Catholicis inito habent, ut anno 1624. poſſidere potuerint: Quid tibi igitur videtur de novo noſtro muſteoque Interprete? Sed inquit poſt viginti duos annos ex hoc ipſo pacto decedere locis ſuis debuiſſe, itaque poſtea dejectione eorum nullam ipſis factam injuriam: Catholicos jure loca recuperare potuiſſe. Reſpondeo: quo jure, quave injuria dejecti fuerint, in conſiderationem non venit. Sed hæc ipſa dejectio à poſſeſſione, anno 1624. Calendis Januarii habita, hac ex lege & pace habet, ut reſtituendi ſint. Sicuti enim ſi ad pacem usque manſiſſent,

Digitized by Google

ſent, cum ipſis ex ſuperiori pacto ut decederent loco, agi non potuiſſet: Ita nec dejectis illud obſtat, quominus reſtituendi ſint. Equidem verum eſt, pactis conſtare vim ſuam, & ſervari fidem deberi. Sed id hactenus intelligitur, dum lex publica ipſis pactis non detrahit obligationem, neque aliter decernit. Jam vero ſi ſententiæ & executiones, interea contra ſtatum illum anni 1624. factæ non impediunt reſtitutionem, quid pacta & transactiones præſtabunt, quibus eadem lege derogatum, expreſſo juſſu, ut reductio in omnibus ad ſtatum dicti anni dieique fiat. Habuiſſent illi Canonici e formula legis petendæ reſtitutionis jus, etiamſi poſt terminum elapſum ſua voluntate eoque animo ſe abdicaſſent, ut pacto ſatisfacerent. Nunc autem ex eo, quod expulſi dejectique Catholicorum potentia fuerint, percipi ſatis poteſt, quale illud pactum fuerit. Scilicet ſæpe uſu venit, ut turbato rerum ſtatu inter homines, uno cœtu vel Collegio ſociatos, à parte validiore infirmioribus leges imponantur, quas accepturi nunquam fuiſſent, ſi ſuo arbitrio fuiſſent relicti. Neque dubitandum eſt, noſtro etiam caſu Canonicos illos Evangelicos, neceſſitate præſente coactos conſenſiſſe in duriora, ut ſine moleſtia ſaltem & vexatione vivere conſtituto tempore poſſint; ſuſtentati meliorum ſpe, cum nemo ſciat, quid ſerus veſper vehat. Hac mente, non ex animi ſententia initam conventionem indicat non modo prorogatio termini ulterior, ſed & dejectio ipſa, qua Catholicis opus fuit, poſt elapſum tempus. At contra id genus violentias pacem Weſtphalicam dejectis ſubvenire, omni dubio caret, cum, ſi aliter dicamus, nullum omnino in ea auxilium gravatis foret. Vereor, ne hac in Controverſia diutius moratus fuerim, quam res poſtulat. Uno verbo, reſciſſa ſunt tot locis Weſtphalicæ pacis pacta omnia & transactiones, quæ præjudicium facere ſtatui anni 1624. poterant, itemque imperata tot locis reductio & reſtitutio in omnibus ad ſtatum illius anni, ut Calumniatoris manifeſti perſonam non poſſit non agere, qui ex pactis quibuscunque pacis ſanctimoniam corripere auſit. Forſan erunt, quibus hæc cogitatio in mentem venerit, non vixiſſe amplius eo tempore, quo reſtitutio decreta fuit, illos Canonicos, adeoque reſtitui non potuiſſe. Sed huic etiam effugio noſter §. 23. occurrit, ubi cautum, ut, quot Capitulares aut Canonici die 1. Januarii anni 1624. uſpiam vel Aug. Confeſſionis, vel Catholici fuerint, totidem illic ex utraque Religione eſſe *ſemper* debent, nec decedentibus alii, quam ejusdem Religionis conſortes ſurrogari poſſint. Ex quibus verbis perſpicuum eſt, non ad individua, quæ anno 1624. in poſſeſſione fuere: Sed ad ſtatum habitumque rei ipſius Legiſlatores hic reſpexiſſe. Atque hæc in theſi juxta ductum formulamque Pacis Weſtphalicæ ſe recte habere, nullus dubito. Quodſi in Executione Pacis nulla ratio habita Canonicorum fuit, quot eorum ex Auguſtana Confeſſione an-

Digitized by Google

gionis in mixtis Epiſcopatibus p) ita reſtituatur q) & permane-

 neant,

ne anno 1624. in poſſesſione Canonicatuum ſine controverſia erant, intrepide dixerim, paci ex eo vim haud dubiam factam eſſe. Quam etiam ob rem Principes Brunsvicenſes Guelferbutani non modo poſt occupatam à Gallis Alſatiam adhuc conqueſti ſunt, debitum ſuis in Epiſcopatu Argentoratenſi inter Canonicos locum hac mutatione rerum, & Briſacenſis Cameræ decreto interverſum: Verum etiam poſtea inter Tractatus Ryswicenſis Pacis ſolenni proteſtatione, Mediatoribus Pacis 4. Novembris 1697. exhibita ſibi caveri curarunt, cujus proteſtationis hæc fuit ſumma: *Cum notum ſit omnibus, quam liquidum ſit jus, quod Ducibus Brunsvico-Luneburgicis Lineæ Guelferbutana in duas Præbendas, ſeu Canonicatus in Epiſcopatu Argentoratenſi competit, per Inſtrumentum Pacis Weſtphalicæ ipſis collatos, ſed deinde per ſententiam quandam à Conſilio Briſacenſi ablatos, ideoque Duces horum reſtitutionem in Pace Ryswicenſi petiiſſe.* Quin? quod Galli etiam ipſi jus illud in dubium vocare non auſi; Potius, dum ſupremum jus in Provinciam illam prætendunt, religione ſe excuſarunt, qua teneantur, ne Proteſtantibus locum inter Eccleſiaſticos Catholicos dent, cum in Gallia inſtar prodigii foret, uti joco dixiſſe feruntur, Canonicus ex Auguſtana Confesſione, idemque ſæpe maritatus. Quæ ratio etſi innatam Gentis ſuperbiam, animique impotentiam in ſecundis rebus optima fide referat, Gallos tamen longe promptius juvit, quam ſi ex pactis abolitis & reſciſsis more Autoris noſtri ſubtiliter diſceptaſſent.

p) Exercitium vero Religionis in mixtis Epiſcopatibus) Hic & ſupra §. 18. prima mentio fit Epiſcopatuum mixtorum. Et diſceptatum memini, quæ res proprie efficiat, ut cognoſci & ita vocari posſint. Mihi certum eſt, non poſſe appellari mixtos Epiſcopatus, ubi ſubditi diverſæ ſunt Religionis, quamvis una quæque pars publicum ſuæ Religionis exercitium habeat. Eſt enim Epiſcopatus munus Eccleſiaſticum, cujus partem ſubditi non faciunt. Objectum ejus eſſe poſſunt, ſed hoc tantum reſpectu, quatenus auditores ſunt, qui doceri debent: non quatenus ſubditi, quibus imperandum. Epiſcopatus autem partes integrantes ſunt: Primo ipſe Epiſcopus, qui capitis eſt vice; deinde Capitulares & Canonici; denique alii pro varietate munerum, quibus obeundis ſunt deſtinati. Totum Corpus uno nomine Clerus vocatur. Epiſcopus cum duarum Religionum externa profesſione eſſe nequeat, mixtum Epiſcopatum efficere non poteſt. Neque etiam exemplum habemus, ut ſolus Epiſcopus ſit alius Religionis, itemque alius cœteri omnes. Quare ab hoc etiam exemplo, quod non datur ratio nominis, deſumi nequit. Relinquitur ergo, ut

mixtu-

mixturam in Canonicis & reliquo Clero quæramus, quatenus ex diverſis Religionibus conſtat, ubi tamen inprimis reſpiciendum ad illos erit, qui poſt Epiſcopum maximam auctoritatem obtinent, & quorum jura eam ob cauſam paulo ante §. 16. *mixta jura* appellata ſunt, quæ in Epiſcopatibus & Eccleſiis admittuntur. Catholici ſane in Conventu Deputationis Francofurti anno 1655. Canonicorum & Capitularium mixtura rem omnem abſolvunt. Was mixti Epiſcopatus ſeyn, *ita ajunt in cauſa Hildeſienſi apud Lundorpium,* das iſt, in Inſtrum. Pacis artic. V. §. 4. (alias 16.) *illis verbis: ſicut etiam pariter in Epiſcopatibus & Eccleſiis, in quibus Catholicis & A. C. ordinibus mixta jura admittuntur &c.* genung ſeyn erläutert, daß es nehmlich allein in dem beſtehe, wo die Capitulares & Canonici zweyerley Religionibus zugethan ſeynd ꝛc. und iſt hierbey ſonderlich auch dieſes in Obacht zu nehmen, daß wenn dieſes pro Epiſcopatibus mixtis ſolte gehalten werden, in welchem etwan in einer darunter gehörigen Stadt/ Schloß, Dorff, oder Weiler ſich zweyerley Religion befinden, daß ſolchergeſtalt alle Ertz- und Biſthumb im Reich Teutſcher Nation pro mixtis gehalten werden müſſen, ſo jedoch niemahln in quæſtione geweſen, es auch die Catholiſche Ertz- und Biſchöffe nimmermehr nachgeben könten, dörfften noch ſollen. *Lund. Tom. VII. lib. 2. n. 32. p. 1075.* quam definiendi rationem ego longe prætulerim ſententiæ Evangelicorum, qui referre exiſtimabant, num ſuperioritas & jus territoriale Eccleſiaſtico Principi ſolum competat, vel Capitulares in partem uſus & exercitii regiminis veniant, id quod ex pactis cujusque Capituli, cum Epiſcopo initio metiri voluere. Si de mixtura Formæ adminiſtrationis in Politicis ſermo hic eſſet, conſiderationem forſan aliquam mereret hæc diſtinctio. Ubi vero Religionis cauſa agitur, cujus intuitu Eccleſia mixta vel non mixta dicenda eſt, ejus litis deciſio aliunde quam à ſuperioritate petenda erit. Neque ſane ſcio, an ipſi Evangelici hac ſua ſententia ſibi non offecerint, ex qua illud videtur ſequi, ſi Epiſcopus ſummam habet poteſtatem, nulla Capituli participatione, Epiſcopatum illum ſeu Eccleſiam mixtam non fore, etſi Capitulum ipſum membris diverſarum Religionum compoſitum ſit. De cætero vero non eſt opus, ut Capitulares ex æquo ſint mixti, quia ex partibus etiam inæqualibus fit commiſtio. Sed quid ſi unus ſaltem aut ad ſummum duo? ſi Canonici ſint, nihil equidem dubito: Nam ex potioribus membris vel unum diverſum efficit corpus, in ſacris præcipue, ubi quicquid admiſcueris, quod una pars pro alieno & abdicato habet, apud ſe tamen tolerare æquo jure cogitur, pro admixto erit habendum. Reliqui inferiorum Ordinum, qui adminiſtrorum ſunt inſtar, non adeo conſiderari merentur, ut ab illis etiam appellationis ratio petenda ſit. Exempli cauſa ſit Tribunal illud ſummum, quod nunc Wezlariæ jus dicit. Ejus Judex eſt Catholicus, ſed quia

Præſi-

Præſides & Aſſeſſores ex duabus Religionibus præſentantur, quanquam inæquali ſint numero, Judicium ipſum pro mixto habetur. Nec impedit, quod tota Cancellaria ex Catholicis ſit compoſita: nihilominus enim miſturam omnes agnoſcunt & fatentur, cum ſint ſaltem Homines, ad Miniſterium Judicii delecti, quibus nulla in jure dicendo poteſtas vel auctoritas. De Judicio Aulico idem ſentiendum eſſe arbitror, quod tamen numero partium inæqualium ab æqualitate aliquanto plus abit.

q) *ita reſtituatur)* Exercitium itaque Religionis in mixtis Epiſcopatibus, id quod altera pars eſt hujus §vi, ſic reſtituitur, & permanet, uti illud anno 1624. receptum permiſſumq; fuit. Quod non modo de ipſo Epiſcopo & Canonicis ac cætero Clero, ſed & ipſis ſubditis ejus loci intelligendum eſſe cenſeo: quamvis unius cauſam ab alio paulo diverſam eſſe negare nolim. Epiſcopus enim & Canonici exercitium ſuæ Religionis habent, ubi & quatenus illud prima die Januarii anno 1624. habuiſſe comperti ſunt. Subditi vero, quatenus ſe illud quamvis anni iſtius parte habuiſſe docere poſſunt. Vix enim eſt, ut Deckheri ſententiæ ſubſcribam, qui putat, *in caſibus exercitium Religionis concernentibus indiſtincte reſpectum Fatalium Calendarum explodi.* Ut enim taceam, omnia, quæ hoc §vo & ſuperioribus quibusdam de Epiſcoporum Capitulariumque juribus ſunt ſtatuta, ad ſtatum Calendarum Januarii exigi, & ſic ſuum cuique veluti dimenſum attribui. Sane paulo infra hujus diſtinctionis futilitatem §.29. cum de liberis Civitatibus lex diſponit, aperte refutat. Ibi enim diſertis verbis *Exercitium Catholicæ Religionis*, ſi quod in dictis Civitatibus, & aliquibus Capitulis, Eccleſiis Collegiatis, Monaſteriis & Cœnobiis ibidem ſitis proprium eſt, ex eo ſtatu æſtimatur, *qui fuit die prima Januarii anno 1624.* Quemadmodum & ipſæ Civitates mixtæ ibidem in eundem ſtatum tam in ſacris quam profanis reſtituuntur: id quod jam ſupra §.3. in ſpecie de Auguſta Vindelicorum, Dunckelſpuhia, Biberaco & Ravensburgo conſtitutum fuerat, ut non modo bona & jura ſua, ſed & *Exercitium Religionis* retineant, juxta ſtatum *dicti anni dieique.* Unde planiſſimum eſt, & univerſim veriſſimum, uſum totius anni illius decretorii, & cujusvis ejus partis, ex mente Paciſcentium nemini datum, niſi ſubditis tantum, idque ſaltem reſpectu Dominorum ſuorum territorialium contra jus reformandi, quo etiam fruuntur, non modo quoad exercitium ſuæ Religionis, verum etiam quoad bona, reditus & acceſſiones. Neque obſtat, quod paulo ante citato §. 29. mentio fiat Capitulorum, Eccleſiarum Collegiatarum, Monaſteriorum & Cœnobiorum, in Civitatibus liberis ſitorum; quæ etiam mediate Imperio ſubjecta. Nam ſi quis ex eo colligere vellet, immediatam iſtorum ſubjectionem deberi illis Civitatibus, adeoque iſtos eſſe harum ſubditos, conſequentiæ hujus neceſſitatem non video. Eſſe enim multa ejusmodi Capitula, Eccleſias, Monaſteria & Cœnobia in qui-

Digitized by Google

at, r) ubi s) & quatenus t) id Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto

quibusdam Civitatibus, in quæ his nulla omnino poteſtas, cum aliis ſive Epiſcopis, ſive ſtatibus ſubjiciantur, experientia adeo manifeſtum, ut exemplis non ſit opus. Quin tales hoc loco neceſſario intelligi, ex eo patet, quod Civitatis ſtatum mixtum non efficiant, etſi ibidem habitent, & exercitio ſuæ Religionis liberrime fruantur: id quod fieri non poſſet, ſi pro parte Civitatis reputarentur, qua de re fortaſsis plura ad illum ipſum §. 29. notanda erunt.

r) & permaneat) Scilicet manſione perpetua & ſemper duratura, donec de Religionis diſſidiis amicabiliter conventum fuerit.

s) ubi) Ubi ad locum pertinet: *quatenus* vero, ad modum & libertatem exercitii. Ergo *ubi* exercitium Religionis alterutrius anno 1624. receptum permiſſumque non fuit, ibi nec reſtituendum, nec tolerandum eſſe videtur. Ex hoc loco reſpondent nonnulli ad quæſtionem, illam vexatisſimam, quæ ſtatim poſt pacem concluſam propoſita, atque ſuperioribus Comitiis à Catholicis inter quatuor ſua dubia relata fuit: nimirum de ſimultaneo exercitio Religionis à Domino Territorii in Civitatibus Municipalibus ſine incommodo aut præjudicio alterius partis introducendo, quod dicto anno ibi non fuit: negantque recipi illud & permanere poſſe, ubi palam receptum permisſumque non fuit. Quanquam vero perſpicua ſatis ex hoc textu hujus ſententiæ conſequentia videri poſſit: expendendum tamen ante omnia ſedulo erit, num non forte aliud in mixtis Epiſcopatibus, intuitu Canonicorum & Capitularium, placuerit; aliud vero ratione ſubditorum, qui impedimento Principi circa jus reformandi in reliquis eſſe nequeunt, ſi ipſis modo ea omnia intemerata relinquuntur, quæ per modum exceptionis à regula §. 30. tradita, ſequenti §. 31. pro ſuæ Religionis exercitio, bonorum uſu, & conſcientiæ libertate conceſſa ſunt: cum Capitulares & Canonici cum Epiſcopo ſuo unum quaſi corpus conſtituant, adeoque de Jure Territoriali quodammodo participent, cujus etiam exercitium, vacante ſede, ad illos ſolos redit, donec alius eligitur: id quod in meris ſubditis longe aliter habet. De cœtero, cum ſupra diximus, tò *ubi* ad loca pertinere, id non modo de urbibus, oppidis, arcibus, pagis aut vicis, intelligendum: ſed de locis etiam in urbibus ipſis, oppidis & cœteris. Quo enim, exempli gratia, urbis vel oppidi templo aut ſacello anno 1624. exercitium Religionis alterutrius non viguit, ibi etiam poſthac nec reſtitui nec permanere, invita altera parte, ſalva pace poteſt.

t, quatenus) id eſt, ſi plenum & omnibus ſuis numeris ritibusque abſolutum viguerit exercitiũ, tale etiam debebitur: Sin actibus quibusdã & ceremoniis mutilum vel circumſcriptum, intra eosdem terminos ſubſiſtendum erit. Exempli cau-

Digitized by Google

quarto palam u) receptum permiſſumque w) fuit, neque ſupradictis

cauſa, ubi publicæ Proceſſiones per urbem celebrari ſolitæ, eadem libertas maneto: ſin certis tantum diebus, aut per certas plateas deduci illas moris erat, idem tempus, idemq; iter obſervandum. Ubi Catholicis permiſſum, ut ſummum illud, quod venerabile appellant, cum cereis, nola atque cantu per vias publicas ad ægrotos deportent: id porro faciundi eſto facultas. Sin complicatis velut ſignis, & abſque apparatu illic eſt itum, majori pompa abſtineatur. Qui ritus in mortuis ſepeliendis uſitati fuere, quæ loca ſepulchris eorum deſtinata, ea omnia porro ſervantur. De Ordinibus Religioſis quæſitum aliquando eſt, an recipi in Civitatem poſſint, & altera parte efflagitante, debeant, quos anno 1624. illic non fuiſſe conſtat. Fuit hæc quæſtio agitata vehementiſſime Francofurti inter Deputatos ad punctum reſtituendorum in cauſa tam Hildeſienſi, quam Civitatis Kauffbayern; ibi enim de Cappucinis reſtituendis certabatur; hic de Jeſuitis. Neuter ordo anno decretorio illic locorum fuerat, ſed poſthæc demum irrepſerant. Uterque poſt pacem, decreta à Directoribus Circuli executione, dejectus loco iterum fuerat. Sed querentibus Catholicis de exceſſu & injuria, his executionibus ſibi facta urgebant reſtitutionem. Et quidem quod Jeſuitas attinet, illi ex clandeſtina quadam Cæſaris Commiſſione, ope Electoris Bavariæ obtruſi iterum Civitati fuere. Cappucinos vero diutisſima lis inter utriusque Religionis ſtatus detinuit, donec de cauſa inter Epiſcopum & Civitatem Hildeſienſem certis conditionibus transactum fuit, quibus reſtitutio horum Fratrum impetrata, cum decidi illa à Conventu Francofurtenſi ob diverſas opiniones non potuiſſet, utraq; parte pro ſua ſententia acerrime depugnante. Quodſi vero iſtæ cauſæ hoc ex loco dijudicandæ fuiſſent, id quod hic dicitur, *quatenus anno 1624. receptum permiſſumque fuit*, una opera omnem litem diremiſſet: conſtabat enim utrobique, dicto anno neque Cappucinos Hildeſii, neque Jeſuitas Kauffbayeræ fuiſſe receptos. Sed de his cauſis dicentur plura ex ipſis actis Conventus Deputationis infra ſuis locis propriis, ubi has quæſtiones in utramque partem ventilare & examinare propoſitum eſt nobis.

u) palam) Quid hic ſignificet *palam*, aliquanto dubium eſſe poteſt. Videtur prima ſpecie idem eſſe, ac id, quod publice fit, & deſignare publicum Religionis exercitium, cui privatum opponitur. Quoniam autem illa etiam, quæ *privatim* fiunt, palam, id eſt, ſciente omni Civitate, recepta permiſſaque eſſe poſſunt, cogitandum erit, annon *palam* potius opponendum ſit, ei, quod *clam* & furtim agitur, ignorante Civitate, & non toleratura, ſi cognitionem rei habuiſſet.

w) receptum permiſſumque) receptum ad conſenſum expreſſum referri poteſt; *permiſſum* ad tolerantiam, non declarato

ctis omnibus x) vel eligendo vel præſentando y) aliterve z) detrimenti quicquam aa) creetur.

§. 24. VIII. Qui Archiepiſcopatus,a) Epiſcopatus & aliæ fundationes atque bona Eccleſiaſtica immediata vel mediata, in ſatisfactionem b) Regiæ Majeſtatis c) Regniquæ Sueciæ, aut æquivalentem

---

to animo, an ferre velimus aut prohibere. Supponitur tamen ſcientia, cum ſine ea quid palam factum dici nequeat.

x) *neque ſupra dictis omnibus*) id eſt, quæ à §vo 14. usque huc de Bonis Eccleſiaſtis immediatis, eorumque poſſeſſione & juribus per decem continuos §vos tradita & conſtituta ſunt.

y) *vel eligendo vel præſentando*) Jus eligendi ad Capitulum ſpectat: Jus præſentandi ad Patronos Eccleſiarum, vel ſi qui alii hoc ſibi quæſivere: inter quos illi hic præcipuo loco eſſe videntur, qui jus primariarum precum habent, qua de re extat Diſpoſitio ſupra §vo 18.

z) *aliterve*) quod tot modis fieri poteſt, quot capitibus hactenus hæc omnis res de bonis Eccleſiaſticis immediatis comprehenſa eſt, ſi in uno aliove articulo conventis vis aut fraus fiat, ſive facto ipſo, ſeu verbis, & mala explicatione.

aa) *detrimenti quicquam*) id eſt, præjudicii aut damni.

§. 24.

a) *Qui Archiepiſcopatus* &c.) Cum Archiepiſcopatus quidam & Epiſcopatus, aliaque bona Eccleſiaſtica, tam immediata, quam mediata Regi Regnoque Sueciæ, ejusque Fœderatis & ſociis in ſatisfactionem & indemniſationem Pace Weſtphalica ceſſa traditaque fuerint, quorum pleraque qualitate & conditione Eccleſiaſticæ exuta, atque civitati reddita ſunt, in quibus adeoque illa omnia, quæ pactis ſuperioribus de Bonis Eccleſiaſticis ſtatuta erant, habere locum non poterant, ideoque placuit, ut eo usque peculiaribus ſuis conventionibus relinquantur, quatenus à generali regula reſtituendorum declinarent. In reliquis vero, quæ his pactis peculiaribus non continebantur, Conſtitutionibus Imperii, & huic Transactioni nihilominus ſubjecta manere jubentur.

b) *ſatisfactionem*) Latino ſermone ſatisfactio proprie eſt excuſatio ſeu purgatio, cum alii, qui ſe à nobis offenſum exiſtimat, conſilii factorumque noſtrorum reddita ratione nos purgamus, & ita ſatisfacimus. Sed hic accipitur pro reſtitutione locorum, iſto bello occupatorum, nec non reparatione ſumptuum damnorumque, quæ hoc ſuſcepto geſtoque bello Sueci facere coacti fuere.

c) *in ſatisfactionem Regiæ Majeſtatis* &c.) Nota hic differentiam Titulorum, ſub quibus alia Suecis, alia Fœderatis Eorum atque amicis tradita ſunt. Suecis, externo Populo, & belli Ducibus ſatisfactio deberi viſa, Fœderatis illorum atque ſociis, qui Status Imperii

Digitized by Google

tem recompenſationem, indemnitatemque d) ſuorum fœderatorum amicorum & intereſſatorum e) conceſſerunt, peculiaribus ſuis conventionibus infra contentis, f) per omnia relinquantur. In omnibus vero iis g) quæ ibi non continentur, & inter hæc quoad § Jus Dicœ.

perii erant, æqualis compenſatio atque indemnitas, quaſi nominibus ſpecioſis rerum natura mutari poſſet.

d) æquivalentem recompenſationem indemnitatemque) Recompenſationem ſcilicet ob operas Suecis hoc bello ex fœderis lege præſtitas, ſumptusque in id factos, quod ad omnes belli ſocios ſpectat: indemnitatem vero propter ditiones & bona, quorum jacturam, ut Suecis ſatisfieret, pacis cauſa ſtatus nonnulli facere ſunt coacti, adeoque ut indemnes ex Republica præſtentur, cum pro omnium ſalute & tranquillitate ipſi ſolverint ſoli, æquitas & juſtitia poſcebant. Neque hic æque prompta erat ſatisfaciendi ratio, ac ex bonis Eccleſiaſticis, quæ cum Catholicis diu periiſſent, & peritura porro forent ex poſſeſſionis decretorio ſtatu, in eorum traditionem iſti tanto facilius conſentire poterant. Neque Evangelicorum valde intererat, cum plerique fere jam diu compendium ex ejusmodi bonis Eccleſiaſticis feciſſent, neque invidia apud eos tanti eſſe poterat, ut eam ob cauſam bellum gererent, ne ex reliquis, qui certum Dominum non habebant, adeoque haſtæ velut ſubjacebant, aliorum damna atque diſpendia reſarcirentur.

e) Fœderatorum, amicorum & Intereſſatorum) Num differentia notabilis in his nominibus ad diſtinguendos Suecorum belli ſocios à Paciſcentibus quæſita fuerit, fere dubites, cum vulgatiſſimum in omni ſermone ſit, plures ſæpe voces, quæ idem ſignificant, conjungi, ut abundet oratio. Quodſi tamen hic diſcrimina utique facienda placuerit, erunt *Fœderati*, qui inito cum Suecis fœdere, & præſtitis ex eo auxiliis in bello gerendo momentum fecere, *Amici*, qui vel militarunt Suecis ſtipendiis ſine fœdere, vel ex Religionis cauſa, aliisque meritis illis commendatione & præmio digni videbantur: Vel denique Fœderatorum amici aut propinqui, qui horum gratia & precibus in amicitia Suecorum aliquem locum etiam obtinebant. Tandem *Intereſſati*, quibus cedendum aliquid è Bonis Eccleſiaſticis fuit, ut aliis ſatisfieret, in quorum numerum exempli gratia refero, quæ *artic. 13. §. 11. & 13.* item *artic. 14. §. 1. 2. & 3.* habentur.

f) peculiaribus ſuis Conventionibus infra contentis) nimirum infra *articulis 10. 11. 12. 13. 14. & 15.*

g) In omnibus vero iis) Quoniam iſta Bona Eccleſiaſtica ſeculariſata fuerint, ut adhuc cum vulgo expeditioris ſenſus

Digitized by Google

Diœceſanum 16. h) infra poſitum, conſtitutionibus Imperii & huic Transactioni ſubjecta manento.

ſenſus cauſa loquamur, mirum videri poſſit, quomodo ejusmodi bona, ab Ordine Eccleſiaſtico ablata, & in Politicorum cenſum redacta in cæteris ſubjacere amplius potuerint huic Transactioni de gravaminum Compoſitione, & in ſpecie placitis illis, quæ infra §.48. de Jure Diœceſano conventa ſunt, quippe argui hoc ipſo videntur poſſe, ac ſi nondum omnem Eccleſiaſticam qualitatem plane exuiſſent, quia adhuc in quibusdam ſubjacent legibus, articuli noſtri de compoſitione gravaminum Eccleſiaſticorum, quo reſpectu deteriori conditione ab aliis ſecularibus bonis eſſe credi poſſent. Sed primo ſecularia etiam Bona eidem Transactioni ita ſubjacent, ut adverſus eam decernere illorum poſſeſſores & domini vi territorialis poteſtatis nihil debeant. Deinde quod ad jus Diœceſanum attinet, ejus mentionem ſpecialiter fieri ideo exiſtimo, quia cum Bona iſta Eccleſiaſtica Suecis eorumque Fœderatis & Amicis cum omnibus juribus & privilegiis, nullo excepto, conceſſa fuerint, Archiepiſcopatus autem illi & Epiſcopatus olim Jus ſuum Diœceſanum latiſſime exercuerint, quo nunc abuti novi Poſſeſſores maximo Vicinorum præjudicio potuiſſent, ſi ab hac conſtitutione, de Jure Dioeceſano facta exempta fuiſſet. Ideoque ſancitum eſt, ut ſubjecti maneant in omnibus iis, quæ peculiaribus conventibus non continentur, qua cautione effectum, ut jus illud Diœceſanum, aut quicquid loco ejus ſurrogari poterat, ſuſpenſum ſit non in Catholicos modo, verum etiam ipſos A C. Status, hoc poſito termino, ut intra fines cujusque territorii illud ſe cum Jurisdictione Eccleſiaſtica contineat.

h) quoad §vo Jus Diœceſanum 16.) in recentioribus editionibus, ubi §§vi illi mutati ſunt, eſt §vus 48vus.

MAN-

Digitized by Google

MANTISSA
ad
SPECIMEN SECUNDUM
MEDITATIONUM.

CUm hoc ſpecimine de Statibus Imperii imprimis agatur, quatenus eis ex pace Weſtphalica in cauſis Eccleſiaſticis præſtandum aliquid aut reſtituendum eſt; itaque viſum nobis, non alienum è re fore, ſi Mantiſſæ loco, præcipue cum ſpecimen ipſum priori brevius fuerit, ſuſcinctum diſcurſum de *Statibus Imperii* pro ſupplemento adjicere.

MEDITATIO
DE
STATIBUS IMPERII.

§. 1.

INter Cives Romani Imperii præcipuo loco ſunt, quos STATUS vocamus: quorum tanta eſt ante reliquos dignitas & prærogativa, ut multi juris publici ſcriptores, & inter hos magnus *Strauchius*, Ariſtotelicæ ſcilicet civis definitioni intenti, hos ſolos civis nomine & conditione dignos cenſeant: reliquos vero omnes ſubditorum communi complectantur notione: quod etſi nobis non ex omni parte probetur, tamen cum in Confeſſo ſit, Status ex eorum civium eſſe genere, qui ſecundum magis ſunt cives: id eſt, qui jus civitatis plenius & uſu excellentiori participant: & vero quotidiana conſtet experientia, ſæpe inter illos, qui commune generis nomen habent, id particulari quodam modo ſibi illos vendicare & attribuere, qui reliquos in ea claſſe ſpeciali quadam prærogativa & præſtantia antecellunt, ideoque ea in ſignificatione & quatenus civis eſt, qui deliberationum de republica & judiciorum eſt particeps, Status per excellentiam & eximius cives appellari poſſe non repugno.

§. 2. Vox *Status*, *ut* alias ſignificationes in præſens omittam, in ſenſu juridico præcipue Conditionem aliquam notat ſeu qualitatem perſonis jure attributam, quæ diverſitatem juris inducit, facitque, ut hoc vel illo jure quis in ſocietate utatur. Et hoc modo jus illud ſuffragii & ſeſſionis, quod primariis quibusdam civibus competit, proprie efficit, ut illi *ſtatum* quendam

Digitized by Google

dam in Republica habere propterea dicantur. Sed uſu, qui vocabulorum eorumq; ſignificationum eſt Magiſter, poſtea invaluit, ut non conditio perſonæ, ſed perſona ipſa, quæ certa quadam civili qualitate eſt prædita, *ſtatus* dicatur: quod procul dubio à voce Germanica, Stand, originem ſumpſit, & in imitationem eſt tractum, quam ob rem cum nos nunc *Statum* dicimus, non jus in cive intelligimus, ſed civem ipſum, qui hoc jure utitur, ſecus atque Romani olim, qui cum liberum hominem ſtatum habere dicebant, non hominem ipſum, ſed libertatem, ſeu ejus qualitatem liberam ita appellabant: quamvis autem ſignificatio altera, qua *Status* hominem notat, à linguæ latinæ genio paulo alienior ſit, tamen ut ante monui uſus eam nunc civitate donavit, potioremque prima effecit: imprimis in juris publici area.

§. 3. Vocantur & Ordines, idque latinius; nam & apud probatos ſcriptores ordo pro hominibus aliquando accipitur quo locus pertinet Ciceronis. *3. offic. qui eſſet ut argentarius, apud omnes ordines gratioſus*, id eſt. apud omnium ordinum homines. ſimiliter Salluſtius. *Sæpe numero patres conſcripti multa verba in hoc ordine feci.* i. e. in ſenatu, ſeu ad ſenatores. ſed alterum nomen, ſcilicet *Status*, non modo frequentius eſt, verum etiam dignitati & magnitudini horum civium creditur magis convenire: à ſtando enim dicuntur Status, quod per ſe ſuaque quodammodo authoritate ſubſiſtant, non vero quod ratione perſonæ ſuæ, Conditionis & libertatis ex alieno pendeant imperio. Ac proinde memini, cum aliquando ex Comitiis Status Imperii ad Regem Galliæ ſcriberent, atque de injuriis contra pacem Neomagienſem Imperio factis expoſtularent. Director Moguntinus vero, cujus eſt, literarum verba concipere, vocabula, *Ordines* & *Status* promiſcue uſurparet, Legatum magni cujusdam Principis id ægerrime tuliſſe, miſſoque ad eum ſecretario dolorem ſuum eam ob rem teſtatum eſſe, & expreſſe declaraſſe, ni in omnibus illis locis, ubi vox ordines, legitur, ea expungeretur, ſubſtituta altera Status, ſe literas non agniturum neque ſigilli ſui appoſitione confirmaturum eſſe, coactusque fuit Moguntinus, Legato hæc petenti morem gerere.

§. 4 Aliquando etiam vox *Status* latiſſime accipitur, pro omni cive, qui *Statum* id eſt Conditionem civilem in Republica habet, quod pleniſſime Lehmannus ſequentibus expoſuit (a) Es will hierbey zu erinnern ſeyn, *quod vocabulum Status* oder Stand, *ſit polyſemon, & ejus vocis ſignificatio in Romano Imperio non ſemper ſit eadem ſed diverſa*, derowegen mit Unterſcheid davon zu reden; Wer ein Stand des Reichs ſey, oder nicht. Weil man nun das Heil. Römiſche Reich als ein *Corpus univerſale conſiderirt*, ſo finden ſich dabey *membra principaliora*, denn was wäre das für ein *monſtrum naturæ*, wenn ein Leib lau-

(a) *de Pace Relig. lib. 3, c. 53.*

Digitized by Google

lauter Köpffe, Augen, Ohren, Hände und Aermie hätte, ohne Fuß u. Schänckel. Weil aber ein *bene diſpoſitum Corpus* deren nicht entrathen kan, ſo iſt das Heylige Römiſche Reich in teutſcher *Nation* von alters hero alſo abgetheilet, daß es habe ſeine Chur-Fürſten, Fürſten, beyde Geiſtlichen und Weltlichen Standes, Burggraffen, *Prælaten*, Graffen, Frey-Herrn, Ritterſchafft, und vom Adel, Bürger und Bauern. Haben alſo im Heyl. Röm. Reich einen Chur-Fürſtlichen Stand, Fürſten-Stand, *Prælaten*-Stand, Frey-Herren-Stand, Ritter-und Adelichen-Stand, Bürger-Stand, u. Bauern-Stand, wann es *in generaliſſima ſignificatione* genommen und verſtanden wird, alle des Heiligen Römiſchen Reichs angehörige Unterthanen, ſie ſeind mit oder ohne Mittel dem Reich verwand, ꝛc.

§. 5. Paulo ſtrictius & in ſignificatu magis ſpeciali illi intelliguntur, qui immediato proximoque ordine ſub Cæſare ſunt: jus ſuffragii habeant ſeu non habeant, nihil refert: Atque in hac claſſe ſunt omnes immediati cives etiam Principes & Comites, qui ſine ditione de Apanagio vivunt: etiam multi in Italia Reguli, deniq; etiam immediata Nobilitas & Collegia quædam ſacra, ut & nonnullæ Communitates.

§. 6. Denique ſtrictiſſime eſt *Status*, qui cum immedietate jus ſuffragii ferendi Conjunctum habet & hæc propria eſt atque ſpecialis ſignificatio, quæ nobis hoc loco accipitur, & jure publico eſt receptiſſima: quoties enim *Status* dicimus aut legimus, haud certe alios concipimus, quam qui deliberationum publicarum ſunt capaces niſi ſubjecti qualitas aliam interpretationem nobis injungat reliquos enim cives immediatos ſub aliis titulis & nominibus comprehendimus.

§. 7. Eſt igitur ſtatus hoc ultimo & proprio ſenſu *civis immediatus imperii, deliberationum de republica & juris ſuffragandi particeps* civem dico, talis enim procul dubio eſt, & quidem per excellentiam, quemque Ariſtoteles pro ſolo cive genuino agnoſcit, civem vero immediatum dico, qui ſcilicet perſonæ ſuæ ratione ſoli Imperatori eſt ſubjectus. Mediati enim, quacunque etiam dignitate & ordine præſtent ad recipiendam Status qualitatem prorſus inepti ſunt.

§. 8. Hæc immedietas conſiſtit formaliter in ſubordinatione perſonæ, ſeu fide ſoli Imperatori primo ac ἀμέσως debita, id enim eſt, immediatum eſſe, ſi inter Imperatorem, & civem non ſit medius Magiſtratus, cui hic obſequio tenetur & fide:

§. 9. Subjective vero, & quatenus hæc immedietas in ſtatu conſideratur, conſiſtit illa eadem in tali perſona, quæ prædita eſt poſſeſſione bonorũ, immediate ſub & in Imperio Romano Germanico ſitorum. Quamvis enim Status ideo non ſit immediatus, quia ejusmodi bona poſſidet: ſed quoniam præter Cæſarem alteri non paret tamen

ſola

ſola hæc formalis immedietas non ſufficit ei, qui Statum ſe creari cupit. Sed præterea opus eſt illi poſſeſſione bonorum immediatorum. Namque hoc modo poſſeſſionatum eſſe eſt quædam conditio & neceſſaria qualitas perſonæ, quæ in Statum adoptari expetit, ſicuti enim, quod proverbio dicitur, non ex quovis ligno fit Mercurius ita non ex quovis cive immediato effici Status poteſt, ſed requiritur perſona apta, velut ſubjectum capax recipiendi juris ſuffragandi; talis autem eſt, quæ immediata in imperio bona poſſidet, eaque in cenſu publico deſcripta habet, aut deſcribi patitur, ita enim Receſſu Imperii de anno 1654. §. über diß haben wir ꝛc. expreſſe cautum legitur. Sie haben ſich dann vorhero mit unmittelbahren Fürſtenmäßigen Reichsgütern verſehen und ſolle forthin ohne vorgehende Real-Erfüllung aller nothwendigen und beſtimbten Requiſiten, und inſonderheit erſtgedachter Begüterung, keiner zur Seſſion und Stimm im Fürſten-Rath gelaſſen werden: ſimili ſenſu in Capitulationibus legitur, Niemand von den neuerhöheten Fürſten, Graffen und Herren dem Fürſtlichen Collegio es ſey gleich auf ſelbigem oder der Graffen Bancke ad ſeſſionem & votum wieder dero Willen auffdringen, Sie haben ſich dann dazu mit Fürſtenmäßigen und Gräflichen Reichs-Gütern vorhero gnugſam qualificirt.

§. 10. Ergo hoc modo bonis immediatis eſſe præditum habet ſe inſtar materiæ aptæ ad recipiendam Status formam i. e. jus ſeſſionis & voti, immediata autem bona requiruntur, hoc eſt talia, quæ ſoli & uni Cæſari atque imperio ſubjecta ſunt, nec territoriali civium aliorum jure tenentur. Non ſatis igitur eſt qui Status jura ambit, ſi bona in Bohemia, Moravia, Sileſia, aliiſque Auſtriacæ domus hæreditariis provinciis poſſideat: quia hæc non immediato nexu obligantur imperio, ſed Regis Bohemiæ vel Archiducis Auſtriæ proximiorem agnoſcunt poteſtatem, ni forte jus ſuperioritatis cedatur poſſeſſoribus, & ita bona illa quaſi manu mittantur: uti non ita pridem in gratiam Principis Dieterichſteinenſis, ut fieri particeps ſeſſionis & voti in Comitiis poſſet, Imperator ſuperioritate in agrum & caſtrum, Traff, ſe exuit, eamque in dictum Principem transtulit, & ita hoc prædium in Auſtria immediatum effecit. Perinde autem eſſe arbitror, in Germania vel extra eam, ſaltem tamen in finibus Imperii Romani, quis illa bona poſſideat. Nam & qui in Italia immediata bona feudi lege ab Imperio tenent, aptos credo, quod ad perſonas eorum attinet, ad jura Status conſequenda, ſi Imperatori & Imperio de cœtero ea concedere viſum fuerit; etſi fateor, rem exemplo fere carere, ni Sabaudus pro exemplo ſit, cujus tamen ditionem, Sabaudiam ajo, hoc enim ſaltem reſpectu fert ſuffragium, multi ad Germaniam magis quam Italiam ſpectare recte putant.

§. 11. Illud vero non requiritur, ut quis hæc bona ab Imperio jure feudi immediate poſſideat, ſufficit enim immediata

Digitized by Google

mediata bona poſſideri, etſi immediate illa Imperium non det ei in feudum, qui poſſidet: Nam poſſunt & bona imperii immediata ab aliquo teneri mediate, ſub feudi jure, quando nimirum jam alius illa ab Imperatore primo habet & rurſus, ut ſubfeudum elocat; non enim hoc modo bona ipſa immediata eſſe deſinunt, ſed ſaltem habendi modus eſt mediatus, aliud igitur eſt bona immediata poſſidere, aliud bona illa poſſidere ut feudum immediatum. Poterant olim Duces Wirtenbergici probare ſententiam hanc noſtram, qui etſi Ducatum ſuum ab Archiduce Auſtriæ per inveſtituram recipiebant, inter Status tamen imperii haud dubie numerabantur, agerque Wirtenbergicus imperio ſemper immediate ſubjectus erat: ſed cum hodie hæc res transactione mutata ſit, & ab Imperatore ipſo jam petant Duces inveſtituram, alia exempla quærenda ſunt. Maxima Ducatus Bipontini pars partim Wormatienſis Epiſcopi eſt feudum, partim Metenſis; & bonorum tamen ſuorum immedietatis ratione Dux ipſe in Comitiis dicit ſententiam, atque omnium aſſenſu inter Status reputatur. In actis Comitiorum Ratisbonenſium anno 1654. hæc inter alia legi perhibent. Die Grafſchafft Falckenſtein am Donnersberg und an der untern Pfaltz gelegen, empfänget der Hertzog von Lothringen vom Heiligen Römiſchen Reich immediate zulehn, und verleihet ſie nachmahls den Graffen oder Herren von Falckenſtein, daß alſo his reſpectibus dieſe Grafſchafft ein Kayſerliches und Lothringiſches-Lehen iſt. Neben dieſer Lehenbahren qualität iſt ſolche Graffſchafft ein immediatum ſacri Imperii und des Ober Rheiniſchen Kräyſes non ignobile membrum, und werden die Herren und Graffen, dieſer Grafſchafft Innhaber und poſſeſſores vor ein immediat Reichs Mitſtand erkant und gehalten. Und bedarff ſolches keines Beweißes. Dann es beſtätiget wird durch die Reichs matricul und des Reichs unterſchriebene Abſchied darinnen die Graffen vom Falckenſtein zu finden. Comites Erbacenſes certiſſimi Status ſunt, quos tamen refert Limneus Comitatum ſuum cum omni jure titulo feudi ab Electore Palatino ſuſcipere. Et iſtorum bonorum plurima ſunt in imperio, quæ referre in præſens nihil attinet. Nam tota cauſa Vaſallorum Metenſium, Tullenſium, & Virodunenſium huc pertinet, quorum plerique Status Imperii, Vaſalli vero horum Epiſcopatuum, per pacem Weſtphalicam Gallis ceſſorum, unde occaſio tot vexationum ab hac gente variis ſub titulis intentatarum, quæ tandem in reuniones omnium violentiſſimas deſiere cum oppreſſione multorum Statuum, & invaſione eximiæ partis Imperii.

§. 12. Hujus diſtinctionis in publicorum etiam actorum monumentis fundatæ ſi meminiſſet Limneus, in craſſum illum nunquam impegiſſet errorem ut *mediatis* quoque civibus *poſſe nomen & qualitatem Status competere*

tere affirmaret, & probationis cauſa Duces allegaret Wirtenbergicos. (a) Illi enim profecto nullo unquam tempore, poſtquam Comites Ducesque effecti ſunt, mediati fuere, ut ſcilicet, quod ad perſonas eorum attinet, alterius quam Cæſaris & imperii agnoſcerent jurisdictionem, neque magis Ducatus eorum pro mediata provincia unquam eſt habitus, etſi ab Auſtriæ Ducibus inveſtituram ejus acciperent. His enim in eo aliud jus non erat, niſi quantum natura & obligatio Contractus feudalis requirit. Hoc vero non eſt mediatum eſſe, ſi cui feudi ſaltem ratione tenear. ſed quando ſecundum omnes jurisdictionis partes primo ordine alii ſubditus ſum, & medio hoc demum Imperatori etiam ſubjaceo. Quemadmodum enim quis ſalva prorſus ſumma poteſtate beneficiario jure, id eſt: ex feudi cauſa, obſtrictus eſſe alteri poteſt, ita multo magis ſalvo immediatis jure convenire cum alio fas eſt, ut de bonis meis immediatis ab eo ſecundum leges feudorum inveſtituram accipiam. In re enim, i. e. bonis nihil mutatur. ſaltem habendi modus paulo fit alius.

§. 13. Sicuti vero in omni juris regula pro re nata diſpenſatio exemptioque dari poteſt: ita præditum eſſe bonis immediatis ſe inſtar materiæ quidem regulariter habet: ſed ubi tamen aliquando diſpenſari per Imperatorem ſolet, & nudæ perſonæ ob inſignia ejus merita jura *Status* Conſentientibus reliquis Ordinibus concedi. Vti factum legimus Receſſu Imperii de anno 1654. §. über dieſes haben wir, rc. ibi welche ohne vorhergehende Vollziehung der ſchuldigen præſtationen und inſonderheit der im Reich unmittelbaren Begütterung wegen der vortreflichen meriten dißmahls admittirt, und eingeführet worden addita tamen lex ut ſibi mature de immediatis bonis, dignitati Principum convenientibus, proſpiciant, certoque adſcripti circulo in idoneum cenſum redigantur, ſi transmittere ad hæredes jura ſtatuum velint, qua de re ſcripto etiam cavere coacti ſunt: quare conditione non impleta perſonaliſſimum eſt hoc munus, nec poſt mortem eorum in ſucceſſores tranſit diſertim ſtatuente dicto receſſu imperii de anno 1654. daß das beneficium ſeſſionis & voti auff dero Erben und ſucceſſoren nicht extendiret werden ſolle, ſie haben ſich dann vorhero mit ohnmittelbahren Fürſtenmäßigen Reichs-Gütern verſehen. rc.

§. 14. Ita etiam ſi quis injuria & ſine facto ſuo noxaque immobilia poſſidere in Imperio deſierit, jus ſtatus: i. e. ſuffragii facultatem non amittit; nam quæ ad jus acquirendum requiruntur, neceſſaria non ſunt ad idem quoque retinendum, nec deſinit quis jus quæſitum habere, etſi in eum ſtatum pervenerit, quo non poterat acquirere: Exemplum fuit non ita pridem Dux Bipontinus: cujus omnis ditio etſi à Gallis occupata erat, ipſe tamen in Comitiis interea libere ſententiam dixit, qua de re infra plura.

§. 15.

(a) *de Jur, P. l.* 1, *c.* 7, *n.* 99. 100, *&* 103.

Digitized by Google

§. 15 Pariter ad qualitatem Status pertinet, non quidditatem, pro modo cenſuque bonorum immediatorum in aliquo Imperii circulo eſſe deſcriptum, & ad ferenda reipublicæ onera pro parte ſua concurrere: non modo enim requiritur mit Reichs-Gütern vorhero genugſahm qualificirt, verum etiam zu einer Standswürdigen Steuer in einem gewißen Creyß eingelaſſen und verbunden. Verum id multi per imperitiam faciunt, qui hunc ipſum cenſum definitioni inſerunt, non enim eſſentiam Status conſtituit, ſed ad conditionem ſubjecti ſpectat, jura Status recepturi. Ille enim demum aptus eſt creari Status, qui præter poſſeſſiones immediatas in cenſum publicum deſcribi poteſt, reliqui pro ineptis æſtimantur. Non itaque mirum, cives etiam non Status Imperio immediate contribuere teneri, uti ſunt Nobiles immediati, & nonnulli Communitates. Hi enim apti ſaltem accipiendis juribus ſtatuum, aptitudo autem ad rem non confert rem ipſam, ſed paſſive ſe habet inſtar materiæ, quæ non ex ſe formam producit, ſed aliunde recipit verbo dicam: ut homo eruditus non eſt doctor, antequam creetur talis, ita qui immobilia ab imperio poſſidet, & immediate contribuit, non eſt Status, antequam jura Status ab Imperatore conſequatur. De Comitibus & Prælatis immediatis in Circulo Bavarico dubitatum eſt, an ſint Status. Facit pro eis, non modo quod in Matricula cenſu deſcripti ſint; Verum etiam ad comitia inter reliquos vocentur, Senatum Principum frequentent & Receſſus Imperii ſignent. Ex adverſo autem opponitur, quod jus actuale ſuffragii non habeant. Ego tamen crediderim, pro illis eſſe pronunciandum. Vocatio enim ad comitia, jus veniendi in Curiam, & quod Receſſus ſubſcribunt ſatis docent jus illud ſuffragii, quod de Status conditione & natura eſt. Exercitium ſuspenditur ei ſolo, quod adhuc nulli collegio adſcripti ſunt, in quo dicere ſententiam poſſunt. Comites enim & Prælati Bavari non conſtituunt Collegium ferendis ſuffragiis aptum. Illis autem, qui jus actuale ſuffragii habent, nondum acceſſere. Hoc ſi aliquando fieret, quod Comitem Ortenburgicum jamdiu animo volviſſe ajunt, oculis in Wetteravicum Collegium conjectis, quocum ea ſuper re jam agere ceperat, nullum prorſus dubium eſt, quin loco hac ratione adeptó actu etiam ſuffragari ſtatim inciperent; itaque jus actuale ſuffragii adeſt, quod impeditur quidem, ſed non tollitur externo illo & prorſus accidentali obſtaculo.

§. 16. Dubitatur etiam an jus Status perſonæ aut territorio inhæreat? Perſonæ autem inhærere eſt, non ſi perſonæ, ſive ſubjecto jus aliquod proprium eſt facultate & uſu, ſed quando jus ita perſonæ eſt proprium, ut nullum ad res à perſona poſſeſſor habeat reſpectum ſive relationem: in tantum, ut jus illud, ſive activum id ſit, ſive paſſivum, in perſona maneat, eamque comitetur, etiamſi nulla prorſus bona ſeu facultates poſſideat, aut illa

Digitized by Google

poſſidere deſierit: quemadmodum ex adverſo jus rei inhærere dicimus, cum fundamentum ejus juris in re eſt, & per rem perſonæ, i. e. legitimo poſſeſſori vel domino competit, aut cum re acquiritur, qua explicatione præmiſſa cum diſtinctione reſpondemus.

§. 17. Eſt enim, & id ferè plerumque cum ſeſſio & votum in comitiis datur certorum bonorum ratione, quibus hoc jus velut eſt mancipio datum, perpetuoque nexu alligatum, adeo ut eum bonis tranſeat & ſemper eum comitetur, qui legitime illa & realiter poſſidet, etſi jure Dominii vel proprietatis ſaltem temporario habeat, quo pertinent oppignorationes territoriorum, quorum poſſeſſores dicuntur, die Jnhaber, oder Pfand-Innhaber dieſer oder jener Graff- oder Herrſchafft, quos Comitiis intereſſe & ſententiam in ſuo ordine dicere, atque Receſſibus ſubſcribere certum eſt, ex jure quidem Dominii, ſed revocabilis, ob tacitum pactum de retrovendendo quod natura ſua ejusmodi contractui, quem vocant pignoratitio, more Germanorum ineſt; legitima autem requiritur rei poſſeſſio Nam quorum bona & ditiones, quibus ſuffragii jus ineſt, vi & per injuriam detinentur, illi facultatem & uſum ſuffragandi non amittunt: ſed ſicuti injuſte ſpoliati juris præſumptione civiliter poſſidere creduntur, ita etiam civilis poſſeſſionis retinent commoda atque prærogativas.

§. 18. Interdum vero extra ordinem & ex ſpeciali gratia perſonæ datur poteſtas ineundi ſuffragii, etſi nulla bona immediata poſſideat: vel ſi quædam poſſidet, ſaltem tamen non conſideratione bonorum iſtorum; ſed ſpectantur ſola perſonæ merita, cujus virtus hoc præcipuo jure honoratur. Quare etiam etſi ejusmodi perſona plane bonis decoxerit, ejusque prædia authoritate, judicis ab aliis poſſideantur, verius tamen eſt retineri à debitore jus ſuffragii, cujus nullum in poſſeſſionibus fundamentum erat aut relatio.

§. 19. Primo igitur modo, cum jus ſuffragii alicui competit, id rei i. e. prædio, hac qualitate donato, inhærere prorſus affirmandum eſt, quod enim cum re dominum relinquit, & ſequitur poſſeſſorem, id pro certiſſimo eſt indicio realis juris. Nam ſi, quod dicitur, oſſibus perſonæ inhæreret, non magis id ſibi poſſeſſor bonorum vindicare poſſet, quam reliqua debitoris jura perſonalia nominaque, in hæc enim creditori eo titulo, quod pignoris jure bona aliqua poſſidet, nulla poteſtas competit, antequam illi & hæc ipſa ſententia judicis, invicem ſolutionis adjudicentur. Atque hoc reali, id eſt, in prædio radicato jure plerique Status in Comitiis ſuffragia ferunt. De ditionibus Electorum nullum dubium eſſe poteſt, quamvis enim in creatione Regis Romanorum ſaltem Electores ſeculares virtute regni & principatuum ſuorum ius, vocem & locum habere (a) dicantur: In Comitiis tamen Eccleſiaſticos etiam ratione prædii ſententiam dicere

(a) *A. B. tit. 7. & 20.*

Digitized by Google

re argumento eſt, quod mortuo Electore Capitulum ad Comitia vocetur, & vocem obtineat, donec electus alius fuerit. De plerorumque aliorum Principum, tam Eccleſiaſticorum quam ſecularium, itemque Comitum & Prælatorum ſuffragii jure idem ſentio: præcipue qui jam ab antiquo principatus ſuos comitatusve poſſident: Contra quam Limneus autumat. Licet enim de his expreſſa non ſit Conſtitutio, quæ illos vi bonorum ſuorum in Comitiis jus ſententiæ dicendæ habere ſtatuat: reale tamen id ipſum jus & in prædio eſſe vel inde conſtat, quod poſſeſſorem prædii ſequatur, Statumque eum temporarium efficiat, dignitate principali aut Comitiua, quæ perſonalis eſt, apud eum permanente, cujus bona poſſidentur. Quippe longe aliud eſt Statum eſſe aliud principem vel Comitem: illud enim poteſtas magis eſt quam dignitas: Hæc dignitas perſonalis, quæ etiam ſine poteſtate eſſe poteſt: uti in illis manifeſtum eſt, qui abgetheilte Fürſten dicuntur, quos nimirum jus primogenituræ à ſucceſſione in ditiones paternas excludit. Fere hic ſimile quid occurrit, atque circa eos, qui in Franconia Sueviaque nobilia prædia emunt, obſervatur. Hi enim in Nobilium Conventibus omnia jura ſuffragii ratione bonorum ſuorum habent. Nobiles autem ipſi propter rem ipſam poſſeſſam nequaquam fiunt: Quæ cum ita ſe habeant, non video cur Limneo ſufficere non potuerit, quod Legatus quidam in nuperis Comitiis dixerit, Es ſey wiſſend, daß im heyligen Römiſchen Reich die Fürſtliche dignität ſeſſiones & vota nicht der Perſon, ſondern dem Land inhærиren und anhangen. Wie dann die Exempla bekant, daß viel Fürſten von alten Fürſtlichen Häußern, weil ſie nicht regierende Fürſten, noch mit Land und Leuten verſehen, keine Seſſion und Stimme haben. De dignitate principali diſſentio, cœtera vero ita plane comparata eſſe, experientia teſtatur, & ex ſupra dictis manifeſtum eſt.

§. 20. Altero caſu, quando ſcilicet beneficium in perſonam eſt collatum, territorio nulla qualitate nova ornato, jus ſuffragii perſonale habendum eſt. Quod de illis Principibus dicendum exiſtimo, qui recens Status facti ab Imperatore de ſufficientibus bonis ſibi proſpicere juſſi ſunt, itemque ſi quis inferioris ordinis Baro vel Comes creatur Princeps, nec ſimul Comitatus ejus aut Baronatus in tribum Principatuum aſſumitur. Sane enim his omnibus nullo modo reſpectu bonorum in claſſe Principum poteſt ſuffragium tribui, qui enim bona adhuc nulla habent ratione ejus, quod non eſt, competere illis nihil poteſt, & licet deinde quædam ſibi coemerint, non tamen propediem vel Principatus reputantur, vel jura Status infuſa habent, niſi Imperatoris beneficio & conſenſu Imperii utroque ornentur. Nec impedit; quod jus ſuffragii ad hæredes non transmittant, niſi de bonis illis ſibi

proſpexerint: etſi enim hæc Conditio quædam ſit transmiſſionis, non ſequitur tamen, re transferri: Appariturum id, quod dico, ſubito arbitror, quando forte hi Principes bona ſua alienent, rurſus cum omni jure, aut aliis permutent, non enim Emptorem ſequetur jus Status, ſed ipſi illud retinebunt, niſi ab antiquo jam hæc qualitas prædio adhæſerit. Porro Principes ex Comitibus vel Baronibus qui jam Status erant creati, ſi jus ſuffragii in claſſe Principum obtinuerint, ratione Comitatuum aut Baronatuum non poſſunt in ſenatu Principum ſententiam dicere, ſequitur igitur quod jus illud perſonæ tantum inſit. Nam quod terras eorum attinet, non deſinunt, ut credo, in Comitum quoque tribu una ferre ſuffragium, quam diu bona illa principali dignitate non donantur, illisque jus Status addicitur duplici igitur jure tales hoc caſu gaudere videntur: & perſonali ſi principem ſpectes: & reali ſi agrum Comitis, in quo hæret realiter jus ſuffragii, alias ſane repugnaret ordini & mori, ut inter Principes ſuffragium feratur Comitatus vel Baronatus ratione: ſed hæc tamen ſalvo rectius ſentientium judicio dicta velim.

§. 21. Quod ergo Vietor (a) dicit, *Statum imperii eſſe non feudatariæ poſſeſſionis dignitatem, ſed perſonæ celſitudinem eſſe, non glebæ pretium, ſed ſummi Principis præmium*, id non modo regulariter, uti vult, verum non eſt; verum etiam non niſi valde extra ordinem in iis locum habet, quorum perſonis jus Status adhæret ſine omni ad bona reſpectu. In reliquis Felini & eum ſecuti Bertrami ſententia obtinet, *vocem in Comitiis dare eſſe fructum feudi.* Ratio Vietoris in genere nihil concludit, quia licet verum ſit, Statum eſſe, ad dignitatem perſonæ pertinere: tamen non impedit, quo minus fundamentum hujus relationis, quod eſt jus ſuffragandi, in concreto certam qualitatem moralem deſideret, quæ à poſſeſſione petatur, quemadmodum immunitas à ſatisdatione eſt qualitas perſonæ, ab hac enim non re immobili petitur ſatisdatio, & tamen fundatur in poſſeſſione immobilium; ſic etiam Electoralis dignitas eſt perſonæ & tamen requirit, ceu conditionem ſubjecti perſonam, quæ poſſidet principatum.

§. 22. Hæc de genere. Forma Status id eſt, differentia ſpecifica, conſiſtit in *iure ſuffragandi* ſeu ut *ait Paurmeiſterus*, (b) *ſeſſionis & dictionis ſententiæ communicatione actuali*, vulgariter appellant, *ſeſſionem & votum habere*, qua nota eſſentiali Status à civibus immediatis reliquis diſtinguuntur, in tantum, ut ſine ulla exceptione prorſus valeat argumentum, *non vocatur ad Comitia, nec in illis ſeſſionem & votum habet, ergo non eſt Status imperii*, quam concludendi rationem fruſtra improbat (c) Limneus prout paulo poſt oſtendemus. Cœterum communicatio actualis, quam hic requi-

(a) *De cauſ. exemp. Concl. 78.*

(b) *de Jurisd. l. 1. c. 4. n. 4.* (c) *Tom. 1. Addit. ad l. 1. J. P. c. 7. n. 96. p. 75.*

Digitized by Google

quirit Pauermeiſterus,ita intelligenda, ut ſufficiat facultas ſeu potentia ſuffragandi,quæ in actum deduci poteſt: nec præciſe requiritur, ut jam quis actu ſuffragatus ſit. Non modo enim illi, qui Comitiorum & Curiæ jus obtinent, quamvis nondum adſcripti in Collegium aliquod ſunt, ubi ſuffragium ferre mos eſt, revera ſunt Status, prout paulo ante oſtendimus. Verum etiam iſti qui Comitiis intereſſe & ibi ſuffragium ferre nondum potuerunt, modo jus habeant, dicendæ proximis Comitiis ſententiæ; de quibus mox plura.

§. 23. Votum autem habere hic eſt, non nudum dare conſilium,ſed ad deliberationes de republica & Statuum Imperii Concluſa ſuam partem conferre, & hac ratione tam in conſiliis publicis capiendis quam adminiſtratione,reipublicæ ſententia ſua momentum facere. Nam qui non modo jus intercedendi impediendique habet,ne is,qui cum ſumma eſt poteſtate, abſque authoritate ſua & conſenſu de negotiis ad rempublicam ſpectantibus decernat, quid agat, verum etiam,qui ſimul conſultat & decernit. Eum revera poſſumus publicæ adminiſtrationis dicere participem, idque tam in ſenſu negativo, quia ſcilicet ſine conſenſu ejus geri nihil poteſt,quam poſitivo, dum in ipſo actu imperandi adminiſtrandique concurrit. De cœtero vero nihil refert, ſive viritim quis ſententiæ dicendæ jus in ſenatu habeat, ſeu pars ſit aliqua certi cujuſdam collegii, quod uno in Curia voto defungitur. Hic enim propterea haud minus eſt Status altero.

§. 24. Cum ergo hoc conſultandi de republica & ſententiæ dicendæ jus decreti & Senatus Conſulti vim habeat, non adeo male Pauermeiſterus id appellaſſe videtur τῆς ἀρχῆς πολιτικῆς κοινωνίαν. Quamvis enim illa ſummi Imperii pars, quæ in publicanda lege, & decretorum executione conſiſtit, ad ſolum Imperatorem pertineat, quem decenter rogant Status, ut quæ ipſi pro fide in rempublicam cenſuere, autoritate ſua firmare & exequi velit. Quamvis etiam illa,quæ decernunt Status, ante Cæſaris approbationem plenum robur ſuum & firmitatem non obtineant: Non tamen hoc omne illud eſt, quod per partes integrantes ſummam poteſtatem abſolvit, cum plura alia ſunt jura, quæ huc pertineant, & de quibus participare Status in confeſſo eſt. Breviter res ita habet.

§. 25. Cum ſummæ poteſtatis partes non modo in imperando, ſed & conſultando ſuper republica conſiſtant, conſentaneum eſt rationi & formæ noſtræ reipublicæ, Status Imperii τῆς ἀρχῆς πολιτικῆς eſſe conſortes. Neq; enim contemnenda eſt in Civitate autoritas, quæ in conſiliis publicis & deliberationibus occupatur, quin velut præſidet mandatis illis & moderatur, quæ vi imperii exequitur Princeps. Ariſtoteles (a) qui univerſum τὸ κύριον Ci-

(a) *polit. lib. 4. c. 4.*

Civitatis in tria ſumma capita diſtribuit, conſultationem de rebus communibus primo loco ponit, ad eamq; partem refert deliberationem de bello, pace, fœderibus, de legibus, de morte, publicatione bonorum, & alia, quarum omnium rerum quoties de iis ſtatuendum eſt, participes eſſe Status Imperii, neque eorum quicquam ab Imperatore exequi imperio inſciis illis & invitis poſſe, dubio caret. Non enim eorum conſultationes circa ejusmodi negotia ſunt inſtar conſilii tantum. Sed eam obtinent authoritatem ut Imperatori à conſultis Ordinum non niſi manifeſta utilitate publica recedere: nunquam vero niſi ex eorum ſententia & permiſſu diverſum ſtatuere liceat. Hinc ſedulo cavere ſolet Imperator, eoque authoritatis ſuæ clientumque vires diligenter impendere, ne quod ſibi ingratum aut rationibus ſuis adverſum ſenatus conſultum in Comitiis fiat. Quamvis enim, quod ita factum eſt, poſſit etiam non probare, & hoc modo conſultorum vim fruſtrari, quam in rem multa ſunt exempla: Semper tamen cum licet, non conſuli mavult, quam à ſententia Ordinum diſſentire, quia id absque magna invidia & ſtrepitu Statuum, qui ſperni ſe ægre admodum ferunt, vix unquam faciet. Sit itaque, quando ſic volumus, vis imperii penes Imperatorem. Saltem Status in communionem adminiſtrationis publicæ ita admittendi ſunt, ut præconſultare eos & decernere una cum Imperatore oporteat, quæ imperio exequenda ſunt: id quod eximium maximumque jus eſt ſummæ poteſtatis.

§. 26. Illi vero ad numerum Statuum plane non pertinent, qui conſilii tantum cauſa, extra ordinem & formam Conſultationum dandi, advocantur, ut aliquando cum Aſſeſſoribus Cameræ factum conſtat. Neque magis illi, quibus dies ad Comitia dicitur, ut actionum rerumque geſtarum rationem reddant. Hujusmodi enim homines non ſedent in Curia, nec de republica ſententiam rogantur dicuntque, quod formaliter eſt Statum eſſe. Sed illis, qui publicarum deliberationum ſunt participes, conſilio ſuo & relatione inſerviunt, ut poſtquam ſufficienter de re, quæ conſultanda proponitur, ab his cognoverint, tanto rectius poſtmodum ſtatuere & Imperatori decreto ſuo præſto eſſe poſſint.

§. 27. Conſiſtit ergo forma Status in jure Comitiorum & liberi ſuffragii, ex quo manifeſtum eſt, illos etiam, qui ſolummodo ad tempus bona poſſident, jure ſuffragii prædita, ſuo modo etiam Status eſſe; quamvis ſint temporarii, & arbitrio eorum mutabiles, à quibus titulum juris ſui habent. In legibus publicis appellantur die Pfand-Innhaber, ac ſi eſſent creditores, qui pignori incumbunt. Sed verius eſt, moribusque noſtris convenientius, ipſos ſibi hæc bona per emptionem comparaſſe cum pacto, ut venditor, quandocunque voluerit, redimere ea exſoluto eodem pretio, quo vendita fuere, poſſit: ex quo error de pignore ejusque reluitione manare facile potuit, quamvis inter hoc duo illud interſit, quod emptor Dominus rei venditæ

fiat.

Digitized by Google

fiat. Creditor rei oppignoratæ dominium, & qui ex hoc fluunt effectus, non conſequatur. Qua ratione illorum dubio facile conſulitur, quibus res mira videtur jus ſuffragii creditorem etiam cum pignore ſequi, cum ad ſecuritatem crediti nihil valde conferat, & natura ſua non pignoris conſtituti, ſed rei cum translatione Dominii alienatæ ſit fructus.

§.28. Interea capitalis eſt Limnei error, qui *votum & ſeſſionem in Comitiis* habere ait eſſe *accidens Status ſeparabile, quod adeſſe vel abeſſe poſſit, ſalva Status eſſentia (a)* quare non affirmative valere putat concluſionem, *eſt Status Imperii, ergo votum & ſeſſionem habet in Comitiis*. Quam in rem authoritate nititur Goldaſti, qui opere de Regno Bohemiæ complures recenſet, quos pro Statibus habet, & tamen ad Comitia non modo non vocari, ſed & ultro comparentes à ſeſſione & comitiis excludi affirmat. Verum enimvero cum res omnis certa ſua forma, per quam talis eſt, conſtare debeat, oportet Limneum aut jus ſeſſionis & voti pro forma Status agnoſcere, quod Statibus ut plurimum competere nec ipſe diffitetur, aut adferre aliud in medium, quod Status eſſentiam conſtituat, ſane enim nihil prorſus ad rem facit, cum ait, *ſolam matriculæ inſcriptionem veram Status imperii notam ſuppeditare*; quandoquidem enim paulo ante declaravit, mentem ſibi etiam non eſſe, quaſi matricula imperii ex non Statu Statum perficiat, ſed quod ab Imperatore & reliquis Imperii proceribus Statum factum recipiat probetque; hercle neceſſe eſt, jam ante inſcriptionem exſtere Statum; quod autem exiſtit, formam eſſentiamque ſuam habet: quam demum poſtea dare inſcriptio nulla ratione poteſt. Vt eſſentia civis non in eo conſiſtit, quod in album receptus fuerit, ſed in participatione juris civitatis: quoties autem ei quæſtio movetur, an particeps ejus juris ſit, probationis cauſa recurri ad album civitatis ſoleat; Ita Status quidem ſe talem eſſe probat, quando nomen ſuum Matriculæ inſcriptum oſtendit, ſed id, per quod eſt Status, non eſt matricula, in quam demum relatus eſt, poſtquam Status eſt effectus. Accedit, quod ipſe Limneus Tom. II. *addit:* Veram & genuinam Status qualitatem eſſe ſuffragii liberi in Comitiis jus non diſſimulet, quod idem eſt ac ſi formam dixiſſet, ac proinde retractanda ipſi erit ſententia antea poſita, jus ſeſſionis & voti ex ſeparabilibus eſſe accidentibus, quæ abeſſe vel adeſſe poſſint, ſalva Status eſſentia, Exempla authore Goldaſto allata nihil ad rem præſentem faciunt; partim enim ibi inter Status plurimi recenſentur, quos numero eorum nemo amplius habet, partim adferuntur illi, qui temporum injuria & conſpiratione potentiorum debitorum debito loco & iure turbati fuerunt. Veluti erant Epiſcopi & Prælati Auguſtanæ Confeſſioni addicti, quibus mutatæ religionis cauſa ab adverſa factione mota quæſtio eſt, & ius ſuffra-

(*Meditat. Spec. II.*)

(a) *J. P. l. 1. c. 7. n. 91. & Tom. 1. Addit. ibid. n. 96. p. 75.*

Digitized by Google

ſuffragandi per vim impeditum. At ſufficiebat eos omni jure hanc ſaltem facultatem habuiſſe, etſi exercitium aliquando externo impedimento ſuſpenſum fuerit, quod ipſis tamen Pace Osnabrucenſi reſtitutum eſt. Multa enim jure nobis debentur, quæ ſæpe facto aliorum exercere non poſſumus.

§. 29. Jam de rege Bohemiæ diſpiciendum, an inter Status ſit referendus. Limneus & Gewoldus affirmant, quibus Electores & Principes Pragæ anno 1610 congregati in replica ſua ad Matthiam Hungariæ Regem adſtipulantur. Daß der König von Böhmen ein Stand des Reichs/der Sieben Chur-Fürſten einer, und des Römiſchen Kayſers Erbſchenck ſey; quam ſententiam Strauchius etiam propugnat (*a*) Negat vero Reinkingius (*b*) nec regem Bohemiæ pro Statu agnoſcit, *quod ad Comitia Imperii non vocetur, neq; in illis ſeſſionem & votum habeat.* Hic non ſatisfacit reſponſum Oldenburgeri (*c*) quod ſcilicet Rex Bohemiæ ex privilegio id obtineat, ut intereſſe Comitiis non ſit obligatus, quamvis enim olim forte id privilegium fuerit Bohemiæ Regis, ut ad Comitia vocatus adeſſe non debuerit niſi Comitia certis locis, velut Noribergæ, aut Bambergæ, haberentur: exiſtimant tamen multi illud ex conſuetudine abrogatum eſſe, & Regem Bohemiæ omni in Comitiis ſententiæ dicendæ jure ob diuturnum illum non uſum excidiſſe. Non modo enim amplius non vocatur, in quacunque etiam urbe celebrentur conventus Imperii, ſed nec ultro adveniens in claſſem Electorum & ad deliberationes publicas admittetur. Fruſtra autem pro privilegio jactatur, cui etſi renunciare velim, mihi tamen non liceat aliorum Statuũ jure uti. Cum aliquot abhinc annis Noribergæ totius Imperii Concilium pro exequenda pace haberetur, nemo Regis Bohemiæ nomine ei interfuit, quin nec invitatus legitur, etſi locus privilegio exceptus, Noriberga, actioni deſtinaretur. Privilegium autem id vult, ut ad omnia quidem Comitia vocandus ſit, & venire poſſit, ſed non teneatur vi Edicti alio comparere quam Noribergæ atque Bambergæ, quæ omnia quam mutata, imo antiquata hodie ſint, in aprico eſt. Nobis placet inter nomen Status, qui alio ſenſu aliter intelligitur, ut ſupra eſt expoſitum, diſtinguere. Quod ſi enim accipimus Statum pro eximio & immediato imperii membro, Regem Bohemiæ nequaquam volumus hoc ordine excluſum, qui Elector & vaſallus Imperii ab hoc regium & illuſtre feudum tenet: quo ſenſu cum eum Reinkingius alio loco Statum dixiſſet, (*d*) præcox in eum eſt Limnei, (*e*) inconſtantiam objicientis animadverſio; Sin autem Status nobis præciſe definitus participatione omnium deliberationum de re-

(*a*) *Inſt. J. P. l. 1. c. 14. §. 23.*
(*b*) *de regim. ſec. & Eccl. l. 1. claſſ. 4. c. 3. n. 27.*
(*c*) *Limn. Enucl. l. 1. c. 5. §. 28.*

(*d*) *l. 1. cl. 4 c. 21.*
(*e*) *J. P. l. 1. c. 7. n. 94.*

Digitized by Google

republica, ejusque adminiſtratione vix illum in hanc claſſem admittimus, neque ſufficere videtur, quod aliquod votum habeat in Electione Imperatoris nam paulo plura & alia ad conditionem Status requiri vel ex eo patet, quod ſine hoc jure eligendi præter Electores reliqui omnes Status nihilominus ſint, quod ſunt; quamvis non negem, eximiam partem in republica obtinere, qui ſuffragium in creatione Regis Romanorum habet. Eſt utique in jure eligendi aliqua prærogativa ordinis. Sed qui poſt unum illum actum Electionis omni reliquo tempore nullas in adminiſtranda curandaque republica habet partes, illum Statum appellari non fert mos patrius, præſertim cum præter Regem Bohemiæ aliud exemplum non habeamus. Et hercle qua ratione Statum appellare illum poſſumus, cujus toto tempore adminiſtrationis reipublicæ nulla ratio habetur? qui ad nulla comitia vocatur? nullam de republica ſententiam dicit? imo nec certior earum rerum fieri debet, quas gerendas atque exequendas Imperator & Ordines in conſilio decreverunt? cum tamen hic libera vox etiam eorum audiatur, inter quos & Regem Bohemiæ nullæ dignitatis comparatio eſt. Vt jam taceam, quod nec omnium deliberationum particeps ſit Rex Bohemiæ, quæ ad actum Electionis pertinent, atque illius pars quædam ſunt. Quod enim præcipuum eſt, conſultare, quantum imperare futurum Principem velint Electores, quos illi fines regiminis præſcribere, quid ſtipulari ab ipſo: quæ promiſſa & juramenta exigere: id quod omne capitulatione peragitur, in cujus verba cogunt jurare Imperatorem: id reliqui ſeptem Electores ſoli inter ſe primo deliberant perficiuntque: Regem vero Bohemiæ non ad conſilium, ne dum ad ſententiæ dicendæ ſtatuendique jus prius admittunt, quam capita Capitulationis jam inter ipſos conventa ſunt: tunc enim communicari etiam ea Regi Bohemiæ eumque ſuper his audiri uſus fert. Ita cum quid eſt, quod minus ipſi placet, ſolus agere de his ſolet cum reliquis Electoribus, non vero inter eos re adhuc integra ſentententiam dicit, ſed & his peractis atque decretis cum ad eligendi actum res rediit, poſtquam ſemel vocem ſuam in ſacrario emiſit, adeo in poſterum omni cura gerenda reipublicæ ſe abſtinet, quaſi ad eum Germana res non magis pertineret, quam ad Indos. Neque enim ſaltem, ſi Electores more recepto particulares ſui ordinis conventus celebrant, ſive de republica conſultaturi, quod illis lege permiſſum eſt; ſive tuendæ propriæ dignitatis, juriumque cauſa, conſilii conſcientiam eum advocari fert conſuetudo: neque unione Electorali comprehenditur. Quare, ut dixi, ſi animum ſuum ſemel explicaverit, quem Imperatorem cupiat eligi, & Electo potionem prælibarit, quod Pincernæ officium eſt, toto reliquo tempore à curâ & adminiſtratione reipublicæ excluditur, quis igitur ſtricto illo & pleno ſenſu Statum appellabit?

§. 30. Sed fortaſſis hæc tota de Rege Bohemiæ diſputatio brevi ceſſabit, ex quo ſpes haudquaquam prodiga affulget, Bohemiæ Regem plena manu ad Collegium Electorale tandem admiſſum omniumque jurium participem factum iri, quibus ordo Electorum in communi gaudet. Agitata eſt hæc res jam ab annis aliquot, magno Auſtriacæ Domus ardore, atque indefeſſo ſtudio ſummaque conſtantia eo nunc perducta, ut non videatur amplius ab exitu optato longius abeſſe.

§. 31. Illud vero argumentum, quod alii contra Bohemiæ Regem adducunt, negantes eum propterea Statum eſſe, quia matriculæ imperii non eſt inſcriptus, non admodum urget. Nec enim ſequitur, matriculæ non eſt inſcriptus, ergo non eſt Status: quia ſufficit, probari facultatem dicendæ ſententiæ, nec præciſe eam in rem autoritate matriculæ opus eſt. Nam & is pro Statu eſt reputandus, qui jura ſuffragii legitime adeptus eſt, etſi nec exercere illa in Comitiis nec ipſe inſeri matriculæ adhuc potuerit. Luculentum exemplum eſt in Principibus de Hohenzollern, Eggenberg, & Locowitz, qui in Comitiis anno 1641. ab Imperatore Status imperii declarati acceptique ſunt, introductione uſuque ſuffragii ad proxima Comitia prorogatis (*a*) Eodem modo comparatum erat cum illis Statibus, qui olim ex cauſa religionis non ſuffragabantur. Quippe ad Status jus ſatis fuit, eos ſuffragandi facultatem habuiſſe etiam tunc, quando exercitium impedimento externo eſſet ſuſpenſum: Item ſi quis ſub finem Comitiorum, aut illo tempore, quo Comitia nulla ſunt, authoritate Cæſaris & ordinum conſenſu Status creetur, i. e. jure ſeſſionis & voti donetur is perfecte eſt Status, etſi jam occaſio deſit exercendi juris ſui, potentia ſuffragandi ſufficit quæ deduci in actum poteſt, cum opus eſt data opportunitate. Non autem requiritur, ut ſtatim eo momento, quo quis creatus eſt Status, poſſit actu ſuffragium ferre, nam neque reliqui ſententiam de republica dicunt, niſi Comitiorum tempore. Pari modo ſe res habet, ſi quis nondum cenſu ſit deſcriptus, poſſe enim deſcribi, quoties res poſtulat, abunde eſt ad ſubjecti conditionem: quamvis igitur aliquis cenſum in Matricula nullum adhuc habeat, ſi tamen ſuſcipere munus paratus ſit, nec per eum ſtet, quominus in cenſum redigatur, æquali cum reliquis Statibus conditione eſt reputandus.

§. 32. Etſi cauſa efficiens Status ſit Imperator, qui producit jus ſuffragii, & in certam perſonam confert: non una tamen id ſemper ſimplicique ratione peragit, idcirco viſum fuit de modis acquirendi jus Status paulo diſtinctius agere.

§. 33. Fiunt ergo Status aut immediato reſcripto Cæſaris, aut poſſeſſione bonorum, quibus jus Status eſt addictum: Secundum quæ ita diſtinguere poſſumus ut jus Status aliud ſit originarium: aliud derivativum.

§. 34.

(*a*) *R. J. de anno 1641.* und demnach wir die Hochgebohrne.

§. 34. Jus Status originarium dico, quod de novo producitur conferturque, adeoque comitalium ſuffragiorum numerum qui nunc eſt, uno novo adjecto extendit augetque.

§. 35. Hujus juris, atque per conſequens, Status, cauſa proxima & immediata eſt Imperator, cum Statibus Imperii, ſaltem illis, qui ex duobus ſuperioribus ſunt Collegiis, aut ſi de Civitate agendum eſſet, ex omnibus tribus. Hi enim conjunctim influxu ſuo efficiunt, ut in ſubjecto capaci ejusmodi ſuffragii facultas exiſtere incipiat: neque enim id ſolus Imperator præſtare poteſt, qui ſaltem Candidatum præſentatque commendat: Sed ſine conditione opus etiam eſt præſcitu & voluntate Ordinum. Unde falſus utique eſt Schützius, cum ſic colligit, (a) *cum Imperator ſolus primos Status fecerit, hodieque Statibus de novo factis ſolus in Comitiis de ſeſſione, quæ potiſſima pars eſt juris Statuum, proſpiciat: ſolus quoque Principes imperii faciat, regalesque dignitates conferat, ipſius quoque ſolius voluntatem & authoritatem in Statu faciendo etiamnum ſufficere videri*, nam cum pleraque ex his præmiſſis examen paulo rigidius non ſuſtineant, nec quicquam in iis veri aliud ſit, quam quod Imperator ſolus Principes creet, id quod tamen in rem præſentem nihil confert: ideoque mirum non eſt, ex falſis ſuppoſitis ſpuriam etiam concluſionem oriri.

§. 36. Modus efficiendi primo in eo conſiſtit, ut Imperator jura Status cuipiam, & daturus ante omnia Electorum, eſt poſt modum etiam Senatus Principum, ac denique, ſi novus Status Comes aut Baro ſit, illius collegii in quo ſuffragium laturus eſt, conſenſum rogare debeat. Ita expreſſe partim capitulatione Leopoldina, partim, receſſu Imperii nupero cautum legitur. Receſſus Imperii hæc ſunt verba (b) daß forthin ohne der Chur-Fürſten und Ständten Vorwiſſen und Conſens keiner zur Seſſion und Stimm im Fürſten-Rath zugelaßen werde; diſtinctius in capitulatione hæc leguntur. (c) Niemand von den neu erhöheten Fürſten, Graffen, und Herren dem Fürſtlichen Collegio, es ſey gleich auff derſelbigen, oder der Graffen Bäncken ad ſeſſionem & votum wider dero Willen auffdringen, Sie haben ſich dann dazu mit Fürſtmäßigen und Gräflichen Reichsgütern vorhero genungſamb qualificiret, und zu einer Standes würdigen Steuer in einen gewißen Crayß eingelaßen und verbunden, und über ſolches alles neben dem Churfürſtl. auch das ienige Collegium oder Banck, darinnen Sie auffgenommen werden ſollen, vorhero genungſamb gehöret worden. Quamquam vero hæc verba Capitulationis & hoc ſenſu poſſent accipi, quod Imperator invitis quoque Statibus alicui ſeſſionem & votum in ſenatu Principum tunc dare queat, quando nimirum ille idoneum cenſum in aliquo imperii circulo jam ſuſcepit, auditique ſuper ea

(a) *Vol. 1. J.P. Diſp. 6. θ. 2. lit. c.*

(b) §. über diß haben. ꝛc. (c) *art. 44.*

Digitized by Google

re ſatis fuerint, quorum referre potuit, collegam ſibi non dari, tamen haud crediderim, legi anteriori in ſupra allegato receſſu extanti, quæ prorſus actualem Statuum conſenſum requirit, vetatque quemquam ſine eo poſt modum Statum creari, hac nova pactione penitus derogatum eſſe: Nam & hic idem ſtatuitur, ne ſcilicet invitis obtrudatur Status, & illa conditio oppoſita, *ſatis antea auditum fuisſe*, cum libertate diſſentiendi eſt intelligenda, neque reliqui ſatis auditi tunc videbuntur, quoties contra eorum voluntatem decernit Imperator. Memini ab aliis circa hanc rem ita diſtingui, ut ſi Principum Comitumve claſsis habeat legitimam diſſentiendi & reſiſtendi cauſam, quo minus illos, qui participes fieri ſuffragiorum cupiunt, inter ſui ordinis homines admittant, illis nolentibus non ſit aliquis obtrudendus; ſin vero tales contradicendi rationes non habeat, voluntati Cæſaris ſit concedendum: neque æquitate ſua hæc caret diſtinctio: at in ipſo rerum actu exiguus erit ejus uſus, mox enim novæ oriundæ erunt controverſiæ, idoneam ne Status diſſentiendi cauſam habeant, cujus rei judicium ſoli Cæſari haud permittendum videtur, ni quæ paulo ante jura Statibus largiti ſumus, nunc altera, quod dicitur manu, eis auferre lubeat, ut tandem etiam per ambages rem eòdem recidere neceſſe ſit ſcilicet ad conſenſum Statuum; Nam & hæc videri Statibus poteſt ſufficiens cauſa ad contradicendum, quod conſultum ſui ordinis dignitati haud reputent, illum aliis ſubinde aliisque novorum hominum ſuffragiis onerari, & ipſa multitudine fieri deſpicabilem, quod vero Strauchius de conſenſu tacito tradit, quod ille etiam ſufficiat, quando nimirum Imperatorem novos Status introducentem iisque ſua loca & ſuffragiorum ordinem aſsignantem veteres non impediunt, ſed rem ſilentio tranſigunt (*a*) id ſane magna cautione habet opes. Cum enim conſenſum Imperator non ſingulorum per literas, ſed collegii in Comitiis impetrare debeat, haud concipi facile caſus poterit, ut tacitum ſingamus, uti Directores de negotio referre, Statusque ſuper eo ſententiam dicere oportet. Niſi forte dicamus, qui inter deliberandum tacent, aut illo tempore à Collegio abſentes ſunt, pro aſſentientibus habere. Sed in hoc nihil ſingulare, cum id in quavis alia re deliberanda obtineat, & præterea vulgaris ſit juris apud quodvis Collegium, ut abſentium tacentiumque jura præſentibus & ſuffragia ferentibus accreſcant, qui ſcientes tacentesque perfici actum patiuntur, quem diſſenſu ſuo intervertere potuiſſent.

§. 37. De eo dubitari adhuc pòteſt, an Imperator & vrbium imperialium conſenſum teneatur expectare, ſi quam provincialem urbem in claſſem & jura liberarum imperii civitatum dignetur recipere? Eſt hoc ex rationis paritate omnino aſſerendum, atque hic demum videtur eſſe caſus ille, de quo noviſsimus Receſſus, paulo ante allegatus,

(*a*) *Strauch. Inſt. jur. publ. l. 1. c. 13. §. 4.*

Digitized by Google

tus, intelligendus ſit, ubi negatur ad Collegium Principum poſthæc recipi quem poſſe in conſultis nec conſentientibus Statibus: ohne der Chur-Fürſten und Stände Vorwiſſen und Conſens, quamvis enim Senatus Principum tantum mentio fiat, id tamen de curia civitatum tanto magis etiam accipiendum, quo magis illorum refert, ne ſibi inſciis nova urbs obtrudatur ab aliis, atque illi de ordine ſeſſionis, & proſpiciatur antequam audita curia fuerit, an nihil habeat, de quo poſſit cum ratione excipere: & ſatis utique eſſe poteſt, duobus ſuperioribus Collegiis, ſi in re ad ſe nihil valde pertinente prærogativa ſententiæ dicendæ gaudeant. At civitates hinc penitus removere, & ne in domeſticis etiam cauſis ferre ſuffragium poſſint, obſtare velle, id vero res non iniquiſſima modo verum etiam indigniſſima foret, cum vix opificum Tribus ita ſecum agi paterentur, ut ſe inſalutatis ſinerent ſibi Tribum alieno juſſu imponi: quamvis etiam iſtud non facile mente concipiam, qua ratione Imperatori facultas ſit futura provincialem urbem promovendi in liberam imperii civitatem? Domino enim Territorii jus ſuum, quod in illa quæſitum habet, auferri nequit. Quamobrem niſi id ſponte ſua cum omnium, quorum intereſt, conſenſu remiſerit, vel Imperator unam aliquam urbem ex hæreditariis ſuis terris in hanc libertatem evehat: vel denique communi totius Imperii decreto ſalute publica pacis cauſa hoc poſtulante, uni civi vi eminentis Dominii, factà tamen compenſatione, jus ſuum auferatur, haud video, quomodo contingere aliter res iſta poſſet; Sed quam hi ipſi caſus rari ſint, & jam multis ab hinc ſeculis ne uno quidem exemplo clari, abunde liquet. Principes enim non ut jure ſuo in provinciali aliqua urbe cedant, id cogitant & moliuntur, ſed potius ut liberas adhuc civitates in poteſtatem redigant ſibique ſubjectas faciant: quod multis exemplis doceri poſſet: Cognatum eſt aliquatenus cum hoc caſu, quando libera quondam Urbs, ſed longo tempore à Statu Potentiore oppreſſa, & in Ordinem Municipalium redacta ſorte fortuna in libertatem reſtituitur, quam felicem ſortem non ita pridem præter omnem ſpem Donawerda Urbs experta eſt Bavari caſu & Imperatoris benignitate: Quoties id fit, cum quaſi poſtliminio id genus urbes libertatem conſequuntur, nec conſultatione, nec receptione eſt opus. Sed uno Cæſaris Decreto, vel proprio etiam Marte, quoties vindicare ſe in libertatem ab oppreſſione Sine metu majoris mali poſſunt, ſtatum priſtinum recuperant.

§. 38. Hæc de conſenſu Ordinum in creatione Status. Secundo pertinet ad modum efficiendi, ut qui hac ratione jus ſuffragii adeptus eſt, illi Imperator in Principum comitumque, adde & urbium, curia de ſeſſione & loco proſpiciat, quo ferre ſuffragium & ſententiam dicere poteſt; qua in re ita ſe gerere Imperatorem oportet, ne novi Status introductione antiquioribus injuria aut præjudicium fiat. Agere ita-

itaque cum illis in hoc etiam articulo fas eſt, & eorum gratia locum novo collegæ aſſignare.

§. 39. Poſtquam de loco convenit, fit tertio introductio in curiam: quæ celebritas plerumque per Mareſchallum Pappenheimium peragi ſolet. Aliquando tamen majoris ſolennitatis cauſa & commiſſarium ab Imperatore adhunc actum delegari, & Pappenheimio adjungi Limneus author eſt (a) id quod etiam in introductione Principis Porciæ, quæ anno 1654 ſub horum comitiorum initium contigit, vidimus, cum ad hunc actum juxta Pappenheimium Archiepiſcopus Salisburgenſis, à Cæſare, qui præſens erat, fuerit delegatus. Proinde autem eſt, ipſe Status an mandatarius ejus introducatur.

§. 40. Quarto denique fit relatio in matriculam & ſuſceptio certi atque dignitati comparis cenſus in aliquo circulo Imperii, ubi ſcilicet bona poſſidet, qui inter Status eſt relatus.

§. 41. Hæc de jure Status originario, ſecundum quæ ſi quis eum, qui hoc modo jus Status acquiſivit, origine Statum dixerit, me quidem repugnantem non habebit; ſed videntur aliqui ultra ire, & originem nativitate æſtimare, quaſi qui genitus eſt Status, Status ſit. Quod ſicuti in iis terris locum aliquem habere poteſt, quæ inter hæredes nulla primogenituræ habita ratione dividuntur, tunc enim omnes veluti pro indiviſo ſunt Status, ita quibus locis primogenitus in ſolidum adminiſtrationem imperiumque capeſſit, cœteri excluſi, ſive fratres, ſive Agnati, in nullam partem juris Statuum, i.e. ſuffragii veniunt, ſed eos ſua perſonali dignitate, quam à patre habent, vivere contentos oportet.

§. 42. Illud quoque diſſimulandum non eſt, jus Status triplici fere conditione ab origine poſſe conferri, vel enim id quis habet eo pacto, ut perſonam non egrediatur, neque in hæredes liberosque ſit tranſitorium: vel tranſitio quidem iſta dari poteſt, ſed absque reſpectu bonorum: vel denique, id quod frequentiſſimum, addicitur bonis, in iisque ita ſtabilitur, ut poſtmodum legitimum bonorum poſſeſſorem ſemper comitetur.

§. 43. Jus Status derivativum appello, quod jam actu in perſona aut re extat, & facto hominis vel legis alii acquiritur, illud vero in perſona aut re extare ſecundum ea intelligo, quæ ſupra de jure Status perſonali aut reali tradidimus, non quod jus reale in perſona, cujus eſt res, non exiſtat: ſed quia in re fundamentum & ſubſiſtentiam habet, quam ubicunque comitatur, jus perſonale autem eſt pura perſonæ qualitas, absque ullo ad res à perſona poſſeſſas reſpectu.

§. 44. Hoc jus diximus acquiri facto hominis aut legis. Illud fit, legitima alienatione rei, in quibus jus Status hæret. Legitimam autem requiro alienationem, id eſt talem, quæ Imperatoris & agnatorum conſenſu eſt facta. Quamvis enim naturaliter unusquisque rerum ſuarum ſit Dominus & arbiter, quoties tamen & aliorum intereſt,

(a) *Tom. add. ad l. 1. c. n. 79. p. 120.*

Digitized by Google

intereſt, rem à Domino non alienari, ſola ejus voluntas non ſufficit. Quamobrem cum prædia illa, in quibus jus Status radices ſuas agit, ſint feudum Imperatoris, qui directus illorum eſt Dominus: ac præterea etiam agnati jus in illis jam à primo acquirente quæſitum habeant: prorſus conſequitur, & Principis & agnatorum conſenſum in alienatione neceſſarium eſſe, quo impetrato jam nihil refert, inter vivos, an mortis cauſa, per teſtamentum fiat alienatio, ad quem ultimum modum pertinent quæ vulgo ita dicuntur, *confraternitates*, Erbverbrüderung: Hi contractus de mutua ſucceſſione in caſum extinctæ alterutrius familiæ cur absq; confirmatione Imperatoris omniumq; agnatorū ex utraq; parte conſenſu non poſſint iniri cum effectu juris, hæc ſola eſt ratio, quod invito Principi non debeat in vacuo & deſerto feudo ſucceſſor conſtitui: nec agnatis remotioribus ſuccedendi jus auferri.

§. 45. Ad alienationem refero, cum quis bona, quæ jure Status gaudent, in ſpeciem pignoris loco ſed revera titulo emptionis, cum pacto de retrovendendo ſibi quæſivit: item quando aliquis crediti cauſa à judice in poſſeſſionem ex ſecundo decreto miſſus eſt, quo pertinent die Innhabere oder Pfand-Innhabere dieſer oder jener Graff- und Herrſchafft, de quibus ſupra etiam eſt actum. Cœterum nuda detentio bonorum non ſufficit, ſed poſſeſſione civili eſt opus, quæ ſcilicet uſum jurium bonis inhærentium tribuit. Quamobrem cujus bona ab alio injuria poſſidentur, is ſuffragium ferre in comitiis, non detentor id ſibi arrogare poteſt. Interdum etiam cum poſſeſsio dubia eſt & in lite, utraque pars, tam qui petit, quam qui poſſidet & excipit, ſuffragii uſu ſe abſtinent, donec dirempta lis fuerit, & in cauſa judicatum, quamvis bona procul omni dubio facultatem ſuffragandi annexam habeant. Vti in cauſa Juliacenſi inter Saxonem petitiorem & Brandenburgicum atque Neoburgicum poſſeſſores controverſa: itemq: in dubia hodie Lauenburgici Ducatus ſucceſsione manifeſtum eſt exemplum. Neutra enim pars actu ſuffragatur: ſed ſuſpenſum utrinque jus eſt usque dum Judex ſententiam pronunciaverit, aut amice inter partes fuerit tranſactum.

§. 46. Quod ad jus Status perſonale attinet, quia illud inſtar privilegii ſe habet, quod aut huic ſaltem perſonæ, aut legitimis ejus liberis conceſſum eſt, ideoque facile apparet, in commercio illud non eſſe, nec transferri in aliam familiam poſſe, quod tuæ ex ſpeciali gratia extra ordinem eſt datum. Quodſi tamen Imperatoris auctoritas & Statuum conſenſus acceſſerit, jus illud, de quo fit alteri ceſsio, ab origine exiſtimabitur quæſitum. Pariter quando conditio adjecta, ut quis ſibi de ſufficientibus bonis proſpicere teneatur, ea adimpleta, jus perſonale in reale plerumque mutatur.

§. 47. Lege acquiritur jus Status duobus fere modis. Uno ſucceſsione legitima, i. e. ab inteſtato. Nam qui in bona ſuccedunt, ſuccedunt in jus, quod

quod in bonis eſt: De juribus perſonalibus idem ſentiendum, ni perſonaliſſimum jus fuerit, quod in hæredes non tranſit ſed cum perſona extinguitur.

§. 48. Alter modus eſt Electio canonica, in iis Epiſcopatibus, qui jure ſuffragii donati ſunt: nam qui hac ratione eliguntur Epiſcopi, ſimul fiunt Imperii Principes Statusque. Sub Electione vero & poſtulationem comprehendo, quæ in ſubſidium Electionis introducta eſt, ut ſcilicet is, qui per canones eligi prohibetur ſaltem poſtulationis ſubſidio juvetur. Vacante autem ſede collegium totum, quod interea vice Epiſcopi eſt, jura Status poſſidet, & in Comitiis votum exercet, donec alius Epiſcopus electus fuerit.

§. 49. Dum vero hoc modo per ſucceſſionem electionemve fiunt Status, haud quaquam exiſtimandum eſt, authoritatem Imperatoris & Statuum conſenſum eo in actu nullas plane partes obtinere: quin potius quia ſucceſſio atque electio modi ſunt acquirendi, jus Status, lege introducti, legem vero illam Imperator & Status condidere, ſequitur hic etiam ambobus efficiendi principium eſſe adſcribendum, & toties voluntatem eorum atque judicium concurrere effectumque producere, quoties à Collegio dicitur Epiſcopus, ſcilicet duplici ratione fieri poteſt, ut quis effeciſſe rem dicatur, primo quidem ſi quis ad ſingulos actus particulari & expreſſa determinatione auctoritatem ſuam commodet, deinde, ſi animum ſuum lege aut pacto ita declaret, ut qui ſucceſſione aut electione certorum bonorum poſſeſſionem eſt nactus, eundem ſimul eo ipſo à ſe Statum renunciatum velit haberi, non aliter, ac ſi viva ſua voce talis dictus fuiſſet.

§. 50. Ut certi ſunt modi, per quos quis Status eſſe incipit: de quibus modo eſt actum, ita alii etiam, quibus talis deſinit eſſe, quos nunc breviter recenſere & explicare animus eſt.

§. 51. Deſinit itaque eſſe Status primo morte naturali, qui communis eſt rerum viventium occaſus.

§. 52. Deinde & morte civili, quod omnibus illis fit modis, quoties quis jus civitatis amittit.

§. 53. Huc pertinet ergo & Bannum Imperiale, ſeu proſcriptio, quæ in locum Reportationis, olim Romanis legibus cognitæ videtur ſucceſſiſſe. Nam ita proſcriptus cum hoſtis communis declaretur, & omnium in eum armentur manus, Eum civitatem omniaque jura per id perdere manifeſtum eſt, etſi id ipſum ſententia expreſſe dictum non eſſet, quod fieri tamen ſolet.

§. 54. Ita etiam qui libertatem amittit, amittit & civitatem & jus Status. Cum autem hodie inter chriſtianas gentes ſublata ſit ſervitus, non video quo modo facile evenire hic caſus poterit, captivi enim ab hoſtibus etſi in cuſtodia maneant, donec de eis lytrum perſolvatur, libertatis tamen iacturam non patiuntur, niſi dicere quis velit, à Turca aut Barbaris iſtis, apud quos in uſu eſt ſervitus, captos hac conditione eſſe,

Digitized by Google

ſe, & demum poſtliminio aut redemptos & libertatem recuperare & civitatem. Quod ego in medio relinquo.

§. 55. Damnationi in metallum, qua etiam civitas Romana quondam amittebatur, ergo Statum ob dignitatem ejus non eſt locus: Nam & Romani non facile niſi plebejos in opus metalli dabant. (*a*)

§. 56. Porro exemptione etiam quandoque civitatem amitti conſtat: dixi, *quandoque*: non enim hoc omni exemtione fit, itaque diſtinguendum eſt. Namque vel ſe ipſe eximit Status, vel ab alio eximitur. Hinc exemptio alia activa, alia paſſiva. Activa exemptio, vel cum quis ſe ipſe eximit appellatur Strauchio, (*b*) quod ſit, à *ſubjectione ad libertatem proclamatio*: id eſt, cum quis à fide & obſequio Romani Imperii deficit, propriumque & ſui iuris Statum incipit conſtituere. Ita Pruſſia, Polonia, Dania, Hungaria, quæ regna in poteſtate quondam & ditione Romani imperii fuerunt; ita etiam plures in Italia Provinciæ, & illæ ſeptem fœderati Belgii ſeſe exemiſſe videntur: perdit enim omnino jus ſuffragii, & per id jus Status, qui imperio Romano fidem & obſequium renunciat, ſibique vivere incipit. Fieri autem id juſte poteſt, vel ſtatim ab initio: vel ex poſt facto. Ab initio vix datur alia juſta exemptio, quam ſi quis, pro derelicto habitus ſibi ſuæq; ſaluti conſulere debet: nam pro conſervatione ſui omnis honeſta eſt ratio, præſertim cum is, cui mei cura & defenſio incumbit, officio deeſt, meque manifeſto perire patitur: Cæterum ejusmodi derelictio aut eſt expreſſa, de qua non eſt laborandum ubi enim voluntas domini adeſt nolentis rem amplius in numero rerum ſuarum habere, illa naturaliter fit libera, & ſibi de ſua conſervatione proſpicere poteſt: vel tacita, ex validis præſumtionibus certum animi derelinquentis propoſitum colligens: de quibus conjecturis & præſumptionibus Conringius de finibus Imperii (*c*) prolixe egit, quem diſcurſum poſtea examinavit Strauchius (*d*) Ex poſt facto exemptio fit juſte ſuperventu novi tituli, qualis eſt tranſactio, donatio, venditio, dos, inveſtitura & ſimiles.

§ 57. Exemptionem paſſivam definit idem Strauchius quod ſit *occupatio alieni imperii*. Ego pro ratione noſtri inſtituti rectius dixerim eſſe, mutationem vel civitatis, vel Status & conditionis in civitate. Nam hæc exemptio vel ab extero populo fit: vel à cive aliquo, plerumque potentiori.

§. 58. Ab extero igitur facta exemptio proprie eſt alieni Imperii occupatio, id quod vi plerumque fit & bello, quo poſſeſſio & dominium jure gentium acquiritur, ſaltem eo usque, donec quis vi majori iterum poſſeſſione non eſt dejectus. Quæ autem occupationes dolo fiunt, nec titulum nec poſſeſſionem tribuunt, niſi deinde actum quid geſtumque fuerit, unde titulus potuerit exiſtere. Atque huc pertinet, quicquid

Ff 2

(*a*) *l. 5. §. 3. ff. de var. extr. cognit.* (*b*) *Inſtit. jur. publ. l. 1. c. 20. §. 6.* (*c*) *c. 19.* (*d*) *d. Inſt. jur. publ. c. 20. §. & ſeq. 1.*

Digitized by Google

quid fere Gallia ditionum & provinciarum imperii Romani Germanici ab antiquo tenet: iſta enim omnia periere nobis, atque adeo jure civitatis & Status exciderunt.

§. 59. At cum potentior civis minus validum eximit, & ex Statu ſuo immediato deturbat, ſibique ſubditum vel Landſaſſum efficit, manet quidem ita exempto ſalvum jus civitatis: at perit nihilominus jus Status ſeu ſuffragii in Comitiis, cujus non niſi immediate imperio ſubjectus capax eſſe poteſt. Poteſt quidem hæc exemptio & cum conſenſu eximentis fieri: plerumque autem ſine ejus conſenſu ſuſcipitur, unde tot querelæ & controverſiæ in imperio. Quia autem hic modus eximendi ſummæ poteſtati nihil detrahit, & ut plurimum onere cenſuque in ſe ſuſcepto fit, idcirco facilius toleratur, præcipuè ſi longiſſimo tempore ſit confirmatus, vel Imperator alias conſenſerit. Quod ſi vero quis ſaltem ratione cenſus ſui eximatur ab alio, ſalvis de cætero & immedietate & jure ſuffragii, eum Statum manere conſtat, uti Epiſcopus Brixienſis & Tridentinus à Domo Auſtriaca eximitur: In Comitiis enim votum & ſeſſionem retinent, ac proinde Status eſſe hoc exemptionis genere non deſinunt.

§. 60. Alienatione etiam jus Status amitti certum eſt: quæ tamen Imperatoris & imperii conſenſu unanimi ſuſcipienda. Ita Epiſcopi Metenſis, Tullenſis, Verodunenſis: itemque magna Alſatiæ pars Gallis ceſſa, ut pax redimeretur, poſſunt autem varii tituli eſſe alienationis, ut donatio permutatio, venditio, in dotem aut ſolutum datio, & ſimiles.

§. 61. Præterea quoties Territorium amittitur ſive ob delictum, ſeu quamcunq; aliam cauſam, una & jus Status amitti, quod in Territorio eſt, pariter conſtat. Nam hæc eſt conditio Status, ut debeat poſſidere bona immediatè in & ſub imperio, oportet autem Territorium ita amiſſum eſſe, ut cui in illo facto ſuo aut lege perierint iura, nam ſi injuria Temporum & per vim ſaltem eo ſpoliatus eſt, ſalva adhuc vindicandi repetendique poteſtate, jus Status ei non perit, & in comitiis vocem liberam & conſultandi decernendiq; una facultatem retinet, uti quondam *Bipontinus dux comitiis interfuit* & cum aliis ſententiam dixit, etſi omnis illa ditio à Gallo tum occupata fuerat.

§. 62. Deniq; amittitur jus Status per non uſum; ſi quis nimirum longo tempore ad Comitia non acceſſerit, ſive vocatus fuerit, ſive non fuerit vocatus, & tamen nec ſponte ſua venit, nec de injuria ſibi facta queſtus eſt. Quantum autem id tempus eſſe debeat, controvertitur: Communiter longiſſimum, id eſt, triginta annorum requirunt, idq; non continuum, ſed utile, ut ſcilicet vocatus ad comitia per hoc temporis ſpatium frequenter celebrata non comparuerit: Et ita ejusmodi Statui praſcribi dupliciter poteſt; Vel enim retenta immedietate cenſuq; ſaltem ad comitia amplius non admittitur, nec ei ſententiæ dicendæ jus ſupereſt, non uſu ſcilicet illo longiſſimo amiſſum, vel ſimul etiam perit immedietas, quod fit, cum alius, qui ei hactenus jus ſuffragii dubii dubium fecit, nec ad Comitia eum vocari aut intereſſe conventuis ordinum poſſe contendit, eumq; quovis modo & occaſione, ne accedat ad comitia, prohibuit, ita præſcribit, dum ſcilicet alter nihil interea memoratu dignum pro conſervatione juris ſui & libertatis feciſſe deprehenditur, ad præſcriptionem illam interrumpendam.

Digitized by Google

MEDITATIONUM AD INSTRUMENTUM PACIS CÆSAREO-SUECICUM SPECIMEN TERTIUM.

ANNO M. DCC. VII.

Digitized by Google

Digitized by Google

MEDITATIONUM
ad
INSTRUMENTUM PACIS
CÆSAREO-SVECICUM
SPECIMEN TERTIUM.

ARTICULUS V.

§. 25.

QUæcunque Monaſteria, a) Collegia, Ballivias, b) Com-

a) *Quæcunque Monaſteria*) Poſtquam de Bonis Eccleſiaſticis Immediatis, a Statibus Imperii poſſeſſis, abſoluta tractatio, Nunc ad mediata id genus Bona progrediuntur Paciſcentes, neque hoc toto Articulo ullus eſt paragraphus, de quo majore diligentia & circumſpectione actum fuit, flagitante id negotii magnitudine, cum fere omne Proteſtantium nomen hac in cauſa rem ſuam fortunasque verti ſenſiſſet, recenti adeo memoria edicti Ferdinandei, quo maximas circa eam rem injurias damnaque illata ſibi fuiſſe omnes reminiſcebantur. Quanquam experientia teſtatum fecerit, ne ſic quidem præveniri calumnias cavilloſque potuiſſe, quin poſt pacem ſubinde Evangelicis poſt reſtitutionem moleſtia fieret, aut impedimentum, ne reſtituantur. Nam in cauſis etiam liquidiſſimis Catholici dubia & tricas ſuſcitarunt, nullo pudore aut metu calumniæ, quamvis lex perſpicuis & claris verbis ingenioſas Interpretum illorum, aut ſi mavis, Sophiſtarum fraudes ſtatim detegeret & refutaret. Idcirco nemini etiam mirum videri debet, ſi in hujus negotii explica-

 tione

b) Commendas, Templa, c) fundationes, ſcholas, hoſpitalia, aliave bona

tione diutius immoremur, cum omnium tranquillitatis publicæ amantium tanti referat, ut intime & pleniſſime naturam ejus ſtatumque cognitum & perſpectum habeamus. Quandoquidem vero omnium tergiverſatorum in id genus cauſis hæc unica eſt exceptio, caſum, de quo forte diſceptatur, ad deciſionem hujus paragraphi non pertinere, ſed aliunde judicandum, idcirco ante omnia diſpiciendum eſt, quæ ſint proprie illæ cauſæ, quibus hoc loco jus dicitur. Enim vero aut omnia me fallunt, aut totum negotium his tribus abſolvitur, 1) ut ſint Bona & jura Eccleſiaſtica mediata, 2) ut ſint poſſeſſa a Statibus Imperii immediatis, 3) ut Status illi poſſederint Calendis, ſeu prima die Januarii 1624. His circumſtantiis concurrentibus & probatis, uti de titulo poſſeſſionis non amplius quæritur, ſed nuda ſufficit poſſeſſio: ita hæc ipſa poſſeſſio omnia & ſingula jura atque actiones, quæ alii in bona illa habuerant, aut habere poterant, adeo in perpetuum abſorbet atque extinguit, ut poſt hæc nec allegari a quoquam, nec in judicio audiri a Judice vel admitti debeant: nedum ut permiſſum cuivis eſſe poſſit, ſibi ipſi jus propria auctoritate dicere.

b) Monaſteria, Collegia, Ballivias &c.) En partium enumerationem; quæ tamen pro imperfecta habenda, quia mox additur, *aliave Bona Eccleſiaſtica.* Quod ideo neceſſarium viſum, ne ſi forte id genus bona nonnulla alio nomine appellentur, fraus legis menti fiat, & occaſio cavillandi detur.

c) Templa) Hæc quidem in omnibus Monaſteriis ſunt, niſi fallor; evenire tamen potuit, ut ſola poſſeſſa fuerint. Sed & alio loco poſſeſſa a Statibus etiam extra Eorum territorium, huic legi ſubeſſe nullus dubito: de Hoſpitaliis idem ſentio.

d) Bona Eccleſiaſtica) Bona Eccleſiaſtica ſunt, quæ ſunt deſtinata cultui divino & ideo etiam dicuntur Eccleſiaſtica. Interea hæc nihilominus ſunt diverſa, Religio vel exercitium Religionis, & Bona ipſa Eccleſiaſtica. Huc pertinet quæſtio, an omnia Bona ab Eccleſiaſticis perſonis poſſeſſa, ſint etiam Eccleſiaſtica? quam ut paullo accuratius examinemus, negotii gravitas poſtulat. Fere enim quod in Fabula Midæ narratur, in aurum ſubito eſſe mutatum, quicquid iſte attigerit, de Clero dictum videtur, qui Sacrum vel Eccleſiaſticum id omne reputat, quod vel ſummis digitis contrectaverit. Certe nomen Bonorum Eccleſiaſticorum patere latius, quam ut rebus ſacris, ſanctis vel religioſis circumſcribi ſe patiatur, extra dubitationem eſt poſitum. Neque tamen magis generaliter admiſerim, Eccleſiaſticum ſtatim eſſe quod a perſona Eccleſiaſtica, v. gr. Epiſcopo, Capitulari aut Parrocho poſſidetur, cum tales Bona etiam propria habere poſ-

Digitized by Google

na Eccleſiaſtica d) mediata e) ut & eorum reditus, Juraque f) qu ocunque

poſſint, de quibus non modo inter vivos libere diſponunt: Sed quæ nec poſt mortem ejus ad Eccleſiam redeunt ſine novo titulo. Itaque ne aut nimis parum, aut omnia demus, cautione eſt opus. Apud Deckherrum *Conſult. Forenſ.* part. I cap. 14. hanc invenio definitionem: *Bona Eccleſiaſtica ſunt, quæ immediate Deo, id eſt, divinis & ſacris uſibus non quidem conſecrata; alendis autem Verbi Dei Miniſtris pauperibus, ſplendidiori rei religioſæ conſervationi, ſive mobilia ſive immobilia, aut ſe moventia, cæteriſque Eccleſiarum emolumentis dedicata ſunt.* Brevius quis & fortaſſis etiam rectius dixerit, *Eccleſiaſticum* eſſe, *quod Eccleſiæ eſt proprium*, cujus adeo nudam adminiſtrationem pro tempore illi habent, qui Eccleſiæ præſunt. Spectant huc inprimis data ad pias cauſas, ſive inter vivos donata, ſeu ultima voluntate relicta fuerint: Sed & quæ Eccleſia poſthæc ſuis nummis comparavit, aliove contractu acquiſivit, hac mente, ut inter poſſeſſiones ſuas habeat, eadem conditione erunt. Hoc totum olim vocavere, *Chriſti Patrimonium*: Et cum ſuſtentationi Cleri, tum Sacris debita majeſtate celebrandis, impendebatur, quæ ſupererant, aut erogabantur in pauperes: aut reparandis Templorum, ædium ſacrarum, vel etiam habitationum Cleri ruinis, interdum novarum domuum ædificationibus impendebantur. Hodie inſuper cum milites alunt, conſcribunt exercitus, gulæ luxuique ſerviunt, venationes ſumptuoſiſſimas inſtituunt, aleæ luſu dies noctesque tranſigunt, & quicquid denique ad pompam faſtumque oſtentandum facit, vel ut genio ſuo indulgeant, liberali manu prodigunt, id omne plerumque ab opimis Bonorum Eccleſiaſticorum ſpoliis eſt corraſum. Ex adverſo autem quæ ſinguli ex Clero de opibus Eccleſiaſticis ita recipiunt, ut velut pro mercede ſibi habeant, neceſſitatibus ſuis conſulendis, & de quibus ab illis ratio expenſi non exigitur, hæc ſtatim Bona Eccleſiaſtica eſſe deſinere, dubio caret, quanquam a perſona Eccleſiaſtica adhuc poſſideantur. Neque enim ſola qualitas poſſidentis rem Eccleſiaſticam facit: ſed uſus & finis, cujus cauſa poſſidetur a Clero, & quam ob rem Bona in Eccleſiam collata ſunt. Ex quo conſequens, non idem crimen eſſe, ſi quid Parrocho ſuarum rerum e domo ſurripueris, aut ſi quid pecuniæ vel ſuppellectilis Sacræ e templo. Illud furti nomine veniet: Hoc ſacrilegium erit. Quod vero tota aliqua Regio ſeu communitas poſſidet, in qua ſinguli nihil proprium habere poſſunt, an id ſine diſtinctione inter bona Eccleſiaſtica ſit referendum, viderint alii. De Bonis immobilibus non dubito, Eccleſiaſtica fore. Res mobiles aut ſe moventes, quamdiu alienatæ non ſunt, ſed in patrimonio Communitatis, eodem referrem

Digitized by Google

rem ſi aliis viſum; quanquam hoc ſempertenendum ſit, longe gravius in res ſacras quam Eccleſiaſticas peccari, non modo ex opinione Chriſtianæ diſciplinæ, ſed & Gentium jure.

e) Bona Eccleſiaſtica mediata) Hæc conditio eſt Bonorum Eccleſiaſticorum, ut mediata illa eſſe oporteat, ſiquidem ex hac lege de iis judicandum. De immediatis enim Bonis paulo aliter in ſuperioribus eſt ſtatutum. Sunt autem Bona Eccleſiaſtica mediata, quæ in Statuum Imperii immediatorum ditionibus ſita, reguntur Superioritate Territoriali, cujus etiam jurisdictione & mandatis ſubſunt parentque illi, qui ejusmodi Monaſteriis & Bonis Eccleſiaſticis præficiuntur. Mediatum enim hic dicitur, ſenſu oppoſito ei, quod eſt immediatum. Nam in univerſo Imperio uti Civium & Subditorum: ita etiam Bonorum duplex eſt ſtatus ſive conditio. Alia immediata appellantur: alia mediata. Sicuti autem Bona immediata ex eo dicuntur, quod unice ſunt in fide & ditione Imperatoris atque Imperii, ut nihil ſit medii, quo velut nexu poteſtas Cæſaris, & Bonorum illorum ſubjectio ſibi mutuo reſpondent. Ita ex adverſo mediata ſunt Bona, quibus jus territoriale proxime incumbit, quæque adeo intermedio territorio vim jurisdictionis Cæſareæ iis demum caſibus ſentiunt, quibus ex legum præſcripto mediatis etiam imperari immediate poteſt. At hæc Immediata Bona ſunt, totum aliquid, quod Territorium vocatur, ipſius Imperii ſeu Reipubl. noſtræ pars principalis. Bona Mediata vero pars ſunt Territorii. Immediatorum Bonorum poſſeſſores hoc ipſo, quo ſunt tales, Superiorem non habent niſi Cæſarem. At quibus Mediata Bona propria ſunt, Domino etiam Territoriali ſubjacent. Id quod apud Catholicos non minus quam apud Proteſtantes locum habet, cum multi ſint Epiſcopi, Abbates, Prælati, in Auſtriacis imprimis & Bavaris ditionibus, qui Statuum Provincialium loco & jure per omnia habentur, obnoxii tributis, jurisdictioni & quibusvis Imperii Civilis partibus, unde eos non eximit immunitas reſpectu & reverentia Eccleſiaſtici Ordinis, quanquam ex ſuperſtitione potius & errore, quam ulla ratione ullisve ipſorum meritis olim a faſcinatis Sacrificulorum fraude Principibus conceſſa.

f) Ut & eorum reditus, juraque) Hæc verba duplicem ſenſum admittere videntur, unus eſt, qui reditus & jura cum Monaſteriis & ſimilibus conjungit, ut tum demum debeantur, ſi poſſeſſa una fuerint: & alter, qui ſeparat, & pro debitis etiam habet, etſi Bona Eccleſiaſtica poſſeſſa non fuerint, modo Status Proteſtantes anno 1624. prima die Januarii in poſſeſſione fuerint percipiendorum redituum & jurium exercendorum, quamvis vero de ſenſu etiam poſteriori dubitare vix liceat, niſi vim verbis & textui facere velimus; illæ enim particulæ, *ut &*, manifeſto disjungunt & ſeparant. Videntur tamen Catholici in Comitiis Superioribus occaſionem arripuiſſe ad dubium iſtud ſuum, quod inter

Digitized by Google

ter notiſſima illa quatuor poſtremo erat loco proponendum. Ob diejenigen Geiſtliche Zinß und Güther, welche unter dem Gebieth eines Standes der Augſpurgiſ. Confeſſion gelegen, und von demſelben Anno 1624. und davor eingezogen worden, obgleich das Kloſter, worzu ſonſten ſolche Zinß und Güther von alters her gehörig geweſen, nicht unter demſelben Gebiethe gelegen, in Krafft des §vi quæcunque Monaſteria &c. Ihme förderſt verbleiben, und nicht wiederumb zu dem Cloſter, worzu die fundiret und geſtifftet wären, gefolget werden ſollen. Quibus moti rationibus Catholici dubium hocce ceperint, uti apud eos non invenio, ita pudet me ipſum ſtupiditatis ingenii mei, cum excogitare nihil poſſim, quod vel mediocriter ſatisfaciat ad dubium aliquod excudendum. Quod enim ajunt, quamvis de Bonis Eccleſiaſticis mediatis intra vel extra occupantis Territorium ſitis, hoc paragrapho tranſactum fuerit: diſputari tamen adhuc, utrum Bona & proventus ex locis Evangelicæ ditionis Monaſteriis alibi ſitis olim debitos, ſed jam a. 1624. ad Principis Evangelici Patrimonium redactos retineri a Poſſeſſore illo poſſint, an vero reſtitui illis debeant, quibus ante occupationem illam debebantur: id non modo rationem dubitandi nullã continet, ſed mea ſententia ſibi ipſi contradicit. Quodſi enim nihil refert, num bona illa & reditus intra occupantis Territorium vel extra id ſita ſunt: quomodo ambigi deinde poterit, an poſſeſſa in Territorio meneant occupantis? Res ſane ex hoc paragrapho clariſſimis verbis deciſa eſt: Neque enim ſola Monaſteria, ſed & alia Bona Eccleſiaſtica Mediata, ut & reditus eorum juraque, *quocunque ea nomine appellata fuerint*, vel quod bene notandum, *ubicunque ſita ſunt*, retinent Status Auguſtanæ Confeſſionis, aut in illa reſtituuntur, ſi prima die Januarii iſta poſſederunt: cujus reſtitutionis & futuræ obſervantiæ *unicum ſolumque fundamentum eſt habita* dicta die & *anno poſſeſſio*. Debentur Evangelicis hæc jura ex ipſis Catholicorum territoriis, ſi dicto tempore poſſeſſa fuerint, quidni deberentur, ſi in eorundem territoriis fuerint quæſita. Præterea mirum etiam eſt, quod de Evangelicis ſaltem hoc dubium moveatur. Quid enim ſi bona ejuſmodi & reditus ad Monaſterium quoddam, quod alio in territorio ab Evangelicis poſſidetur, pertinentes, a Catholicis Statibus fuerint occupata atque anno dieque decretoria poſſeſſa? Num exiſtimabunt Catholici, eorum reſtituendorum neceſſitatem ſibi ex hoc paragrapho imperari? An ſic eis videtur, ut cujus rei occupatæ retentionem ipſis lex confirmat, eadem in cauſis ſimilibus Evangelici pellantur? non contra rationem modo, ſed & contra illam ipſam exactam mutuamque æqualitatem, hoc fuerit quæ ſupra §vo Imo hujus Articuli, *in reliquis omnibus* ita ſtatuta eſt, ut quod uni parti eſt juſtum, alteri quoque juſtum ſit. Neque ſane id turbare quemquam debet, quod §vo ſequenti 16. ubi de Catholicorum poſſeſſione agitur, hæc verba reperiantur, *ut ut in Auguſtanæ Confeſſionis Statuum*

ter-

Digitized by Google

que ea nomine appellata fuerint, g) Auguſt. Conf. h) Electores, Principes,

territoriis & ditionibus ea ſita ſint, quæ in hoc noſtro deſunt. Nam per alia verba, *reditibus & acceſſionibus ubicunq; ſitis*, idem, imo plus nonnihil dicitur. Vt taceam, ſi hæc argumentandi ratio ex omiſſis, quæ §vo ſequenti leguntur, contra Evangelicos valet, eandem quoque retorqueri in Catholicos magno eorum præjudicio poſſe, cum §. 26. nulla omnino mentio facta ſit non modo Templorum, Balliviarum, Commendarum: ſed quod magis mirum videri poterat *redituum eorum atque jurium*, in quæ tamen illos non minus reſtitui debere, quam Monaſteria ipſa, nemo hactenus dubitavit. Vbi enim pari jure in eadem cauſa, inter diverſos vertente, deciſum eſt, quod uni datum, alteri ereptũ non creditur, niſi id expreſſe dictum fuerit, quanquam in verbis paulo variatum ſit. Nam quod uno loco parcius ſtrictiusque habetur, aut omiſſum plane eſt, ex alio pleniore explicandum merito atque ſupplendum eſſe omnes rectæ interpretationis regulæ docent. Poſtulati hujus iniquitatem nullo negotio deprehendent Catholici, ſi invertere modo caſum & quærere vellent, an reditus & penſiones ex territoriis eorum Monaſterio cuipiam ditionis Evangelicæ olim debitæ exſolutæque: ſed anno 1624. ab illis, Catholicis inquam, interceptæ & poſſeſſæ, neque tum amplius ſolutæ poſt pacem nihilominus debeantur? Certus ſum, hoc rerum ſtatu illos protinus reclamaturos, ſuamque poſſeſſionem allegaturos, quod ſolum & unicum fundamentum ſit futuræ obſervantiæ; ideoque roganda eorum modeſtia, animique candor erit, ne quod ſibi ipſi jus contra Evangelicos dicunt, his invideant, quo minus illud apud ſe etiam ſtatuant, contra impetiginem Sophiſtarum.

g) *Qucunque ea nomine appellata fuerint*) Varia jurium, quæ bonis Eccleſiaſticis debentur, nomina & appellationes eſſe poſſunt. Ne igitur cauſari quiſpiam poſſit, excepta quædam eſſe ob ſpecialem nominis rationem, hæc generalis clauſula appoſita eſt, ut comprehenſa omnia intelligantur, quæ in jurium numerum referri quocunque titulo poſſunt.

h) *Auguſtanæ Confeſſionis*) Quæſitum eſt, an huic legi locus etiam ſit, ſi inter ipſos Auguſtanæ Confeſſionis Status de ejusmodi Bonis Eccleſiaſticis eorumque poſſeſſione lis vertatur. Sane ſi hujus Articuli noſtri quinti præfationem, ſeu rubricam, uti vocant, inſpiciamus, de iis gravaminibus ſaltem conventum transactumque dicitur, *quæ inter utriusque Religionis Electores, Principes & Status vertebantur*. Neque referri alio poteſt, quod hoc ipſo §vo Clauſula illa ſive conditio appoſita fuerit, *donec controverſia Religionis amicabili partium compoſitione univerſali definiantur*, quæ habere locum apud eos non poteſt, qui ejusdem Eccleſiæ ſive Religionis ſunt Conſoc-

Digitized by Google

ſortes. Sed tollere omnem dubitationem videtur facta inter hunc paragraphum & ſequentem oppoſitio Statuum Auguſtanæ Confeſſionis & Catholicorum: ubi in ſingulis ſeparatim ſtatuitur, quid uni parti contra alteram ſit juris. Jam ponamus caſum, Principem quendam Auguſtanæ Confeſſionis ante Transactionem Paſſavienſem Pacemque Religioſam Monaſterium aliquod occupaſſe, atque in poſſeſſione ejus fuiſſe tempore Religioſæ Pacis, per quam ipſi hæc poſſeſſio confirmata fuit. Poſtea vero hunc quacunque de cauſa poſſeſſione exturbatum iterum eſſe ab alio ejusdem Religionis Statu, qui deinde poſſeſſione, usque ad annum 1624. producta, con tradicente tamen ſemper illo deſtituto, dicto anno dieque interceptum hoc Monaſterium forte poſſedit, num propterea finita lis erit & dejecto remedia recuperatoria periiſſe videbuntur, quia hoc paragrapho cautum legitur, ut quæcunque Monaſteria A. C. Status poſſederunt, iidem eadem omnia & ſingula poſſideant, nulla ratione habita, quocum lis ſit ei, qui poſſeſſionem ante hæc omiſerat, lex ſane hoc loco ſine diſtinctione loquitur. Cum vero attendimus ad mentem Paciscentium, atque ad totius hujus articuli quinti diſpoſitionem, quæ perpetuo tractat negotia, inter Evangelicos & Catholicos controverſa: imo ſi reſpicio ad ſupra dictam clauſulam, & denique ad id, quod ſequenti §vo huic in eadem cauſa eſt oppoſitum, fateri cogor, me neſcire fere, quid ſit dicendum. Neque enim ego in dubia adeo re, quæ tanti eſt momenti, cuiquam ſententia mea auſim præjudicium creare. Si tamen dicere licet, quid ſentiam, negare malim quæſtionem quam affirmare. Præter rationes jam allegatas hoc etiam moveor, quia §vo ſequenti 26. eadem plane formula de Catholicis dicitur, ut quæ Monaſteria poſſederunt, ſimiliter poſſideant: id quod tamen de lite, inter ipſos Catholicos vertente, & per id extincta, nemo hactenus intellexit: nec profecto Catholici ipſi intellectum cuperent. Cum per pacem Weſtphalicam ex illo decretorio poſſeſſionis termino ea ſaltem jura & actiones ſint extincta, quæ partes utriusque Religionis invicem exercere mutuo poterant: non vero quæ ex una parte alius adverſus alium habet. Ex alio caſu res planior fiet. Scilicet poſſedit Catholicus Status anno 1624. Monaſterium, quod ante hæc Auguſtanæ Confesſioni addictus in ſuos uſus converterat: non eſt dubium, quin ex hoc noſtro §vo contra hunc ſit tuendus. Quod ſi vero Monaſterium illud, antequam ab Evangelicis interceptum fuit, ad alium Statum Catholicum quocunque jure pertinuit, de cujus etiam conſervatione ille quavis occaſione animum ſuum eſt teſtatus, ut præſcriptum eſſe dici non poſſit, valde ſane vereor, ut Poſſeſſor Catholicus contra Catholicum actorem, iſtud Monaſterium vindicantem, tutus ſit exceptione poſſeſſionis, anno 1624. habitæ. Hac enim de re inter ipſos Catholi-

Digitized by Google

cipes, Status i), Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto die prima

tholicos plane nihil eſt conventum; quod autem inter Proteſtantes & Catholicos actum, his nocere non debet, quando inter eos ſolos cauſa diſceptatur. Nam ſecundum §vum 2 art. 5 non fit reſtitutio omnium Electorum, Principum & Statuum *cujuscunque Religionis*: ſed UTRIUSQUE *Religionis*, manifeſta oppoſitione, qua ſignificatur ex artic. 5to Inſtr. Pac. actiones & remedia dari, ſed uni parti adverſus aliam: non autem uni alterive inter ſe. Atque ex hoc patet, quam periculoſa res ſit, ſi Status Evangelicus tranſire ad Catholicam Religionem vult. Vt enim de Ordinis Eccleſiaſtici poteſtate jam nihil dicam, cui ſe hac tranſitione ſubjicit, & quæ tanta eſt, ut ſtatum alium in ſtatu Civili conſtituat, juribus ſummi Imperii multis modis æmulum & gravem. Saltem de Eccleſiaſticis Bonis, ad uſus Reipublicæ jam diu converſis, periclitari plurimum videtur, quæ Catholici a Catholico Statu facilius recuperant, quam ſi Auguſtanæ Confeſſioni eſt addictus. Atque ſane ex hoc etiam eſſe reor, quod eveniente ejusmodi mutationis caſu prima fere expeditio Cleri Catholici ſit, ut Principem ad reſtituenda bona Eccleſiaſtica adigant, quæ ipſe ſervare ſibi poterat, dum Sacris Evangelicis addictus manſit. Quanquam forſan ſolo mutante Principe, Territorio vero & Subditis priſtinam Religionem retinentibus Catholicis non erit vindicandi locus ex eo, quod jam unus contra alium agat, ubi ambo ejusdem ſunt Religionis. Nam ſufficit poſſeſſio, anno 1624. habita, ſi Proteſtantis contra Catholicum fuit. Etſi enim ille poſtea, vel Succeſſores ejus mutarint Religionem, manet tamen poſſeſſionis cauſa, & exceptionem ſemel quæſitam perpetuat. Secus eſt, ſi ab initio ſtatim exorta lis ſit inter eos, qui eandem Religionem profitentur.

i) *Electores, Principes & Status*) Omiſſa hic rurſus eſt Nobilitatis immediatæ mentio, num fortuito, an ex conſilio, incertum. Illud vix nobis veriſimile ſit, cum hanc totam rem Status tanta diligentia tractarint. Hoc autem ſi dicitur, difficile erit, ejus conſilii cauſam indagare. Cogitavi aliquando, num forte factum iſtud fuerit ea ratione, quod Nobilitas immediata nulla ejusmodi Monaſteria vel Bona Eccleſiaſtica mediata poſſideat. Sed ſtatim turbavit mentio Templorum, Scholarum Hoſpitalium, ut & redituum juriumque, quorum aliqua etiam in poteſtate & poſſeſſione hujus Ordinis fuiſſe, ac nunc etiam eſſe, res ipſa teſtatur. Quicquid ſit, certum mihi eſt, cum infra vi §vi 28 libera & immediata Imperii Nobilitas, omniaque & ſingula ejus membra in juribus Religionem concernentibus & beneficiis inde promanantibus idem jus

Digitized by Google

jus habeat, quod Electoribus Principibus & Statibus competit, nec in iis ſub quocunque prætextu impediri aut turbari debeat: Hanc omiſſionem Ordini equeſtri fraudi eſſe non poſſe, quo minus hujus etiam legis fructum illis in caſibus percipiat, qui applicationem patiuntur.

De cætero vero notatu maxime dignum eſt, quod hic Poſſeſſores lex requirat non Abbates, Prælatos, Conventuales, Canonicos, Ballivos, Commendatores, Parochos, Ludimagiſtros, Hoſpitalium Præfectos, Perſonas Eccleſiaſticas mediatas vel Collegia. *Sed Electores, Principes ac Status.* Non enim dicit, quæcunque Monaſteria &c. Abbates & Prælati &c. poſſederunt: ſed quæ *Electores, Principes ac Status.* Hos igitur, non illos juvat habita anno 1624 poſſeſſio iſtorum Bonorum Eccleſiaſticorum. Nimirum uti eſt alia poſſeſſio, qua Senatus ac Cives poſſident Civitatem: & alia, qua Dominus Territorii eandem poſſidet. Ita etiam alia eſt poſſeſſio, qua Abbates, Prælati, Præpoſiti ac Canonici, Ballivi, Commendatores, Parochi, Ludimagiſtri, Hoſpitalium Præfecti, ac aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ mediatæ poſſident *Monaſteria, Collegia, Ballivias, Commendas, Templa, Fundationes, Scholas, Hoſpitalia, aliave Bona Eccleſiaſtica mediata, eorundemque reditus ac jura poſſident.* Et alia, qua Electores Principes, ac Status eadem poſſident. Quid inter utrumque interſit, manifeſtum eſt. Nam Monaſterio quodam ex Abbatis ſaltem vel Prælati poſſeſſione eum in ſtatum reſtituto, quo anno 1624 Calendis Januariis fuit, lis de jure territorii integra manſiſſet, & ſine compoſitione, cum Mediatorum poſſeſſio huic negotio conficiendo non ſufficiat. At poſtquam placitum edictumque eſt, ut Status Imperii omnia illa Monaſteria & cœtera, quæ Calendis Januariis anno 1624. poſſederunt, ita porro poſſidere poſſint debeantque, ut poſthac in habita vel recuperata poſſeſſione nullo modo turbentur, ſed ab omni perſecutione juris & facti perpetuo tuti ſint, hac conventione non de ſtatu tantum Monaſterii, ſed & de jure territorii ſimul eſt transactum, cujus adeo vindicandi nullam amplius actionem habet, qui ante occupationem illud ſibi aſſerebat; imo etſi in ejusmodi rem poſſeſſam alter, in cujus territorio ſita eſt, antehac, liquido minimeque dubio jure poteſtatem territorialem exercuiſſet; alter vero poſtea eandem nullo plane titulo, ſed ſumma cum injuria invaſiſſet, hujus nihilominus poſſeſſio, dicto anno dieque habita, potior erit, ex quo ſemel Paciſcentibus placuit, ut omnes lites, de Bonis Eccleſiaſticis mediatis olim exortæ & huc usque exercitæ, ſola cujusque poſſeſſione finiantur. Ita fieri quidem poteſt, ut Poſſeſſio Monaſterii, quam Status habet, in utilitatem etiam & commodum Abbatis atque Conventualium cedat, præcipue ſi ejusdem ſint Religionis. Sed nunquam ex Abbatis Poſſeſſione Status, ſi ipſe non poſſederit, facere compendium ſuum poterit. Uno verbo, poſſeſſio Status ad hunc

Digitized by Google

§vum pertinet: Poſſeſſio Abbatis ad §vum 31. ubi de ſubditis mediatis, eorumque Religione & Bonis Eccleſiaſticis agitur.

Atque ex hoc ſimul arguitur eorum error, qui exiſtimant, Religionis tantummodo cauſam hoc loco agi, & legi ſatisfactum eſſe, ſi hæc eo ſtatu relinquatur, vel reſtituatur, quo convento tempore fuit: ſalva actione ſuper territorio, quod alteri ex cauſis Civilibus contra Poſſeſſorem competere poterat. Quamvis enim revera alia ſit quæſtio, cum diſceptatur, quæ Monaſteria aliave Bona Eccleſiaſtica penes Auguſtanam Confeſſionem vel Religionem Catholicam remanere debeant? & alia: quam poteſtatem Status aliquis Imperii circa Bona illa Eccleſiaſtica jure territoriali habeat? ac denique alia etiam, num hoc illudve Monaſterium in territorio Catholici vel Evangelici Status ſitum ſit, & cui Superioritas territorialis in illud competat? De his tamen quæſtionibus ita comparatum eſt, ut cogitatione magis, quam re ipſa ſeparari invicem poſſit: cum non modo una alteram facili negotio ſuſcitet, ſed & certa ratione tangat, quia ſemper creditum eſt, a jure territoriali jus etiam reformandi Religionem dependere, quod uſus continuus poſt exorta Religionum diſſidia comprobavit, qua ratione res eum in ſtatum recidere facillime poſſunt, ut civitate ob lites ejusmodi ſemel turbata, reduci publica tranquillitas aliter nequeat, quam ſublatis & de Religione & Territorio controverſiis. Sane diſſidia ſuper Religione, cum primo exiſtunt, magnis animorum motibus ſuſcipiuntur. Ubi vero his ſubito componendis adhibita remedia non ſufficiunt, vehementiores longe & acriores lites de bonis Eccleſiaſticis moveri ſtatim ſolent, quæ utraque pars ſibi ſuæque Religioni vindicare nititur, quam in rem argumenta & rationes omnis generis excogitantur, cum videri nemo velit alteri injuriam feciſſe. Nam ex quo ſemel Status Imperii Pontificis tyrannide vexati atque oppreſſi liberare ſe hoc intolerabili jugo, & nugivendulorum circumforaneas merces ſpernere cœperunt, non ſatis illis fuit, ſibi & ſubditis ſuis quoad conſcientiæ libertatem ſacrorum cultusque divini emendatione proſpexiſſe. Sed quia ſuppetere ipſis copiæ debebant, unde purgatam ita Religionem ſuam neceſſariis ſumptibus cum ad Verbi Divini Miniſtros alendos, tum ad ipſorum Sacrorum majeſtatem fulcirent, oppido oculi ad Bona Eccleſiaſtica converſi ſunt, quorum reditus ad hunc ſcopum deſtinati olim a majoribus erant. Enimvero poſtquam in iſta etiam injici manus cepère, Catholici, jam defectione a Romana Sede ſupra quam par erat, exacerbati, ſuperos inferosque advocabant, ne tam opima ſpolia, tot ſeculis fraudum & impoſturarum miris modis quæſita, uno velut naufragio amitterent. Quare etſi demum conceſſere, ut unusquisque conſcientiæ ſuæ & Religionis liberum arbitrium haberet; de Bonis tamen Eccleſiaſticis multum diuque certatum eſt.

Primæ

Digitized by Google

Primæ velut induciæ erant Religionis anno 1532. die 23. Julii Norimbergæ publicatæ, quibus ſuſpendebantur ad certum tempus actiones omnes, Religionis cauſa jam intentatæ. Hanc clauſulam *Religionis cauſa*, in Sachen den Glauben belangend, Hortlederus jam tum merito vocabat *verba nata in turbas ac diſſidia*, neque conjectura ſua falſus eſt. Statim enim poſt inducias illas, pactas inter partes, de Bonis Eccleſiaſticis certatum fuit, num harum etiam ratione actiones forenſes ſuſpenſæ intelligantur: negantibus Catholicis, & in ſummis Tribunalibus hæc ipſa vindicantibus, maxima Proteſtantium moleſtia atque dolore: quibus religio ſua ſine ejusmodi adminiculis onerari eſſe videbatur. Turbis itaque ex hac cauſa non ceſſantibus, cum anno 1541. in Comitiis Ratisbonenſib. remedium fruſtra a Conſilio petitum fuiſſet, ut proximis Comitiis ad præviam Statuum quorundam Delegatorum relationem decretum fieret, quæ pro cauſis religioſis, quæque iterum pro civilibus atque profanis ſint habendæ, tandem transactione Paſſavienſi, eamque ſecuta Pace Religioſa conventum eſt, ut Status Proteſtantes Bona Eccleſiaſtica, ipſis non aliis Statibus jure territorii ſubjecta retinendi facultatem habeant, ſi Catholici in eorum poſſeſſione a tempore transactionis Paſſavienſis usque ad Pacem Religioſam non fuerint. Vid. Receſſ. Imperii anno 1555. §. Dieweil aber ꝛc. Hic crederet quis, plurimas controverſias de Bonis Eccleſiaſticis a Proteſtantibus occupatis ſopitas eſſe. Sed experientia longe aliud docuit. Quia enim duo lex requirebat, quæ demum Proteſtantes de Bonis illis ſecuros facerent. 1. Ne Bona iſta ad alios immediatos Imperii Status pertineant, ſed in poteſtate ſint & jure territorii ipſorum occupantium. 2. ut Catholici Eccleſiaſtici tempore Paſſavienſis Transactionis usque ad Pacem religioſam iſta Bona non poſſederint. Ideoque graviſſimæ ſtatim & difficillimæ lites de eo ſuſcitatæ ſunt, an requiſitis illis in hoc vel iſto caſu locus ſit. Partim etiam contendebatur de tempore poſſeſſionis, repetentibus Catholicis omnia ea, quæ poſt Pacem Religioſam ipſis erepta fuerant: partim vero, quod plurimum etiam factum eſt, ſuper ipſo Territorio, quo pertinerent Bona Eccleſiaſtica, de quibus agebatur, controverſia mota; id enim ut diſceptari poſſet, non modo reſervatum ſibi volebant Catholici; ſed longe commodius etiam atque utilius ipſis fuit, hac actione niti, quæ multas occaſiones ſuppetere poſſet vexandi Proteſtantes. Sic enim ex obliquo repeti adhuc poterant plurima Monaſteria & bona, quorum Poſſeſſio ante Pacem Religioſam habita Proteſtantes de cœteris ſecuros facere vid batur. Vt taceamus, ex cauſa ſuper territorio, cum judicio obtinetur, Victorem duplex præmium ferre; unum, ut bona Eccleſiaſtica ad Catholicam Religionem reducerentur: & alterum, ut ſimul jus territorii in bona illa aſſereretur, id quod non inter poſtremos fructus eſt refe-

referendum. Nam eſt quidem ſua cuique Religio cordi. Sed ſi reſtituere illam nova acceſſione alicujus partis territorii poterit, iſtud emolumentũ ſtimulabit fortius atque accendet ſtudium propagandæ fidei. Cavillæ autem & vexationes variis artibus conquiſitæ erant, favore Judicis ſemper in Catholicos propendente, qui eadem cum illis ſacra colebat: & cui proinde Evangelici Status vel ſolam ob defectionem exoſos atque inviſos ſe eſſe ſentiebant. Unde illis etiam tanto moleſtius accidit, ejus generis litibus exagitari: quo magis non modo de Religione, ſed & ipſa ditione periclitabantur. Nam Catholici Eccleſiaſtici jam a longo retro tempore conſilia agitavere, qua ratione ſe non modo perſonarum nomine: ſed & intuitu Bonorum ſuorum civili poteſtati ſubtrahere poſſent. Illud ipſis pridem confectum erat ſuperſtitione & errore Seculi. Hoc vero etſi minus proſpere hactenus ſucceſsiſſet, tentatum tamen per vices eſt, incomparabili eorum hominum audacia, quibus cum infelices rerum cœptarum eventus impune ſunt, ad molienda ſemper majora animum addunt; cum eos nec pœnitentia frangat; nec laſſet improba aſſiduitas, utcunque vana ſæpius & inhoneſta. Habent illud ex Ovidio intime ſibi commendatum:

Semper Tibi pendeat hamus,
Quo minime credis gurgite piſcis erit.

adeoque poſt tot aſſultus factos, poſt tot repetita tentamina facile patrari aliquid potuit; quod primo per imprudentiam, vel in honorem Sacri Ordinis diſſimulatum poſt enata Religionum diſſidia opportunitatem dedit erumpendi ex inſidiis, & gratia vel amneſtia Judicis utendi ad deſtinata perficienda. Fac enim Monaſterium aliquod territorio alicujus Status Evangelici undique incluſum fuiſſe; in promptu nihilominus exceptio fuit, quamvis ſit in territorio, non tamen eſſe de territorio: ſed eſſe exemptum. Quodſi in confiniis Epiſcopatus alicujus & Principatus ſitum erat, regendis finibus longe ſpecioſior prætextus ſuppetebat ex jurisdictione Eccleſiaſtica, etiam in territoria aliorum Principum pertingente. Quamvis enim hæc cum jure territorii, ſeu Jurisdictione Seculari commune nihil habeat, ſed regendis animis & conſcientiis apta nata ſit; quia tamen temporalium etiam rerum haud exiguam curam gerit, ut culina nitidius fumet; & præterea Eccleſiaſtici Principes, uti apud nos fert uſus, poteſtatem territorialem cum omnimoda Jurisdictione ſuis in ditionibus obtinent atque exercent. facile fieri potuit, ut in concurſu Jurisdictionum etiam diverſorum generum ab Eccleſiaſtico Principe, qua tali in præjudicium veri Domini territorialis tentatum aliquid effectumque fuerit, quod initio non animadverſum, aut ex reverentia diſſimulatum cum tempore pro actu aliquo poſſeſſorio Juris non Eccleſiaſtici, ſed territorialis allegare ille poterit, qui ex conſulto actu ejusmodi dubio ſupplantare alium intendit, ex eo quod ipſi ſtatim contradictum non ſit, adhi-

Digitized by Google

adhibitis idoneis argumentis. Denique ſi Catholici Auguſtanæ Confeſsionis Statibus non omne jus in Monaſteria & Bona Eccleſiaſtica abnegare potuerint; tem ipſam non poteſtatis territorialis, ſed alio nomine appellavere, veluti Advocatiæ aut Protectionis, inter quæ jura quanta ſit differentia, neminem uti latet, ita calumniæ facile ſæpe occaſionem præbuit Veterum minus accurata loquendi ratio, non explicato ſatis, an de Advocatia loquantur, quæ jure territorii ac ſuperioritatis competit, vel de illa, quæ ex jure ſpeciali extra territorium vel in Exemptum pacto quodam aut conſuetudine exercetur: inter quæ tamen immane quantum eſt differentia.

Atque hoc fere in Statu res manſere usque ad Edicti Ferdinandei tempora, cum uno velut ictu omnes Proteſtantium fortunæ quoad Bona Eccleſiaſtica ſubverſa ſunt, eo procul dubio conſilio, quod exiſtimatum ſit, hac cervice reciſa Religionem ipſam protinus animam etiam acturam fore. Sed hæc deſtinata mox bellum Germanicum intervertit, donec utraque parte cladium & damnorum pertæſa, bellantium æſtus & ſtudia ad pacem flecti iterum cœpere, æquioribus conditionibus commendabilem. Igitur conventu tranquillitatis publicæ reducendæ cauſa Monaſterium & Oſnabrugam indicto eum ad actionem de Bonis Eccleſiaſticis mediatis ventum eſſet, Catholici iterum priſtina ſtatim recoquere cogitata, & omnem operam dare, ut Bona extra territorium Statuum Evangelicorum ſita a ceſſione eximerent, ea tantum pro derelictis habituri, quæ ad cujusque ditionem & Juriſdictionem Secularem pertinere docebuntur die in der Augſpurgiſchen Confeſſion verwandter Stände Landen und Weltlicher Bothmäſſigkeit gelegen. Sed cum Evangelici, præteritorum memores, huic ſe diſputationi, infinitis calumniis obnoxiæ committere nollent: Catholici id ſentientes ea tantummodo excepta volebant, quæ notorie extra territorium occupantium, vel alio modo Catholicis propria eſſent. Doch ſollen hiervon ausgeſchieden ſeyn, ita ajunt in mediis compoſitionis, die 6. Julii 1646. propoſitis, und bleiben diejenigen Klöſter und Stiffter, ſo notorie extra territorium occupantium gelegen, auch die ſonſt andern Catholiſchen Ständen incorporirt, und anderwerts zuſtändig ſeyn. Hic mirum cui videri poſſet, cur Status Proteſtantes in re notoria tamen adverſarentur. Sed illi experientia optime didicerant, qualis in hac rei notoriæ herba lateret anguis. Quod uni notorium videtur, alteri dubium maxime eſt & controverſum. Sed imprimis Potentiores omnia ſua poſtulata juris notorii eſſe volunt, cum ſint nihil minus. Vix evitarant Proteſtantes, ne de jure territorii in Monaſteria & Bona Eccleſiaſtica amplius certaretur, ne jam de notorio certandum eſſet, id omnibus modis cavendum ſibi exiſtimabant. Sicut negabant, Catholicis in occupata jus ullum territoriale competere: Ita multo

multo minus ipſis de notorio poterant concedere. Nullam pro ſe alium ſecuritatem videbant, quam ut totum negotium de Monaſteriis atque Bonis Eccleſiaſticis nude & ſimpliciter poſſeſſione, certo tempore habita terminaretur, abolitis omnibus, quæ poſſeſſioni illi opponi poſſent, ne poſthæc amplius ullo prætextu occaſio ſuperſit impugnandæ poſſeſſionis. Tandem ultimus Catholicorum fuit conatus, ut peterent ab Evangelicis, vellent edere, & nominatim deſignare, quæ Monaſteria, quævę Bona Eccleſiaſtica deſiderent Status Auguſtanæ Confeſſionis ſibi a Catholicis cedi per renuntiationem ad jus territorii. Sed hic etiam ſuboluit fraus Evangelicis: Namque id præcipue agebant Catholici, ut inter ipſos Proteſtantes hac occaſione ſuſpiciones & diſſidia ſererent. Quos enim nominarent, & quos omitterent, integra omnium gratia, cum nemo deteriori conditione alio eſſe vellet? Itaque renunciandum denique fuit Catholicis non modo exceptioni, *ſive ante ſive poſt Tranſactionem Paſſavienſem aut Pacem Religioſam reformata*: verum etiam illi *quod non ſint de vel in territorio Auguſtanæ Confeſſionis Statuum*, *vel exempta*. Atque adeo reducta res omnis fuit ad unicum ſolumque fundamentum habitæ prima die Januarii 1624. poſſeſſionis, quo Evangelicis non de Religione modo, ſed & jure territorii præſtita ſecuritas ab omni impeditione, quæ deinceps metui poterat. Nam ſi Religioni ſaltem ſuæ cautum voluiſſent Status, contenti poterant eſſe, eo, quod de Subditorum ſecuritate §vo 31. ſtatutum fuit. Cum ipſorum conſcientiis poſt Pacem Religioſam nemo unquam vim admoverit. Aut ſi utique de Monaſteriis ſpeciales ob cauſas intuitu totius Religionis ſtatuendum aliquid fuiſſet, quid opus erat hanc rem poſſeſſione Statuum definire, a quibus ex religionis mutatione periculum ipſis Monaſteriis & Bonis Eccleſiaſticis poterat imminere, cum firmiori longe ratione eorum Religioni proſpiceretur, ſi dictum foret, *in quibuscunque Monaſteriis &c. exercitium Religionis ſecundum Auguſtanam Confeſſionem fuit, in iisdem maneat, irritis omnibus exceptionibus*, aut: *quæcunque Bona Eccleſiaſtica cultui divino ſecundum Auguſtanam Confeſſionem inſervierunt, eidem inſerviant, donec* &c vel in eum ſenſum ſimile quid. Nunc autem lex ita ſcripta non eſt; Totius rei cardo potius in poſſeſſione Statuum vertitur: & niſi Monaſteriis Boniſque Eccleſiaſticis, vel mediatis eorum poſſeſſionibus potius ſpeciali loco alio inter cœteros Subditos de Religione data fides eſſet, mutante Religionem Statu poſſeſſore, ex hoc §vo prohibere eum nemo poſſet, ne in bonis etiam Eccleſiaſticis ſacra corriperet & reformaret; cum hic ſaltem ipſi de ſua poſſeſſione fuerit proſpectum: de remanſione Religionis ne verbum quidem. Neque enim ex eo, quod hic Aug. Confeſſ. Status nominantur, Religionis perpetuitati cautum fuiſſe

Digitized by Google

prima Januarii, k) poſſederunt, l) eadem omnia & ſingula m) ſive retenten-

fuiſſe exiſtimandum eſt, cum hoc modo Statibus Evangelicis libertas mutandi Religionem, ſalva poſſeſſione Monaſteriorum ex hoc §vo debita non ſupereſſet; quam opinionem tamen cum recta ratio & leges, tum vero etiam experientia & exempla eorum, quæ poſt Pacem Weſtphalicam alicubi locorum evenerunt, ſatis refutant. Cum enim cuivis Subdito infra §vo 34. optio Religionis libera detur, an illam Electoribus vel Principibus auferemus? Et quid opus fuit, tanta animorum contentione, imo graviſſimis aliquando motibus ſuſcitatis, de Reſervato Eccleſiaſtico certaſſe? ſi unusquisque Status cujus Religionis anno 1624. fuit, perſeverare in ea debet. Quin libertas Religionis, quæ Eccleſiaſtico non adimitur, modo Epiſcopatu ſuo abeat, multo magis relinquenda Secularibus eſt.

k) Anno 1624. die prima Januarii) Mirum hic, cum initio Catholici ipſi in ſuis mediis compoſitionis, anno 1646 die Julii propoſitis quamcunque anni vigeſimi quarti partem conceſſiſſent: cur Evangelici in reſponſo ſuo, Menſe Auguſto ejusdem anni Legatis Cæſareis exhibito rem omnem Calendis Januariis præciſe definierint: immemores eorum viſi, quæ ante menſes aliquot, die 26. Februarii primis ſuis mediis compoſitionis propoſito toto anno 1618 nulla certæ diei deſignatione in medium attulerant. Cujus mutationis cauſa alia eſſe non potuit, niſi quod ſemel in univerſum placuiſſet, omnibus Statibus immediatis terminum reſtitutionis à quo dare Calendas Januarias anni 1624. Fortaſſis etiam evenire potuiſſet, ut ſumto toto anno una ejus parte Status aliquis Auguſtanæ Confeſſioni addictus: & altera parte Catholicus poſſediſſet, communione quidem utrique moleſta: Sed inprimis Evangelico gravi atque periculoſa. Itaque cum Evangelici adigere Catholicos eo non poterant, ut omnem cauſam reſtitutionis in puncto gravaminum ad eum ſtatum reduci paterentur, qualis ante motus & deſtitutionem fuit; neque etiam anni vigeſimi primi deinceps injecta mentio accepta eſt; poſtquam ſemel in annum vigeſimum quartum utrinque diſceſſum, Evangelicorum utique res poſtulabant, ut is, quoad fieri modo poſſet, quam proxime admoveretur tempori, quo deſtitutio eſt facta. Quanto magis enim ad illud acceſſeris, hoc meliori loco res Evangelicorum futuræ erant: quare ſi acceptandus utique annus vigeſimus quartus fuit, Evangelicis procul dubio expediebat Calendas Januarias illius anni impetraſſe, cujus initio multa adhuc eis integra fuere, quæ deinde mutata in deterius ſunt, antequam annus finiretur.

l) Poſſederunt) De cauſa vel titulo poſſidendi hic nullum verbum. Hoc unice

Digitized by Google

unice inſpicit lex, an poſſederint? Qui enim ſic poſſident, iidem poſſideant. Ratio eſt, ut omnis anſa futuris litibus præſcinderetur, quod fieri non potuiſſet, admiſſa diſtinctione inter cauſas Eccleſiaſticas & Civiles. Neque enim latebat Status Evangelicos, quantopere vexati olim correptique fuerant conſtitutione illa anno 1532. Noribergæ lata, cum induciæ fierent & omnes actiones forenſes ſuſpenderentur, quæ Religionis cauſa intentatæ jam fuerant, in Sachen den Glauben belangend: ex qua reſtrictione infinitæ mox lites prorepſere & pullularunt, omni opera & diligentia in caſſum adhibita, qua anno 1541. Comitiis Ratisbonenſibus cauſas religioſas & profanas diſcernere invicem, & utrisque ſuos limites ponere allaborarunt. Neque Transactione Paſſavienſi & Pace religioſa deinde melius tranquillitati publicæ conſultum fuit, cum de proprietate Bonorum Eccleſiaſticorum nova diſcordiarum motuumque ſemina ſpargerentur. His protinus eradicandis præſentaneum nihil magis erat, quam ut ſublatis omnibus diſputationibus de titulis, de cauſis, de proprietate, res tota definiretur nuda poſſesſione, quæ in facto conſiſtit, & facti tantum probatione indiget, cum ſuperiora infinitis tricis dubiisque ex ingeniis eorum, qui libenter rixantur, ſubjaceant & expoſita ſint. Quas enim non controverſias plerumq; de proprietate vel dominio movent, quā vetus hæc & anceps rixa de cauſa Eccleſiaſtica & Civili, ubi in tanto rerum confinio mixtas etiam facere ſolent: impeditiore adhuc quæſtione quam in partem hæ referendæ potiſſimum ſint. Itaque ſi haberi fides debuit, ſerio & ex animo ipſos ſtabiliendæ quietis deſiderio teneri, opus omnino erat, ut omisſis inſidiis, præteritorum memoria jam ſatis exploratis cognitisq;, candoris ſui & integritatis ſpecimen darent. Huic ſcopo aſſequendo excogitari præſentius nihil potuit, quam ad exemplum interdicti *uti poſſidetis* de re tranſigere ex cujusque poſſeſſione, certo anno dieq; habita. Et ne diſtinctio inter cauſas Eccleſiaſticas & Civiles negotium ultra facesſat, utrobique occurſum eſt abolitis exceptionibus non illis modo, quod Bona *ante vel poſt Transactionem Paſſavienſem aut Pacem Religioſam reformata & occupata fuerint:* Sed & his, *quod non ſint de vel in territorio A.C. Statuum vel exempta*, & ut futuris moleſtiis omni ex parte proſpectum eſſet irritæ etiam eſſe jubentur exceptiones reliquæ omnes, ex quibuscunque prætextibus & rationibus modo deſumi poſſent. Unicum ſolumque fundamentum eſt poſſesſio, ſeu factum poſſesſionis: ne ex qualitate tituli, quo res posſidetur, relinquatur rixandi cauſa. Neque enim, poſtquam ſemel placuit, poſſesſionem pro norma habere litibus dirimendis, quærere amplius licet, an cauſa posſidendi Eccleſiaſtica fuerit vel Civilis, cum ipſa Poſſeſſio, etiam rei ſpiritualis, teſte Gailio temporalis eſſe cenſeatur, quia licet objectum eſt res Eccleſiaſtica, non tamen de jure ſpirituali inſtituitur diſputatio: Sed tantum ſuper facto quæritur, an posſideat quis rem Eccleſiaſticam. Hoc de poſſesſione dicit Gailius,

Digitized by Google

tenta ſemper, ſive reſtituta, ſive vigore hujus transactionis reſtituenda, n) iidem

Gailius, etiam qua Clerici poſſident. Quanto magis Poſſeſſio Statuum Auguſtanæ Confeſſionis, qua Monaſteria & alia Eccleſiaſtica Bona poſſident, pro re temporali & civili habenda erit? Non eſt, cur ſupervacua cuiquam videri debeat prolixa adeo hac ſuper re inſtituta diſſertatio. Inventi enim ſunt ſtatim poſt Inſtrumentum Pacis, qui cum reſtituere rem deberent Eccleſiaſticam, quam alius anno 1642. poſſederat, excuſare ſe conati ſunt hoc officio, ex ea ratione, quod dejectio ſubſecuta facta fuerit non intuitu Religionis, ſed ex cauſa civili veluti propter legatum, donationem &c. quaſi ex hoc §vo nemo reſtituendus in bona Eccleſiaſtica ſit, niſi cui Poſſeſſio intuitu & odio Religionis interverſa fuerit. Uti conſtabit infra exemplo Jeſuitarum Paderbornenſium in cauſa Monaſterii Falkenhagen, qui frivolis ejusmodi nugis ſtatim poſt factam pacem reſtitutionem hujus Monaſterii eludere voluere, & cum illa nihilominus facta a Circulo Saxonico inferiore in ſubſidium ob Circuli Weſtphalici tergiverſationem manifeſtam fuiſſet, adhuc in Aula Cæſarea importunis ſuis ſolicitationibus ſumma vecordia & impudentia in hanc usque diem impugnare non deſiſtunt, magna Comitis Lippiaci moleſtia; contra quem Judicium Imperiale Aulicum, ſubrepentium Patrum favore, iteratis vicibus iniquiſſima mandata dedit, & executiones decrevit, vix hactenus Evangelicorum Statuum intercesſione & validis quibusdam declarationibus depulſas.

m) *Eadem omnia & ſingula*) Notentur hic toties repetita locutiones univerſales: *quæcunque Monaſteria*, item *quocunque ea nomine appellata*: deniq; *eadem omnia & ſingula*, quæ omnes ſignificant, id Paciſcentes magno ſtudio & diligentia egiſſe, ut per hæc ipſam legem univerſalem facerent, a cujus juſſu nihil omnino exceptum voluere, quod nomen habeat Bonorum Eccleſiaſticorum mediatorum.

n) *Sive retenta ſemper, ſive reſtituta, ſive vigore hujus Transactionis reſtituenda*) Mira eſt profecto accuratio adhibita negotio, quod in hoc §vo tractatur: neq; credo, majori ſolicitudine Paciſcentes usquam alicubi uſos, poterat bonorum illorum anno 1624. poſſeſſorum triplex fere conditio fuiſſe, cum pax fieret. Nimirum aut iſta vel retenta etiam poſt annum præſcriptum ſemper fuere: aut amiſſa quidem bello, ſed reſtituta vel recuperata ante pacem publicatam, vel poſt illam vigore ipſius Pacis reſtituenda, quanquam vero conſtitutio generalis de reſtituendis poſſidendisque quibusvis, quæ anno 1624. poſſeſſa fuere, de omnibus ejusmodi caſibus aliunde providiſſet, tamen conſultius viſum, illos etiam ſpeciatim enumerare, ne ex diverſo rei quondam poſſeſſæ ſtatu, prout is alius aliusve a pace concluſa fuit, argumen-

iidem poſſident, o) donec controverſia Religionis p) amicabili partium com-

mentum ſumi poſſet detrectandæ reſtitutionis: cum ita natura comparatum ſit, ut amiſſa facilius relinquamus, quam recuperata reſtituamus.

o) *idem poſſideant*) Nimirum ſi retenta ſemper, vel jam reſtituta: quodſi vero adhuc reſtituenda, tum ante omnia reſtitutio petitur: & deinde poſſeſſio continuatur.

p) *Donec controverſia Religionis* &c.) Initio paragraphi noſtri terminus reſtitutionis a quo, erat prima dies Januarii anni 1624. Nunc traditur terminus reſtitutionis ad quem, quamdiu nimirum Catholici hanc poſſeſſionem Evangelicis relictam voluerint: ſcilicet donec controverſiæ Religionis definiantur. Etenim contendebant Proteſtantes ſibi poſſeſſionem Bonorum Eccleſiaſticorum in perpetuum relinquendam addicendamque eſſe. Catholici vero negabant, hoc a ſe bona conſcientia fieri poſſe; ideoque primo quadraginta annos, deinde centum propoſuêre, quibus omnis repetitio ceſſaret. Tandem vero conditio quidem aliqua adjecta, qua exiſtente reviviſcerent Catholicorum actiones & repetitiones. Sed hæc revera talis eſt, ut magis dicis vel honoris cauſſa appoſita videatur, quam ut multum diſtet ab abdicatione in perpetuum facta. Iſtæ enim controverſiæ Religionis amicabili partium compoſitione univerſali definientur ad Calendas, quod ajunt, Græcas. Quamdiu autem hoc modo definitæ non erunt, Proteſtantes in poſſeſſionem reſtituendi atque in ea perpetuo relinquendi ſunt, non attentis ullis exceptionibus. Neque dubitandum eſt, quin huc etiam pertineat, & repetitum cenſeri debeat, quod ſupra § 14. ſtatutū, ut ſi de Religionis diſſidiis amicabiliter conveniri non poſſit, nihilominus hæc conventio perpetua ſit, & pax ſemper duratura, uti paulo infra eodem ſenſu habetur, *ab omni perſecutione juris & facti perpetuo tuti ſint, donec controverſiæ Religionis compoſitæ fuerint*. Quodſi Proteſtantes ab omni perſecutione juris & facti tuti ſunt, fruſtra erunt Catholici in vindicandis illis bonis vel recuperandis, quoad Paci Weſtphalicæ ſua conſtat auctoritas. Finge tamen caſum, de Religione conveniri, quia hoc ipſum non cœca Proteſtantium acceſſione ad omnia Catholico-Romanæ Eccleſiæ dogmata: ſed per diſceptationes mutuas & Eccleſiæ Chriſtianæ reformationem cenſuramq; in fide & moribus, futurum neceſſario erit, procul dubio de Bonis etiam Eccleſiaſticis nova pactio fiet. Dedere hæc quondam majores noſtri ad ſacri Ordinis ſuſtentationem & ſplendorem: neque illaudabilis principio pietas fuerat, quamdiu inter neceſſaria ſubſiſtebat. Poſtquam vero imprudens & calida æmulatio immenſas undiquaque copias ex Republica erogabat in id genus homines, materiem luxus & avaritiæ: exhauſtæ tandem ſuis opibus civitates, earumque

compoſitione univerſali q) definiantur, non attentis exceptionibus

que Rectores nihil neque ſe indignum, neque a voluntate divina alienum facturi erunt, ſi qua per pactiones aut leges ex orco retracta quaſi, & in uſus publicos jam converſa ſunt. poſt compoſita Religionum diſſidia hoc ſtatu relinquuntur, monito Clero, ut modeſtiam ſervet, & erudiendo potius Chriſtiano populo operam det, quam corradendis undique divitiis poſſidendisque latifundiis, quæ ſunt gulæ libidinumque irritamenta, ineffabili probitatis & ſanctimoniæ diſpendio, cum difficile ſit, inter affluentes opes ſervare moderationem, & integritatem morum; neque enim iis temporibus vivimus, ubi ſordidus cucullus & facies auſtera, barbaque promiſſa tegebat intus flagrantia & indomita vitia; exuére homines priſtinam ſimplicitatem, & tot edocti ſpeciminibus falſæ pietatis jam penitius obſervant, quid ſub larvis ejusmodi lateat fraudis, & vero cum altera ex parte illi ſimulatores obdurata diu conſcientia corrigere ſe ipſi nequeant, niſi inſtrumenta nequitiarum, quibus perditi ſunt, eis ſubtrahantur, idcirco nullo efficaciori medio, & deluſis toties hominibus antiqua opinio de Sacri Ordinis caſtimonia, fide & Sanctitate reſtitui: & in hos ipſos ſalubriori cenſura animadverti poteſt, quam ſi ad antiqua vitæ inſtituta redigantur, acciſis cupiditatum illecebris. quibus & ſuum Ordinem luxu atque ſecuritate, & univerſum orbem exemplo corrupêre. Meminiſſe debent ſui nominis, dum *ſacri*, dum *ſpirituales* appellantur. At certe hujus profeſſionis homines temporalia non valde decent, quibus ſi provinciam ſuam adminiſtrare recte volunt, unica ſpes & fiducia in Deo collocanda eſt, abjecta terreſtrium cura, quæ merito ſordent illis, qui divinarum rerum non depravatum guſtum habent.

q) *Amicabili partium compoſitione univerſali*) Ad definitionem controverſiarum Religionis hæc duo requiruntur, ut fiat compoſitione partium 1) amicabili, 2) univerſali. Primum omnem vim metumque excludit, ut actio libera ſit a coactione, alterum univerſale facit negotium, ne exiſtimemus ſi unus alterve Statuum defecerit, rem ſtatim pro confecta habendam eſſe, quamdiu ſuperſunt alii, qui conſtantiam ſervant. Poſſeſſio enim Statuum A C. firma eſt, & ſine ullius reclamatione, etiamſi alicubi contigerit mutatio quædam Religionis, atque adeo dicere ego auſim; etſi Princeps abjectis prioribus ſacris ad Catholicam Religionem tranſiverit, non modo Subditis integra omnia fore, quæ pro ſecuritate conſcientiæ ſuæ & Religionis ex Pace Weſtphalica habent: Verum etiam ne ipſum quidem Principem illum, ſi ſponte aliud noluerit, ad reſtitutionem Bonorum Eccleſiaſticorum teneri, quorum poſſeſſionem ſemel ex hac lege nactus eſt, quia conſtitutum eſt, ut quæ dicta die annoque poſſedit, ita ſemper poſſideat,

 donec

Digitized by Google

bus r) ſive ante, ſive poſt tranſactactionem Paſſavienſem s) aut Pacem

donec de Religionis controverſiis univerſali compoſitione fuerit tranſactum. Ex quo hoc etiam ſequitur, licet Princeps ille in gratiam Cleri Catholici quibusdam Bonis Eccleſiaſticis ceſſerit, Succeſſorem tamen ejus, ſive ejusdem ſit Religionis, ſive diverſæ, facto Deceſſoris ſui ſtare non teneri, ſed revocare bona ad uſus ſuos iterum poſſe, quia nemo a quoquam poſthac in habita vel recuperata poſſesſione ullo modo turbari debet.

r) *Non attentis exceptionibus*) Catholici Proteſtantibus occupationem & posſesſionem Bonorum Eccleſiaſticorum inter cætera duabus inprimis exceptionibus dubiam facere ſunt conati; una, quod poſt Tranſactionem Paſſavienſem Pacemque Religioſam reformata ſint & occupata: & altera, quod non ſint de vel in territorio, aut quod ſint exempta. Utraque exceptio habere videbatur aliquod fundamentum, in ipſa Religioſa Pace §. Dieweil aber ꝛc. Prior in illis verbis deren Poſſesſion die Geiſtlichen zu Zeit des Paſſauiſchen Vertrags oder ſeithero nicht gehabt. Secunda vero in his: Welche denenjenigen, ſo dem Reiche ohne Mittel unterworffen, und Reichs-Stände ſind, nicht zugehörig, itaque utrique etiam renunciandum fuit. Ex his enim Edictum Ferdinandeum potiſſimas ſuas decidendi rationes pro Catholicis petebat, tanto Monaſteriorum numero, quæ vel poſt Religioſam Pacem occupata & reformata ſunt; vel Statibus Catholicis propria eſſe dicebantur, quamvis in territoriis occupantium, aut confiniis ſita fuerint. Corripuit hoc periculum omnes fere tota Germania Status Proteſtantes, & publicato illo edicto, miſſi per omnes ditiones Comiſſarii, qui Monaſteria aliaque Bona Eccleſiaſtica a Proteſtantibus repeterent, copiis Cæſareis auxiliarias manus Recuperatoribus illis ubique præſtantibus, ſi vel tantillum damnati ſibi reluctandum eſſe exiſtimarent. Dici non poteſt quam late hæc peſtis graſſata ſit: quando terrore & conſternatione oppleverit omnia: Solo propemodum Saxone ſecuro & immoto, cui in occulto fides data erat, vim edicti ſuas ad ditiones non penetraturã: fallaci certe promiſſo, cujus inſidiæ nemini patere non poterant, niſi quem ſtupor & veternus ab heſterna crapula mentem non demoverat. Alii Proteſtantes, qui ſuo partim damno, partim exemplo finitimorum intellexerant, quæ gravia ſibi atque indigna immineant, ſi violentus hic & rapidus torrens refrenari non poſſit, ſumendorum in Auſtriacos armorum viriumque cum Suecis conjungendarum hanc præcipue cauſam & neceſſitatem habuere. Æquum igitur & juſtum fuit cum de pace reducenda actio ſemel inſtituta fuiſſet, ut ea ante omnia removeantur, quæ cauſam & occaſionem tot undique turbis & ſeditionibus præbuere. Horum numero actiones forenſes erant, a Catholicis de fracta pace Religioſa

cem Religioſam reformata & occupata, aut quod non de vel in territorio t) Aug. Conf. Statuum u), vel exempta x) vel aliis Statibus jure

---

ſa, Proteſtantibus intentatæ, intuitu Bonorum Eccleſiaſticorum, quæ poſt Religioſam Pacem denuo occupata fuerant, aut de quorum Dominio territoriali non ſatis conſtabat. Hæc jam omnis lis ſopita eſt, cujusque jure ex certa rei poſſesſione conſtituto, non attentis exceptionibus de tempore reformationis vel proprietate.

s) *Sive ante ſive poſt Transactionem Paſſavienſem* &c. Hic jam ſublata eſt diſtinctio, quæ Pace Religioſa ante hac placuerat, ut inſpiceretur, num Catholici Eccleſiaſtici aut Proteſtantes tempore Transactionis Paſſavienſis & Pacis Religioſæ bona Eccleſiaſtica poſſederunt.

t) *Aut quod non de vel in territorio*) Sic proſpectum eſt & Eccleſiæ & Reipublicæ. Eccleſiæ, ut conſtaret, quæ ſua eſſent circa Bona Eccleſiaſtica: & Reipublicæ, ut hæc etiam ſua noſſet. Hac ratione Bona Eccleſiaſtica anno 1624. die prima Januarii a Statibus poſſeſſa eam retinent Religionem, quam tum temporis habuere, non attenta exceptione, ſive ante ſive poſt Transactionem Paſſavienſem Pacemq; Religioſam fuerint reformata. Et Status eadem jure territorii ac proprietatis ſibi habent, non attenta iterum exceptione, quod non de vel in territorio ſint Aug. Confeſſ. Statuum, vel exempta.

u) *Auguſtanæ Confeſſionis Statuum*) Eſſe de territorio proprie ſignificat, pertinere ad illud territorium, vel eſſe ejus partem. Id quod jure ordinario intelligitur de bonis omnibus, quæ comprehenſa ſunt intra fines territorii. Hæc omnia enim ex juris præſumptione de territorio eſſe exiſtimantur, id eſt, pertinere ad illud territorium, ac Domino territoriali ſubjecta eſſe. Extra ordinem vero accidit nonnunquam, ut bona in territorio ſita pacto aliquo ſpeciali, vel alia ratione exempta eſſe a jurisdictione territoriali dicantur. Hoc cum fit, exceptioni locus eſt, quod non ſint de territorio, id eſt, quod Juri territoriali ſubjecta non ſint, etſi in territorio ea eſſe negari non poſſit. Utroque modo ingentes vexationes perpeſſi ſunt Proteſtantes: igitur utroque etiam proſpiciendum eisdem contra illas futuro tempore fuit. Facilius toleravere Catholici, ſi Aug. Confeſſ. Status Eccleſiaſtica Bona occuparint, quæ jure territorii propria illis erant. At vero cum hoc ipſum in lite eſſet, evidentiori æquitate reclamabant, cum quam legem in negotio Religionis ſibi ferri Proteſtantes a Catholicis indignum & intolerabile putabant, eandem Catholici ab his accipere multo magis repugnarunt: & quidem in re manifeſta hæc æqui juris poſtulatio haud quaquam iniqua videri poterat. Sed de hoc ipſo jam certabatur, ad cujus partis jus territoriale id genus Bona Eccleſiaſtica pertinerent. Hæc ſi in con-

referendum. Nam eſt quidem ſua cuique Religio cordi. Sed ſi reſtituere illam nova acceſſione alicujus partis territorii poterit, iſtud emolomentũ ſtimulabit fortius atque accendet ſtudium propagandæ fidei. Cavillæ autem & vexationes variis artibus conquiſitæ erant, favore Judicis ſemper in Catholicos propendente, qui eadem cum illis ſacra colebat: & cui proinde Evangelici Status vel ſolam ob defectionem exoſos atque inviſos ſe eſſe ſentiebant, Unde illis etiam tanto moleſtius accidit, ejus generis litibus exagitari: quo magis non modo de Religione, ſed & ipſa ditione periclitabantur. Nam Catholici Eccleſiaſtici jam a longo retro tempore conſilia agitavere, qua ratione ſe non modo perſonarum nomine: ſed & intuitu Bonorum ſuorum civili poteſtati ſubtrahere poſſent. Illud ipſis pridem confectum erat ſuperſtitione & errore Seculi. Hoc vero etſi minus proſpere hactenus ſucceſſiſſet, tentatum tamen per vices eſt, incomparabili eorum hominum audacia, quibus cum infelices rerum cœptarum eventus impune ſint, ad moliendа ſemper majora animum addunt; cum eos nec pœnitentia frangat; nec laſſet improba aſſiduitas, utcunque vana ſæpius & inhoneſta. Habent illud ex Ovidio intime ſibi commendatum:

Semper Tibi pendeat hamus,
Quo minime credis gurgite piſcis erit.

adeoque poſt tot aſſultus factos, poſt tot repetita tentamina facile patrari aliquid potuit; quod primo per imprudentiam, vel in honorem Sacri Ordinis diſſimulatum poſt enata Religionum diſſidia opportunitatem dedit erumpendi ex inſidiis, & gratia vel amneſtia Judicis utendi ad deſtinata perficienda. Fac enim Monaſterium aliquod territorio alicujus Status Evangelici undique incluſum fuiſſe: in promptu nihilominus exceptio fuit, quamvis ſit in territorio, non tamen eſſe de territorio: ſed eſſe exemptum. Quodſi in confiniis Epiſcopatus alicujus & Principatus ſitum erat, regendis finibus longe ſpecioſior prætextus ſuppetebat ex juriſdictione Eccleſiaſtica, etiam in territoria aliorum Principum pertingente. Quamvis enim hæc cum jure territorii, ſeu Juriſdictione Seculari commune nihil habeat, ſed regendis animis & conſcientiis apta nata ſit; quia tamen temporalium etiam rerum haud exiguam curam gerit, ut culina nitidius fumet; & præterea Eccleſiaſtici Principes, uti apud nos fert uſus, poteſtatem territorialem cum omnimoda Juriſdictione ſuis in ditionibus obtinent atque exercent. facile fieri potuit, ut in concurſu Juriſdictionum etiam diverſorum generum ab Eccleſiaſtico Principe, qua tali in præjudicium veri Domini territorialis tentatum aliquid effectumque fuerit, quod initio non animadverſum, aut ex reverentia diſſimulatum cum tempore pro actu aliquo poſſeſſorio Juris non Eccleſiaſtici, ſed territorialis allegare ille poterit, qui ex conſulto actu ejuſmodi dubio ſupplantare alium intendit, ex eo quod ipſi ſtatim contradictum non ſit, adhi-

Digitized by Google

adhibitis idoneis argumentis: Denique ſi Catholici Auguſtanæ Confeſſionis Statibus non omne jus in Monaſteria & Bona Eccleſiaſtica abnegare potuerint, tem ipſam non poteſtatis territorialis, ſed alio nomine appellavere, veluti Advocatiæ aut Protectionis, inter quæ jura quanta ſit differentia, neminem uti latet, ita calumniæ facile ſæpe occaſionem præbuit Veterum minus accurata loquendi ratio, non explicato ſatis, an de Advocatia loquantur, quæ jure territorii ac ſuperioritatis competit, vel de illa, quæ ex jure ſpeciali extra territorium vel in Exemptum pacto quodam aut conſuetudine exercetur: inter quæ tamen immane quantum eſt differentia.

Atque hoc fere in Statu res manſere usque ad Edicti Ferdinandei tempora, cum uno velut ictu omnes Proteſtantium fortunæ quoad Bona Eccleſiaſtica ſubverſa ſunt, eo procul dubio conſilio, quod exiſtimatum ſit, hac cervice reciſa Religionem ipſam protinus animam etiam acturam fore. Sed hæc deſtinata mox bellum Germanicum intervertit, donec utraque parte cladium & damnorum pertæſa, bellantium æſtus & ſtudia ad pacem flecti iterum cœpere, æquioribus conditionibus commendabilem. Igitur conventu tranquillitatis publicæ reducendæ cauſa Monaſterium & Oſnabrugam indicto eum ad actionem de Bonis Eccleſiaſticis mediatis ventum eſſet, Catholici iterum priſtina ſtatim recoquere cogitata, & omnem operam dare, ut Bona extra territorium Statuum Evangelicorum ſita a ceſſione eximerent, ea tantum pro derelictis habituri, quæ ad cujusque ditionem & Jurisdictionem Secularem pertinere docebuntur die in der Augſpurgiſchen Confeſſion verwandter Stände Landen und Weltlicher Bothmäßigkeit gelegen. Sed cum Evangelici, præteritorum memores, huic ſe diſputationi, infinitis calumniis obnoxiæ committere nollent: Catholici id ſentientes ea tantummodo excepta volebant, quæ notorie extra territorium occupantium, vel alio modo Catholicis propria eſſent. Doch ſollen hiervon ausgeſchieden ſeyn, ita ajunt in mediis compoſitionis, die 6. Julii 1646. propoſitis, und bleiben diejenigen Klöſter und Stiffter, ſo notorie extra territorium occupantium gelegen, auch die ſonſt andern Catholiſchen Ständen incorporirt, und anderwerts zuſtändig ſeyn. Hic mirum cui videri poſſet, cur Status Proteſtantes in re notoria tamen adverſarentur. Sed illi experientia optime didicerant, qualis in hac rei notoriæ herba lateret anguis. Quod uni notorium videtur, alteri dubium maxime eſt & controverſum. Sed imprimis Potentiores omnia ſua poſtulata juris notorii eſſe volunt, cum ſint nihil minus. Vix evitarant Proteſtantes, ne de jure territorii in Monaſteria & Bona Eccleſiaſtica amplius certaretur, ne jam de notorio certandum eſſet, id omnibus modis cavendum ſibi exiſtimabant. Sicut negabant, Catholicis in occupata jus ullum territoriale competere: Ita

multo

Digitized by Google

multo minus ipſis de notorio poterant concedere. Nullam pro ſe alium ſecuritatem videbant, quam ut totum negotium de Monaſteriis atque Bonis Eccleſiaſticis nude & ſimpliciter poſſeſſione, certo tempore habita terminaretur, abolitis omnibus, quæ poſſeſſioni illi opponi poſſent, ne poſthæc amplius ullo prætextu occaſio ſuperſit impugnandæ poſſeſſionis. Tandem ultimus Catholicorum fuit conatus, ut peterent ab Evangelicis, vellent edere, & nominatim deſignare, quæ Monaſteria, quæve Bona Eccleſiaſtica deſiderent Status Auguſtanæ Confeſſionis ſibi a Catholicis cedi per renuntiationem ad jus territorii. Sed hic etiam ſuboluit fraus Evangelicis: Namque id præcipue agebant Catholici, ut inter ipſos Proteſtantes hac occaſione ſuſpiciones & diſſidia ſererent. Quos enim nominarent, & quos omitterent, integra omnium gratia, cum nemo deteriori conditione alio eſſe vellet? Itaque renunciandum denique fuit Catholicis non modo exceptioni, *ſive ante ſive poſt Tranſactionem Paſſavienſem aut Pacem Religioſam reformata*: verum etiam illi *quod non ſint de vel in territorio Auguſtanæ Confeſſionis Statuum, vel exempta*. Atque adeo reducta res omnis fuit ad unicum ſolumque fundamentum habitæ prima die Januarii 1624. poſſeſſionis, quo Evangelicis non de Religione modo, ſed & jure territorii præſtita ſecuritas ab omni impeditione, quæ deinceps metui poterat. Nam ſi Religioni ſaltem ſuæ cautum voluiſſent Status, contenti poterant eſſe, eo, quod de Subditorum ſecuritate §vo 31. ſtatutum fuit. Cum ipſorum conſcientiis poſt Pacem Religioſam nemo unquam vim admoverit. Aut ſi utique de Monaſteriis ſpeciales ob cauſas intuitu totius Religionis ſtatuendum aliquid fuiſſet, quid opus erat hanc rem poſſeſſione Statuum definire, a quibus ex religionis mutatione periculum ipſis Monaſteriis & Bonis Eccleſiaſticis poterat imminere, cum firmiori longe ratione eorum Religioni proſpiceretur, ſi dictum foret, *in quibuscunque Monaſteriis &c. exercitium Religionis ſecundum Auguſtanam Confeſſionem fuit, in iisdem maneat, irritis omnibus exceptionibus*, aut: *quæcunque Bona Eccleſiaſtica cultui divino ſecundum Auguſtanam Confeſſionem inſervierunt, eidem inſerviant, donec* &c vel in eum ſenſum ſimile quid. Nunc autem lex ita ſcripta non eſt; Totius rei cardo potius in poſſeſſione Statuum vertitur: & niſi Monaſteriis Bonisque Eccleſiaſticis, vel mediatis eorum poſſeſſionibus potius ſpeciali loco alio inter cæteros Subditos de Religione data fides eſſet, mutante Religionem Statu poſſeſſore, ex hoc §vo prohibere eum nemo poſſet, ne in bonis etiam Eccleſiaſticis ſacra corriperet & reformaret; cum hic ſaltem ipſi de ſua poſſeſſione fuerit proſpectum: de remanſione Religionis ne verbum quidem. Neque enim ex eo, quod hic Aug. Confeſſ. Status nominantur, Religionis perpetuitati cautum fuiſſe

prima Januarii, k) poſſederunt, l) eadem omnia & ſingula m) ſive reten-

fuiſſe exiſtimandum eſt, cum hoc modo Statibus Evangelicis libertas mutandi Religionem, ſalva poſſeſſione Monaſteriorum ex hoc §vo debita non ſupereſſet; quam opinionem tamen cum recta ratio & leges, tum vero etiam experientia & exempla eorum, quæ poſt Pacem Weſtphalicam alicubi locorum evenerunt, ſatis refutant. Cum enim cuivis Subdito infra §vo 34. optio Religionis libera detur, an illam Electoribus vel Principibus auferemus? Et quid opus fuit, tanta animorum contentione, imo graviſſimis aliquando motibus ſuſcitatis, de Reſervato Eccleſiaſtico certaſſe? ſi unusquisque Status cujus Religionis anno 1624. fuit, perſeverare in ea debet. Quin libertas Religionis, quæ Eccleſiaſtico non adimitur, modo Epiſcopatu ſuo abeat, multo magis relinquenda Secularibus eſt.

k) *Anno 1624. die prima Januarii)* Mirum hic, cum initio Catholici ipſi in ſuis mediis compoſitionis, anno 1646 die Julii propoſitis quamcunque anni vigeſimi quarti partem conceſſiſſent: cur Evangelici in reſponſo ſuo, Menſe Auguſto ejusdem anni Legatis Cæſareis exhibito rem omnem Calendis Januariis præciſe definierint: immemores eorum viſi, quæ ante menſes aliquot, die 26. Februarii primis ſuis mediis compoſitionis propoſito toto anno 1623 nulla certæ diei deſignatione in medium attulerant. Cujus mutationis cauſa alia eſſe non potuit, niſi quod ſemel in univerſum placuiſſet, omnibus Statibus immediatis terminum reſtitutionis à quo dare Calendas Januarias anni 1624. Fortaſſis etiam evenire potuiſſet, ut ſumto toto anno una ejus parte Status aliquis Auguſtanæ Confeſſioni addictus: & altera parte Catholicus poſſediſſet, communione quidem utrique moleſta: Sed inprimis Evangelico gravi atque periculoſa. Itaque cum Evangelici adigere Catholicos eo non poterant, ut omnem cauſam reſtitutionis in puncto gravaminum ad eum ſtatum reduci paterentur, qualis ante motus & deſtitutionem fuit; neque etiam anni vigeſimi primi deinceps injecta mentio accepta eſt; poſtquam ſemel in annum vigeſimum quartum utrinque diſceſſum, Evangelicorum utique res poſtulabant, ut is, quoad fieri modo poſſet, quam proxime admoveretur tempori, quo deſtitutio eſt facta. Quanto magis enim ad illud acceſſeris, hoc meliori loco res Evangelicorum futuræ erant: quare ſi acceptandus utique annus vigeſimus quartus fuit, Evangelicis procul dubio expediebat Calendas Januarias illius anni impetraſſe, cujus initio multa adhuc eis integra fuere, quæ deinde mutata in deterius ſunt, antequam annus finiretur.

l) *Poſſederunt)* De cauſa vel titulo poſſidendi hic nullum verbum. Hoc unice

unice inſpicit lex, an poſſederint? Qui enim ſic poſſident, iidem poſſideant. Ratio eſt, ut omnis anſa futuris litibus præſcinderetur, quod fieri non potuiſſet, admiſſa diſtinctione inter cauſas Eccleſiaſticas & Civiles. Neque enim latebat Status Evangelicos, quantopere vexati olim correptique fuerant conſtitutione illa anno 1532. Noribergæ lata, cum induciæ fierent & omnes actiones forenſes ſuſpenderentur, quæ Religionis cauſa intentatæ jam fuerant, in Sachen den Glauben belangend: ex qua reſtrictione infinitæ mox lites prorepſere & pullularunt, omni opera & diligentia in caſſum adhibita, qua anno 1541. Comitiis Ratisbonenſibus cauſas religioſas & profanas diſcernere invicem, & utriſque ſuos limites ponere allaborarunt. Neque Transactione Paſſavienſi & Pace religioſa deinde melius tranquillitati publicæ conſultum fuit, cum de proprietate Bonorum Eccleſiaſticorum nova diſcordiarum motuumque ſemina ſpargerentur. His protinus eradicandis præſentaneum nihil magis erat, quam ut ſublatis omnibus diſputationibus de titulis, de cauſis, de proprietate, res tota definiretur nuda poſſeſſione, quæ in facto conſiſtit, & facti tantum probatione indiget, cum ſuperiora infinitis tricis dubiisque ex ingeniis eorum, qui libenter rixantur, ſubjaceant & expoſita ſint. Quas enim non controverſias plerumq; de proprietate vel dominio movent, quã vetus hæc & anceps rixa de cauſa Eccleſiaſtica & Civili, ubi in tanto rerum confinio mixtas etiam facere ſolent: impeditiore adhuc quæſtione quam in partem hæ referendæ potiſſimum ſint. Itaque ſi haberi fides debuit, ſerio & ex animo ipſos ſtabiliendæ quietis deſiderio teneri, opus omnino erat, ut omisſis inſidiis, præteritorum memoria jam ſatis exploratis cognitisq;, candoris ſui & integritatis ſpecimen darent. Huic ſcopo aſſequendo excogitari præſentius nihil potuit, quam ad exemplum interdicti *uti poſſidetis* de re tranſigere ex cujusque poſſeſſione, certo anno dieq; habita. Et ne diſtinctio inter cauſas Eccleſiaſticas & Civiles negotium ultra faceſſat, utrobique occurſum eſt abolitis exceptionibus non illis modo, quod Bona *ante vel poſt Transactionem Paſſavienſem aut Pacem Religioſam reformata & occupata fuerint:* Sed & his, *quod non ſint de vel in territorio A.C. Statuum vel exempta*, & ut futuris moleſtiis omni ex parte proſpectum eſſet irritæ etiam eſſe jubentur exceptiones reliquæ omnes, ex quibuscunque prætextibus & rationibus modo deſumi poſſent. Unicum ſolumque fundamentum eſt poſſesſio, ſeu factum poſſesſionis: ne ex qualitate tituli, quo res posſidetur, relinquatur rixandi cauſa. Neque enim, poſtquam ſemel placuit, poſſesſionem pro norma habere litibus dirimendis, quærere amplius licet, an cauſa posſidendi Eccleſiaſtica fuerit vel Civilis, cum ipſa Poſſeſſio, etiam rei ſpiritualis, teſte Gailio temporalis eſſe cenſeatur, quia licet objectum eſt res Eccleſiaſtica, non tamen de jure ſpirituali inſtituitur diſputatio: Sed tantum ſuper facto quæritur, an posſideat quis rem Eccleſiaſticam. Hoc de poſſesſione dicit Gailius,

Digitized by Google

tenta ſemper, ſive reſtituta, ſive vigore hujus transactionis reſtituenda, n) iidem

Civilius, etiam qua Clerici poſſident. Quanto magis Poſſeſſio Statuum Auguſtanæ Confeſſionis, qua Monaſteria & alia Eccleſiaſtica Bona poſſident, pro re temporali & civili habenda erit? Non eſt, cur ſupervacua cuiquam videri debeat prolixa adeo hac ſuper re inſtituta diſſertatio. Inventi enim ſunt ſtatim poſt Inſtrumentum Pacis, qui cum reſtituere rem deberent Eccleſiaſticam, quam alius anno 1624. poſſederat, excuſare ſe conati ſunt hoc officio, ex ea ratione, quod dejectio ſubſecuta facta fuerit non intuitu Religionis, ſed ex cauſa civili veluti propter legatum, donationem &c. quaſi ex hoc §vo nemo reſtituendus in bona Eccleſiaſtica ſit, niſi cui Poſſeſſio intuitu & odio Religionis interverſa fuerit. Uti conſtabit infra exemplo Jeſuitarum Paderbornenſium in cauſa Monaſterii Falkenhagen, qui frivolis ejusmodi nugis ſtatim poſt factam pacem reſtitutionem hujus Monaſterii eludere voluere, & cum illa nihilominus facta a Circulo Saxonico inferiore in ſubſidium ob Circuli Weſtphalici tergiverſationem manifeſtam fuiſſet, adhuc in Aula Cæſarea importunis ſuis ſolicitationibus ſumma vecordia & impudentia in hanc usque diem impugnare non deſiſtunt, magna Comitis Lippiaci moleſtia; contra quem Judicium Imperiale Aulicum, ſubrepentium Patrum favore, iteratis vicibus iniquiſſima mandata dedit, & executiones decrevit, vix hactenus Evangelicorum Statuum interceſſione & validis quibusdam declarationibus depulſas.

m) *Eadem omnia & ſingula*) Notetur hic toties repetitæ locutiones univerſales: *quæcunque Monaſteria*, item *quocunque ea nomine appellata*: deniq; *eadem omnia & ſingula*, quæ omnes ſignificant, id Paciſcentes magno ſtudio & diligentia egiſſe, ut per hæc ipſam legem univerſalem facerent, a cujus juſſu nihil omnino exceptum voluere, quod nomen habeat Bonorum Eccleſiaſticorum mediatorum.

n) *Sive retenta ſemper, ſive reſtituta, ſive vigore hujus Transactionis reſtituenda*) Mira eſt profecto accuratio adhibita negotio, quod in hoc §vo tractatur: neq; credo, majori ſolicitudine Paciſcentes usquam alicubi uſos, poterat bonorum illorum anno 1624. poſſeſſorum triplex fere conditio fuiſſe, cum pax fieret. Nimirum aut iſta vel retenta etiam poſt annum præſcriptum ſemper fuere: aut amiſſa quidem bello, ſed reſtituta vel recuperata ante pacem publicatam, vel poſt illam vigore ipſius Pacis reſtituenda, quanquam vero conſtitutio generalis de reſtituendis poſſidendisque quibusvis, quæ anno 1624. poſſeſſa fuere, de omnibus ejusmodi caſibus aliunde providiſſet, tamen conſultius viſum, illos etiam ſpeciatim enumerare, ne ex diverſo rei quondam poſſeſſæ ſtatu, prout is alius aliusve a pace concluſa fuit, argumen-

iidem poſſident, o) donec controverſia Religionis p) amicabili partium com-

mentum ſumi poſſet detrectandæ reſtitutionis: cum ita natura comparatum ſit, ut amiſſa facilius relinquamus, quam recuperata reſtituamus.

o) *iidem poſſideant*) Nimirum ſi retenta ſemper, vel jam reſtituta: quodſi vero adhuc reſtituenda, tum ante omnia reſtitutio petitur: & deinde poſſeſſio continuatur.

p) *Donec controverſia Religionis* &c.) Initio paragraphi noſtri terminus reſtitutionis a quo, erat prima dies Januarii anni 1624. Nunc traditur terminus reſtitutionis ad quem, quamdiu nimirum Catholici hanc poſſeſſionem Evangelicis relictam voluerint: ſcilicet donec controverſiæ Religionis definiantur. Etenim contendebant Proteſtantes ſibi poſſeſſionem Bonorum Eccleſiaſticorum in perpetuum relinquendam addicendamque eſſe. Catholici vero negabant, hoc a ſe bona conſcientia fieri poſſe; ideoque primo quadraginta annos, deinde centum propoſuêre, quibus omnis repetitio ceſſaret. Tandem vero conditio quidem aliqua adjecta, qua exiſtente reviviſcerent Catholicorum actiones & repetitiones. Sed hæc revera talis eſt, ut magis dicis vel honoris cauſſa appoſita videatur, quam ut multum diſtet ab abdicatione in perpetuum facta. Iſtæ enim controverſiæ Religionis amicabili partium compoſitione univerſali definientur ad Calendas, quod ajunt, Græcas. Quamdiu autem hoc modo definitæ non erunt, Proteſtantes in poſſeſſionem reſtituendi atque in ea perpetuo relinquendi ſunt, non attentis ullis exceptionibus. Neque dubitandum eſt, quin huc etiam pertineat, & repetitum cenſeri debeat, quod ſupra § 14. ſtatutũ. ut ſi de Religionis diſſidiis amicabiliter conveniri non poſſit, nihilominus hæc conventio perpetua ſit, & pax ſemper duratura, uti paulo infra eodem ſenſu habetur, *ab omni perſecutione juris & facti perpetuo tuti ſint, donec controverſiæ Religionis compoſitæ fuerint.* Quodſi Proteſtantes ab omni perſecutione juris & facti tuti ſunt, fruſtra erunt Catholici in vindicandi illis bonis vel recuperandis, quoad Paci Weſtphalicæ ſua conſtat auctoritas. Finge tamen caſum, de Religione conveniri, quia hoc ipſum non cœca Proteſtantium acceſſione ad omnia Catholico-Romanæ Eccleſiæ dogmata: ſed per diſceptationes mutuas & Eccleſiæ Chriſtianæ reformationem cenſuramq; in fide & moribus, futurum neceſſario erit, procul dubio de Bonis etiam Eccleſiaſticis nova pactio fiet. Dedere hæc quondam majores noſtri ad ſacri Ordinis ſuſtentationem & ſplendorem: neque illaudabilis principio pietas fuerat, quamdiu inter neceſſaria ſubſiſtebat. Poſtquam vero imprudens & callida æmulatio immenſas undiquaque copias ex Republica erogabat in id genus homines, materiem luxus & avaritiæ: exhauſtæ tandem ſuis opibus civitates, earumque

Digitized by Google

compoſitione univerſali q) definiantur, non attentis exceptionibus

que Rectores nihil neque ſe indignum, neque a voluntate divina alienum facturi erunt, ſi qua per pactiones aut leges ex orco retracta quaſi, & in uſus publicos jam converſa ſunt. poſt compoſita Religionum diſſidia hoc ſtatu relinquuntur, monito Clero, ut modeſtiam ſervet, & erudiendo potiùs Chriſtiano populo operam det, quam corradendis undique divitiis poſſidendisque latifundiis, quæ ſunt gulæ libidinumque irritamenta, ineffabili probitatis & ſanctimoniæ diſpendio, cum difficile ſit, inter affluentes opes ſervare moderationem, & integritatem morum; neque enim iis temporibus vivimus, ubi ſordidus cucullus & facies auſtera, barbaque promiſſa tegebat intus flagrantia & indomita vitia; exuère homines priſtinam ſimplicitatem, & tot edocti ſpeciminibus falſæ pietatis jam penitius obſervant, quid ſub larvis ejusmodi lateat fraudis, & vero cum altera ex parte illi ſimulatores obdurata diu conſcientia corrigere ſe ipſi nequeant, niſi inſtrumenta nequitiarum, quibus perditi ſunt, eis ſubtrahantur, idcirco nullo efficaciori medio, & deluſis toties hominibus antiqua opinio de Sacri Ordinis caſtimonia, fide & Sanctitate reſtitui: & in hos ipſos ſalubriori cenſura animadverti poteſt, quam ſi ad antiqua vitæ inſtituta redigantur, acciſis cupiditatum illecebris, quibus & ſuum Ordinem luxu atque ſecuritate, & univerſum orbem exemplo corrupère. Meminiſſe debent ſui nominis, dum *ſacri*, dum *ſpirituales* appellantur. At certe hujus profeſſionis homines temporalia non valde decent, quibus ſi provinciam ſuam adminiſtrare recte volunt, unica ſpes & fiducia in Deo collocanda eſt, abjecta terreſtrium cura, quæ merito ſordent illis, qui divinarum rerum non depravatum guſtum habent.

q) *Amicabili partium compoſitione univerſali*) Ad definitionem controverſiarum Religionis hæc duo requiruntur, ut fiat compoſitione partium 1) amicabili, 2) univerſali. Primum omnem vim metumque excludit, ut actio libera ſit a coactione, alterum univerſale facit negotium, ne exiſtimemus ſi unus alterve Statuum defecerit, rem ſtatim pro confecta habendam eſſe, quamdiu ſuperſunt alii, qui conſtantiam ſervant. Poſſesſio enim Statuum A. C. firma eſt, & ſine ullius reclamatione, etiamſi alicubi contigerit mutatio quædam Religionis, atque adeo dicere ego auſim; etſi Princeps abjectis prioribus ſacris ad Catholicam Religionem tranſiverit, non modo Subditis integra omnia fore, quæ pro ſecuritate conſcientiæ ſuæ & Religionis ex Pace Weſtphalica habent: Verum etiam ne ipſum quidem Principem illum, ſi ſponte aliud noluerit, ad reſtitutionem Bonorum Eccleſiaſticorum teneri, quorum poſſeſſionem ſemel ex hac lege nactus eſt, quia conſtitutum eſt, ut quæ dicta die annoque poſſedit, ita ſemper poſſideat, donec

Digitized by Google

bus r) ſive ante, ſive poſt transactactionem Paſſavienſem s) aut Pacem

donec de Religionis controverſiis univerſali compoſitione fuerit transactum. Ex quo hoc etiam ſequitur, licet Princeps ille in gratiam Cleri Catholici quibusdam Bonis Eccleſiaſticis ceſſerit, Succeſſorem tamen ejus, ſive ejusdem ſit Religionis, ſive diverſæ, facto Deceſſoris ſui ſtare non teneri, ſed revocare bona ad uſus ſuos iterum poſſe, quia nemo a quoquam poſthac in habita vel recuperata poſſeſſione ullo modo turbari debet.

r) *Non attentis exceptionibus*) Catholici Proteſtantibus occupationem & poſſeſſionem Bonorum Eccleſiaſticorum inter cætera duabus inprimis exceptionibus dubiam facere ſunt conati; una, quod poſt Transactionem Paſſavienſem Pacemque Religioſam reformata ſint & occupata: & altera, quod non ſint de vel in territorio, aut quod ſint exempta. Utraque exceptio habere videbatur aliquod fundamentum, in ipſa Religioſa Pace §. Dieweil aber ꝛc. Prior in illis verbis deren Poſſeſſion die Geiſtlichen zu Zeit des Paſſauiſchen Vertrags oder ſeithero nicht gehabt. Secunda vero in his: Welche denenjenigen, ſo dem Reiche ohne Mittel unterworffen, und Reichs-Stände ſind, nicht zugehörig, itaque utrique etiam renunciandum fuit. Ex his enim Edictum Ferdinandeum potiſſimas ſuas decidendi rationes pro Catholicis petebat, tanto Monaſteriorum numero, quæ vel poſt Religioſam Pacem occupata & reformata ſunt; vel Statibus Catholicis propria eſſe dicebantur, quamvis in territoriis occupantium, aut confiniis ſita fuerint. Corripuit hoc periculum omnes fere tota Germania Status Proteſtantes, & publicato illo edicto, miſſi per omnes ditiones Comiſſarii, qui Monaſteria aliaque Bona Eccleſiaſtica a Proteſtantibus repeterent, copiis Cæſareis auxiliarias manus Recuperatoribus illis ubique præſtantibus, ſi vel tantillum damnati ſibi reluctandum eſſe exiſtimarent. Dici non poteſt quam late hæc peſtis graſſata ſit: quando terrore & conſternatione oppleverit omnia: Solo propemodum Saxone ſecuro & immoto, cui in occulto fides data erat, vim edicti ſuas ad ditiones non penetraturã; fallaci certe promiſſo, cujus inſidiæ nemini patere non poterant niſi quem ſtupor & veternus ab heſterna crapula mente non demoverat. Alii Proteſtantes, qui ſuo partim damno, partim exemplo finitimorum intellexerant, quæ gravia ſibi atque indigna immineant, ſi violentus hic & rapidus torrens refrenari non poſſit, ſumendorum in Auſtriacos armorum viriumque cum Suecis conjungendarum hanc præcipue cauſam & neceſſitatem habuere. Æquum igitur & juſtum fuit cum de pace reducenda actio ſemel inſtituta fuiſſet, ut ea ante omnia removeantur, quæ cauſam & occaſionem tot undique turbis & ſeditionibus præbuere. Horum numero actiones forenſes erant, a Catholicis de fracta pace Religio-

ſa

Digitized by Google

cem Religioſam reformata & occupata, aut quod non de vel in territorio t) Aug. Conf. Statuum u), vel exempta x) vel aliis Statibus jure

ſa, Proteſtantibus intentatæ, intuitu Bonorum Eccleſiaſticorum, quæ poſt Religioſam Pacem denuo occupata fuerant, aut de quorum Dominio territoriali non ſatis conſtabat. Hæc jam omnis lis ſopita eſt, cujusque jure ex certa rei poſſeſſione conſtituto, non attentis exceptionibus de tempore reformationis vel proprietate.

s) *Sive ante ſive poſt Tranſactionem Paſſavienſem* &c. Hic jam ſublata eſt diſtinctio, quæ Pace Religioſa ante hac placuerat, ut inſpiceretur, num Catholici Eccleſiaſtici aut Proteſtantes tempore Tranſactionis Paſſavienſis & Pacis Religioſæ bona Eccleſiaſtica poſſederunt.

t) *Aut quod non de vel in territorio*) Sic proſpectum eſt & Eccleſiæ & Reipublicæ. Eccleſiæ, ut conſtaret, quæ ſua eſſent circa Bona Eccleſiaſtica; & Reipublicæ, ut hæc etiam ſua noſſet. Hac ratione Bona Eccleſiaſtica anno 1624. die prima Januarii a Statibus poſſeſſa eam retinent Religionem, quam tum temporis habuere, non attenta exceptione, ſive ante ſive poſt Tranſactionem Paſſavienſem Pacemq; Religioſam fuerint reformata. Et Status eadem jure territorii ac proprietatis ſibi habent, non attenta iterum exceptione, quod non de vel in territorio ſint Aug. Confeſſ. Statuum, vel exempta.

u) *Auguſtanæ Confeſſionis Statuum*) Eſſe de territorio proprie ſignificat, pertinere ad illud territorium, vel eſſe ejus partem. Id quod jure ordinario intelligitur de bonis omnibus, quæ comprehenſa ſunt intra fines territorii. Hæc omnia enim ex juris præſumptione de territorio eſſe exiſtimantur, id eſt, pertinere ad illud territorium, ac Domino territoriali ſubjecta eſſe. Extra ordinem vero accidit nonnunquam, ut bona in territorio ſita pacto aliquo ſpeciali, vel alia ratione exempta eſſe a jurisdictione territoriali dicantur. Hoc cum ſit, exceptioni locus eſt, quod non ſint de territorio, id eſt, quod Juri territoriali ſubjecta non ſint, etſi in territorio ea eſſe negari non poſſit. Utroque modo ingentes vexationes perpeſſi ſunt Proteſtantes: igitur utroque etiam proſpiciendum eisdem contra illas futuro tempore fuit. Facilius toleravere Catholici, ſi Aug. Confeſſ. Status Eccleſiaſtica Bona occuparint, quæ jure territorii propria illis erant. At vero cum hoc ipſum in lite eſſet, evidentiori æquitate reclamabant, cum quam legem in negotio Religionis ſibi ferri Proteſtantes a Catholicis indignum & intolerabile putabant, eandem Catholici ab his accipere multo magis repugnarunt: & quidem in re manifeſta hæc æqui juris poſtulatio haud quaquam iniqua videri poterat. Sed de hoc ipſo jam certabatur, ad cujus partis jus territoriale id genus Bona Eccleſiaſtica pertinerent. Hæc ſi in con-

Digitized by Google

confinio ſita erant, uterque ſibi ſuoque territorio aſſerebat. Quam vero difficilis & impeditæ probationis ſint ejus generis lites & controverſiæ, cum de regundis antiquis finibus agitur, nemo ignorat. Sin vero liquido conſtabat, Bona territorio alterutrius incluſa & comprehenſa eſſe, alter excipiebat de exemptione, dicebatque, etſi ſint in territorio ſita, non tamen eſſe de territorio, id eſt, non eſſe territorii partem, ſed eſſe exempta, ſibique jure ſpeciali propria, id quod longe moleſtius negotium controvertentibus faceſſebat, ſolito Statibus more, ut Deceſſorum ſuorum pactis, donationibus, legatis & aliis conventis, cum de præjudicio eorum agitur, ſtare nolint, imprimis ſi ab iſtis cauſam ſucceſſionis non habeant. Interea ſperari nulla pax firma & ſtabilis poterat, his controverſii in medio relictis. Proteſtantes enim memoria præteritorum territi, nolebant arma ponere, quæ induerant pro hac ſecuritate comparanda. At moleſta nimis fuiſſet & intricata quæſtio de cujusque jure territorii, vix ſeculo ſecundum formulas actionum & uſum judiciorum decidenda; quin ex ipſius negotii natura pro indiſſolubili & deſperata habenda, cum Proteſtantes Catholicum Judicem; Catholici Proteſtantem ferre nolint. Duobus autem ex utraq; Religione datis, aut re arbitris pari numero permiſſa, ſtudio partium omne hoc negotium exitu cariturum neceſſario foret. Expeditiſſima itaque ratio fuit conficiendæ rei, ut ſepoſita omni cognitione de jure hujus vel illius litigantium partis ſola poſſeſſione cujusque jura æſtimarentur, deinceps in perpetuum valitura, abrogatis omnibus antiquis titulis, ex quibus nemo amplius in habita vel recuperata poſſeſſione ullo modo turbari poteſt, ſecurus poſthæc perpetuo ab omni perſecutione juris & facti. Quanquam vero hoc durum videri poſſit, de cujusque quæſito jure ſic velut talis ludere: Turbata tamen ſemel Republ. & inteſtinis motibus concuſſa, non eſt inſolitum aut infrequens concordiam ejusmodi mediis reducere. Utraque enim pars a ſe amovet culpam, & in alterum rejicit. Utraque petit, ut ſibi ſatisfiat, non de damnis modo acceptis, verum etiam de futura ſecuritate. Inter hæc nemo alteri cedit: nemo alterius jura aut titulos valde expendit; aut retinere unusquisque vult, quod bello habet, aut qua minima poteſt, jactura defungi: Cœtera in compenſationem reputat ſumptuum, damnorum, cladium & moleſtiarum, quas diuturno bello perferre coactus eſt. Præterea habent Catholici, quod hic merito in lucro computent. Quandoquidem enim de gravaminibus Religionis tranſigendum cum ipſis fuit, non ex poſſeſſione ejus temporis, quo quieta omnia & tranquilla in Imperio adhuc erant; ſed cum arma Imperatoris Ferdinandi magnam Germaniæ partem jam ſubegiſſent, multa relinquenda fuere Catholicis, ex haud dubio Proteſtantium jure, quamobrem æquum non eſt, ut illi ægre ferant, reciſam occaſionem renovandarum litium ob ejusmodi cauſas, quibus Reſpublica in ſeditiones

primo

Digitized by Google

jure Suffraganeatus, Diaconatus y) aliave quavis ratione obligata fuiſſe dicuntur, z) unicum ſolumque hujus tranſactionis, aa) reſtitutionis, obſer-

primo exarſit: & quarum agitatione, ſi incompoſitæ relinquerentur, ſpes eſſe nulla poterat, tranquillam eam ullo tempore futuram.

x) *Vel exempta*) non eſſe de territorio, & eſſe exemptum a territorio, effectu juris idem eſt, quod enim negatur de territorio eſſe, id exemptum eſſe affirmatur. Itaq; hic verba *vel exempta*, non disjunctive explicanda, ſed explicative intelligenda.

y) *Vel aliis Statibus jure Suffraganeatus, Diaconatus* &c.) Bona quæ aliis Statibus jure Suffraganeatus Diaconatus &c. obligata eſſe dicuntur, ad Status Eccleſiaſticos referri debent. Quod vero additur, aliave quavis ratione, etiam ad Status Seculares pertinere poteſt.

z) *Obligata fuiſſe dicuntur*) His verbis *fuiſſe dicuntur*, dedita opera uſi ſunt Paciſcentes: nam ad ſuperiora etiam pertinent: veluti, *ſive ante ſive poſt Tranſactionem* &c. *reformata; aut quod non de vel in territorio A. C. Statuum vel exempta* &c. *vel aliis Statibus obligata* FUISSE DICUNTUR. Adhibenda autem hæc loquendi ratio fuit, ut parti utrique ſatisfieri poſſit. Nimirum Proteſtantes jus ſibi etiam poſt tranſactionem Paſſavienſem, Pacemve Religioſam eſſe contendebant reformandi Bona Eccleſiaſtica, eaque alios in uſus convertendi. Catholici autem huic aſſerto contradicebant. Ex adverſo hi ipſi Catholici affirmabant, Proteſtantes multa Monaſteria & Eccleſiaſtica Bona poſt Transactionem Paſſavienſem & Pacem Religioſam de facto occupaſſe & reformaſſe. Hoc vero negabant Status Auguſtanæ Confeſſionis. De Monaſteriis & Bonis Eccleſiaſticis plurimis certabatur, an ſint de territorio Auguſt. Confeſſionis Statuum: vel ſaltem in territorio eorum, ſed exempta. Illud Proteſtantes volebant: Hoc Catholici. Quid hic faciendum? Scilicet Paciſcentes dum concordiæ ſtudent, harum rerum arbitrium ſibi ſumere nolebant. Sed aſſerto cujusque partis in medio relicto, cum tamen ſtatui aliquid de his rebus oporteret, verbis neutrobi offenſantibus uſi ſunt, quod commodiſſime factum per illud *fuiſſe dicuntur*. Sic jure cujusque juxta habitam Calendis Januariis anno 1624. poſſeſſionem ſemel diſcreto dum regula traditur, ut Aug. Conf. Status, qui illo tempore poſſederunt, poſſideant, ſine cujusquam injuria vel offenſa addi potuit, non attentis exceptionibus, ſive hoc, ſive illud, ſive iſtud *fuiſſe dicatur*.

aa) *Unicum ſolumque hujus Tranſactionis* &c.) Enixam voluntatem his verbis ſuis declarant Paciſcentes, In ſuperioribus jam placuerat, ut qui conſtituto anno dieq; poſſederunt, poſſideant omnia & ſingula, donec de Religione fuerit conventum. Ex his ſatis conſtabat, poſſeſſio-

(*Meditat. Spec. III.*) Kk

obſervantiæque futuræ bb) fundamentum cc) ſit die prima Januarii, Anno

ſeſſionem pro unico fundamento haberi. Sed pro majori certitudine id ipſum verbis etiam eſt expreſſum. Præterea iisdem in verbis, *unicum ſolumque* latent adhuc majora. Primo enim, ſi *unicum* dixiſſent, ſuffeciſſent forſitan nomina rebus. At geminatio *unicum ſolumque* fortius ſignificat præter poſſeſſionem ſpectari nihil. Deinde poteſt quidem poſſeſſio eſſe in re controverſa fundamentum. Sed plerumque poſtquam de hac judicatum eſt, remanet nihilominus quæſtio de iure, ubi vero poſſeſſio eſt unicum ſolumque fundamentum tollendis controverſiis, cauſa juris ſimul finit, cum ejusmodi pactio fieri niſi per modum transactionis non poſſit: Denique poteſt poſſeſſor etiam ex plurimis cauſis conveniri, uti quondam Proteſtantes non modo ex capite reformationis atque occupationis poſt Transactionem Paſſavienſem corripiebantur: ſed & ex cauſa territorii & proprietatis. Hoc cum fit, una cauſa deciſa, ſuperſunt aliæ, ex quibus agere licet. Quando autem poſſeſſio unicum ſolumque eſt fundamentum, tolluntur una opera omnes cauſæ, neque aliud præter nudum factum poſſeſſionis, uti in Receſſu Executionis Noribergenſi vocatur, inſpicitur.

bb) *Hujus Transactionis, reſtitutionis obſervantiæque futuræ*) Transactio proprie eſt pactum ſeu conventio, quâ poſſeſſio ſubſternitur ut fundamentum reſtitutionis & futuræ obſervantiæ, cui addi potuiſſet ad implendum legis numerum, *retentionis*. Qui enim anno 1624. in poſſeſſione fuit, neque poſtea dejectus eſt, aut qui ſaltem tempore factæ pacis poſſeſſionem habuit, reſtitutione nulla indiget; utriſque autem pro futura obſervantia illa ipſa poſſeſſio, uti anno 1624 fuit habita, non minus eſt fundamentum, quam qui poſt annum 1624 dejecti nunc reſtituuntur. De cœtero notanter dicitur, fundamentum *hujus Transactionis*, Transactionis nimirum de Monaſteriis & reliquis Bonis Eccleſiaſticis mediatis. Hoc in circo ſemper manendum eſt nobis. Neque enim totius Transactionis, qua Pax Weſtphalica abſolvitur, fundamentum eſt hæc poſſeſſio anno 1624. habita: ſed ſi duo illa requiſita inſuper concurrunt, quæ ſequenti obſervatione indicabuntur.

cc) *Fundamentum*) Poſſeſſio igitur eſt fundamentum. Cumque omne fundamentum referre ſe ad aliquod debeat, cujus fundamentum eſt; neque enim quodvis portat omnia: idcirco diſpiciendum de eo eſt, cujus poſſeſſio fundamentum eſſe poteſt. Ad poſſeſſionem omnem duo requiruntur, 1.) perſona, quæ poſſidet, & 2.) res, quæ poſſidetur. Ad poſſeſſorem requiritur, ut ſit Status Imperii immediatus. Ad rem poſſeſſam, ut ſit Monaſterium vel Bonum aliquod aliud Eccleſiaſticum mediatum ubi unum deficit, vel utrumque, ex formula hujus Transactionis non datur actio: ſed alia

Digitized by Google

no milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto habita poſſeſsio, dd) irritis

---

alia ex cauſa erit agendum. De libera itaque Nobilitate Imperii, ut & Communitatibus & pagis immediatis merito dubitatur. Non equidem ſum immemor, hos ſupra §vo 2do incluſos nominatim eſſe termino reſtitutionis a quo in Eccleſiaſticis. Sed cur hic præteriti ſint, non ſine ratione quæro, cum verecundia mihi ſit, Paciſcentes, quos hoc §vo in omnibus aliis tanta accuratione partiumque enumeratione defunctos eſſe video, hac una in re incuriæ aut negligentiæ accuſare, interea uti excluſos nolo, ſi comprehenſi utique ſunt: ita ſupra meum eſt munus, eosdem admittere, aut ſententia mea juvare, ſi forte lex illos excluſiſſet,

dd) *Habita poſſeſſio)* Cum alia ſit poſſeſſio, qua quis ſuo nomine animoque ſibi habendi rem poſſidet; atque rurſus alia, cum nomine alieno poſſidemus, non abs re quæritur, an utraque eundem effectum juris ex hoc §vo habeat? Cum nuda poſſeſsio, vel ut alibi appellatur, nudum factum poſſeſsionis hic unice inſpicitur, dubium non eſt, quin poſſeſſio etiam alieno nomine habita hoc ipſum operetur, ut ſit unicum ſolumque retentionis, reſtitutionis & futuræ obſervantiæ fundamentum. Sed illud deciſum eſſe non videtur, cui iſta bono vel commodo cedat? an illi, cujus nomine poſſidetur res? vel ei, qui poſſidet nomine alieno? Quandoquidem autem duplici fere modo quis alieno nomine poſſidere intelligitur, uno, quo nude rem detinet, non ſuo, ſed alieno nomine: veluti propter uſum, vel cuſtodiam exempli gratia Depoſitarius, Commodatarius, Colonus & Inquilinus: & ex primo decreto in poſſeſſionem miſſus, qui precario in fundo commoratur, item procuratores, tutores, curatores, & altero, qua quis rem *ſuo quidem nomine* propter aliquod jus in re poſſidet, ſed tamen *citra animum Domini*, ut uſufructuarius, Hypothecarius, Sequeſter, Vaſallus, Superficiarius, Emphiteuticarius &c. fortaſſe nonnihil inter hæc intererit. Videamus de ultimis primo loco. Hic mea eſt ſententia, integro aliorum judicio, quamdiu iſti Poſſeſſores rem in poteſtate ſua habent, turbari eos ab aliis Dominii directi vel proprietatis nomine neque poſſe neque debere. Quando autem uſusfructus finitur, feudum conſolidatum, pignus exſoluto debito redemptum eſt, atque adeo Bona Eccleſiaſtica ejusmodi juribus quondam obnoxia ad Dominum directum vel Proprietarium redeunt, qui diverſæ Religionis eſt, cum eo, cujus jura in re his vel aliis modis extincta ſunt, quid huic jam liceat, paulo impeditior eſt diſquiſitio. Neque enim veroſimile eſt, ſi quis anno 1624. Fundum Eccleſiaſticum uſufructuario vel emphiteuſeos jure poſſedit, finito uſufructu vel Emphyteuſi quocunq; legitimo modo propter illam poſſeſſionem rem ad Dominum non redituram, ſed uſufructuarium aut Emphyteutuarium vel hæredes ejus ab

ab omni perſecutione juris & facti perpetuo tutos eſſe. Saltem enim infra §vo 27. diſerte ſtatuitur, reluendis pignoribus facultatem ſupereſſe: cur de reliquis non idem affirmetur, nulla apparet ratio. Et ſane cum neceſſaria pars poſſesſionis ſit ut Status poſſideat, neceſſarium utique etiam erit, ut posſideat eo nomine, quo eſt Status: id eſt, ut Bona Eccleſiaſtica jure Territoriali occuparit & reformarit. Omnia enim Bona Mediata tam Eccleſiaſtica quam Secularia duos habent poſſeſſores, unum, qui pro Statu posſidet, & alium qui pro ſubdito. Posſesſio pro Statu Jus Territoriale reſpicit, quo res poſſeſſa regitur; poſſeſſio pro ſubdito dominia aliaque jura Privatorum continet. Equidem non negarim hæc duo aliquando in una perſona posſe concurrere. Sed & illud affirmo, neceſſe eſſe, ut concurrant in duabus perſonis, ſi modo Bonorum Mediatorum forma aliqua manere debet. Nam ubi unus tantum eſt poſſesſor, qui jure Territorii posſidet: nemo jure privato rem tenet. Perit oppido Mediatorum Bonorum forma, & res in cenſuram redigitur Immediatorum, quorum hæc nota characteriſtica eſt, ut nemo alius in ea jus & poteſtatem habeat, quam Territorii Dominus. Fac nunc uſufructuarium aliquem, aut Vaſallum, aut Creditorem poſſediſſe anno 1624. rem Eccleſiaſticam, veluti Monaſterium. Siquidem is ſuo ex jure non eſt ſtatus Imperii, jura tamen Status & Territorii, quæ illi rei inhærent, utenda fruenda, aut in ſecuritatem crediti oppignorata ex contractu antichreſeos habet; quod aliquando factum Imperii Receſſus probant, quibus fit mentio Hypothecariorum, der Pfandinhaber, qui ad comitia vocabantur, cum facultate non modo Suffragii in Senatu ferendi, ſed & Receſſus ſubſcribendi, habita poſſesſio ipſi ejusque Succeſſoribus tamdiu proderit, dum inſiſtit rei. Sed eadem hoc vix efficiet, ne illis modis, quibus jure communi fieri ſolitum, uſusfructus ad proprietarium redeat, pignus ad debitorem, Feudum ad Dominum directum: Sin vero ejusmodi poſſeſſores jure ſuo & proprio etiam Status ſunt, ſive id aliorum Bonorum immediatorum intuitu evenerit, ſive Feudum aliquod, in re immediata conſtitutum, & cum omni Territorio jure conceſſum fuerit: Habita poſſesſio tanto certius ſecurum faciet poſſeſſorem ſuum, quamdiu posſidere rem poteſt, quanto minus ipſi de Statu ſuo immediato & ordine, quem inter Electores, Principes vel cæteros Status Imperii obtinet, moveri quæſtio poterit. Atque hæc mea eſt ſententia de caſu illo, cum poſſesſionem quis habuit boni alicujus Eccleſiaſtici propter jus quoddam in re, & animo ſibi habendi, ſed citra animum Domini: quæ ſi menti Paciſcentium non congruit, nemini autor eſſe velim, ut me ſequatur; paratus ipſe potius non modo meliora rectioraque docentibus accedere; ſed & grates maximas habere, quod errore liberatus fuerim. Alter caſus eſt, cum quis pro alio nude detinet uſus, cuſtodiæ aut officii cauſa, exempla paulo ante tradidimus, quæ nunc ſaltem per caſus quosdam, ut melius

Digitized by Google

lius intelligamus, illuſtranda erunt. Finge igitur Tibi, aliquem in fundo tuo precario commorari, eaque lege, ut non modo primo quoque tempore, cum juſſus a Te fuerit, excedere debeat: Verum etiam, ut rem interea habeat, nullo ſuo jure, ſed tuo unice nomine: cum hic nulla ratione poſſidere videatur, ſed tu potius per ipſum, nudum hoc detentionis factum ipſi etiam nulla in re proderit. Eodem fere modo cum Commodatario, colono, inquilino & cœteris comparatum. Quamvis enim illi jus habeant, ad certum rei uſum, ex contractu quæſitum, utilitas tamen & commodum, quod ex ipſa rei poſſeſſione provenit, non ad ipſos pertinet, ſed ad Dominum, cujus nomine poſſident. Ita etiam Tutores, Curatores, & qui ex primo decreto in poſſeſſionem ſunt miſſi, cum revera aliud nihil ſunt, quam negotiorum geſtores, quicquid ex habita poſſeſſione acquirunt non ſibi, ſed pupillis ſuis, minoribus, & quorum bona curant, quæſiviſſe videntur, ut adeo Evangelici Tutoris habita anno 1614. in Bonis Eccleſiaſticis poſſeſſio adminiſtrationis cauſa Pupillo Catholico fraudi aut præjudicio eſſe nequeat: id quod vice verſa de Tutore Catholico & Pupillo Evangelico intelligendum. Denique poſſeſſionis, aut detentionis, ſi mavis, a Depoſitario habitæ ratio eo minus habenda eſt, quia hic ſolam cuſtodiam præſtat, a quo res depoſita pro arbitrio deponentis revocari ſemper poterit. Ut adeo nullo modo inter eos poſſeſſores recenſendus ſit, quibus poſſeſſio lucrum aut emolumentum confert.

Interea dum impeditæ hæ & difficiles quæſtiones a nobis, ſic explicantur, non modo iterato teſtatum volumus, nos opinione noſtra veritati præjudicium ullum nolle creare: verum etiam meminiſſe ſemper jubemus lectores, eoſque oramus, ut diligenter hæc mente volvant, & ante oculos habeant. Nos cũ de commodo poſſeſſionis aut detentionis loquimur, quod ex lege hujus §vi huic illive poſſeſſori vel detentori quæritur aut non quæritur, in his omnibus intelligi unice velle de Statibus Bonorum Eccleſiaſticorum Mediatorum poſſeſſoribus, quatenus eis ex hac poſſeſſione ipſa etiam rei ſic poſſeſſæ proprietas vel quaſi dominium adjudicatur. Alia prorſus quæſtio de Subditis Mediatis eſt, qui pars ſunt illorum Bonorum, quatenus ea privato jure poſſident. Nam quod ad horum exercitium Religionis cum annexis, itemque ad templa, fundationes, monaſteria, hoſpitalia, eorumque omnium pertinentias, reditus & acceſſiones attinet, ſicuti hi non ex poſſeſſione Domini Territorialis in ejuſmodi rebus judicium ſubeunt: Sed eorum jura ex propria poſſeſſione æſtimantur, ſecundum ea, quæ infra §vo 31. hujus Articuli dicenda erunt. Ita etiam nullum eis periculum metuendum eſt, utcunque jura Domini Territorialis juxta hunc §vum ex poſſeſſione vel detentione Bonorum Eccleſiaſticorum ſe habeant. Excipio tamen oppignorata bona, in quibus paulo aliud ratione Subditorum placuit, uti mox §vo 27. videbitur. Reliqua ſuis quæq; terminis poſſeſſionis relicta ſunt.

Digitized by Google

tis prorſus exceptionibus ee) quæ ex introducto alicubi locorum exercitio interimiſtico ff) vel anterioribus aut ſecutis pactis gg) generalibus

in quibus conditio unius alteri nullum præjudicium adfert, niſi quod optatius forte gratiusque Subditis erit, ſuæ Religionis Dominum Territorialem habere. Quo in voto ſicuti eis facile ignoſcitur, cum natura quisque ſibi præſtantiora evenire exoptat: ita neutrius partis jura ejusmodi utilitatibus æſtimari æquum eſt.

ee) *Irritis prorſus exceptionibus*) Paulo ante dicebatur, *non attentis exceptionibus*, hic jam habetur; *irritis prorſus exceptionibus*. Qui habitam anno 1624. poſſesſionem *unicum ſolumque* hujus Transactionis, reſtitutionis, obſervantiæque futuræ *fundamentum* facit, is ſatis quidem hoc ipſo declarat, alias exceptiones non admitti. Sed ut enixam voluntatem Paciſcentes magis certiusque oſtenderent, expresſionibus ejusmodi geminatis hoc inſuper actum volebant.

ff) *Quæ ex introducto alicubi locorum exercitio interimiſtico)* Pertinent quidem hæc ad caſum ſuperiorem, *ſive ante ſive poſt Transactionem Paſſavienſem aut Pacem Religioſam reformata aut occupata*. Sed exercitii interimiſtici ſpecialem fieri etiam mentionem, ideo placuit, quod Catholici moleſtias quondam hoc ex capite Proteſtantibus creaſſent, cum id eis exillo quod occupatio ante Transactionem Paſſavienſem vel Pacem Religioſam facta ſit, minus ſuccedere poſſe viſum. Ubi enim locorum forte accidit, ut monaſterio cuiquam, ante Transactionem Paſſavienſem occupato quidem & reformato, tempore interimiſtico prævalida Caroli V. auctoritate Abbas aut Prælatus, Romanis ſacris addictus, præfuerit, quos poſt Pacem Religioſam Proteſtantes iterum faceſſere ideo juſsére, quia Paſſavienſem Transactionem Reformatio anteceſſerat, reclamare protinus Catholici, eamque rem pro cauſa habere Reformationis poſt Transactionem Paſſavienſem a Proteſtantibus inchoatæ. Et anceps ſane videbatur caſus. Quamvis enim Proteſtantes ante Transactionem Paſſavienſem Reformationis opus quondam exorſi erant, id ipſum tamen interruptum & Religio Catholica reſtituta, ubicunque ad iſtam formulam, quæ *interim* vocabatur, Status Religionis ejusque exercitii forma ordinata fuit. Scripta autem hæc formula erat anno 1548 ſtatim poſt pugnam Mulbergianam, captumque Electorem Saxonem, atque adeo ante Transactionem Paſſavienſem, quæ quatuor fere annis ſerius eſt inita. Atque hoc modo videri res poterat reſtituta a reformatione Proteſtantium in ſtatum Catholicæ Religionis. Igitur quoties deinde poſt Transactionem Paſſavienſem Pacemque Religioſam Proteſtantes contendebant, ſibi hujus monaſterii ad ſua ſacra

libus aut ſpecialibus transactionibus hh) vel litibus motis, cauſisve deci-

ſacra reducendi facultatem ex ipſa pace Religioſa eſſe, quod ante Transactionem Paſſavienſem occupatum jam ſemel reformatumque fuerit. Catholici negabant Proteſtantes æquum petere, cum ea occupandi reformandique poteſtatem non habeant, quæ proximo ante Transactionem Paſſavienſem tempore penes Catholicos fuere, etſi antehæc forte Proteſtantibus in prædam quondam ceſſerint. Ex hoc ampliſſima litium pullulaverat ſeges, cum Victor Carolus Imperator omnem fere per Germaniam Romana Sacra iſtius formulæ obtentu quaſi poſtliminio reſtituiſſet. Neque enim eſt qui neſciat, quantos ea ipſa res clamores tumultusque concitaverit, & quam peſſime ſe habuerit ſtatus rei Evangelicæ, donec Elector Mauritius, Carolo ſubita irruptione fugato, reliquis Proteſtantibus animos fecit ad recuperandam libertatem, atque vindicandam Religionem a jugo Pontificio, quo graviter novo conſilio premebatur. Itaque cum in tractatibus Pacis Weſtphalicæ id ſerio a Proteſtantibus ageretur, ut Catholicis præcinderent omnem anſam cavillandi ex veteribus prætextibus, neceſſarium viſum eſt, hanc etiam removere exceptionem, quæ ex introducto alicubi locorum exercitio interimiſtico olim in ſcenam producta agitataque fuerat.

gg) *Vel anterioribus vel ſecutis pactis)* Coacti ſæpe ſunt Proteſtantes prævalida adverſariorum gratia iniquiſſimis conditionibus cum Catholicis de Bonis Eccleſiaſticis Mediatis tranſigere, quæ res inprimis Sereniſſimæ Domus Wirtenbergicæ jura & opes pertentavit, teſtantibus actis, in publicum editis titulo *Documentorum redivivorum.* Quare reſcinduntur hic ejusmodi pacta omnia, vi metuque plurimum extorta; & reſcinduntur non modo ſecuta Transactionem Paſſavienſem & Pacem Religioſam: ſed & anteriora, etiam ante diſſidium Religionis inita, quatenus illa huic legi adverſantur, aut impedire videntur, quo minus Electores, Principes, Status Auguſtanæ Confeſſionis Monaſteria & alia bona Eccleſiaſtica mediata porro poſſideant, quæ anno 1624. Calendis Januariis poſſederunt.

hh) *Generalibus aut ſpecialibus transactionibus)* Eſt quidem Transactionum magnus favor & auctoritas, quæ non minorem vim habet, quam res judicata quæque nec pœnitentia reſcinditur, nec prætextu Inſtrumentorum poſt repertorum, imo ne quidem Imperiali reſcripto. At publicæ tranquillitatis pacisque cauſa nihil eſt novi, ipſas etiam transactiones tollere, quæ ex parte cauſæ fuerunt turbatum & civilis belli. Multa enim Proteſtantes habere ſe exiſtimabant, quæ contra Transactiones illas opponerent, aliquando plane negabant transactum eſſe, refutabantque

deciſis, ii) vel etiam decretis, mandatis, reſcriptis, kk) paritoriis, ll) rever-

que probationes, eam in rem factas, aliquando dicebant, transactione id non contineri, quod quis probandum ſuſcepiſſet. Sæpe opponebantur vis, metus, doli aut erroris exceptiones, poſſunt etiam transactiones fieri de rebus illicitis, illegitimis, aut jure nullis. Poſſunt transigere, qui tranſigendi poteſtatem non habent, aut quorum conventione Succeſſores ſtare non tenentur. Poſſunt denique alia allegari vitia, quæ ejusmodi transactiones infirmant. Sic ante Pacem Weſtphalicam cum transactionibus comparatum erat. Catholici ad eas provocabant, fidemque Proteſtantium eam ob cauſam accuſabant. Hi ex adverſo negabant, ſe transactionibus teneri. Impeditum fuiſſet, & non modo moleſtiæ rixæque plenum negotium, ſed & a ſcopo pacis quam maxime alienum, in ſingulis cauſis definire velle, quæ obligent transactiones, quæve non obligent. Poſtquam igitur ſemel placuit, poſſeſſionem certo anno dieque habitam pro unico & ſolo fundamento tollendi omnes controverſias, præſentes & futuras habere, non poterant non cum pactis omnes etiam transactiones tolli. Nec quicquam intereſſe volebant, generales transactiones fuerint an ſpeciales. Eſt autem transactio generalis, quæ reſpicit plures ejus generis lites, etſi poſt repertas. Specialis vero, quæ fit de re aliqua certa, liteque ſpeciali, quæ ad alias lites non pertinet. Utrasque ut tollerent, cura & ſollicitudo Paciſcentium fuit. Itaque ne quis futuro tempore dicere poſſit, de generalibus tantummodo actum fuiſſe. Specialibus vero vim ſuam relictam, amborum meminiſſe conſultum eſt viſum.

ii) *Vel litibus motis, cauſisve deciſis*) Litium motarum magni ſunt effectus; majores adhuc rei judicatæ. Qui ejusmodi prærogativis nititur, non facile aliis de jure ſuo multum concedit: ad deductam in judicium cauſam provocat, latamque ſententiam appellat, atque inde ſibi exceptiones contingit, ut meliori conditione ſit. Sed hic omnia id genus diverticula occluſa ſunt, poſtquam conſtitutum eſt, ex ſola poſſeſſione jus cujusque metiri.

kk) *Vel etiam Decretis, mandatis, reſcriptis*) Decretorum varia ſunt genera de quibus Juris Cameralis & Judicii Aulici Scriptores conſuli poſſunt. Mandata autem hic intelliguntur non conventionalia, ſed jurisdictionalia cum Judex nulla prævia citatione reum inauditum jubet aliquid facere vel omittere. Reſcripta denique ſunt reſponſa Principis ad aliorum relationem lata: quæ rurſus multorum generum eſſe poſſunt. Sed plurimus eorum eſt uſus in Commiſſionibus, quando Commiſſarii, facta ad Principem relatione, ſive ſuper tota cauſa, ipſis commiſſa, ſive de re quadam dubia, in proceſſu cauſæ ſubnata, ſententiam ejus mentemque expe-

Digitized by Google

reverſalibus litispendentiis mm) vel aliis quibuscunque prætextibus & rationibus deſumi poſſent. nn) Ubi igitur oo) ſupradictorum omnium

expetunt, ſubjuncto plerumque, quid ipſis de ea videatur, judicio. Quicquid igitur horum quisquam Statuum olim impetravit, quod creare præjudicium poſſeſſionis, ab alio habitæ, poſſit, id omne prorſus irritum eſt & inane.

ll) *Paritoriis, reverſalibus*) Sunt Paritoria Decreta Judicis, quibus ſententia lata, ante ejus executionem pars victa parere, & judicatum præſtare jubetur. Reverſales ſunt certa promiſſa, ſcripto comprehenſa, quibus plerumque aliis cavemus, ne ipſi ſuisve juribus fraudi ſit, quod per nos actum eſt. Quamvis igitur Poſſeſſor Boni Eccleſiaſtici ante Weſtphalicam Pacem ſententia Judicis juſſus ſit poſſeſſione decedere, idque iteratis paritoriis imperatum ei fuerit, imo quamvis ipſe etiam datis reverſalibus caverit, poſſeſſionem ſuam nemini præjudicio futuram, neque a ſe unquam in commodum ſuum allegatum iri, ille tamen neque Judicis mandatu, nec ſuis promiſſis impedietur, quo minus ex formula hujus legis agere, & ſi interea poſſeſſione exciderit, reſtitutionem petere poſſit.

mm) *Litis pendentiis*) Quomodo differant litis pendentiæ a litibus motis, quarum paulo ante mentio injecta, quæri hic forſan poſſet. Lis alicui etiam extra judicium poteſt moveri, ut lis pendere dicatur, ſemper opus eſt convento Judice. Utroque ſtrictius adhuc eſt litis conteſtatio, cujus, uti & concluſionis in cauſa hic nullam mentionem ad cauſas deciſas injectam eſſe, quis fortasſis mirari poſſet: cum, quo propius judicium a fine abeſt, eo propius etiam a cauſis deciſis abeſſe videatur. Cœterum quod litis pendentiam attinet, illa incipit intuitu actoris a decreta citatione ad ejus inſtantiam: intuitu rei vero, poſtquam citatio ipſi legitime eſt inſinuata, modo ſimul ei de cauſa conſtet, cur ab actore conveniatur: quod plerumque libello citationi adjuncto fieri ſolet. Quamdiu enim reus inſcius eſt, cujus rei controverſia ſibi movebitur, eo ſolo, quod in judicio comparet, nulla litis pendentia contrahitur.

nn) *Vel aliis quibuscunque prætextibus & rationibus deſumi poſſent*) Durum hoc eſſe videtur, non prætextus modo omnes, ſed & quascunque rationes tollere. Sed uti in controverſiis plerumque uſu venire ſolet, hic etiam accidit. Alter ſua argumenta pro vindicandis bonis Eccleſiaſticis rationes dicebat: alter appellabat prætextus. Ne igitur diſputandi rixandique cauſa ex his nominibus etiam poſt pacem relinqueretur, & prætextus & rationes quascunque placuit removere, quæ habitæ poſſeſſioni obſtare poſſent: ut præter hoc unicum ſolumque fundamentum nihil relinqueretur, quo a debita reſtitutione ſe quisquam excuſare poſſet.

 oo) *Ubi*

Digitized by Google

omnium bonorum, eorundem pertinentium, fructuumve pp) Aug. Conf. Statibus qq) aliquid quovis modo prætextu rr) ſive judicialiter ſive extrajudicialiter ss) à dicto tempore tt) interverſum, aut ademptum eſt, uu) omni-

oo) *Ubi igitur* &c.) Hæc jam eſt illatio ex regula, ſeu ejus conſequens, quam partim terminis quibusdam adhuc magis explicat; partim vero indicat, quo modo executioni dandum, quod in regula illa continetur. Sunt autem duo caſus. Unus, cum Auguſtanæ Confeſſionis Status anno quidem 1624. Calendis Januariis in poſſeſſione fuit alicujus ſupra dictorum bonorum; ſed quæ poſſeſſio ei poſthæc interciſa eſt, & alter, cum poſſeſſionem retinuit usq; ad Pacem Weſtphalicam. De primo ſtatuitur, ut omnino abſque mora & indiſtincte in omnia poſſeſſa reſtituatur. De ſecundo, ne in habita poſſeſſione ullo modo turbetur, quibus tandem pro concluſione additur, ut utrique ab omni perſecutione juris & facti tuti ſint.

pp) *Eorum pertinentium fructuumve*) Hæc ſupra reditus juraque vocabantur, quocunque nomine appellata.

qq) *Auguſtanæ Confeſſionis Statibus*) Hi igitur ſunt, quibus ex hoc loco reſtitutio eſt facienda, non Abbates, Prælati, aliique Mediati iſtorum Bonorum poſſeſſores. Fac itaque, Catholicum Prælatum Mediatum anno 1624. poſſediſſe Monaſterium aliquod pro Abbate, & rurſus Statum aliquem immediatum illud ipſum etiam eodem anno poſſediſſe pro Statu ſeu Jure Territoriali. Huic ex hoc paragrapho reſtitutio facienda eſt *abſque mora & indiſtincte*. Illi ex paragrapho inferiori 31. de religione conſultum erit.

rr) *Aliquid quovis modo aut prætextu*) Paulo ante habebatur: *quibuscunque prætextibus aut rationibus*. Unum per alterum explicatur. & ubi neque prætextibus neque rationibus eſt locus, illud *quovis modo* ſibi aliquem facit.

ss) *Sive judicialiter ſive extrajudicialiter*) Pertinet huc etiam *quovis modo*. Sicuti enim termini illi *judicialiter & extrajudicialiter* variis modis in jure intelliguntur: ita quæcunque eorum ſignificatio ſit & quomodocunque accipiantur, comprehenſa omnia ſunt quæ ad actus judiciales vel extrajudiciales ſe quocunque nomine referunt. Uno verbo dixêre, jure aut facto.

tt) *A dicto tempore*) id eſt poſt Calendas Januarias anni 1624. ipſæ enim Calendæ, adeoque tota dies prima Januarii, terminus ſunt reſtitutionis a quo, ut ſi qui hac ſola die, neque ante illam, neque deinde poſt hanc poſſediſſet, ei nihilominus ex hac formula recuperandæ poſſeſſionis actio competeret.

uu) *Interverſum aut ademptum eſt*) *Interverſum* intelligi poteſt de iis, quibus poſſeſſio mea deterior eſt facta: ademptum, cum ipſa poſſeſſione Bonorum protinus exturbatus fuerim. Proprie quidem interverſum dicitur, quod calli- ... de

Digitized by Google

omnino abſque mora & indiſtincte xx) interque illa ſpecialiter etiam

de ſurreptum interceptumque eſt, cumque rem commodatam, depoſitam aut creditam nobis vindicamus, doloque efficimus, ne Domino reſtituatur. Veluti *in l. ſi duo ff. Depoſiti. Si duo hæredes rem apud defunctum depoſitam dolo interverterint.* Sed uti ſignificatum hunc non excludim9, ita latius hic patet hujus vocis intellectus, quam ut ad calliditatem dolumque ſe patiatur adſtringi. Nam hunc etiam mihi intervertiſſe rem quampiam dixerim, qui poſt dictum annum diemque in communionem poſſeſſionis ſeſe intrudit, ſive me invito id factum ſit, ſive voluntate mea, pactove aut transactione, nam id genus pacta & transactiones, ſeu anteriora ſeu ſecuta, ſeu generalia ſeu ſpecialia irrita prorſus ſunt & reſciſſa.

xx) *Omnino abſque mora & indiſtincte)* His tribus verbis multa vis ineſt: *Omnino* ſeriam & enixam Paciſcentium voluntatem de reſtitutione faciunda ſignificat. *Abſque mora* tempus indicat faciendæ reſtitutionis. Et *indiſtincte* excludit adhuc omnes exceptiones eluſionesque, quibus alii a reſtitutione ſe liberare, vel extrahere illam forte in animum inducent: ſive per calumniam id fiet, ſeu ejusmodi excuſationibus, quorum alias jure communi Judex in decernenda vel non decernenda reſtitutione rationem habiturus fuiſſet. Poteſt etiam illud *indiſtincte* referri ad Objectum ſeu Bona ipſa Eccleſiaſtica, eorumque reditus, fructus, jura & pertinentia, ut nihil interſit, cujuscunque illorum & quocunque nomine petatur reſtitutio, neque etiam referat, num ipſa bona cum reditibus juribusque, an ſeparatim: vel denique an reditus, fructus & jura ſine bonis petantur, prout nimirum unumquodque horum illo tempore poſſeſſum fuit, quod lex regulam reſtituendorum eſſe voluit. Facienda autem eſt reſtitutio *ſine mora*, id eſt, uti infra artic. 17. habetur, intra tempus *concluſæ & ratificandæ pacis, ſine tergiverſatione & noxa* vel ſecundum Receſſum Executionis Noribergenſis ohnpartheyiſch, ohnaufhaltlich, ohne Anſehung der Perſonen, Religionen, oder jurium petitorii, oder einiger andern exceptionen, wie die Nahmen haben mögen, nach dem bloſſen facto poſſeſſionis, uſus, obſervantiæ & exercitii. Adhæc ſi boni illi & honeſti Domini Patres Societatis Paderbornenſes advertiſſent animum, officii eorum omnino erat, illam partem Monaſterii Falckenhagienſis, quam Comites Lippiaci anno 1624. Calendis Januariis abſque ulla contradictione poſſederunt, ſine mora & indiſtincte reſtituere. Quod cum ipſi publice compellati facere neglexerint, neque apud Directorem Circuli Weſtphalici Religionis & perſonarum reſpectu, manifeſta tergiverſatione cunctantem Comitibus auxilium ſperari poterat. Non eſt profecto, cur nunc tantos clamores concitent, quod

tiam yy) Monaſteria, Fundationes atque bona Eccleſiaſtica omnia &

quod executio tam liquidæ rei a proximo Circulo Saxonico in ſubſidium impetrata fuerit. Quæ enim non eſt hæc Patrum impudentia, cum lex omnes exceptiones, quibuscunque prætextibus & rationibus deſumi poſſent, irritas eſſe jubeat: cum reſtitutionem imperet omnium ſupradictorum bonorum, quæ quovis modo aut prætextu, ſive judicialiter ſive extrajudicialiter a dicto tempore cuicunq; Statuum interverſa aut adempta ſunt, omnino absque mora & indiſtincte faciendam. Cum denique huic legi omnes toto Imperio *Status & Subditi Clerici & Seculares* gerere morem teneantur, *& omnia reſtituere, cedere, dare, facere, præſtare, ad quæ reſtituenda, cedenda, danda, facienda aut præſtanda vigore hujus Transactionis, ejusdemque regularum generalium obſtricti ſunt.* Vid. *Art. 16. §. 5.* ut hi ſoli Patres, viliſſima Subditorum Imperii Romani pars ſola cupidine habendi aliena, qui popularis eorum, nec ullis remediis ſanabilis morbus, recalcitrare auſint, & quam reſtitutionem Directores Circuli Saxonici optimo maximo jure ex Deputatorum Monaſterii Decreto ſusceperunt, eandem non modo traducere miris calumniis; verum etiam apud Judicium Imperiale Aulicum per falſa narrata & ſubreptitias preces impugnare, manifeſto fractæ pacis crimine, cujus reus eſt, *qui huic transactioni vel paci publicæ conſilio vel ope, contravenerit, vel executioni aut reſtitutioni repugnaverit, vel etiam legitimo modo ſupra convento reſtitutum de novo gravare tentaverit, ſive Clericus ſive Laicus fuerit, Art. 17. §. 4.* Ut profecto res prope a præſtigiis abſit, Excelſum Judicium Aulicum ab his Hominibus demoveri adeo potuiſſe, ut tot decretis Commiſſionibus id impenſe multos jam annos egerint quo Comites Lippiaci ſecundum formulam pacis Weſtphalicæ, ſi quispiam alius, legitime reſtituti, ejiciantur poſſeſſione Monaſterii, Patresque publica auctoritate ejecti reſtituantur, data Comitibus pro ſolatio libertate in petitorio de jure ſuo experiundi, id quod non modo contra hunc noſtrum §vum eſt, quo ipſe ab omni perſecutione Patrum juris & facti propter habitam poſſeſſionem perpetuo tutus eſſe jubetur. Sed & in effectu eodem recidit, ac ſi Comites cauſa omnino ſententia definitiva cecidiſſent, cum qui Judex penſi non habet contra Weſtphalicæ pacis tabulas, noſtrique adeo §vi luculentisſimas definitiones velle Lippiacos poſſesſione iterum exturbare, quam illis imploratus reſtituere debuiſſet, is profecto Patribus, in poſſesſionem ſemel reſtitutis, & contra Lippiacos ex teſtamento atque re legata ſe defendentibus, cauſam multo minus abjudicabit.

yy) *Interque illa ſpecialiter etiam*) Hæc quæ ſequuntur de Sereniſſima Domo Würtenbergica, non tam præcipuo loco ſunt, quam pro exemplo regulæ. Per

Per verba enim *interque illa* intelliguntur illa ſcilicet omnia Monaſteria & Bona Eccleſiaſtica alia, quæ Auguſtanæ Confeſſionis Status die prima Januarii anni 1624 poſſederunt, & in poſterum poſſidere debent, non attentis ullis exceptionibus. Specialiter autem nominata ſunt Monaſteria, Fundationes, atque Bona Eccleſiaſtica omnia & ſingula, a Principe Würtenbergico anno 1624. poſſeſſa: quod nemo alius Proteſtantium tot Bona Eccleſiaſtica poſſidebat, quorum omnium jacturam facere Catholici moleſte admodum ferebant, cum poſt prœlium Nordlingenſe ad Religionem ſuam ſecundum edicti Ferdinandei præſcriptum reducta fuisſent. Quam ob rem reſtitutio Sereniſſimi Principis Würtenbergici in Tractatibus Pacis multas difficultates & impedimenta habuit, donec conſtantia Evangelicorum de hoc negotio tandem transactum fuit eo modo, quo conventum hic legitur. Ante alios Catholicos Cæſarei inprimis repugnabant, qui initio octo Monaſteria a reſtitutione exemta volebant eam ob rationem, quod extra territorium vel ditionem Ducum, qui primo illa occupaverant, ſita eſſent, in Dynaſtiis Hohenſtauffen, Blaubeira, & Comitatu Achlo. Erant autem hæc Monaſteria: Lorcha, Adelberga, Blaubeira, Pfullinga, Maulbrunna, Herrenalba, Sancti Georgii in ſylva nigra & Reichenbachum. Poſtquam autem Catholici inter tractandum de exceptione tandem conceſſiſſent, *quod non ſint de vel in territorio Auguſtanæ Confeſſionis Statuum vel exempta*. Auſtriacorum vota tandem omiſſis reliquis ad hæc tria tendebant, Reichenbachum, Blaubeiram, & Sancti Georgii Monaſterium; quæ una cum Dynaſtia Blaubeyern atque Heidenheimio ſibi vindicatum ibant. Tandem vero deſtitere propoſito, atque permiſerunt, ut hic omnium & ſingulorum nullo prorſus excepto, reſtitutio decerneretur. Atqui ſane vel hoc ſolum exemplum docet, quanti interſit inter reſtitutionem ex capite amneſtiæ, & hanc noſtram ex capite gravaminum. Supra enim artic. 4 §. 24, cum Sereniſſima Domus Würtebergica ex amneſtia in Dynaſtias Blaubeirn, Achalm & Stauffen reſtituebatur, factum id *ſalvis & reſervatis Domus Auſtriacæ prætenſis juribus, actionibus, exceptionibus, remediis & beneficiis juris quibuscunque*. Hic vero cum reſtitutio Monaſteriorum ejusdem nominis inter cætera ex capite gravaminum decernitur, non modo exceptiones omnes irritæ fiunt, ex quibuscunque prætextibus & rationibus deſumi poſſent: Verum etiam edicitur, ne Sereniſſimus Dux poſthac in habita vel recuperata poſſeſſione ullo modo turbetur, ſed ut ab omni perſecutione juris & facti perpetuo tutus ſit. Quo id effectum eſt, ut quamvis Auſtriaca Domus jura ſua in ſupra dictas Dynaſtias futuro tempore aſſereret, quod vix erit, ad vindicanda tamen Monaſteria cognominis ibi ſita nullam actionem haberet, cum de iis finita lis in perpetuum ſit. Haud diu ante tra-

Digitized by Google

& ſingula a Principe Würtembergico Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto zz) poſſeſſa cum ſuis pertinentiis, reditibus & acceſſionibus ubicunque ſitis aaa) unà cum amotis documentis bbb) in priorem ſtatum reſtituantur, ccc) Nec Auguſtanæ Confeſſioni addicti

ſtatus Pacis Weſtphalicæ fuit, cum Dux Würtenbergicus poteſtatem fecerat quibuscunque, qui jure ſecum experiri vellent de territoriali jure & ſuperioritate, quam ipſe ſibi in illa Monaſteria competere dicebat. Id modo prætereà petebat, ut res ad forum competens remitteretur, neve ſibi privilegium primæ inſtantiæ ademptũ adverſarii irent. Poſtquam vero Weſtphalica Pace de Monaſteriis bonisque aliis Eccleſiaſticis conv.ntum aliter eſt; is profecto nullius vindicationi locum amplius dabit, neque, ut hoc faciat, poſtulari jure poteſt cum ſemel exceptione finitæ litis perpetuo ab omni perſecutione juris & facti tutus ſit, cui inniti longe conſultius eſt, quam ſui juris fiducia malle moleſtias litium ferre, & dubios judiciorum eventus expectare; cum in tanta corruptione hu ani generis ſæpe quis ex alienis reſpectibus de cauſa periclitari poſſet, in qua alias ipſa juſtitia addicente debuiſſet vincere.

zz) *Anno 1624.*) Hic quidem prima dies Januarii non repetitur, quin tamen ſubintelligenda ſit, nullum eſt dubium. Fortaſſis Paciſcentes exiſtimarunt, non opus eſſe de die certi quid ſtatuere, cum Domus Würtenbergica toto anno vigeſimo quarto in omnium poſſeſſione adhuc fuerit, cujus anni initium eſt illa ipſa dies.

aaa) *Cum ſuis pertinentiis, reditibus & acceſſionibus, ubicunque ſitis*) Ubicunque intelligitur, etiamſi in Provinciis Catholicorum reditus illi & acceſſiones, aut pertinentiæ ſitæ ſint. *Vid. infra §vo 46.*

bbb) *Una cum amotis documentis*) Poterant hæc ad pertinentias quidem referri, ſed majoris cautelæ cauſa eorum nominatim meminiſſe viſum eſt.

ccc) *In priſtinum ſtatum reſtituantur*) Facienda autem reſtitutio eo ordine, qui infra artic 16. deſcribitur: 1. Imperator per univerſum Imperium Edicta promulget, & ſerio mandet iis, qui ex hac Pacificatione ad aliquid reſtituendum vel præſtandum obligantur, ut id præſtent & exequantur ſine tergiverſatione & mora, intra tempus concluſæ & ratificandæ pacis. 2. Poſt hæc promulgata edicta Cæſarea omnes & ſinguli, ſive Status, ſive Communitates, ſive Privati ſunt, ſive etiam Clerici, ſive Seculares, qui vigore hujus transactionis, ejusdemque regularum generalium, vel ſpecialis expreſſæque alicujus diſpoſitionis ad reſtituendum, cedendum, dandum, faciendum aut aliud quid præſtandum obſtricti ſunt, ut id teneantur ſtatim poſt promulgata Cæſarea Edicta ad factam Reſtituendi notificationem, ipſi enim etiam Reſtituendi a con-

concluſione pacis de transactorū tenore notum facere debent intereſſatis, aliquid reſtituturi, ſine omni tergiverſatione vel oppoſitione Clauſulæ Salvatoriæ, ſive generalis, ſive ſpecialis alicujus, ſupra in amneſtia poſitæ, aut quacunque alia exceptione, itemque ſine noxa aliqua omnia, ad quæ obligantur, reſtituere, cedere, dare, facere & præſtare. 3. Imperator mandet tam Directoribus Circulorum, quam Præfectis militiæ Circularis, ut ad requiſitionem reſtituendorum juxta ordinem executionis & hæc pacta reſtitutionem cujusque promoveant & perficiant 4. Si Directores aut Præfecti militiæ Circularis in cauſa vel reſtitutione propria executioni minus idonei ſunt. Vel ubi Commiſſionem repudiant, & ab executione ſe excuſant, ut Vicini Circuli Directores atque Præfecti militiæ eodem executionis munere etiam in aliis Circulis ad reſtituendorum reſtitutionem fungi poſſint. 5. Quod ſi reſtituendorum aliquis Commiſſarios Cæſareos ad alicujus reſtitutionis, præſtationis, vel executionis actum neceſſarios cenſuerit, ut id ipſorum optioni relictum ſit, & ut illi Commiſſarii ſine mora dentur. 6. Ut ad promovendas tanto magis reſtitutiones tam reſtituentibus, quam reſtituendis liceat ſtatim a concluſa & ſubſcripta Pace binos aut trinos utrinque nominare Commiſſarios, è quibus Cæſar unum a reſtituente, alterum a reſtituendo nominatum, pares tamen numero ex utraque Religione eligat, quibus injungatur, ut omnia, quæ vigore hujus transactionis oportet, absque mora exequantur. 7. Si reſtituentes Commiſſarios nominare neglexerint, ut Cæſar ex iis, quos reſtituendus nominavit, unum deliget, aliumque pro ſuo arbitrio adjunget, pari tamen religionis numero. 8. Ne quisquam ſe Executioni opponat, ſed ut potius omnes executionibus aſſiſtant. 9. Denique, ut liberum ſit Executoribus contra eos, qui Executionem quovis modo impedire conantur, ſuis vel etiam reſtituendorum viribus uti &c. &c Quibus adde, quæ in Edictis Executorialibus Cæſareis, & Receſſu Executionis Noribergenſi prolixius deducta habentur.

De cœtero reſtitutio in priorem Statum intelligitur, non qui ſimpliciter fuit, ante deſtitutionem: ſed qui fuit anno 1624. primoque ejus Januario. Contingere enim potuit, ut quis Calendis illis Januariis minus poſſederit, poſt plura adeptus, antequam rurſus penitus dejiceretur. E contrario accidere potuit, ut iisdem Calendis poſſeſſione ampliori gaviſus ſit quam ante vel poſt illud tempus tenuerat. Igitur uti priori caſu ex poſſeſſione locupletiori, quæ poſtea ſupervenit, nullum commodum facit: ita altero detrimentum etiam ex anguſtiori ſentire non debet: reductione ad dictum annum diemque per omnia facta.

ddd) *Nec*

Digitized by Google

dicti ddd) poſthac in habita vel recuperata poſſeſſione eee) ullo modo turbentur, fff) ſed ab omni perſecutione juris & facti ggg) perpetuo tuti ſint, hhh) donec controverſiæ Religionis compoſitæ fuerint. iii)

ddd) *Nec Auguſtanæ Confeſſioni addicti*) Scilicet Electores, Principes, Status. De Mediatis enim non agitur.

eee) *Poſthac in habita vel recuperata poſſeſſione*) Habita nimirum poſſeſſione tempore concluſæ Pacis, ita ut poſſeſſor reſtitutione opus non habuerit: recuperata vero, cum poſt Pacem quis ad formulam ejus reſtitutus eſt.

fff) *Ullo modo turbentur*) Turbationis omnis duæ ſunt velut ſummæ ſpecies. Aut enim facto quis turbatur, miniſterio vis, metus, doli: aut dicta apud Judicem die cui lis movetur. Contra illud nos defendimus oppoſita vi, vel ſi damnum paſſi ſumus, actione fractæ pacis: contra hoc, exceptione litis finitæ.

ggg) *Sed ab omni perſecutione juris & facti*) Satis dictum videri poterat, ne reſtituti deinde ullo modo turbentur. Nam hæc interdictio jus & factum excludit. Sed ut Paciſcentes oſtenderent, quam curæ ipſis fuerit ſecuritas eorum, quorum jura ex ſola poſſeſſione æſtimari unice volebant, ſpeciatim eſt additum, ut ab omni juris & facti perſecutione tuti ſint. Adhuc ſemel igitur moneo, quod jam ſupra feceram, non facile reperiri toto Inſtrumento Pacis aliam legem vel conventionem, quæ tot cautelis, tot ſignificantibus verbis, tot denique variantibus locutionibus, quæ idem omnes tamen ſibi volunt, munita contra omnem calumniam & circumſcripta ſit.

hhh) *Perpetuo tuti ſint*) Perpetuo tutum eſſe, & tutum eſſe donec aliquid contingat vel eveniat, etſi contradictoria videantur: Hic tamen morali æſtimatione pro iiſdem haberi poſſunt. Vix enim hæc conditio ab illa diſtat, *ſi cælum digito tetigeris*, cum unum æque ſit difficile ac alterum, quamdiu vis & coactio abeſt. Quibus argumentis, teſte experientia, controverſiæ Religionis non componuntur.

iii) *Donec controverſiæ Religionis compoſitæ fuerint*) nimirum amicabili partium compoſitione univerſali.

Atque hic eſt, ni fallor, hujus paragraphi verus & genuinus ſenſus atque uſus. Cumque adeo hoc ex loco ſtatuendum ſit de cauſa, quæ inter Comitem Lippiacum & Patres Societatis Paderbornenſes vertitur ratione Monaſterii Falckenhagen. Ideoque haud arbitror, operam a me fruſtra inſumptum iri, ſi de lite illa ſecundum hujus conventionis formulam paulo accuratius diſpexerim: quam rem his tribus capitibus abſolvi poſſe reor. 1. ut caſus ſeu ſtatus cauſæ luculenter formetur. 2. Ut oſtendatur ejus convenientia, cum regula hujus noſtri paragraphi, & 3. ut expendantur Jeſuitarum rationes ſeu potius

Digitized by Google

potius nugæ, quibus caſum ab hac diſpoſitione eximendum eſſe perſuadere aliis volunt,

Caſus eſt talis: Situm eſt Monaſterium Falckenhagen in Comitatu Schwalenbergico, inſtitutum fundatumq; circa initium ſeculi decimi tertii a Comite quodam ejus nominis Volquino, in uſum Virginum devotarum Ordinis Ciſtercienſium. Sed cum vix elapſo Seculo Monaſterium hoc magna decrementa ſenſiſſet, eodemque fere tempore Virgines illæ ſeu morte ſeu aliis caſibus ibi defeciſſent, Comites Schwalenbergici, ut majorum ſuorum pias fundationes conſervarent, & honori Monaſterii conſulerent, illud Fratribus Crucigeris Ordinis Auguſtini conceſsêre. Interea emoriuntur Comites Schwalenburgici, eorumque ditio accreſcit Lippiacis Comitibus jure ſanguinis. Simulque Seculo decimo ſexto per omnem Germaniam magna illa fit mutatio in Religione, qua Comites etiam Lippiaci tacti cum in omnes terras ſuas, tum in ſpecie in hoc Monaſterium, jure territorii Auguſtanæ Confeſſionis Sacra introduxere, relicto tamen Fratribus Crucigeris ibidem privato exercitio ſuæ Religionis, ſed ea lege, ut juri territoriali Comitum obnoxii maneant, atque ſub inſpectione degant Lippiaci Conſiſtorii Evangelici, cujus jurisdictionem Fratres illi agnoſcere, ſeque ſiſtere tenebantur, quoties decretis Eccleſiarum Viſitationibus rationes vitæ morumque ab hoc etiam Monaſterio exigebantur. Tandem vero Fratribus Crucigeris non modo ſpem, de ſe conceptam non adimplentibus: Verum etiam ſpurciſſimo vitæ genere ingentes in ſe iras concitantibus Comes Simon, Senior, regens Territorii Dominus, & Reformationis Evangelicæ ſuis in terris primus auctor, conſilium cepit ejiciendi illos Religioſos, reditusque Monaſterii aliis piis uſibus adſcribendi, pro cujus rei executione cum Epiſcopo Paderbornenſi hoc inierat pactum, ut data redituum dimidia parte, ſalva tamen Lippiacis & integra Jurisdictione Eccleſiaſtica atque exercitio Jurium Epiſcopalium, in quorum poſſeſsione hi ſoli adhuc pro indiviſo ſunt, ejus ſibi operam hoc in deſtinato expoſceret. Inita fuit hæc conventio die 14. Octobris 1595, & ſtatim facta redituum diviſio inter Lippiacum & Paderbornenſes, quamobrem Epiſcopus etiam in ſe receperat obligationem & onus alendi paucos adhuc ſuperſtites Religioſos, quoad viverent, cum plurimi vitam Monaſticam ex genio illorum temporum jam deſeruiſſent: quo facto etiam privatum Religionis exercitium ibi locorum ſublatum eſt, redditæque ſunt Paderbornenſibus cum creditæ reliquiæ ſanctorum, tum ornamenta Eccleſiæ. De cœtero utraque pars, confecto ſolenni Inſtrumento die 26. Octobr. 1596. poſſeſsionem dimietatis redituum arripuit, ſibique ambo invicem ſancte promiſere, ſe communi conſilio atque auxilio ſibi perpetuo adfuturos, ut huic conventioni ſua conſtet vis & auctoritas. Atque ab hoc tempore dimidia pars horum bonorum, uti Lippiacis obtigerat, ſub ConſiſtoriiLippiaci regimine relicta,

relicta, & ad alios pios uſus deſtinata fuit, donec principio Seculi decimi ſeptimi res iterum turbarentur. Scilicet receperant Paderbornenſes haud ita diu poſt Patres Societatis, iisque inter alia vitæ commoda donaverant anno 1604. ſuam dimidiam etiam partem Monaſterii Falckenhagen. Sed iſtæ Harpyæ, quibus nihil usquam ſatis eſt, ſed in omni gurgite pendet hamus, vix pedem hoc loco fixerant, cum propediem moliri majora, & animum ad totius Monaſterii occupationem adjicere inciperent: quia Paderbornenſes adhuc pudor impediebat, ne a recenti adeo pacto reſilirent, fabula Romæ Hiſtrione Pontifice Paulo V. acta fuit. Ille ſcilicet ſupplicantibus Jeſuitis, & Fratres Crucigeros multorum criminum poſtulantibus, Bullam Apoſtolicam emiſit, quà diviſio redituum Monaſterii, inter Paderbornenſes & Lippiacos facta neſcio qua ementitæ poteſtatis plenitudine reſcindebatur, & Lippiacorum quoque pars, quod illi poſſidendæ Laici inhabiles ſunt & inepti, Jeſuitis adjudicabatur, quibus hac ratione totum Monaſterium animo & ſpe devoratum jam fuerat. Sed Lippiacis hoc judicium tanto magis ſpernentibus, quod dudum Religioſa Pace omnis jurisdictio Eccleſiaſtica in Auguſtanæ Confeſſionis Status & Subditos toto imperio ſuſpenſa fuiſſet: accidit an. 1620. ut Comes Hermannus, Simonis VII. Regentis Frater junior, cui teſtamento paterno inter alia ager etiam iſte, in quo Monaſterium Falckenhagen jacet, alimentorum cauſa, ſive pro appanagio, ut loquuntur, attributus erat, poſtquam ad Romanam Religionem transfugiſſet, condito Herbipoli teſtamento die 30. Martii, uti quidem perhibent Comitibus enim Lippiacis ejus inſpiciundi copia nunquam facta eſt Patres Societatis in alteram Monaſterii Falckenhagienſis partem legati nomine vocaret. Unde Patres rati, ſibi jam civili ex cauſa, id eſt, legati nomine agentibus vindicandæ rei opportunitatem factam, primo a Comite Simone, Hermanni fratre & hærede, repetunt legatum: deinde vero repulſam ex eo paſſi, quod Frater defunctus de his bonis, quæ non Dominii jure, ſed pro appanagio & Uſufructuarii aut Fidei-Commiſſarii inſtar poſſediſſet, legare non potuiſſet, adeunt anno 1623 Cæſarem, ibique Comitem in jus vocant, impetrato ad Electorem Colonienſem mandato, qui & Epiſcopus Paderbornenſis fuerat, quo hic jubebatur, ut Patres in poſſesſionem ex formula legis fin. C. de Edict. Div. Had. tollendo mitteret. Secundum hoc mandatum citatus Comes Senior ab Electore Paderbornam. Sed cum ille non modo recuſaſſet forum ex privilegio primæ inſtantiæ, verum etiam tam teſtamento Fratris, quam minaci citationi contradixiſſet, poſt factam ad Cæſarem a Commiſſario relationem, Comite inaudito ex Judicio Aulico anno 1626 die 16. Febr. prodit ſententia, qua immisſionis Executio decernitur, & quadriennio poſt, ſcilicet 1630. die 16. Julii præſidiario milite Tilliano ſuccenturiante effectui datur, qua Comes Monaſterio, omnibusque bonis Eccleſiaſticis,

cis, ad id pertinentibus, vi pulſus, econtra vero Patres in poſſeſſionem ejus immiſſi ſunt. Lippiacis fruſtra reclamantibus, & Cæſari de accepta injuria ſupplicantibus, cujus aures blandæ ſubreptiones Jeſuitarum favorque Religionis, cui tunc omnia divina humanaque jura cedere oportuit, obduraverant.

Atque hoc in ſtatu res manſere, donec pax religioſa conventa & publicata fuit; in qua cum inter alia conventum eſſet, ut omnia monaſteria, aliave bona Eccleſiaſtica, quæ Aug. Confeſſ. Status anno 1624 prima die Januarii poſſederant, iidem poſſideant, & ubi quid ſupra dictorum omnium bonorum ipſis quovis modo aut prætextu, ſive judicialiter, ſive extrajudicialiter, a dicto tempore interverſum aut ademptum eſt, ut id abſque mora & indiſtincte in priorem ſtatum reſtituatur, irritis prorſus omnibus exceptionibus, ex quibuscunque prætextibus & rationibus deſumi poſſent, ita ut unicum ſolumque fundamentum Reſtitutionis obſervantiæq; futuræ ſit habita die 1. Jan. anno 1624. poſſeſſio; utiq; Comites Lippiaci exiſtimarunt, ex hac nova legis formula ſibi quoque actionem facultatemq; datam eſſe aſſerendi Monaſterii ejusque Reſtitutionis petendæ.

Igitur cum pax Weſtphalica velit, ut ante omnia Reſtituendi mox a Concluſione pacis eos, qui reſtituere aliquid debent, de transactorum tenore certiores faciant, Lippiaci ſtatim anno poſt pacem confectam ſequenti, ubi adverte, Patres eorum, quæ art. 16. ſtatuuntur ex ſe memores eſſe nolle, mittunt ad eos Notarium & Teſtes petuntque reſtitutionem Monaſterii, a Comitibus 1. Jan. 1624. ſine ullius contradictione poſſeſſi. Et His tergiverſantibus, qua ſuper re Inſtrumentum publicum confectum, adeunt Electorem Colonienſem, tanquam Epiſcopum Monaſterienſem, unicum eo tempore Circuli Weſtphalici Directorem, a quo ſecundum mandata Cæſarea, reſtitutionem petunt. Quamvis autem in tam liquido caſu, ubi ad unicum ſolumque fundamentum habitæ poſſeſſionis reſpiciendum erat, ad præſcriptum Inſtrumenti Pacis, mandatorumq; Cæſareanorum, reſtitutio ab Electore Colonienſi ſine omni mora atque tergiverſatione decernenda & executioni mandanda fuiſſet, animadverſum tamen eſt, ab Executore ſtudio moras necti, & vaniſſimo prætextu cognoſcendi de cauſa, an huic legi quadret, rem in dies extrahi, ut Lippiaci ſex integros fere menſes auxilium fruſtra poſtulaverint, eo omnino cerituri, niſi alia conſilia iniiſſent, imploratis Circuli inferioris Saxonici Directoribus, ut ſibi auxiliatricem manum in ſubſidium ex formula pacis Weſtphalicæ præſtent, poſtquam Monaſterienſis jam manifeſtæ tergiverſationis ac denegatæ juſtitiæ argui poſſet. Commendabant hanc cauſam ſimul ipſi Evangelici Deputati, Monaſterii congregati, neve ultra differatur, hortantibus litteris monuere. Unde anno 1649. die 12. Auguſti reſtitutio Monaſterii effectui datur, immiſſo Comite & ejectis Patribus, quibus manus etiam ad-

Digitized by Google

moveri oportuit, quod pro gentili eorum pervicacia & obſtinatione ſponte exire nollent. Quæ poſthæc evenere, ad literr pertinent, in judicio aulico inſtructam, ubi Jeſuitæ de recuperanda poſſesſione adhuc agunt, jure an injuria, id vero tum planisſime apparebit, quando conſtiterit, num ipſi ad reſtitutionem Monaſterii Falckenhagen ex hoc noſtro §vo *quacunque Monaſteria* obligati fuerint vel non fuerint. Atque tantum de caſu ipſo, ſive uti etiam appellare ſolent, ſpecie facti.

Itaque alterum nunc & proximum eſt, ut oſtendatur hujus caſus convenientia cum lege noſtra, id quod per omnia illa tria requiſita, ſupra a nobis notata recenſitaque, luculentisſime fieri poteſt. Primo enim quod objectum attinet, hic eſt quæſtio de Monaſterio mediato, bonisque Eccleſiaſticis mediatis, ad illud pertinentibus. Nimirum Falckenhagen, eſſe Monaſterium, a Comite quodam Schwalenbergico inſtitutum dotatumque, & primo virginibus ſacris dedicatum, deinde ad fratres crucigeros translatum: denique poſt reformationem aliis piis uſibus deſtinatum, & in hanc usque diem hac appellatione præditum, id vero cum res ipſa loquatur, nulla probatione opus habet. Res enim unaquæque eo ſtatu manere præſumitur, quo eſt, donec probetur contrarium, cujus probationis onus Jeſuitis incumbit, id recenti quodam invento affirmantibus quidem, ſed absque ulla fide, vel probabili ſaltem indicio ajunt quidem factam ſeculariſationem eſſe anno 1595. pacto illo diviſionis inter Epiſcopum Paderbornenſem & Comitem Lippiacum inito. Sed ajunt tantum, non probant. Præterea in Bulla Papali Pauli V, per quam diviſio bonorum hujus monaſterii, inter Paderbornenſem & Lippiacum facta, reſciſſa eſt, omnibus fere lineis fit mentio monaſterii, quo ipſo fabula illa de ſeculariſatione abunde refutatur, aut id ſaltem oſtenditur, Paderbornenſem promiſſum ſuum de impetrando Pontificis conſenſu ſuper ſeculariſatione implere non potuiſſe. Ex hac enim cauſa Pontifex diviſionem reſciſſam voluit, quod Comites Lippiaci non ſint habiles poſſidendis Eccleſiaſticis bonis. Adhæc in ſententiâ Cæſaris anno 1626. lata, qua Patres in poſſesſionem mitti jubentur, Falckenhagen expreſſe nominatur ein Gottes-Haus. Uti & poſt pacem Weſtphalicam in alia ſententia 1652. publicata, *Monaſterium.* Quin quod ipſi Patres Societatis, cum anno 1649. Lippiacis poſſesſio anno 1624. habita reſtituebatur, tum coram Commiſſariis ad reſtitutionem delegatis inter alias rationes, cur cedere bonis non poſſent, adduxerunt, Comites Lippiacos, ob laicam qualitatem, boni Eccleſiaſtici poſſeſſores eſſe non potuiſſe, quod aſſertum, etſi inſana abſurditate ſe ipſum refutet ſatis, documento tamen nobis eſt, Patres hanc partem Monaſterii, de cujus reſtitutione agebatur, pro bonis Eccleſiaſticis habuiſſe. Eamque rem pro cauſa etiam allegaſſe, retundendæ Lippiacorum repetitioni. Quare nihil aliud ſupereſt, quam ut dicamus,

Digitized by Google

mus, Patres ad priora hæc principia ſua deſerenda nulla re alia permotos eſſe, quam quod ſenſerint, niſi mutent Theatrum, & Ecccleſiaſti boni vice aliud ſeculare in locum ejus ſubſtituant, ſe votorum vix unquam compotes fore, quod eis Svus quæcunque Monaſteria &c, alias ſua perſpicuitate obſtaret, quocunque etiam ſe verterent. Enimvero condonabunt nobis boni illi viri, ſi eam ob cauſam, quia commodum eſt illis Prothei formas pro more induere, nos illis larvis non protinus aſſurgimus, quibus imponere nobis voluit. Quæſo enim, quis invito Comite Lippiaco ex bonis Eccleſiaſticis temporalia faceret? Forte pontifex, aut Epiſcopus Ordinarius? Sed præterquam quod Clericorum rationes non ferant, ut in eorum gratam, quos hereticos habent, naturam ejus generis bonorum immutent, ex quibus ipſi velut peculium ſuum faciunt. Quid horum auctoritas ad nos Proteſtantes, etiamſi ira dementes eſſe vellent? Quis Pontifex aut Epiſcopus imperabit nobis, ut quæ bona pro Eccleſiaſticis habere volumus, eorum juſſu pro ſecularibus habeamus? Nos uti Pontificem cum ſuo Clero res ſuas ſibi habere juſſimus, ita nos noſtras nobis habemus. Nobis apud nos Eccleſiaſtica bona erunt, quæ volumus & quæ nolumus, erunt ſecularia. Sed hujus aſſerti futilitas nulla re magis ſe prodit, quam illa ipſa, quam ſtultisſime ſane, excogitata, conventione inter Epiſcopum Paderbornenſem & Comitem Lippiacum de ſeculariſatione Conventum fuiſſe de redituum Monaſterii diviſione ſatis conſtat. At ſimul conveniſſe, ut quæ Epiſcopo Paderbornenſi cederent, ex albo bonorum Eccleſiaſticorum radenda, & in cenſum ſecularium redigenda eſſe, quam in rem ipſe Epiſcopus conſenſum Pontificis ſe impetraturum promiſit, id. præterquam quod omni fide deſtitutum, miræ ſtoliditatis inventum eſt. Quæ enim cauſa fuiſſet, ut hoc Paderbornenſes agerent? Forſan Clerus bonis ſecularibus magis gaudet, quam Eccleſiaſticis? Forſan illa huic ordini majori ſunt ornamento & honori quam hæc? forſan conditio poſſesſionis melior eſt, aut opimior uſus: Nihil utique horum. Quin contraria omnia & inverſa: At fuiſſe, qui quinquaginta ante annos & ultra, neſcio quo Spiritu agitati præviderint, fore aliquando ut Weſtphalica pace conveniatur ne bonorum Eccleſiaſticorum anno 1624. poſſeſſorum repetitio ſit, in ſecularibus cujusque jure etiam poſt pacem ſalvo & integro manente, id ne cogitare quidem cum ratione licet. Quid multis verbis opus? quicquid Clerus posſidet apud Pontificios, Eccleſiaſticum eſt eo ſenſu, qui huic noſtro Svo convenit: quamquam enim apud ſcriptores juris canonici res Eccleſiaſticæ etiam in ſpirituales & temporales dividantur, *vide Franciſcum de Roy Inſtit. jure Canon. lib. II. tit. 1.* Tantum tamen abeſt, ut hac in diviſione temporalia Eccleſiaſticis bonis opponantur: quin potius eadem illa ſunt, quæ ad ſolam vitam corpori proſunt cum ſpirituales ad animam ſpectent. Ita fac uti-

ſac utique Epiſcopum Paderbornenſem bona illa, quæ ſibi ex diviſione Monaſterii Falkenhagen obvenere, quotidianis ſuis uſibus deſtinaſſe, vel ad rationes Camerales retuliſſe: bona ipſa per id ſeculariſata non intelliguntur. O lepida capita & verſatitia: vosne qui alio tempore quicquid ſummis modo digitis attigeritis, vel ut alteri Midæ, in rē Eccleſiaſticam transmutari credidiſtis, hic adeo obliti Veſtrum eſtis, ut bona Eccleſiaſtica ob uſus temporales in ſecularium numero habeatis, quæ mox Eccleſiaſtica iterum fient, quam primum iſta a Veſtris hæreticis hac impoſtura recuperaveritis. Vere enim cum his rebus prout commodum vobis eſt, illud *fiat piſcis* luditis. Quantæ ſit molis, bona Eccleſiaſtica hac exuere qualitate, & velut ex Babylonis captivitate, poſtliminio reſtituere civitati, exemplo ſunt illa bona Eccleſiaſtica, quæ pro ſatisfactione vel æquivalenti compenſatione Suecis eorumque fœderatis & amicis derelinqui oportuit. Poſſederant illa Proteſtantes jam longo tempore ante bellum, & exacto Clero Catholico pleraque in uſus ſuos vitæque commoditates adhibuerant. Sed nihilominus Catholici, neque mutationibus illis deterriti, neque hæreticorum contagium faſtidientes, memoriam rerum Eccleſiaſticarum non depoſuere, antequam autoritate totius Imperii decretum fuiſſet, ut in ſtatum ſecularem redigerentur. Denique utut cum ea parte Monaſterii Falkenhagen actum fuerit, quæ ad Epiſcopum Paderbornenſem pervenit: Comitibus Lippiacis id tertii factum ſua in portione fraudi aut præjudicio eſſe non poteſt. Suam Epiſcopus ſeculariſaverit, ſi ita placet. Pars Lippiaca Eccleſiaſtica ſemper nomine & re manſit. Qua in re Lippiacos, ut animum mutent, neque Pontifex, neque tota grex Clericalis cogere poteſt. Falkenhagen fuit Monaſterium jam a tribus ſeculis, Et eſt adhuc Monaſterium, rumpantur ut Ilia Momo. Pertinent ejus bona ad Conſiſtorii inſpectionem, & a Curatore adminiſtrantur, qui adhuc hodie appellatur der Kloſter-Verwalter. Reditus impenduntur ad ſuſtentationem Paſtorum, ludimagiſtrorum & cuſtodum. Quodſi reliqua in uſus Comitum cedunt, id tanto minus eſt iniquū, quia etiam Jeſuitis cederent, ſi hac præda potirentur. Jam diu enim eſt, quod promiſerint, ſtatum Religionis Evangelicæ intactum a ſe iri relictum. Ex quo argumento tamen cupiditas eorum & terreſtrium rerum amor pateſcit. In Tritendino Concilio Ordinibus religioſis mendicantibus facultas facta erat poſſidendi immobilia. Ab hac libertate nonnulli, qui ſtrictioris regulæ eſſe volebant, ſe excipi petiere, ut ſub mendicitatis neceſſitate, cui ſe voto obligaverant, manerent. Eo tempore Patres Societatis quid ſibi faciendum, diu conſultabant. Urgebat pudor, ne vix nato Ordine, nec dum adulto ſatis, a primis inſtitutis avaritia atque ambitione receſſiſſe viderentur. Sed longe magis ſtimulabat opum atque divitiarum concupiſcentia, quas bene ſentiebant,

Digitized by Google

tiebant, hac renunciatione ſibi perituras, crebreſcente in dies multorum favore, qui Jeſuitis, eorum blanditiis & civilitate capti bene velle incipiebant. Invenere tandem refugium cum honore elabendi. Nimirum eorum Generalis teſtabatur, nolle ordinem ab hac conceſſione excipi, uti alii petierant. Interea meritum ejus apud Deum hominesque tanto majus fore, quo generoſius ſit, retenta libertate non uti, ſed perpetuo ex animi ſententia poſſeſſione immobilium abſtinuiſſe, id quod facere decreverint. Callido ſane & ſpecioſo conſilio. Sed parum memores ejus ſententiæ, quæ vota monaſtica ſupra ſpontaneam caſtitatem extollunt. Interea experientia probavit, quam longe cogitata horum Patrum tum abfuerint ab hac ſimulata moderatione & abſtinentia: ab hoc enim tempore invadendis aliorum bonis, eaque miris artibus occupandis adeo operam ſedulam dedere, ut breviſſimo ſpacio tantas opes, in tota Europa congeſſerint, quantas a multis ſeculis nemo aliorum Ordinum usquam habuiſſe inventus eſt. Qua in re ſedulitas eorum & vigilantia nequidem aliis Ordinibus pepercit, quos ubique ſuis Monaſteriis bonisque exuere, ubi modo favore Principum, veluti ſecundo vento cupiditatum ſuarum vela impleri diſtendique intellexere. Poteſt hæc invectio, non diffiteor, a ſcopo noſtro aliena videri. Sed cogitandum eſt, eos, qui non verecundantur res aliorum per ſummum nefas venari, iraſcendi cauſam non habere, ſi facinora ſua condignis verbis deſcripta viderint. Neque enim ſolis iſtis Hominibus comminiſci licet, quæ lubent, aliis ne mutire quidem vel defenſionis etiam cauſa auſis, non aliter ac ſi iſtorum gratia quis in re ſua & contra propria commoda prævaricari teneretur, quod turpiſſimum eſſet ſervitutis & ignaviæ genus. Nunc in viam revertamur.

Comites Lippiaci ſunt Status Imperii immediati ſine omni exceptione. Atque hoc eſt ſecundum, quod lex poſtulat, ut vindicari Eccleſiaſtica bona poſſint. Statum Imperii immediatum eſſe, eſt habere ditiones Imperatori & Imperio immediate ſubjectas, quibus jus ſuffragii ferendi in Comitiis univerſalibus & particularibus competit. His ſi notam ſecundariam adjicere vis, cenſu in matricula eſſe deſcriptum, non repugno. Utraque prærogativa & dignitate gaudent Comites Lippiaci, neque operoſa probatione eſt opus, cum eorum provinciæ in Weſtphalico Circulo ſitæ nec obſcuræ ſint nec contemnendæ, quorum jure in ſenatu Principum inter Comites Weſtphalicos ſententiam dicunt. Neque ſane matricula eorum nomen tacet, ubi ante alios ſatis oneroſo cenſu leguntur deſcripti. Hæc adeo ſunt in propatulo, ut nec ipſa impudentia ea vocare in dubium poterit.

Denique ad Poſſeſſionem anno 1624. die 1. Januarii habitam quod attinet, cum ne ipſi quidem Patres Societatis de hac diſputent, res ſuper hoc etiam puncto clara eſt & in confeſſo. O-

mnium

Digitized by Google

4. Sententia Judicis competentis.
5. Nullo remedio ſuſpenſivo a Comitibus oppoſito.
6. Traditum executione legitimo modo facta.
7. Itaque ab anno 1624. interverſum vel ademptum Comitibus non intuitu religionis nec vi privata. Sed jure rei judicatæ.

Reſpondetur ad Primum.

Quamquam nomine, re, & ſenſu implicet, Monaſterium aliquod non eſſe bonum Eccleſiaſticum, ſed ſeculare: Falſitas tamen hujus aſſerti paulo ante ſatis eſt detecta. Scilicet Comites Lippiaci dicunt ſe Monaſterium illud ſemper poſſediſſe ut alia bona Eccleſiaſtica, ſua in ditione ſita. Patres Societatis illud contra fidem & conſcientiam, ut compendium privatum ex turpi commento faciant, pro re ſeculariſata ſine omni probatione nobis volunt vendere. Cui, Quirites credendum an exiſtimant graves illi Viri, & ſpectabiles, ſe pro roſtris ſtare & ad populum concionem habere, ubi eis contradicere nemo auſit, qui non multitudinis animos concitare in ſe velit. Manifeſta eſt origo Monaſterii. Seculariſationis ejus ne veſtigium quidem adduci poteſt. Neque enim omne quod cum alio dividitur, etiam ſeculariſatur. Comites Lippiaci negant, a ſe Monaſterium unquam pro re ſeculari poſſeſſum eſſe. Quid igitur iſti homines ſibi volunt, & quæ non hæc eſt præſumptio, velle, ut ſui cauſa ordo rerum & natura mutetur. Fuit hoc Monaſterium jam ante transactionem Paſſavienſem a Comitibus occupatum, & uſibus rei Evangelicæ dicatum, integra Eccleſiaſticæ qualitatis forma: nam & Fratres Cruciferi relicti ibi ſunt, eisque privatum ſuæ religionis exercitium permiſſum, quod fieri non potuiſſet, monaſterio ad ſtatum ſecularem redacto. Neque ipſi Patres Societatis hactenus diſſentiunt, qui fabulam ſuam de ſeculariſatione demum ab ann. 15.5. exordiuntur aguntque. Idcirco ſaltem usque ad religioſam pacem ſine controverſia manſit monaſterium. Poſt illam quis mutare qualitatem iſtam Eccleſiaſticam potuit? Non ſane Catholici. Pace religioſa enim omne jus diœceſanum, omnisque jurisdictio Eccleſiaſtica illorum in Aug. Confeſſ. addictos ſuſpenſa eſt. At Comites negant, de ejusmodi mutatione ſe vel cogitaſſe hactenus. Ac valde etiam ego dubito, num Catholici Proteſtantibus hoc arbitrium de bonis ſuis Eccleſiaſticis diſponendi permiſſuri ſint. Quamvis enim hæc ipſis cum omni jure ſint tradita, id tamen fortaſſis actum non eſt, vel Catholici ſaltem ita transactum eſſe vix affirmabunt, ut ipſa etiam forma rei transmutari poſſit. Conjecturam ſuppeditat ipſa conditio, derelictioni adjecta, *donec controverſia religionis, amicabili partium compoſitione univerſali definiantur*. Quæ utcunque poſſibilis vel non poſſibilis videri poſſit, cum nihilominus eam Catholici haud quaquam dicis vel ludibrii cauſa adjeciſſe videri velint, id efficit, ne Proteſtantes res ſibi hac conditione relictas interea deteriores facere poſſint. Fierent autem

tem procul dubio res Eccleſiaſticæ deteriores, ſi hac qualitate exutæ in cenſum mere ſecularium deſcriberentur. Vidimus ipſi exemplum ante annos circiter viginti, cum Sereniſsimus Elector Brandenburgicus quædam Eccleſiaſtica bona in Ducatu Magdeburgico, & Principatibus Halberſtadienſi atque Mindenſi ſita loco indemniſationis ob damna præterito bello perpeſſa ſuos in uſus cedi ſibi peteret, ablato charactere Eccleſiaſtico. Dici enim non poteſt, quantopere omnes Catholici toto Imperio eam ob cauſam commoti ſint, quoſque clamores contra hæc deſtinata concitaverint, iniquisſimis Judiciis ubique correpta atque proſciſſa. Viderint igitur Patres Societatis, ne data ſemel unius Monaſterii, quod adeo deperennit affectu hac facultate ſeculariſandi bona Eccleſiaſtica, univerſim Eccleſiæ ſuæ & religioni malè conſulant, cum exempla non conſiſtant ubi cepere. Si contenderent Comites, Monaſterii formam a ſe extinctam eſſe, res quondam Eccleſiaſticas nunc ſuis juſſibus faciem rerum ſecularium induiſſe, reclamandum illis alta voce eſſet, potiusque carendum Monaſterio illo, modici adeo, ut ipſi ajunt pretii, quam ut hoc arbitrium vel uno exemplo Proteſtantibus darent. Nunc vero cum Lippiaci Comites negent ullam a ſe circa rei qualitatem aut formam mutationem factam, cum palam teſtentur, Monaſterium illud etiam poſt reformationem ibi inſtitutam manſiſſe priſtina rei Eccleſiaſticæ conditione, & ad hanc usque diem eodem a ſe jure haberi. Quæ non hæc eſt imprudentia ut idem illud Patres Societatis cœca cupiditate habendi, ab Eccleſiaſtico ſtatu & dignitate maximo totius Catholicæ rei præjudicio equis viriſque dejicere, & in ordinem bonorum Secularium redigere connitantur. Cujus quidem conſilii culpa tanto eſt gravior, quo minus eſt commodum, quod ex hac ſententia ſua ſperare poſſunt. Neque etiam licet eis, quantacunque etiam eorum ſit auctoritas invito Comite, Territorii Domino, ex re Eccleſiaſtica ſecularem teſtimoniis ſuis efficere. Probationes verò ex contractu illo diviſionis, inter Lippiacos & Epiſcopum Paderbornenſem inito nullas habent: *Itaque* dum aſſertis ſuis verè prævaricantibus nihil agunt, interea ſuis ſuffragiis Proteſtantes docuere, in poteſtate eorum eſſe, ſi velint, Eccleſiaſtica bona ipſis pace Weſtphalica ceſſa, abrogata eorum formâ transſcribere ad rerum ſecularium conditionem. Saltem probabilis admodum hæc nunc ſit ſententia. Quis enim tantis viris gravibus, omnique fide dignis, non aſſurgat? quis in eorum autoritate non acquieſcat? Et utcunq; contraria opinio poſſit quibusdam probabilior videri, Proteſtantes tamen alteram, quoties commodum eis eſt, recte ſequuntur: cum probabilem quoq; ſententiam amplecti liceat, neq; opus ſit, ut ſemper probabiliorem ſequamur.

Reſpondetur ad 2dum.

Ajunt Patres Societatis, Monaſterium Falckenhagen vindicatum a ſe eſſe ex cauſa civili, & jure legati. Prudenter ſane fecere, quod bullæ Papalis non memi-

minerint, qua hoc Monaſterium ipſis donatum eſt Sic enim illud, quod *intuitu religionis* procul dubio hic factum eſt, tam facile occultari non potuiſſet. Quicquid ſit, credamus interea Patribus, ipſos bono animo & ex dictamine conſcientiæ petiiſſe legatū ſuum. Quid inde ſequitur? Ergo Comites Lippiaci, qui anno 1624 hoc Monaſterium poſſederunt, eam ob cauſam, quod poſtea Patres illud Jure legati ſibi vindicarunt, reſtitutionem ejus petere non poſſunt? quæ vero hæc non eſt abſurda & ab omni ratione aliena concluſio? quid opus fuit, unicum ſolumque hujus tranſactionis, reſtitutionis & futuræ obſervantiæ fundamentum ponere habitam die 1. Januarii anno 1624. poſſeſſionem? quid opus edicere, ut Status omnia & ſingula Monaſteria aliave bona Eccleſiaſtica, quæ dicto anno dieque poſſederunt, perpetuo poſſideant, non attentis ullis exceptionibus, ex quibuscunque prætextibus aut rationibus deſumi poſſent Si tota hæc conſtitutio everti poteſt hac exceptione, quod ex cauſa aliqua civili illud Monaſterium ab alis quondam fuerit vindicatum. Quæ erunt denique & qualia, quibus non eadem ratione ſcribi dica poterit? Si hoc ſemel permiſſum eſt, ut exceptiones contra habitam poſſeſſionem audiantur. Hic Patres rem legatam allegant, alii allegabunt donationem, alii emptionem, compenſationem & ſimilia Sic nunquam Status Auguſtanæ Confeſſionis, ab omni perſecutione juris & facti perpetuo tuti erunt, uti ex hac lege tuti eſſe debent.

Reſpondetur ad 3tium.

Porro ajunt Patres Monaſterium ſibi adjudicatum fuiſſe cauſa exacte cognita. Reſpondeo, quâ diligentia & ſtudiorum affectuumque vacuitate de hac cauſa cognitum quondam fuerit, non attinet diſcutere. Extant Lippiacorum quærelæ, quibus vehementer dolent, feſtinata omnia præcipitataque a Judicio Imperiali Aulico fuiſſe, non inſpiciendi ſibi Teſtamenti facultatem factam nullam rationem privilegii fori & Auſtregarum habitam. Nullas admiſſas eſſe exceptiones, uno impetu & fervore, nam fervebant tum temporis omnia Jeſuitarum admiratione, & admiſſam iſtorum Patrum actionem, & decretam immiſſionem, atque militari manu effectui datam, inaudita prorſus altera parte, quam ad petitorium iniquiſſima ſententia remittere. Sed hæc, inquam, honore Judicis tranſmittantur & oblivioni dentur. Num igitur habita Calendis Januariis anno 1624. poſſeſſio Lippiacos nihil juvat? num propterea illis hoc unicum ſolumque fundamentum peribit? num ludibrii ſaltem cauſa exceptiones irritæ factæ ſunt, quæ ex *litibus motis cauſisve deciſis* deſumuntur. Quæ hæc non eſt impudentia, exceptionibus contra legem uti velle, quas illa ipſa lex diſertis verbis rejicit & damnat? Tædet nos rerum toties recoctarum. Tædet etiam verborum, quæ idonea non habemus, quibus intemperiem & audaciam deſcribamus. Hoc unicum ex Cicerone ſuccurit: qui ſemel pudorem amiſit, eum graviter oportere eſſe impudentem.

Digitized by Google

Reſpondetur ad 4tum.

Ajunt Patres, latam eſſe ſententiam a competente Judice: reſpondeo, de Judice competente nihil dicam. Nota ſunt Lippiacorum fori, ſeu primæ inſtantiæ privilegia. Sed utcunque nulla eſſent, id ſufficere poſſet, quod cauſarum deciſarum contra poſſeſſionem, unicum illud ſolumque fundamentum, non habeatur ratio.

Reſpondetur ad 5tum.

Ajunt Patres, Comites Lippiacos ſibi contra latam ſententiam remedio ſuſpenſivo non conſuluiſſe; reſpondeo Poterat fortaſſis hæc exceptio habere locum, ſi omnes ſententiæ in ejusmodi cauſis, quæ bona Eccleſiaſtica mediata concernunt, contra habitam poſſeſſionem latæ, Paciſcentium unanimi voluntate reſciſſæ non fuiſſent: ubi vero hoc ſemel placuit, uti nulla amplius vel ſententiæ vel rei judicatæ eſt auctoritas aut vis: ita multo minus objici poteſt neglectus remedii ſuſpenſivi. Nimia erat & propemodum infinita litium atque controverſiarum de Bonis Eccleſiaſticis mediatis multitudo & varietas. Iſta omnia ex juris & æqui dictamine decidere velle, cum ob partium tricas & ſtudia: tum cauſarum atque probationum difficultates, ſi de jure una quæque experiri voluiſſet, negotium fuiſſet, cui vix ſuffeciſſet ſeculum. Expeditiſſima itaque conficiendi negotii ratio viſa eſt, ſi per averſionem quaſi habita certo tempore poſſeſſio de omnium juribus ſemel & perpetuo pronunciet: cum nulla facilior ſit probatio quam poſſeſſionis ejus, quæ nudo in facto conſiſtit. Poſtquam hæc ſemel a Paciſcentibus ſic decreta ſunt, ut exceptiones ſimul relegarint, a litibus motis cauſisve deciſis alias opponi ſolitæ, quid refert, num illa pars, quæ anno 24. in poſſeſſione fuit, contra illam ſententiam, qua deinde amiſit poſſeſſionem remedio ſuſpenſivo uſa ſit, vel non ſit uſa.

Reſpondetur ad 6tum.

Ajunt Patres Monaſterium ipſis legitima executione traditum, ſeque in ejus poſſeſſionem miſſos eſſe. Reſpondeo. Quas ſententias lex reſcindit, earum executione gloriari nemo poteſt. Reſciſſa autem fuit ſententia Judicii aulici non modo hoc loco, dum omnes exceptiones a cauſis deciſis tolluntur, verum etiam id jam ſupra §vo 2do hujus articuli placuerat, ubi omnes in iſtius modi cauſis latæ & publicatæ ſententiæ caſſantur. Id quod art. 17. § 3. repetitum cautumque denuo fuerat, ne contra hanc transactionem *ſententiæ quocunque tempore latæ* unquam allegentur, audiantur vel admittantur. Et ne de *executionibus* dubites, earundem etiam diſerta fit mentio art. 5. §. 2do ubi regula generalis traditur, de omnium Statuum reſtitutione ſecundum poſſeſſionem cujusque, habitam Calendis Januariis anno 1624. Neque aliter fieri potuit, ſi utique conventis ratio conſtare debuit. Quodſi enim, ubi quid bonorum Eccleſiaſticorum Auguſtanæ Confeſſionis Statibus a dicto tempore judicialiter interverſum aut ademptum eſt, abſque mora & indiſtincte reſtitui debet, Interverſa autem

tem

tem & adempta judicialiter non niſi executione rei judicatæ intelliguntur, fieri non poteſt, quin ſimul executiones illis de cauſis deciſis factæ ſublatæ & abolitæ ſint. Atque ſane hic erat imprimis in ulcere Proteſtantium moleſtus unguis, poſtquam edictum Ferdinandi anno 1627. propoſitum ſubitis & militaribus executionibus omnium propemodum Evangelicorum Statuum fortunas & opes everterat. Quid multis verbis opus? cum mille exempla oſtendant, ſtatim poſt initam pacem reſtitutos Status eſſe, etiam contra executiones olim factas, nulla ratio eſt, cur Jeſuitis exceptio de re executa proſit, in qua ipſi Status præſidium nullum habent.

Reſpondetur ad 7timum.

Denique ajunt Patres Monaſterium ab anno 1624 interverſum & ademptum eſſe Comitibus Lippiacis *non intuitu religionis neque vi privata. Sed jure rei judicatæ.* O nugivendos homines, & ſectatores inanium. Scilicet nos omnes bardi & ſtupidi ſumus, quibus confidunt imponi poſſe futilibus gerris. Num igitur lex loquitur de interverſis & ademptis *intuitu religionis & vi privata*? Nullum verbum id potius dicit. Si cui quid omnium iſtorũ bonorum *quovis modo aut prætextu, ſive judicialiter ſive extrajudicialiter a dicto tempore interverſum vel ademptũ eſt, ut in priorem ſtatum reſtituatur.* Satis dictum fuiſſet, *quovis modo aut prætextu interverſum vel ademptum.* Quod enim omnes modos & prætextus inculdit, illum modum, quo cui jure rei judicatæ quid ablatum eſt, excludere nequit. Sed omnem calumniandi anſam tollunt ſequentia. *Sive judicialiter ſive extrajudicialiter.* Quid igitur nunc Patres ſibi volunt cum exceptione ſua, quod Monaſterium Comitibus Lippiacis ablatum fuerit jure rei judicatæ. Cum eam ipſam ob cauſam, quod eis illud ſic fuerit interverſum, lex reſtitutionem ſine mora & indiſtincte faciendam imperet. Quid iuvat illud *intuitu religionis* infarcire textui, & quis unquam hæc verba, *quovis modo aut prætextu* ſic auſit explicare, ut idem ſint, quam *intuitu religionis*? qua profecto interpretatione excogitari ſtultius nihil poſſet. Reſtitutio Eccleſiaſticorum toto Inſtrumento Pacis ſecundum ſtatum poſſeſſionis 1624. habitæ ſimpliciter eſt decreta, ſine ullius rei alterius reſpectu vel intuitu. Quando autem de reſtitutione politicorum eſt quæſtio, tum aliquid refert, utrum mutatio in illis politicis *intuitu Eccleſiaſticorum* facta fuerit, Seu alio reſpectu: Cum igitur nos in primo caſu verſemur, ad quem illud *intuitu eorum*, quod habetur art. 5. § 2do & quo procul dubio reſpexere Patres, plane non pertinet: intolerabilis eſt iſtorum hominum præſumptio de noſtra imprudentia, qui credidere, ſe ejuſmodi præſtigiis & craſſis fraudibus oblinire nobis oculos poſſe.

Vidimus etiam citatos ex inſtrumento pacis textus quoſdam, quibus ſuam cauſam fulcire voluere. Uti art. 4. §. 49. *ſententiæ tempore belli* &c. &c. art.

4. §. 55. *ad hæc tamen* &c. art. 5. § *quæ vero bona* 2 , art. 16. §. *loca ipſis* 14. Sed quod duo priora loca attinet, agunt illa de reſtitutione ex capite amneſtiæ, cujus plane diverſa eſt ratio, prout in ſuperioribus eſt traditum. Nimirum ſententiæ tempore belli *de rebus mere ſecularibus pronunciatæ* non impediunt quidem reſtitutionem ex capite amneſtiæ. At enim neque omni o nullæ ſunt, Sed poſt reſtitutionem per ſemeſtre ab inita pace ſpacium ab effectu rei judicatæ ſuſpenduntur donec conſtet, an alterutra pars reviſionem petere velit. At reſtituta vel reſtituenda bona Eccleſiaſtica ex capite gravaminum hoc gaudent privilegio, ut ſiç reſtituti Auguſtanæ Confeſſionis Status, poſthac in habita vel recuperata poſſeſſione nullo modo turbari poſſint, ſed ab omni perſecutione juris & facti perpetuo tuti ſint, irritis prorſus litibus motis, cauſiſve deciſis. Imo caſſatis omnibus interim in iſtius modi cauſis latis & publicatis ſententiis, decretis & executionibus. Sic etiam ab univerſali reſtitutione ex capite amneſtiæ excipiuntur inter alia *legitime vendita: ſponte donata*: at in puncto gravaminum a reſtitutione in Eccleſiaſticis nulla pacta anteriora aut ſecuta. Nullæ transactiones generales vel ſpeciales, Imo nulli omnino prætextus & rationes liberant. Quod ad artic 5. §. 27. attinet, agitur ibidem de pignoribus, ſingulari prorſus diſpoſitione ob rationes ſingulares. Sed applicatio deficit in cauſa Monaſterii Falkenhagen. Quod Patres non jure pignoris oblato credito repetunt. Sed jure rei legatæ & judicatæ. Itaque in diverſis ab una ad aliud non valet conſequentia ad idem jus ſtatuendum Denique allegatus art. 16. §. loca ipſis 14. adeo non patrocinatur Patribus, ut potius eorum cauſam oppugnet, atque Lippiacis novum argumentum præbeat, repellendis illorum conatibus, de quo fortaſſe non cogitaverant; Nimirum agitur ibi de reſtitutione omnium locorum, civitatum, urbium, oppidorum, arcium, caſtellorum & fortalitiorum, quæ a partibus belligerantibus occupata vel quocunque modo conceſſa, & tempore initæ pacis retenta adhuc fuere: decerniturque, *ut eis prioribus & legitimis ſuis poſſeſſoribus & Dominis, ſive mediate ſive immediate ſint Imperii Status, ſive Eccleſiaſtici ſive ſeculares, absque mora reſtituantur: non obſtantibus ullis donationibus, conceſſionibus, aut aliis quibuscunque titulis, in priorem legitimorum Dominorum poſſeſſorumve præjudicium acquiſitis: ceſſantibus etiam pactis & quibuscunque aliis exceptionibus prædictæ reſtitutioni adverſantibus, quæ omnia pro nullis haberi debent.* Quamquam vero ex hoc loco reſtitutio bonorum Eccleſiaſticorum proprie peti non poſſit, cum de ratione abducendi milites ex locis occupatis ſaltem ſit conventum. Tamen ſi utique argumentum inde petendum fuerit, non eſt dubium, quin illud omni ex parte pro Lippiacis militet: qui non modo jam ante tempora Paſſavienſis transactionis occupato Monaſterio priores

orés & legitimi poſſeſſores ejus, atque Domini fuere: verum etiam immediati ſunt Imperii Status, quibus, non vero aliis reſtitutio facienda eſt. Conſiderent hæc, quæſumus, paulo attentius Patres, atque præterea id etiam ad animum revocent, donationes omnes, conceſſiones, pacta, vel quoscunque alios titulos aut exceptiones rejici & pro nullis haberi, quæ in priorum legitimorum Dominorum Poſſeſſorumve præjudicium acquiſita reſtitutioni adverſari poſſunt: & deinde accedant nos dicantque, an nobiſcum contendere ex hoc paragrapho velint.

In nullo numero habeo alium locum, a Patribus etiam aliquando citatum ex art. 17. §. 7. ubi edicitur, ut nulli omnino Statuum Imperii liceat jus ſuum vi vel armis perſequi. Contra hanc enim prohibitionem non peccavere Lippiaci implorato Vicini Circuli auxilio pro ſua reſtitutione, ex quo in Weſtphalico variis protelationibus deluſis, juſtitiæ administratio ipſo facto tergiverſationis denegata fuerat, qua de re mox plura dicentur. Ut jam taceam, hunc textum non loqui de ejusmodi cauſa, qualis hæc noſtra eſt: ſed controverſiis, ubi alius modus exequendi non eſt præſcriptus. Cum alias huic legi Receſſus executionis Noribergenſis §. vo ſo dann Churfürſten und Stände, contradiceret; quo loco ſecundum præſcriptum art. 16 §. 6. Unicuique facultas datur, contra eos, qui executionem quovis modo impedire conantur, ſe propriis viribus, vel vicino militiæ ſive Cæſarianæ ſive Suevicæ auxilio atque adeo manu militari reſtituere, qualis executio militaris, nihilominus pro legitima, & ſecundum præſcriptum Weſtphalicæ pacis facta haberi debeat.

Conſtat ex his, nullum omnino jus nullas exceptiones ſuppetiiſſe Patribus Societatis, unde ſe a reſtitutione hujus Monaſterii, quam lex ſemel imperaverat, liberarent. Quin etſi hoc tempore in poſſeſſione ejus eſſent, decedendum ipſis, reſtituendaque bona absque mora & tergiverſatione forent. Niſi forte contra hos ſolos nullum ex pace Weſtphalica auxilium ſupereſt. Quid igitur tantopere urgent, ut reſtituantur? Quid Summi Judicis aures tot importunis & moleſtis precibus pulſant? Reminiſci debuiſſent dicti, quod impudenter faciat, nec audiendus ſit, qui petit aliquid, quod ſtatim reſtituere debet.

Sed conqueruntur tamen Patres, ſe executione eo læſos eſſe, quod reſtitutio cum exceſſu ſit facta. Velle autem legem, art. 17. §. 4. ut ſine exceſſu fiat. Videamus breviter de hac accuſatione. Exceſſus in reſtitutione fit duplici modo, uno; ſi executor in re reſtituenda exceſſerit modum: & altero, ſi in modo exequendi fuerit peccatum. Quod ad primum attinet, hactenus non audivimus, Jeſuitas conqueſtos eſſe, Lippiacis plus adjudicatum & reſtitutum fuiſſe, quam anno 1624. prima die Januarii poſſederunt: quod ſi enim exceſſum in eo quærunt, quod hæc cauſa ob peculiares circumſtantias ſic comparata ſit, ut reſtitutioni ex capite gravaminum ſecun-

cundum formulam legis *quacunque Monaſteria* &c. non ſubjaceat, tum vero huic commento larva abunde eſt detracta, depulſis Patribus ex omnibus ſuis præſidiis. Id unum ergo relinquitur, ut videamus, an in modo exequendi peccatum fuerit. Ubi Patres tria potiſſimum habent, de quibus expoſtulant. Unum quod Comites Lippiaci deſerto foro, quod coram Electore Colonienſi, tanquam Epiſcopo Monaſterienſi, ac Circuli Weſtphalici Directore ceptum jam & præventum fuerat, auxilium & executionem extra Circulum quæſiverint. Alterum: quod Circulus Inferior Saxonicus ad Lippiacorum implorationem huic ſe cauſæ immiſcuerit, ejusque Directores extra ſuum Circulum in alieno executionem ſuſceperint. Et tertium; quod cauſa inter duas diverſæ religionis partes vertente Executores Aug. Confeſſioni tantum addicti adſumpti fuerint, non attento, quod paulo ante Cæſar hujus negotii executionem duobus ex utraque religione Statibus; nimirum Electori Colonienſi & Duci Auguſto Brunsvicenſi mandaverat: quibus denique quartum eſt additum. Scilicet reſtitutionem peractam fuiſſe non modo manu forti & violenta: ſed & præcipitanter, absque prævia & ſufficienti cognitione, an hujus negotii ea ſit ratio, ut reſtitutio ejus ex formula textus noſtri peti poſſit, & impetrari debeat. Antequam diſpiciamus, quanti hæ objectiones valeant, adhuc ſemel brevibus repetendum inculcandumque eſt, quem exequendæ pacis modum lex nobis præſcripſerit. Ad iſtam enim regulam executio a Circulo inferiore Saxonico facta exigenda erit, ut conſtet, qua parte contra eam in modo exequendi peccatum fuerit.

Statutum itaque eſt unanimi Conſenſu omnium Paciſcentium,

1. *Ut omnes & ſinguli, ſive Status, ſive Communitates, ſive privati, ſive Clerici ſive Seculares, qui vigore hujus transactionis ejusdemque regularum generalium ad reſtituendum aliquid obſtricti ſunt, teneantur ſtatim poſt promulgata Cæſarea edicta & factam Reſtituendi notificationem SINE OMNI TERGIVERSATIONE VEL OPPOSITIONE AUT QUACUNQUE ALIA EXCEPTIONE, omnia ad qua obligantur, reſtituere. art. 16. §. 5.*

2. Ut Imperator propoſitis *per univerſum Imperium edictis mandet iis, qui ex hac pacificatione ad aliquid reſtituendum vel præſtandum obligantur, ut SINE TERGIVERSATIONE ET NOXA intra tempus concluſæ & ratificandæ pacis præſtent & exequantur transacta. art. 16. §. 2.*

3. Ut Imperator iisdem edictis *injungat tam Directoribus, quam Præfectis militiæ Circularis, ut ad requiſitionem Reſtituendorum juxta ordinem executionis, & hæc pacta reſtitutionem cujusque promoveant & perficiant, art. 16. §. 2.*

4. Ut *Edictis inferatur Clauſula, ſi Directores vel Præfecti militiæ Circularis Commiſſionem repudiaverint, ut vicini*

cini Circuli Directores aut Præfecti militiæ Circularis eodem Executionis munere etiam in alios Circulos AD RESTITUENDORUM REQUISITIONEM FUNGI DEBEANT. art. 16. §. 2.

5. Ut Directorum & Præfectorum Circularis militiæ executionibus, *omnes ſive Status ſive milites ſint, ſive quilibet alii aſſiſtant.* Utque liceat *milite præſertim præſidiario* Executoribus uti. *art. 16. §. 6.*

6. *Ut liberum ſit dictis Executoribus, contra eos, qui executionem quovis modo impedire conantur, ſuis vel etiam Reſtituendorum viribus uti. art. 16. §. 6.*

Atque hic eſt modus exequendi in inſtrumento pacis præſcriptus, quantum ſcilicet ad hunc noſtrum caſum attinet. Quibus addimus *ex §vo quacunque Monaſteria 25. art. 5.* hoc ſpeciale præſcriptum, loco ſeptimo: Ut ſcilicet

7. *Ubi quid bonorum Eccleſiaſticorum mediatorum, eorundemque pertinentium & fructuum Aug. Confeſſ. Statibus QVOVIS MODO AUT PRÆTEXTU ſive judicialiter ſive extrajudicialiter a dicto tempore interverſum aut ademptum eſt, id OMNINO ABSQUE MORA ET INDISTINCTE cum ſuis pertinentiis, reditibus & acceſſionibus ubicunq; ſitis in priorem ſtatũ reſtituatur.*

Secundum hanc formulam legis Imperator Ferdinandus III. paucis poſt pacem factam diebus primum ſuum edictum Executionis Septima Novembris anno 1648. publicavit, cujus tota ſubſtantia deſcripta eſt ex illa regula, quæ habetur art. 16. §. 2. 3. 4. 5. & 6. ubi inter alia non modo id expreſſe habetur, ſi Directores Circuli vel Præfecti militiæ Circularis rationes ſibi videantur habere, quominus executionem ſuſcipiant; ut ad implorationem Reſtituendi *etiam extra Circulum* auch auſſer dem Creyß, Vicini Circuli Directores & Præfecti ſuſcipere eandem & effectui dare poſſint atque debeant.

Verum etiam ut Executoribus contra eos, qui debitis reſtitutionibus quovis modo reſiſtunt præſidiarii militis opera, uti is uno & altero loco proxime ad manus erit, uti liceat, cui fini Cæſar mandat ſuis belli Ducibus & cæteris officialibus, ſummis infimisqne, ut Deputatis ad Ejusmodi Executiones Commiſſariis auxilio manuque forti adſiſtant. Enimvero cum ſtatim poſt Edictum hoc propoſitum animadverſum fuiſſet, varias nihilominus moras ab iis, quibus reſtituendum aliquid ex pace erat, ingenioſis excuſationibus necti; Neque Executores officio ſuo ea fide & alacritate fungi, quam negotii ratio & ſtipulata exequendæ pacis integritas atque celeritas deſiderabat. De novo & ſtrictiore Edicto Cæſareo cogitatum eſt, quo magis excitarentur tum reſtituentes, tum Executores, ut ad promovendas reſtitutiones unusquisque id præſtaret, quod ſui muneris eſſet. Scilicet proveniebat maxima mora a Catholicis, quibus reſtitutiones ut plurimum faciendæ erant; id quod male admodum habebat non modo reſtituentes ipſos, verum etiam in Circulis executores ejusdem relgionis, quibus

quibus res indigna, & conſcientiis ſuis gravis viſa eſt, præſtare operam, ut Sui templis boniſque Eccleſiaſticis rurſus ejiciantur, quæ tot conſiliis, ſumptibus & periculis ſibi paraverant. Eorum, quæ pace facta Proteſtantes in poteſtate habuere, facilior jactura fuit. At bello occupatis & usque ad pacem retentis nunc ut decedant, id vero quam maxime dolebat, ſtimulabatque. Interea pudor etiam erat, a recens adeo conventis ſtatim receſſiſſe. Neque minus urgebat metus a Suecorum eorumque fœderatorum armis, quæ omni fere Germaniæ, ſed imprimis Provinciis Auſtriacis adhuc incumbebant. Atque non ita pridem magnum ſui terrorem ſparſerant novæ Pragæ Civitatis inopinata occupatione. Itaque vix ſopitum bellum aut ſubito renovandum erat religionis cauſa: aut oportebat conventas reſtitutiones præſtare bona fide. Primum fuiſſet invidiæ & odii plenum. Itaque dum alterum, id eſt, pacem ſervandam eligunt, ejusdem executionem impedire non poterant. Hæc res occaſionem dedit promulgandi edicti arctioris, quod anno ſequenti 1649 die 2da Martii publicatum eſt, & communiter vocatur *arctior modus exequendi*, in hoc præter ſuperiora hæc continentur.

1. Ut in puncto gravaminum Eccleſiaſticorum fiat reſtitutio omnium in eum ſtatum, quo anno 1624. fuere, ſine ulla reſervatione aut recuſatione, Inſtrumento Pacis contraria. **Ohne einigen Anhang oder** reſervation, **ſo dem** Inſtrumento Pacis **zuwieder laufft.**

2. Ut omnia in Inſtrumento pacis conventa exequi curent pleniſſime.

3. Ut contra ejusmodi reſtitutiones & executiones nullæ omnino audiantur vel admittantur exceptiones.

4. Quodſi ſuper NB. facto poſſeſſionis dubia alicujus momenti occurrant, ut de iis in loco executionis ſummariſſime cognoſcatur, & decidatur.

5. Ne præter id genus dubia *ſuper facto poſſeſſionis*, alia, Inſtrumento pacis repugnantia, conſiderentur.

6. Ut Executores Cæſari indicent illos, qui committendo ſive omittendo edictis Cæſareis & executionibus ſe opponunt: in quos ſe animadverſurum pœnâ fractæ pacis Cæſar promittit.

7 Ut Executores contra refractarios, eorumque ditiones & ſubditos, ſi Status Imperii ſint, ad præſcriptum Inſtrumenti Pacis & Conſtitutionum Imperii, in ſpecie, **der** Executions-**Ordnung** procedant. Sin vero privati fuerint, ut eos pro exigentia rei in cuſtodiam dent, & tanquam reos fractæ pacis graviter puniant.

8. Ut interea nihilominus, non exſpectata Banni declaratione omnia & ſingula executioni mandentur.

9. Ut Executores plenam poteſtatem habeant, pro executione contra omnem vim & repugnantiam promovenda atq; ſuſtinenda utendi ſuis propriis vel Circulorum viribus. Item auxilio & opibus ejus, qui reſtituendus eſt: nec non ſubſidiis præſidiarii militis, vel aliarum copiarum, in vicinia ſtativa habentium; quam in rem Cæſar militibus imperat, ut

Digitized by Google

ut rogati auxiliarem manum præſtent &c.

Ex hoc edicto patet, contra reſtitutionem nullas omnino exceptiones alias admitti, niſi quæ ſuper ipſo facto poſſeſſionis dubio, quod unicum ſolumq; reſtitutionis & futuræ obſervantiæ fundamentum eſt, occurrunt & opponuntur. Sed experientia docuit, ne ſic quidē provideri in omnibus potuiſſe, ut juxta Edictum Cæſareum illud arctius reſtitutiones ubique peragerentur. Itaque Noribergam Conventus eſt indictus, in quo duabus conventionibus ſeu receſſibus, uno præliminari, & altero conſummato ſeu abſoluto, quem capitalem dixêre, cum aliis de rebus pacis executionem concernentibus, tum imprimis de negotio illo, quod ad promovendas reſtitutiones ſpectat, denuo tractatum atque transactum fuit, adſtrictis ulterius vinculis, quæ adhibita jam erant adferendæ neceſſitati illis, quibus ex pace Weſtphalica in puncto gravaminum impoſita reſtitutionis obligatio fuerat. Huic fini in Receſſu præliminari undecima Septembris 1649. ſic eſt conventum, ut

I. In puncto reſtitutionis ex capite gravaminum fiat reſtitutio. 1. Ex Inſtrum. Pacis. 2. Secundum normam univerſalem terminorum a quo. 3. Secundum regulas tam generales quam ſpeciales. 4. Sine tergiverſatione & mora. 5. Sine reſpectu perſonarum, religionum vel jurium petitorii. 6. Sine ulla exceptione, quocunque nomine veniat. 7. Ad habitum modumque nudi facti poſſeſſionis, uſus, obſervantiæ & exercitii.

II. Caſus liquidi ab illiquidis ſeparentur.

III. Pro caſu liquido habeatur, 1. cujus mentio in Inſtrumento Pacis ſpecialiter & nominetenus facta: 2. quod ſub regulis generalibus manifeſto & ſine contradictione continetur: & 3. quod in deſignatione Receſſui illi præliminari ſub lit. A. adjuncta expreſſum & enumeratū eſt.

IV. Horum caſuum deciſio atque executio per reſtitutionem fiat adhuc ante primum, ſecundum & tertium terminum exauctorationis & evacuationis.

V. Si in his mora nectatur, cumprimis autem ſi reſtituentes tergiverſentur, neque officium ſuum faciant, ad Directorum Circuli & Executorum admonitiones, liceat reſtituendis ante exitum tertii termini exauctorationis & evacuationis, vel Circulorum auxilio, vel propriis viribus advocatis etiam militaribus copiis, qui proxime adſunt, tam Cæſareis, quam Suecicis, & aliorum, ſibi reſtitutionem & immiſſionem manu militari procurare. Quæ executio militaris pro legitima nihilominus ſit habenda, tantum abeſt, ut quisquam propter eam violatæ pacis argui poſſit.

VI. Reſtituentes potius, qui ſic tergiverſantur, aut reſtitutioni ſe opponunt, teneantur ad reparanda damna ex mora accepta, & refundendos ſumptus in executionem factos.

VII. Reliqua, quæ propter multitudinem atque diverſitatem caſuum, difficultatem probationum, vel diſtantiam locorum intra hoc breve tempus expediri non poſſunt executioni mandentur in-

Digitized by Google

tra tres menſes a tempore conventi & ſubſcripti hujus receſſus computandos. Abſque ulla reſervatione, limitatione & remiſſione ad petitorium; qua in re omnia peragantur ad præſcriptum inſtrumenti Pacis & Edictorum Cæſareorum, eam ob cauſam promulgatorum: ita ut nemo, cui vel explicite vel implicite reſtitutio debetur, de protelato negotio conquerendi cauſam habeat. Renovata pœna, Cæſareis edictis in eventum ſtatuta contra *moroſos & quocunque modo renitentes*: & exequenda, abſque condonatione atque reſpectu perſonarum.

VIII. Hæc omnia ut tanto certius exequantur, eoque magis accelerentur, formetur & inſtituatur Deputatio ex legatis Statuum Noribergæ congregatis pari numero utriusque religionis, cujus officium ſit de ſingulis caſibus, qui ad punctum amneſtiæ vel gravaminum pertinent, cognoſcere eosque decidere: quo in negotio Statuum Deputati actu continuo operas ſuas impendent neque prius diſcedant vel avocentur, quam gravamina omnia Noribergæ exhibita definita abſolutaq; eorum diligentia & auctoritate fuerint.

IX. Deputati in liquidis & illiquidis ita ſe gerant: ut liquida Directoribus Circulorum ſimpliciter ad exequendum commendent. Hæc vero illiquida, quorum ſcilicet Definitio propter defectum ſive Informationis, ſive probationis, item abſentiam unius vel utriusque partis in loco Deputationis commode fieri nequit, ad Directores Circulorum remittant, adjunctis Reſtituendorum actionibus & petitionibus, cum mandato, ut de cauſis dubiis certius cognoſcant, easque pro cujusque natura & conditione decidant atque ſtatim exequantur. Quamobrem ipſis injungitur, ut hoc ſuo munere ſedulo atque diligenter fungantur. Denique interdictum ſit & prohibitum, ut neque Cæſar, neque quiſquam alius Directoribus Circuli vel aliis Executoribus hoc ſuo in munere impedimento ſit, aut eorum poteſtatem inhibeat. Quæ vero ſecundum formulam Inſtrumenti pacis atque Edictorum Cæſareorum vel etiam hujus receſſus Noribergenſis debita executione jam reſtituta ſunt, aut deinde reſtituenda erunt; ea vero nemini fas ſit reſcindere, mutare, evertere, vel reſtitutionem ullo modo turbare. Quin teneantur potius omnes in recuperata poſſeſſione, contra quoscunque tueri & defendere, irritis & pro non dicto factoque habitis omnibus, quæ quocunque modo in contrarium attentatá ſunt. Rejectis etiam & pro nullis declaratis Proteſtationibus atque reſervationibus, viæ juris vel facti. Nec non omnibus reſcriptis, mandatis vel decretis, quocunque nomine appellentur, quatenus Inſtrumento Pacis & Cæſareis edictis contraria ſunt. In receſſu Executionis Principali, poſt præliminarem illum decima Sexta Junii anno 1650. facto ſuperiora partim repetita: partim vero declarata magis. Nonnulla etiam facilitandæ rei cauſa addita fuere. Eorum, quæ pertinent ad reſtituendos ex capite gravaminum, hæc fere ſumma fuit.

1. De-

Digitized by Google

I. Deputatos ad punctum reſtituendorum; vi receſſus Præliminaris ſuperioris conſtitutos, ex utraque religione, loco deſignationis ſeu Liſtæ ſupra lit. A. allegatæ aliam confeciſſe deſcriptionem ſeu claſſem caſuum, prout unusquisque in unoquoque trium terminorum, qui mox nominabuntur, prævia debita cognitione exequendus ſit:

II. Omnes itaque in his tribus Claſſibus nominatos caſus, ſive jam deciſi fuerint, ſive mox a Deputatis intra tres menſes decidendi, intra conſtitutum tempus exequendos eſſe: obſervatis ſequentibus. Ut ſcilicet,

1. Id quod jam ante executioni mandatum eſt, vel intra terminos prædictos, aut intra ſubſequentes tres menſes a Deputatis vel Directoribus Circulorum, aut Commiſſariis aliis, vi inſtrumenti Pacis & arctioris modi exequendi, nec non receſſus Præliminaris, hujusque Principalis deciſum & executioni mandatum fuerit, aut adhuc cauſa cognita exequendum eſt, firmum ſit & inviolabile, neq; de eo uspiam alibi *neque in judicio aulico*, neque in Camera Imperiali, neque aliis quibuscunque judiciis, ullo modo, ullave ratione cognitio alia ſuſcipiatur. Sed NB. petentibus ſimpliciter denegentur Proceſſus, Imprimis vero,

2. Contra ejusmodi reſtitutiones & executiones nullis attentatis nullisve turbationibus de facto locus ſit.

III. Quod ad debitas reſtitutiones attinet, quæ Executioni nondum mandatæ ſunt, in ſubſequentibus harum promovendarum cauſa eſt conventum.

1. Ut Deputati ad punctum reſtituendorum de omnibus caſibus & gravaminibus ab Aug. Confeſſioni addictis vel jam exhibitis, vel ante primum exauctorationis & evacuationis terminum adhuc exhibendis, ſerio cognoſcant, & pro re nata reſtitutiones decernant, atque ita maturent, ut caſus, qui certis terminis ſunt incluſi, intra illud conſtitutum tempus, reliqui vero intra tres menſes proxime ſequentes abſolvantur & executioni mandentur.

2. Ut Deputati ſint ex parte Catholicorum, Moguntinus, Bavarus, Bambergenſis & Conſtantienſis. Ex parte vero Statuum Auguſtanæ Confeſſionis Altenburgenſis, Brunſvicenſis, Würtebergenſis & Noribergenſis, qui expediendis caſibus & decernendis executionibus diligenter incumbant, neque interea a ſuis Principalibus ullo modo avocari poſſint.

3. Ut huic Collegio Deputatorum pro Mediatoribus adſint Colonienſis & Electoralis Brandenburgicus.

4. Quod ad alios caſus reſtitutionis attinet, qui intra tres illos terminos, vel ante primum terminum exauctorationis atque evacuationis non delati exhibitique fuerunt, ne illi pro excluſis habeantur, neque cuiquam propterea reſtitutio denegetur, reſervata potius omnibus libertate, ut poſtea etiam unusquisque apud Directores Circulorum, vel Cæſaream Majeſtatem petere reſtitutionem, & ſecundum præſcriptum exequendi modum ſummariſſimum obtinere poſſit.

5. Ad

5. Ad cauſas intra tres menſes ſupra nominatos pertinent omnes aliæ, in deſignatione ſpeciali non expreſſæ, quæ Directorio Moguntino ſive jam exhibitæ fuerunt, ſeu ante primum exauctorationis atque evacutionis terminum adhuc exhibebuntur. Quibus adnumerandæ illæ etiam ſunt, quas ſpecialis Deputatorum Catalogus continet.

6. Ne diſtributio Caſuum in ſuas Claſſes ſic accipiatur, quaſi unum alterumve eorum, ſi fieri commode poſſit, ante terminum præſcriptum expedire non liceat. Attento, quod iſti termini ſolummodo pro maturandis cauſis & ad excludendam omnem moram poſiti ſint.

7. Quemadmodum etiam enumeratio gravaminum, quæ ad unumquemque caſum ſpectant, non ita intelligenda eſt, quaſi excluſa alia cenſeantur, ſi quæ reſtituentes vel reſtituendos præterea habere contingat.

8. Ut omnia documenta reſidua, quæ poſthæc in notitiam reſtituendorum pervenient, reſtituantur & extradantur, etiamſi eorum, quod latuerint tempore decretæ reſtitutionis, a Deputatis nulla ratio habita fuerit.

9. Denique ut omnes Proteſtationes & reſervationes contra Receſſum Præliminarem, vel hunc principalem factæ non ſecus ac ſi contra Inſtrumentum Pacis ipſum factæ fuiſſent, pro nullis & irritis declarentur atque habeantur, uti & Cæſar edicto ſevere prohibebit, ne per diſputationes, Conciones, aliave attentata ordo & modus exequendi, tam in Inſtrumento Pacis, quam his receſſibus decretus & præſcriptus, convellatur aut proſcindatur, facta Magiſtratibus cujuſque loci poteſtate, ut in eos, qui contra hæc peccaverint, pro delicti magnitudine & circumſtantiis, animadvertant.

Ecce curas & exactam Paciſcentium ſollicitudinem, in promovendis reſtitutionibus & executionibus adhibitam. Atqui fruſtra eſſent hæc ſaluberrima deſtinata, ſi liceret iis, quibus a lege reſtituendi neceſſitas impoſita eſt, contra factum poſſeſſionis, ſe exceptionibus aliis, quarum in jure communis ratio haberi alias ſolet, defendere & excuſare.

Videamus tamen, quas Jeſuitæ habeant querelas de exceſſu. In re ipſa, cujus cauſa executio facta eſt, non fuiſſe exceſſum, jam ſupra demonſtratum fuit. Cum de facto poſſeſſionis anno 1624. habitæ, omnium ſuffragiis conſtiterit. Itaque hæc Inſpectio ſolum de modo exequendi erit. Hunc ut invidia onerent Patres, varia quidem proferunt. Sed totus apparatus declamationis ad hæc duo ſumma capita referri poteſt:

1. Quod cum res litigioſa ſita in Circulo Weſtphalico ſit, ejus executio ſuſcepta & facta fuerit a Directoribus Circuli Saxonici inferioris, & 2. quod cauſa inter Catholicum & Proteſtantem vertente ſoli Aug. Confeſſ. addicti Status & decreverint executionem & perfecerint.

Reſpondemus in genere, quamvis detur,

tur, quod tamen non datur, fuiſſe Patribus cauſam ex hoc agendi modo, cur executionem jure arguere exceſſus cujusdam poſſent, ipſis tamen actio nulla competit ad Lippiacos, qui negabant exceſſum ſubitis nudisque, mandatis & Commiſſionibus Cæſareis poſſeſſione iterum dejiciendos, antequam cauſa cognita de exceſſibus ſtatutum fuiſſet ab illis, ad quorum judicium hæc cognitio pertinebat. Sed hoc ipſum erat, quod Patres defugiebant & averſabantur, cum facile præviderent, cognitionem de ipſis cauſæ meritis ſimul habendam fore, qua ſe ſecundum Inſtrumenti Pacis formulam ſuccubituros nullo modo ipſi dubitabant. Itaque compendium ſe facturos credebant, ſi clamoribus & querelis de exceſſu executionis undiquaque diſſeminatis & ad concitandam invidiam auctis, Cæſaris & Catholicorum auxiliis recuperare ſtatim poſſeſſionem poſſent, Lippiacis ad ambages litium rejectis, quas confidebant vix ſeculo finitum iri, modo ipſi propoſitum ſuum interea tenuiſſent, donec ardor exequendæ pacis poſt exauctorationem copiarum & militiæ Suecicæ deductionem parumper deferbuiſſet. Sed hæc callida conſilia exitum non habuere. Etenim non modo honor & dignitas Proteſtantium, atque in ſpecie Directorum Circuli Saxonici non ferebat, ut quam reſtitutionem ipſi ex pacis formula decreviſſent, & executioni mandari curaviſſent, ſolo placito Jeſuitarum, nulla ratione juris ſubnixo, convelli & retractari paterentur. Verum etiam ab initio ipſi Catholici, Patrum etſi querimoniis fatigati, petere aliud tamen auſi non ſunt, quam illud ſolum ut cognoſcatur, an intentata Patrũ accuſatio de exceſſibus juſta ſit. Ita Cæſar ſtatim poſt Comitum reſtitutionem ad Plenipotentiarios ſuos apud Conventum Noribergenſem agentes reſcripſerat, darent operam, ut emendentur exceſſus, ſi quos fuiſſe probatum fuerit. Ita die 13. Novembr. 1649. in Conſilio Deputatorum utriusque religionis decretum eſt, etſi hac in cauſa executio jam peracta fuerit, quia tamen Patres de Exceſſibus conqueruntur, ut ſuper his amplius cognoſcatur, & prout res poſtulabit remedium adhibeatur. Nimirum uti plerumque uſu venit, ut executiones illis, contra quos decernuntur, minus gratæ ſint, ita in negotio pacis exequendæ etiam accidit, ubi multorum querimoniæ auditæ & ad Conventum Noribergenſem delatæ ſunt. Quam ob rem coacti fuere Status, delegare aliquos ex ſuo ordine, qui audiendis Exceſſibus & cognoſcendis vacarent. Quibus ſupra dicti Mediatores, Colonienſis & Electoralis Brandenburgenſis etiam præpoſiti. Ad hoc forum remiſſi Patres Societatis ſunt, qui etiam non recuſavere, cauſam ſuam ibi agere; Enimvero ſic Judice ſemel accepto & foro prævento integrum illis non fuit, deſerere litem, & alium ſibi Judicem quærere, etſi res ex eorum voto brevi adeo tempore perfici non potuerit. Neque enim ſoli erant, quibus a Collegio Deputatorum in cauſis Reſtitutionum jus dicendum fuit.

Habuere

Habuere Proteſtantes ipſi longe plura & graviora, quibus eos patientiam ſuam commodare oportuit non abſque inſigni damno & dolore. Ut horum fortunæ relinquerentur Deputatorum jurisdictioni; qui ob diverſas religionis cauſa ſententias fere nunquam in unum conveniebant, ſed in plerisque ſe atque reſtituendos impediebant mutuis æmulationibus: Patrum vero Societatis actio de exceſſibus avocari a cepto ſemel foro, atque ſuſcipi a Catholico Judice poſſit, id vero neque æquum neque rationi conſentaneum fuiſſet. Atqui plane aliam fuiſſe mentem Deputatorum ad punctum reſtituendorum non modo oſtendit deſignatio illa ſeu Liſta Receſſui Executionis Noribergenſi adjuncta, qua in tribus terminis reſtituendi enumerantur. Ubi hanc cauſam, ut ſcilicet de ea denuo agatur, in ſecunda Claſſe collocatam invenies; poſtquam ejus executio integro propemodum anno prius jam facta fuiſſet. Verum etiam altera deſignatio anno 1653. in ſecutis Comitiis univerſalibus publicata, quæ ejusdem rei meminit, eamque ut cœtera negotia ad Conventum Deputatorum Francofurtenſem, qui in annum 1655. indictus habitusque eſt, remittit, quamvis Patres jam diu in Judicio Aulico litem inſtruere, eoque hanc retrahere cauſam equis viriſque conati fuiſſent.

Ex hac rerum geſtarum ſerie quivis intelligit, ſi utique Patribus Societatis integra adhuc eſt diſceptatio de exceſſibus executionis, quos tantopere crepant ad invidiam Executoribus conflandam: illis tamen integrum non eſſe avocare cauſam a foro convento, & mutare Judicem, apud quem ipſi Patres, uti non diffitentur, actionem jam inſtituerant. Quod Noribergæ conventus ſit ſolutus, nihil ad rem pertinet. Neque enim propterea ſolutum etiam eſt vel abrogatum Collegium Deputatorum, qui reſtitutiones promoverent, quia hoc ipſum in Comitiis ſuperioribus renovatum auctumque cum numero tum poteſtate ea lege, ut Francofurti audiendis partibus atque reſtitutionibus promovendis operam daret. Illuc ſe conferre Patres oportuit, ibique cauſam ſuam de exceſſibus agere. Ut alii omnes teneantur iſtud forum ſequi, compoſitum Judicibus ex utraque religione pari numero. Soli vero Patres adire Cæſarem, & ſubita mandata, reſtitutis Lippiacis iniquiſſima, emendicare poſſunt; Qua eorum prærogativa hoc fieri debet vel admitti? Equidem parati ſunt Lippiaci, coram quovis Judice, qui neutro inclinat, ſed integro affectu eſt, cauſam ſuam agere: neque ſane dubitant, quin ex formula Weſtphalicæ pacis reos peragere Patres Societatis manifeſtæ calumniæ posſint. Sed ignoſcendum utique eſt illis, ſi perhorreſcunt illud Judicium, a quo hactenus tot gravibus & indignis mandatis decretisq; contra omnem juris ordinem correpti fuere atque vexati. Ecce enim per Deum hominumq; fidem, quis fando audivit unquam, vel quis animo concipere hanc præpoſteram jurisdicundi

di

Digitized by Google

di rationem poterit, ut qui autoritate publici Magiſtratus in poſſeſſionem rei miſſus eſt, dejici illa iterum ab alio Judice ex hac unica cauſa poſſit, quod alter conqueratur, exceſſum eſſe in executione, antequam de exceſſibus delatis ſatis cognitum, atque auditæ partes utrinque fuerunt. Habet enim & Executor de executione legitime facta præſumptionem juris pro ſe: & is, qui in poſſeſſione eſt, exturbari ea non debet, antequam de cauſa legitime conſtet, cur in illa tuendus non ſit. Neque enim prædonem aut furem ſua poſſeſſione dejicimus, niſi judicatum ante fuerit, cur ſit dejiciendus. Qui Patrum iſtorum callida conſilia artesq; hac in re non perſpicit, næ illum ſtupidum valde & tardum eſſe oportet. Scilicet dum cauſæ ſuæ diffidunt, hoc agunt, ut ſpecioſo deturbationis prætextu poſſeſſionem reciperent, rati, poſtquam reſtituti ſemel fuerint, ſe Comites Lippiacos perpetuo fruſtraturos. Enimvero hoc vel cœco etiam apparet, eadem ex cauſa, qua Patres reſtitutionem petunt, Lippiacos in ſua ab æquo utrique parti Judice tuendos eſſe. Neque enim ulla eſt ratio, quæ Judicem cogat, cur Jeſuitarum deſideriis annuat; ut non Eundem, Eadem ratio multo magis obliget, ut Lippiacos in poſſeſſione defendat, donec conſtet, cur auferenda hæc illis atque Patribus Societatis addicenda ſit. Nam qui Patres prius exturbatos objicit, eum conſiderare æquum eſt, id cauſa exequendæ pacis factum a publico Magiſtratu. Quod ſi utique jam ſuperior Judex auctoritatem ſuam interponere velit, cum altera pars de injuria ſibi illata queritur, perverſa res eſſet, reſtitutionem ante imperare quam cognitum ſit, cur fieri debeat. Fac enim in executione certas ob cauſas quædam extra ordinem peragi debuiſſe: ſi talia non ſunt, quæ ipſum jus partis lædunt, ſed aliorum culpa in ſubſidium adhibenda fuerint, nemo hercle erit, qui propterea omnem executionem cum inſigni Magiſtratus publici injuria, reſcindendam eſſe dixerit. Cui fini enim reſtituenda res erit, quam alterum oppido oportet ex pacis formula reſtituere, & quid ejusmodi ambagibus opus eſt, ſi bona fide pacem omnibus in articulis ſuis executam, & reſtituenda reſtituta cupimus.

Interea expendamus etiam ſingula, quibus Patres Societatis decreta illa & peracta executione injuriam ſibi factam exiſtimant. Prodiit ſcriptum anno 1701. germanico ſermone, cui titulus: Gründliche aus den Reichs-Hoff-Raths actis gezogene Information über die Beſchaffenheit des Kloſters Falkenhagen. Ubi fabula, quod ad punctum Reſtitutionis Lippiacorum, ejusque cauſa peractam executionem attinet, hoc modo adornatur:

1. Poſt initam Weſtphalicam pacem, atque publicatam, Lippiacos petiiſſe a Patribus, ut ſibi eam partem Monaſterii Falkenhagen reſtituerent, quam ipſi 1. die Januarii anno 1624. poſſederunt. Sed Patres a reſtitutione ſe excuſaſſe.

Reſpondeo. Facere Lippiaci hac in re, quod ſui erat officii, ſecundum ordinem,

dinem, quem paciſcentes art. 16. §. 5. & Edicta Cæſarea præſcripſerant. E contra Patres ſuo officio defuere, quod recuſaſſent reſtituere rem Eccleſiaſticam, quam ex pace poſſidere amplius non poterant. Exceptionis de Secularisſatione illo tempore ratio eo minus haberi poterat, quod hoc commentum Patrum valde recens ſit & muſteum, vix ante annum 1674. in Scenam productum, cum incepiſſent animadvertere, qualitatem boni Eccleſiaſtici ipſis, cum poſſeſſionem anno 1624. a Comitibus habitam negare non auderent, maxime obſtare, cur defugere ſanctionis de bonis Eccleſiaſticis mediatis conditæ perſpicuitatem non poſſent. Quod enim ipſis utcunq; verſutis initio hoc de aſtu ſive dolo cogitatum non fuerit, oſtendet tota eorum actio, poſt executionem Comitibus intentata tam apud Conventum Noribergenſem, quam Imperiale aulicum Judicium, ubi omnis quæſtio de re Eccleſiaſtica ipſis interverſa: oportebat ſane eſſe memores eorum, quæ Executoribus quondam dixere pro ratione, cur Monaſterium Falkenhagen Comitibus reſtitui non debeat; Quod ſcilicet Lippiaci, utpote Seculares, ad poſſidenda bona Eccleſiaſtica non ſint habiles.

2. *Lippiacos a Patribus Societatis repulſam paſſos adiiſſe Electorem Colonienſem, qui tum Epiſcopus Monaſterienſis erat, atque ab eo, tanquam Directore Circuli Weſtphalici petiiſſe, ut ſe pro officio ſuo atque munere Executoris in illam partem Monaſterii reſtituat, cujus poſſeſſionem anno 1624. habuere.*

Reſpondeo. Oſtendit hic etiam agendi modus Lippiacorum modeſtiam & æquitatem animi. Poterat Catholicus Executor ipſis jure ſuſpectus eſſe. Poterant Lippiaci propriis viribus vel auxilio vicinarum copiarum reſtitutionem ſibi comparare. Sed fiducia cauſæ ſuæ hoc etiam dedere honori Principis Catholici, ut judicium ejus non defugerent, quantum ſcilicet in caſu adeo liquido & nullis omnino dubiis obnoxio valere poterat. Directoribus enim Circulorum a Paciſcentibus id negotii datum eſt, ut pacem ſine omni ſtrepitu & protelatione exequantur. Non ut prætextu cognoſcendi occaſionem præbeant novis & diuturnis litibus: qua in re num Colonienſis muneri ſuo & ſpei de integritate ſua conceptæ ſatisfecerit, ſtatim patebit.

3 *Electorem Colonienſem admiſiſſe actionem Lippiacorum, parteſque citaſſe ad locum ab ipſis Lippiacis electum, ut auditis utriusque partis rationibus, cognoſceret ſtatueretque, num de hoc caſu ita comparatum ſit, ut decerni reſtitutio Lippiacorum poſſit debeatque.*

Reſpondeo. Colonienſem recte & ex ordine feciſſe, quod de qualitate caſus cognitionem ſuſceperit, nemo fortaſſis inficiabitur. Sed ſimul æquum fuiſſet, de iis modo cognoſcere, quibus lex habilitatem caſus abſolvi vult. Qui permittit, ut aliena vel lege rejecta ab una aut altera parte admiſceantur, non cognoſcere de cauſa, non exequi pacem, ſed moras quærere ſtudio. & impedire reſtitutiones, creditur. De quibus Colo-

Digitized by Google

Colonienſi permiſſa cognitio fuit, hæc tria erant, an Comites Lippiaci ſint Status Imperii? an Monaſterium Falkenhagen ſit Monaſterium, bonaque ad id ſpectantia, an ſint bona Eccleſiaſtica, & denique an hujus Monaſterii pars dimidia a Lippiacis fuerit anno 1624. prima die Januarii poſſeſſa. Præter hæc Colonienſi nulla cognitio, nulla judicatio competebat; Ad hæc tria ſpectandum unice fuit, & prout iſta ſe habebant, vel decernenda ſtatim ſine mora & tergiverſatione reſtitutio erat, vel deneganda. Sed in his omnibus pro cauſa Patrum Societatis nihil omnino erat præſidii. Neque enim Comites Lippiacos Status Imperii eſſe negare quisquam auſit. Neque ipſi Patres poſſeſſionem Lippiacorum vocare in dubium poterant. Nec denique de illa verſutia & fraude cogitaverant, ut in mentem ipſis venerit, exceptionem de ſecularitatis bonis opponere, ut objectum legis in fraudem eius mutarent. Itaq; Patres ad antiqua jura ſua veteratorie revoluti de Bulla Papali, de bonis legatis, de ſententia a Cæſare lata executioni mandata ſpem concepere, ac ſi eo rem favore Colonienſis deducere poſſent, ut Lippiacorum imprudentia de his diſceptandis occaſio ſemel præberetur, negotium facile ſe a debita reſtitutione averſuros ad infinitas tricas. Enimvero hoc ipſum eſt, quod Colonienſem præſcindere ſtatim oportebat, ſi integri & incorrupti Cognitoris atque Executoris officio fungi voluiſſet. Dum vero huic callido Patrum conſilio locum aperit, & protracta de die in diem executione, integros fere ſex menſes conſumit, quibus nullo fructu elapſis res denuo a Colonienſi de integro cognoſcenda ad Conſilium Paderbornenſe manifeſta ludificatione remiſſa erat; quis Lippiacis vitio vertere poterit, ſi alias rationes inire ceperint expediendæ rei? Patribus fruſtra ringentibus, quod animadverſis eorum artibus ſe Lippiaci naſo circumducere ultra non paſſi fuerint.

4. *Sed mox Lippiacos hujus fori, quod ipſi primum elegerint, pœnitere cepiſſe, adeoque eos occaſionem circumſpexiſſe, illius, quamvis præventi, ſub aliqua ſpecie dejerendi; eo conſilio, ut Statuum Auguſtanæ Confeſſionis, qui in Monaſterio adhuc remanſerant, auxiliis juvarentur. Ad hos igitur clam Patribus confugiſſe, & prætextu caſus liquidi, atque denegatæ juſtitiæ obtinuiſſe, ut Directores Circuli inferioris Saxonici de reſtitutione quaſi in ſubſidium facienda compellarentur quod factum die 30. Martii 1647.*

Reſpondeo non mirum ſi Lippiacos fori Colonienſis pœnituerit, ubi principio ſtatim ſenſerant, ſe æqua & juſta ob prævalidam Patrum gratiam, & odio religionis a Colonienſi non impetraturos. Contra objectionem de foro prævento parata eſt exceptio protractæ denegatæque juſtitiæ, cujus hic eſt præcipue fructus & effectus, ut eam ob cauſam deſeri forum ceptum poſſit. Quare culpandi Lippiaci non ſunt, ſi perſpecta Patrum Colluſione paulatim ad alia remedia in omnem eventum adjecerint animum, & Evangelicorum Autoritate

Digitized by Google

toritate adverſæ partis periculoſa molimina diſſipare conſtituerint. Interea laude digna eſt Eorum patientia, dum annum prope dimidium opem Colonienſis ſollicitaverint expectarintque, neque ab hac actione prius deſtiterint, quam poſt tantum tempus inutiliter conſumptum palpare jam manibus poterant, tot circumductionibus irremediabile ſuis rebus damnum illatum iri, ni in tempore præverterent. Quod ſi hæc Lippiacorum Conſilia Colonienſem non latuere, valere eo debuerant, ut eum monerent de adminiſtranda juſtitia, ne ejus protractæ vel denegatæ accuſandus eſſet. De cœtero falſum eſt, Lippiacos Monaſterii Evangelicos tantum ſollicitaſſe: Detulere enim ſua deſideria ad omnes Status, qui eo tempore adhuc illic erant. Sed cum Catholici, ne Patribus moleſtiam faceſſere tenerentur, ſe excuſaſſent, Evangelici cauſæ tam neceſſariæ & juſtæ deeſſe non poterant, præcipue cum Patres illam ejusmodi argumentis tuerentur, ut de tota illa lege, *quæcunque Monaſteria*, uno hoc præjudicio actum fuiſſet, ſi Patrum exceptionibus locus daretur. At enim vero nimium iſtorum intererat, ne tam frivolis commentis pacem, vix tum initam, convelli ſtatim paterentur. Neque etiam inſolitum poſt pacem fuit, ut decreta ejus Proteſtantes exequerentur, quoties auxiliarem manum præſtare Catholici abnuiſſent, conſcientia, quod dicebant, tacti. In Circulo ſane Suevico plurima Delegatorum Würtebergicorum opera & autoritate peragi oportuit, cum Conſtantienſes ubique fere ſe tepiores oſtendiſſent. Nec ignotum eſt, quid Wertheimii in reſtituendis ſacris Evangelicis, coërcendisq; Catholicis contigerit, ubi Moguntinis religionem obtendentibus Darmſtadienſes pleraque juſſu ſuo in conſpectu illorum perfecere.

5. Patres Societatis auditis Lippiacorum machinationibus, perceptisque minis ſupplicaſſe Cæſareæ Majeſtati, ut Colonienſem, quem Lippiaci ipſi jam appellaverant Judicem, daret, qui cognoſceret de caſus qualitate, ſimulque ut Cæſar inhiberet Comitibus, ne interea pendente lite quid immutarent: atque petitionem hanc factam eſſe ſecundum ea, quæ Inſtrumentum pacis art. 16. §. 3. propterea conſtituiſſet.

Reſpondeo. Commiſſarii, qui a Cæſare peti poſſunt pro exequenda pace, ad petitionem *Reſtituendorum*, non vero eorum, qui reſtituere quid debent, decernuntur. Hinc præpoſtera Patrum fuit actio petentium a Cæſare Commiſſarios, cum Lippiaci reſtituendi aliam viam jam iniiſſent. Horum enim Electio non illorum erat. Hi, ſi Cæſarem ipſi de Commiſſariis compellaſſent, cum ex utraque religione numero pares dandi fuiſſent, Patribus forſan duorum vel trium nominatio juxta §. ſequentem quartum dicti Articuli 16. non fuiſſet deneganda. Poſtquam vero Lippiacis viſum, ipſis Statibus ad exequendam pacem delegatis hanc committere cauſam, penes Patres Societatis nullo modo eſſe poterat, mutandi fori arbitrium.

6. Caſa-

Digitized by Google

6. *Cæſarem ad Inſtantiam Patrum decreviſſe Commiſſionem, eamque conſiderata litigantium religionis diverſitate ſic adornaſſe, ut Colonienſi Catholico Ducem Auguſtum Brunsvicenſem, ſacris Evangelicis addictum, Collegam adjunxerit, cum Reſcripto inhibitorio ad Lippiacos, ne ſibi propria autoritate jus dicere audeant, ſed iis remediis reſtitutoriis acquieſcant, quæ pace Weſtphalica mandatisque Cæſareis præſcripta eſſent.*

Reſpondeo. Patres a Cæſarea Majeſtate per falſa narrata commiſſionem illam impetrarunt clam, Comitibus nec auditis. Adeoque patefacta re, nec cauſa amplius integra, non injuſtum fuit, ut audiverint, quod alias dicitur, mendaces precibus obreptitiis carere debere. Quanquam re adhuc integra Lippiacis non ingratum fuiſſet, apud iſtos Commiſſarios ex utraque religione cauſam ſuam agere; Enim vero cum de Commiſſione illa a Cæſare decreta eis longo ſatis tempore nihil innotuerit. Ipſi autem interea ob manifeſtam Colonienſis tergiverſationem ſibi metuentes de alia ratione conficiendi negotii ſibi proſpexerint: quid mirum, ſi Commiſſioni a Patribus emendicatæ locus non fuerit?

7. *De hoc Reſcripto Commiſſionis Cæſareo certiorem factum fuiſſe Ducem Auguſtum Brunsvicenſem die vigeſima prima Julii 1649, cum idem ille jam antea Proteſtantibus Monaſterii congregatis, una cum Adminiſtratore Magdeburgenſi mandatum de reſtituendis Lippiacis accepiſſet. Ideoque hunc Cæſari ſe excuſaſſe, addito, rem ſibi amplius integram non eſſe. Sed ſuſcepto ſuperiori mandato nihilominus a ſe præſtitum iri, quod ab Eo ſibi committendum fuiſſet. Atque adeo non ita multo poſt Lippiacos, non attentis ullis Patrum exceptionibus de lite coram Colonienſi cepta, de prævента Commiſſione Cæſarea, de juſtitia non denegata, de caſu ad reſtitutionem non qualificato, in poſſeſſionem Dimidietatis Monaſterii manu forti reſtitutos: & quidem ſine prævia diſcuſſione atque ſine definitione cauſæ.*

Reſpondeo. Attendamus quæſo ad hanc Patrum vafritiem. Quamdiu ſpem conceperant, ſola Colonienſis auctoritate ſe rem conficere poſſe, clam omnes habebant Cæſaream Commiſſionem, atque interea ludificabant Lippiacos. Poſtquam ſenſere, Proteſtantes Status tandem indignitatem hujus actionis ad animum revocare, & Lippiacis auxilio fore. Tum in ſcenam producunt iſtud reſcriptum Cæſareum, ut ſub clypeo ejus reſtitutionem diutius protelent. Neque enim credibile erat, Colonienſem, qui huc uſque cauſam variis modis protraxerat, cum Duce Brunsvicenſi ad ejus expeditionem promptius concurſurum. Hic vero ſine illius voluntate ſtatuere ſolus nihil poterat. Hinc res, quominus exitum haberet, eaſdem plane difficultates moraſque habitura fuiſſet. Itaque Brunsvicenſis, cui expeditio hujus caſus a Deputatis Monaſterii agentibus jam demandata erat, antequam i-

Digitized by Google

pſi de reſcripto Cæſareo quicquam innotuiſſet, recte Cæſari ſe excuſavit, manusque cum Magdeburgico admovit Comitum reſtitutioni, quæ ſine gravi pacis violatione & inſigni totius Evangelicæ rei præjudicio differri non poterat. Neque mirum eſt, exceptiones Patrum non fuiſſe auditas vel admiſſas, cum juxta pacem Weſtphalicam & arctiorem modum exequendi contra ejusmodi reſtitutionem nullæ omnino exceptiones attendi debuerint, hoc ſolo excepto, ſi quæ dubia ſuper facto poſſeſſionis, quæ alicujus momenti videri posſint, forte exoriantur; quorum hic moveri nullum poterat, cum omnes faterentur, Lippiacos anno 1624. in posſeſſione bonorum iſtorum fuiſſe. Præter hoc unum in cognitionem vel cauſæ diſcusſionem trahi nihil debuit, ſed reſtitutio e veſtigio executioni mandanda fuit. Hoc Colonienſem facere decebat pro ſuo munere. Sed cum hic defuerit officio ſuo, & per conquiſitas ſtudioſe moras atque ambages operam daret, ut id, quod e veſtigio fieri oportuiſſet, impeditis & ridiculis diſceptationibus primo retarderetur, mox penitus difflandum; Conſultum non erat Lippiacis, his inſidiis nudatum latus dare, & quo eos Patres Societatis aſtu dolisque pertrahere ſenſim moliebantur, per imprudentiam ſequi velut hamo captos. Scilicet Inſtrumentum pacis nullas omnino attendi vult exceptiones, *a quibuscunque prætextibus & rationibus deſumi poſſent. art. 5. §. 25.* idemque jubet, ut ea, quæ utrinque conventa ſunt, *e veſtigio executioni mendentur. art. 16. §. 1.* atque ut id fiat *ſine omni tergiverſatione vel oppoſitione clauſulæ alicujus ſalvatoriæ, aut quacunque alia exceptione, art. 16. §. 5.* Denique arctior modus exequendi diſertis verbis interdixit, daß einige exceptiones wieder die execution nicht gehöret noch beobachtet oder zugelaſſen werden ſollen, es wäre dann, daß ſuper facto poſſeſſionis einige dubia von ſonderbahrer Erheblichkeit vorfiehlen: quæ unica exceptio, nimirum ſi factum poſſeſſionis dubium ſit, adhuc magis oſtendit reliquas omnes excludi. Econtra Patres poſſeſſione Lippiacorum minime dubia opponere audent exceptiones de lite cœpta, de præventa Commiſſione, de legato, de re judicata & executioni mandata: & quæ his ſunt ſimiles aliæ centum, quaſi numero pugnandum eſſet: Colonienſis etiam Elector reſtitutionem, quam e veſtigio & absque tergiverſatione facere tenebatur, multos menſes protrahens, denique, ut ab ovo quaſi rem inciperet, ad Conſilium Paderbornenſe remiſit; non executionis cauſa, ſed ut de partium fundamentis cognoſcerent Conſiliarii delegati, inſtituto tabulis pacis plane contrario, quæ unicum ſolumque fundamentum reſtitutionis & futuræ obſervantiæ habitam anno 1624. poſſeſſionem conſtituit. Hoc rerum ſtatu dum ſtudia Executoris Colonienſis multis nominibus ſuſpecta fuere Lippiacis in Patres manifeſto affectu inclinata, quis autor Svaſorque illis fuiſſet, ut

Digitized by Google

ut ſe pelago quaſi immortalium litium committerent, neque gratia uterentur recuſandi ſuſpecti fori, quam eis lex ipſa ob denegatam juſtitiam fecerat. Non dubito, moleſtum lectoribus & nauſeoſum fore, quod toties eadem dicta recoctaque inveniant. Sed quia veſtigia Patrum Societatis exp eſſe ſequi conſtitutum mihi ſemel fuit, liberum mihi eſſe non exiſtimavi, ſine reſponſo dimittere, quæ ipſi toties & ad nauſeam usque inani jactatione pro conflanda invidia reperunt.

8. *Patres hoc modo poſſeſſione dimidietatis Monaſterii Falkenhagen dejecti apud Cæſaream Majeſtatem conqueſtos eſſe cum de injuria autoritati ejus illata: tum de vi ſibi facta: additis precibus curare velit, ut exceſſus illi emendentur, atque ipſi in bona contra pacis Weſtphalicæ formulam ſibi ablata reſtituantur.*

Reſpondeo. Qui beneficio pacis utitur, Cæſaris autoritati nullam injuriam facit. Patres Societatis autem de vi illata conqueri juſte non poſſunt. Ipſorum fuiſſet officium, ſecundum articulum 16. §. 5. pacis Weſtphalicæ, atque Edicta Cæſarea poſt pacem propoſita Lippiacis illam partem Monaſterii, quam anno 1624 poſſederunt, ſine omni tergiverſatione & oppoſitione reſtituere. Dum huic debito ſatisfacere interrogati recuſant: dum interea obliquis artibus fruſtrari Lippiacos eorumque reſtitutionem eludere ſatagunt, cauſam ſane querendi non habent, ſi ad ea quæ bona fide præſtare ipſi ſponte debuiſſent, cogantur mediis a Paciſcentibus exequendæ pacis cauſa præſcriptis. De exceſſibus, quos tantopere crepant Patres, mox videbimus. De cætero petitio eorum iniquiſſima erat, quando poſtulare ſunt auſi, ut executiones pacis legitime factæ in eorum gratiam reſcindantur.

9. *Cæſaream Majeſtatem auditis Patrum querelis ſtatim intellexiſſe, multis nominibus hac in executione fuiſſe peccatum. Cujus exceſſus ad hæc tria capita poſſint reduci. 1. Quod Executio in alieno circulo ſit facta. 2. Quod cauſa inter partes utrique religioni addictas vertente, executio a Statibus Auguſtanæ Confeſſionis nec decerni, neque ſuſcipi & peragi potuerit. Et 3. quod nulla præceſſerit cognitio, negantibus Patribus, præſentem caſum legi de Reſtituendis & capite gravaminum accommodari poſſe.*

Reſpondeo, ſi Cæſar obreptione Patrum circumventus, nec auditis Lippiacis, minus recte judicavit, id veritati præjudicio eſſe non poteſt. Neque enim iſti homines tot opes nunc & divitias poſſiderent niſi blandis ſollicitationibus falſisque narratis diu fumum Principibus facere didiciſſent. Hoc vero caſu Cæſari ab iis impoſitum doloſe fuiſſe, patebit ſtatim, poſtquam de tribus illis exceſſibus cognitum perſpectumque fuerit, eos revera nullos eſſe, quanto etiam apparatu verborum extollantur augeanturque. Sed ante omnia expendendum eſt, cum lex actionem de exceſſibus in reſtitutione factis admit-

Digitized by Google

admittat, art 17 §. 4. ibi. *Et ſine exceſſu facta reſtitutione.* Quia ibi Exceſſuum nomine intelligatur? Nimirum edixerant ibi paciſcentes, ne quis legitimo modo reſtitutum de novo gravare tentet, hoc addito, ſi reſtitutio *ſine exceſſu* ſit facta, idem repetitur Receſſu Executionis Noribergenſi, §vo. Was nemlichen. ibi. Was allbereit hievon von denen Deputatis oder durch die ausſchreibende Fürſten in Krafft des Inſtrumenti Pacis, arctioris modi exequendi &c. decidirt und exequiret. Das ſolle alſo veſt und unverbrüchlich gehalten, und darwieder keines andern Orts, am Käyſerlichen Hoff, oder Cammer oder andern Gerichten, wie die Nahmen haben mögen, auf einerley Weiß oder Weg nichts angenommen, ſondern ſimpliciter abgewieſen werden.

Liquet ex his locis, quanto ſtudio laborarint paciſcentes, ut reſtitutionibus atque executionibus ſua vis & autoritas conſtaret, dictata etiam fractæ pacis pœna in eos, qui propterea moleſtiam creare iis voluerint, quos lex *ab omni perſecutione juris & facti perpetuo tutos* eſſe jubet. Interea admiſſa tamen eſt exceptio DE EXCESSU ſed & hæc ſola: itaque operæ pretium eſt, paulo attentius conſideraſſe, quid paciſcentes hac exceptione ſibi voluerint.

Exceſſus, qui in reſtitutione atque executione fiunt, vel ad perſonas Executorum referuntur, vel ad rem ipſam exequendam. Priori modo exceſſum eſſe dicimus, ſi qui munere Executorum fungi non poſſunt, id ſibi officii & poteſtatis arrogent. Altero, ſi præter res reſtitutioni obnoxias indebita etiam, tanquam debita in executionem venerint. Verbi gratia: ſi totum Monaſterium Falkenhagen Comitibus reſtitutum fuiſſet, cujus ſaltem dimidiam partem ipſi anno 1624. poſſederunt. Quamvis enim tum Patribus ex lege *quæcunque Monaſteria* &c. contra Comites agere non licuiſſet, quia Status non ſunt, quibus ſolis hæc actio eſt prodita. Dubium tamen non eſt, quin alio jure ejus partis ſibi vindicandæ poteſtatem habuiſſent: non obſtante executione, quæ ſicuti autoritatem in eo non obtinet, quo excedit: ita nec tota propter exceſſum aliquem reſcinditur vel irrita fit. Præcipue cum reduci ad juſtum modum poteſt.

Quæritur itaque, de quo genere exceſſus intelligenda lex ſit, loco ſupra citato poſita, id eſt, art. 17. §. 4. Mea ſententia eſt, hanc legem de exceſſu loqui, qui in re contingit. Caſu enim priori, quando quis executionem ſuſcipit, qui huic muneri obeundo inidoneus eſt, ipſa magis executio illegitima eſt appellanda, quam ut Executor alicujus argui poſſit: cum qui excedere dicitur neceſſe ſit, ut procedere poſſit. Niſi forte dicamus, exceſiſſe modum Committentes Deputatos, qui Circulo inferiori Saxonico hujus cauſæ executionem mandaverunt. Quæ interpretatio num conveniat noſtro textui, in medio relinquo: quamquam neque hoc caſu, ſi quis opera alterius, cui man-

mandata executio non fuit, ſuum eſt conſecutus, propterea ad reſtitutionem teneatur. Cum multa ſint, quæ ob id, quod illegitime & minus recte intuitu perſonæ ſunt peracta, non reſcinduntur aut irrita fiunt; ſed nihilominus manent. Præcipue ſi de cætero omnia ſine cujusquam injuria juſte & ex ordine ſint geſta prout exemplum habet lex illa decantatiſſima Barbarius ff. de officio Prætoris.

Quicquid ſit, falſa eſt oppido hæc omnis Patrum accuſatio de exceſſibus. Quod enim ad primum caput attinet de executione in alieno circulo facta, ſciendum eſt, id eo caſu licere, quando Directores Circuli, ubi res ſita, officio ſuo ſtudio partim deſunt, neq; juſtitiam adminiſtrant. Sic enim expreſſe conventum eſt, art. 16. §. 2. ut, *Directores vel Præfecti militiæ circularis repudiare commisſionem contingat, Vicini Circuli Directores aut Præfecti militiæ Circularis eodem executionis munere etiam in alios Circulos ad reſtituendorum requiſitionem fungi debeant.* Id quod Edictis Executionis Cæſareis repetitur his verbis, im Fall die Crenausſchreibende Fürſten aus erheblichen Urſachen ſich der Commisſion zu unterfangen Bedenckens hätten, ſolten die nechſtgeſeſſene ausſchreibende Fürſten auch auſſer Creyſes auf deſ jenigen Anhalten, ſo reſtituirt werden ſolle, ſolche zu führen ſich nicht zuwieder ſeyn laſſen. Quamvis autem inter hæc quædam differentia eſſe videatur, cum ſuperiori loco poſita ſit conditio, *ſi repudiaverit conditionem.* In edicto vero Cæſareo: ſi id fecerit ex gravibus juſtisque cauſis: revera tamen nulla eſt. Quod ſi enim Circuli Vicini Directores ſuſcipere commisſionem, eoque munere fungi in ſubſidium poſſunt, quanto Executores Ordinarii juſtis de cauſis ſe excuſant: quando magis id permiſſum eis erit, cum id ex nullis vel cauſis frivolis faciant, impediendæ reſtitutionis animo? Hoc enim caſu jura etiam communia, aliæve conſtitutiones Imperii ſubſidiarium hoc auxilium promovendæ juſtitiæ gratia decernunt.

Cenetur repudiare Commisſionem non ille modo, qui expresſis verbis declarat, ſe nolle illam ſuſcipere; Verum etiam is, qui aut protrahit eam ultra tempus executioni præfixum: aut ejusmodi admittit exceptiones ad negotium impediendum implicandumve, quarum rationem haberi lex vetat. Fere eodem modo hic eſt comparatum, uti in actione de protracta vel denegata juſtitia. Neque enim facile quisquam Judex adeo vecors eſt & impudens, ut diſertis verbis declaret, ſe juſtitiam adminiſtrare nolle. Itaq; fraus legi fiat, loco juſtitiæ denegatæ etiam eſt, ſi calumnioſe, id eſt, nullis juſtis de cauſis, protrahatur, quod in Camera *calumnioſa protractio* appellatur, verbi gratia: Si reus qui Auſtregarum privilegio gaudet, ad implorationem atque requiſitionem actoris intra præfixum tempus Judices non nominet, quos nominare poteſt. Vel ſi Judex a reo deſignatus debito tempore cauſam inchoet, aut finiat, ſed negligentem in cognoſcendo & exequendo ſe præbeat: licet actori, prævento foro non obſtante, proxi-

Digitized by Google

proximum Judicem pro juris auxilio implorare, & ſi apud illum quoq; nihil opis obtinere poſſit, cauſam ad Cameram deferre, ibique jus ſuum perſequi. Eodem plane modo comparata res eſt de reſtitutionibus & executionibus ad præſcriptum Inſtrumenti Pacis faciendis. Pax Weſtphalica non modo in genere decernit, ut omnia *utrinque e veſtigio ſine omni tergiverſatione, oppoſitione & exceptione* executioni mandentur. Verum etiam in ſpecie hac noſtra in cauſa, ut ubi quid Bonorum Eccleſiaſticorum Statui cuipiam quovis modo aut prætextu a dicto tempore interverſum vel ademptum eſt, id *omnino abſque mora & indiſtincte in priſtinum ſtatum reſtituatur.* In Receſſu Executionis Noribergenſi §. So dann Chur-Fürſten und Stände amplius habetur, daß die in beyliegender deſignation lit. A. ſpecificirte caſus noch vor dem erſten andern und dritten termino exauctorationis & evacuationis erörtert und exequirt werden ſollen; in Entſtehung deſſen denen reſtituendis auf weitere oppoſition oder tergiverſation oder reſtituenten durch ihre eigene Mittel, auch Hülff derer nechſt an Hand habender Käyſerl. Schwediſcher oder anderer Waffen. (Quid ni etiam vicini Circuli auxilio?) und alſo manu militari ſich zu reſtituiren und einzuſetzen erlaubet ſeyn ſolle. Jam fiat denuo brevis applicatio caſus noſtri ad hanc legem. Falkenhagen eſt Monaſterium. Comites Lippiaci ſunt Status Imperii, qui anno 1624. ejus poſſeſſionem pro parte dimidia habuerunt. Hæc omnia palam ſunt & in confeſſo. Facta pace Lippiaci adeunt Patres Societatis, petuntque, ut ſibi dimidia pars illius Monaſterii reſtituatur. Patres ſe excuſant. Lippiaci Colonienſem tum Directorem Circuli Weſtphalici pro auxilio implorant: quid jam huic faciendum erat? Scilicet perſpecta & probata poſſeſſione Lippiacorum, quæ ipſi pro unico ſoloque fundamento reſtitutionis eſſe debuiſſet, e veſtigio ſine tergiverſatione & mora indiſtincte reſtitutio decernenda fuiſſet, nullis aliis exceptionibus admiſſis, quam ſi quæ dubia ſuper facto poſſeſſionis ſuboriantur: quæ vel ipſa impudentia hic movere non auſa eſt. Loco hujus officii Comitibus præſtandi Colonienſis difficilem & impeditam cauſæ cognitionem ſuſcipit, cumque eam apud ſe ſex fere integros menſes nullo effectu ventilaſſet, tandem ut juſtitiam diutius protelet, ad Conſilium ſuum Paderbornenſe remittit, procul dubio e tempore compendium Patrum gratia facturus. Interea Deputati Status Monaſterii & Osnabrugi congregati a Lippiacis de cauſa edocti hunc caſum pro liquido declarant, utq; in Claſſem eorum nominatim recipiatur, qui primo quoque tempore reſtituendi ſunt, impetrant, commendantq; Colonienſi. Sed hic nihilominus cunctatur, totusque in eo eſt, ut vano prætextu cognoſcendi de cauſæ qualitate, an quatret legi, Lippiacos ſenſim in diſceptationes cum Patribus pertrahat, ratus, quando illi his ſe laqueis induerint, mox occaſionem fore Patribus, rem innumeris difficultatibus

per

Digitized by Google

per ejuſmodi exceptiones implicandi, quibus prohibente lege locus eſſe non poterat in actione, quæ pro ſimplici reſtitutione ſuſcepta eſſet. Enimvero hæc ipſa eſt mora, hæc tergiverſatio, quæ non modo Colonienſem Lippiacis ſuſpectum reddidit; Verum etiam quæ Eundem munere Executoris privavit, delato ad vicinum circulum negotio, dum creditus eſt Commiſſionem repudiaſſe, quam ad formulam pacis atq; Edictorum Cæſareorum ſuſcipere & exequi noluerat. Neque enim peti cum ratione a Lippiacis poterat, ut ferrent Colonienſem affectatæ moræ & tergiverſationis jam manifeſtum, tamdiu de cauſa cognoſcere, donec ſibi ſub hac ſpecie in aliena pertractis remedium ex pace Weſtphalica pro reſtitutione ſua præſens & expeditum periret. Succedente otioſa & futili lite de legato, de ſententia quondam a Cæſare lata, atque executione rei judicatæ, quorum omnium vel verbo meminiſſe in materia reſtitutionis ex capite gravaminum pax vetat.

Secunda exceptio de exceſſu contra perſonas executorum eſt, quod ambo fuerint Auguſtanæ confeſſioni addicti, cum de cauſa ageretur, quæ inter Evangelicum Statum & Catholicos Patres vertebatur. Sed num propterea, quod nemo Catholicorum Lippiacis contra Patres ſubſidio eſſe voluerit, Inſtrumentum pacis hac in re executione ſua deſtituendum fuit? Et qui ſuis ſe viribus, vel Suecorum aliorumque armis manu militari potuiſſent reſtituere, dante hanc facultatem Receſſu Executionis Noribergenſi, quid eis impedimento fuit, cur non Circuli Saxonici Inferioris autoritate & opibus id conſequerentur? Atque fecere ſane id ipſum eo minore invidia, quod Patres ipſis exemplo ſuo præiverint petendo a Cæſare, ut ſoli Colonienſi mandaret, ne reſtitutionem Lippiacorum fieri permitteret, quamvis Inſtrumentum Pacis, edicta Cæſarea, & Judicium Deputatorum Monaſterienſium eam ſuffragiis ſuis juviſſent. Denique annon recordantur iſti egregii viri, quæ conſilia non ita pridem in aula Cæſarea iniverint pro dejiciendis denuo poſſeſſione ſua Lippiacis? Scilicet Cæſari nuper ſupplicaverant, ut mandaret Directoribus Circuli Weſtphalici de ſuſcipiendo reſtituendorum Patrum negotio. Quodſi alter e Directoribus, Evangelicis ſacris addictus admovere manum huic operi noluerit, ſed ſe forte excutiet; Tum inſuper petiere, ut clauſula **ſambt und ſonders** mandato inſerta ſolis Catholicis poteſtas fieret rei exequendæ. Hoc ſi exiſtimarunt ſibi moliri licere ad infringendas Pacis Weſtphalicæ reſtitutiones, quæ jam quinquaginta annos tenuerant. Quid Lippiacis improperatur, ſi recenti ſtatim pace Catholicis officium detrectantibus, aut officii ſpecie ea ex obliquo & colluſione quadam parantibus, quibus Comitum reſtitutio, niſi præverti ſſent, ad inſuperabiles ſcopulos hæſura foret præſidio & opibus Proteſtantium ſibi conſuluerunt? Omni Proteſtantium nomini infinitum referebat, ne tam manifeſtâ cauſâ luderentur, in præſens quidem

Digitized by Google

dem damno ſolis Lippiacis, at mox exemplo in omnes. Maluiſſent utiq; Catholicorum communi opera uti. Sed cum impetrari id ab eis non potuerit, æquum non cenſuere, ut ſibi etiam ipſi deſint. Hoc caſu ſi quid in modo exequendi fieri extra ordinem oportuit, nulla de cœtero cujusquam injuria, num eam ob rem, quod neceſſitate coacti paulatim a conſueta formula deflexinius, juſtum erit omnem actum irritum facere, remque de novo incipere, cum reliqua omnia exacte ad Inſtrumenti Pacis præſcriptum peracta fuerint. Nimirum hanc fabulam ludere placet, ut Lippiaci poſt quinquaginta annorum poſſeſſionem Patribus Societatis primum vacuas ædes faciant. Deinde ut his reſtitutis ſtatim adſint Executores Weſtphalicæ pacis pari numero religionis, qui migrare iterum Patres jubeant, & Lippiacis poſſeſſionem reſtituere. Scilicet operæ pretium eſt, his ceremoniis & ambagibus fatigare Circulos, cum uno verbo legi modum rei geſtæ fraudi non fore, tolli omne vitium poſſit, ſi utique eſt aliquod.

Non magis Sereniſſimus Dux Brunſvicenſis Auguſtus argui poteſt contempti a ſe mandati Cæſarei, quod ſuſcepto ſemel a Deputatis Monaſterienſibus negotio reſtitutionis Cæſari ſe excuſarit. Neque enim id ei integrum amplius fuit, poſthabito Adminiſtratore Magdeburgico, quocum jam conſilia expediendæ rei cauſa contuliſſet, ſe Colonienſi ſociari, non modo ſuſpecto multis nominibus Lippiacis: verum etiam ex illis, quæ ab eo acta jam fuerant, affectus in Patres, atque tergiverſationis manifeſto. Cur enim Colonienſis, Patresq; Ducem tamdiu celarunt hanc Cæſaream Commiſſionem? cur interea ipſi ſoli hoc negotium in Auguſtum menſem usque tractarunt atque perſecuti ſunt? certi, ſe mandato Cæſareo non aliter uſuros, ac pro terriculamento contra eos, qui huic ſe rei Comitum cauſa forte immiſcere vellent. Sibi igitur imputent, ſi vafro conſilio opportunitate temporis amiſſa nullum deinde ex illo Cæſareo mandato facere compendium potuerint, poſtquam res autoritate Deputatorum Monaſterienſium, quibus expediendæ pacis munus incumbebat, aliam faciem jam induiſſet.

Denique ultima objectio Patrum, de executione ante ſufficientem cauſæ cognitionem decreta factaque nihil magis ſolidi verique habet. De quo enim ex formula pacis & Edictorum Cæſareorum cognoſcendum fuit, inter omnes conſtabat. Monaſterii & Bonorum Eccleſiaſticorum conditio latebat neminem. Lippiacos eſſe Status Imperii negare quis auſus fuerit? neque ullum dubium erat de poſſeſſione anno 1624. 1. die Januarii habita. Ultra hæc ad impediendam reſtitutionem nullæ exceptiones audiendæ vel admittendæ fuerunt. Quid igitur habent, quod de cauſa non ſatis cognita querantur? Scilicet id Patres male habet, quod Lippiaci cum eis controvertere noluerint de Papali Bulla; de Legato Hermanni Comitis; De ſententia olim a Cæſare lata: de re judicata

Digitized by Google

cata & turbidis temporibus executioni mandata: de eo, quod intuitu religionis vel reſpectu alio eſt interverſum; de foro cepto, de lite pendente, de juſtitia non denegata, de præventa commisſione Cæſarea, & ſimilibus aliis ejus farinæ, quæ alio conſilio in ſcenam producta non fuerant, quam ut iſtorum diſceptatione interea de facto poſſesſionis, ſolo illo & unico fundamento reſtitutionis atque futuræ obſervantiæ negotium ſileret irreparabili Lippiacorum damno. Neque tamen omnino nulla cognitione prævia reſtitutio Monaſterii decreta fuit. Teſtantur acta Tractatuum pacis, neque ipſi Patres inficiari poſſunt, Deputatos Proteſtantes Monaſterii ante decretam executionem egiſſe cum Catholicis, & cauſæ juſtitiam repræſentaſſe, qui nihil prorſus habuere, quod cum ratione opponerent: re ſaltem in Colonienſem rejecta, quem Lippiaci initio adierant, & qui agere fabulam ex compoſito debebat. Ideoque facta reſtitutione, cum interea Collegium Deputatorum Noribergæ cauſas reſtituendorum tractaſſet, hic caſus poſt iteratam diſcuſſionem probationemque adeo pro liquido habitus fuit, ut die 23tia Auguſti 1649. in deſignationem reſtituendorum venerit, non Proteſtantium magis quam Catholicorum judicio, de quo ſubſcriptio omnium Deputatorum ex utraque religione maximam fidem facit. Fraude Proteſtantium factum eſſe, ut irreplerit Catalogo, præterquam quod impudens eſt mendacium, de hoc invento ſic eſt comparatum, ut famæ Catholicorum non valde ejusmodi verſipelles conſulant: Et ſane iſtos bonos viros, qui ſibi abunde ſunt conſcii, ex qua officina doli fraudumque artifices prodeant, pudere merito debuiſſet, Proteſtantes nullo idoneo judicio hac in re fraudulentæ ſubornationis vel ſuppoſititii fœtus accûſare? Nec officit Catholicos poſtea anno ſequenti 1650. die 9. Auguſti declaraſſe, ſe ſolummodo iſtos caſus pro liquidis habere, ubi juxta factum poſſeſſionis de aliis etiam a pace deſideratis requiſitis conſtat. Nam in hoc Proteſtantes cum Catholicis conveniunt. At quia ab his cum hac declaratione caſus Lippiacus in dubium expreſſe non vocatus eſt, inſanum eſſet credere, iſtum a deſignatione reſtituendorum per id exemptum, quod alias etiam uni parti in præjudicium alterius tentare non licuiſſet, cum quæ amborum conſenſu ſemel placuere, pœnitentia unius non reſcindantur.

Quanquam ex hac etiam declaratione Catholicorum Lippiacis nihil timendum ſit: quibus in promptu erat omnia docere, quæ ad ſuam reſtitutionem a pace requiruntur. Neque in eo Patres audiendi ſunt, quod queruntur, ſe manu forti & violenta poſſeſſione expulſos: quia Receſſus Executionis permittit, ut reſtitutio *manu militari*, & convocatis eam ob cauſam auxiliis tam Suecicis quam Cæſareis procurari poſſit.

Cum multa hactenus dixerint Patres Societatis vana & futilia: tandem ut oſten-

Digitized by Google

oſtendant, ſe non rationi modo, verum etiam communi ſenſui renunciaſſe, affirmare audent, hunc caſum pro ſe non pro Lippiacis liquidum eſſe. Depuduiſſe prorſus oportet eum, qui abſurda hæc & dementia proferre non veretur. Sed magis miranda eſt iſtorum hominum præſumptio, dum confidunt, alios ſuis verbis fidem habituros. Huc usque nihil vidimus ab ipſis dictum, quod cauſam liquidam probaret. Omne eorum ſtudium omniſque labor eo tendit, ut dubium ſaltem facerent, ſi poſſent, neque certe eos pœnitere operæ debuiſſet, ſi hæc efficere potuiſſent. Enimvero nimia vis eſt veritatis, a qua Sophiſtarum inania commenta ut nebulæ a ſole diſpelluntur.

Abſolvemus tandem Patrum Societatis fundamenta, quibus utuntur. Nam paucula adhuc dicenda reſtant. Itaque ajunt.

10. *Interea Noribergæ Deputatos ad punctum reſtituendorum delegaſſe quosdam ſuo ex numero, cognoſcendis cauſis de exceſſibus executionum. Cæſarem ſupplicantes Patres ad hoc Collegium remiſiſſe, dato inſuper Plenipotentiariis ſuis mandato, ut eorum negotium ſibi commendatum habeant. Patres juſſu Cæſaris adiiſſe iſtos Judices, atque omnibus modis allaboraſſe, ut ſibi ſatisfieret. Egiſſe etiam Plenipotentiarios Imperatoris cum Generaliſſimo Suecico, atque hunc cenſuiſſe, poſſe ad hanc rem cognoſcendam atque vi Inſtrumenti pacis exequendam deputari Electores Mediatores, Colonienſem atque Brandeburgicum. Denique univerſum Concilium, concurrentibus Proteſtantium & Catholicorum ſuffragiis, ſtatuiſſe, reſtitutione Lippiacorum & Executione non obſtante audiendas eſſe Patrum querelas, remediumque adhibendum, ſi juſtum & æquum videbitur. Cujus concluſi ſeu decreti, 13. Nov. 1649. facti, verba ſic habentur.* Ob ſchon in dieſer Sach die *execution* allbereit vorgangen, daß jedoch, weiln ſich die *Patres de exceſſibus* beklagen, hiernechſt über dieſelbe *cognoſcirt* und nach Befinden hierinnen *remedirt* werden könte. *Sed rem omnem effectu caruiſſe, ſoluto prius conventu illo, quam cognoſci de Patrum deſideriis, totiusque litis ſtatu potuerit. Ideoque coactos Patres ad Cæſarem denuo confugere, ejusque auxilium, ut ſummi Weſtphalicæ pacis Executoris implorare.* Neceſſarium viſum eſt, hæc ordine, uti geſta ſunt connectere, quia magnus eorum uſus erit in controverſia de foro prævento, quæ hoc loco agitanda eſt. Itaque operæ pretium me facturum exiſtimo, ſi, antequam ad controverſiam illam accedam, ſingula temporum momenta, in quæ totum illud negotium reſtitutionis velut diviſum eſt, paulo attentius conſideremus. Id quod perſpicuis his brevibusque poſitionibus commodiſſime fieri poſſe crediderim.

1. *Statim poſt Weſtphalicam pacem, circa initium anni 1649. repetunt Lippiaci, miſſo Notario & Teſtibus, a Patribus eam partem Monaſterii, quam ipſi 7. Januarii 1624. poſſederant.*

2. Re-

2. *Recuſantibus Patribus, ſub initium Martii Lippiaci adeunt Colonienſem Electorem, ab eoque reſtitutionem petunt, cum ſimul eſſet Epiſcopus Monaſterienſis, atque adeo Circuli Weſtphalici Director, in quo Circulo hoc Monaſterium ſitum.*

3. *Colonienſis ſuſcipit negotium, atque illud in Auguſtum usque protrahit.*

4. *Interea Patres clam Lippiacos quinta ſtatim Martii Cæſari etiam ſupplicant, ut cognitionem ſuper hoc caſu, an pertineat ad claſſem reſtituendorum, Colonienſi Reſcripto Cæſareo demandet, utque ſimul Lippiacis inhibeat ne quid pendente lite propria autoritate mutent vel attentent.*

5. *Lippiaci cognita Patrum prævaricatione, atque animadverſo periculo, ad Status Deputatos, Monaſterii adhuc exequendæ pacis cauſa commorantes confugiunt, petunque literas commendatitias ad Directores Circuli Inferioris Saxonici, pro reſtitutione facienda, ſi Colonienſem, quod verebantur, differre cauſam & denegare juſtitiam contingat.*

6. *Cæſar ad Patrum petitionem Reſcripto 26. Martii dato delegat Colonienſem huic cauſæ, eique ſimul adjungit Ducem Auguſtum Brunsvicenſem lite inter partes utriusque religionis vertente.*

7. *Status Deputati, a Lippiacis rogati, neque reſcripti hujus Cæſarei gnari eodem fere tempore, nimirum 30. Martii, dant literas ad Directores prædicti Circuli Saxonici, eosque excitant ad juvandos Lippiacos, ſi opus fuerit, operamque præſtandam, ut reſtituantur.*

8. *Lippiaci has literas Promotoriales Menſe Aprili Circulo Saxonico Inferiori reddunt, ſuamque cauſam in omnem eventum commendant.*

9. *Die 22. Menſis Junii cauſa hæc de Monaſterio Falkenhagen Deſignationi ſeu liſtæ reſtituendorum, omnium Deputatorum ſententia, quod poſt ſubſcriptio docuit, pro caſu liquido, inſerta fuit.*

10. *Reſcriptum Commiſſionis Cæſareum, cujus paulo ante mentio facta, Colonienſis Elector demum 21. Julii communicat Duci Auguſto Brunſvicenſi, ſeque paratum eſſe ait, ad ſuſcipiendam cum eo cognitionem.*

11. *Dux Auguſtus Brunſuicenſis die 6. Auguſti in reſponſione ſe excuſat Colonienſi, & deprecatur ideo demandatam cognitionem, quod ſibi de voluntate Cæſaris certus conſtiterit, cum interea Deputati Status ad reſtitutiones promovendas non modo cauſam iſtam pro Comite reſtituendo inter caſus liquidos retulerint: ſed & ſibi ejus executionem, cum Adminiſtratore Magdeburgico demandarint.*

12. *Eodem tempore, iisdemque rationibus Cæſari etiam idem Dux ſe excuſat, hoc addito: Se & Magdeburgicum ſuſcepto Deputatorum mandato de exequendo idem præſtituros, quod Cæſar ſibi atque Colonienſi imperaſſet.*

13. *Tum fit reſtitutio Comitum 12. Auguſti magna Patrum contradictione & repugnantia. Quippe a Delegatis Monaſterium vi effringendum, Patres-*

que

que loco arreptis manibus pedibusque exportandi fuere.

14. *Die 14. Auguſti decernit Collegium Deputatorum, querelas Patrum ad Judices delegatos deferendas eſſe, ut de cauſæ qualitate vel aptitudine cognoſcerent.*

15. *Die 23. Auguſti ſecuta eſt declaratio Generaliſſimi Suecici hoc ſenſu, ut communicentur Mediatoribus Colonienſi ac Brandenburgico ad cognoſcendum, & vi Inſtrumenti pacis exequendum.*

16. *Denique 13. Novembris factum eſt a toto Concilio Decretum illud, quod paulo ante recitavimus, ut nimirum non obſtante Executione integra cognitio de Exceſſibus Collegio ſuperſit.*

17. *Huic decreto Patres ut ſatisfaciant, ſiſtunt ſe judicio Deputatorum, ibique cauſam ſuam inſtruunt.*

18. *Sed mox pro ſolita inconſtantia & levitate rurſus deſerunt forum, & 26. Februarii 1650. a Cæſare reſtitutionem in priſtinum ſtatum petunt, exagitata multis inſanis modis Circuli Saxonici executione, veluti ſuſcepta fuiſſet cum in Majeſtatis Cæſareæ contemptum: tum ſumma Patrum injuria damnoque.*

19. *Quam petitionem repetiere poſt ſolutum Conventum Noribergenſem, exhibito libello ſupplice 5. Decembris 1651.*

20. *Cæſar 16. Februarii 1652. mandat ad Patrum preces Epiſcopo Monaſterienſi, atque Comiti Oldenburgico, ut reſtitutionem faciant, Lippiacosque poſſeſſione iterum depellant, ad petitorium remittendos, ſi quieſcere nolint:* Ac poſthac Patres Societatis in Aula Cæſaris hanc ſuam cauſam ſemper egere. Ubi, an ſuſcipi tractarique potuerit ſalva pace, ſalvisque Imperii conſtitutionibus, eſt, de quo jam diſpiciendum nobis erit.

Reſpondemus itaque, facta ſemel reſtitutione & executione non potuiſſe non grave admodum & moleſtum Lippiacis accidere, quando velut ex integro cauſam coram Deputatis agere ſunt coacti. Cum videri id poterat non modo Inſtrumento pacis adverſari, quod prohibet, dictata fractæ pacis pœna, *ne quis legitimo modo reſtitutum de novo gravare tentaverit art. 17. §. 4.* Sed & repugnabat Executione pacis Noribergenſi. §. Was nehmlichen ſolchergeſtalt: Ubi expreſſe interdicitur, ne laceſſantur executiones ſemel factæ, ſive judicialiter, ſive extrajudicialiter id fiat. Merentur legi verba: Was ſolcher Geſtalt allbereit hievor von denen Deputatis, oder durch die ausſchreibende Fürſten, oder verordnete Commiſſarios in Krafft des Inſtrumenti pacis ſey decidirt, exequirt, oder verglichen, daß ſolches alſo veſt und unverbrüchlich gehalten, und darwieder keines andern Orts am Käyſerlichen Hoff: oder Cammer, oder andern Gerichten/ wie die Nahmen haben mögen, auf einigerley Weiß oder Weg nicht angenommen, ſondern ſimpliciter abgewieſen werden ſolle. Quamvis enim dicebatur, de exceſſibus tantum iri cognitum, in modo exequendi forte commiſſis, quia tamen Patres inter exceſſus id præ-

præcipue referebant, quod reſtitutio decreta fuerit, antequam de cauſa conſtitiſſet, num cum ea ita ſit comparatum, ut deciſio ejus ex formula legis, quæcunque Monaſteria &c. peti poſſit; res ſane ab ovo videbatur incipienda eſſe, eo ſolo nomine Lippiacis tolerabilis, quod reſtituti, & juſtitia cauſæ ſuæ confiſi pati jam facile poterant, ut Patres Societatis clamores de exceſſu continuent ſatis certi, ubi ventum in rem fuerit, omnes illas vociferationes & querelas apud Judicem ſtudiis partium vacuum examen non tolleraturas.

Sed illud non pariter poterant æqui bonique conſulere, quod Patres deſerto Deputationis foro, quo eos Cæſar remiſerat, & ubi litem ipſi jam inſtruxerant, mutare pro genio ſuo Judicem, atque Lippiacos apud Judicium Aulicum convenire inſtituiſſent. Nimirum enim quantum eorum intererat, ne a foro ſemel prævento ad aliud ſibi multis modis ſuſpectum abriperentur. Neque ſane hoc jus quæſitum auferri eis ullis reſcriptis vel mandatis Cæſareis potuit. Ipſo Cæſare ſe juramento obligante, ſibi curæ fore, ne cauſæ in Judiciis ceptæ ad alia avocarentur. Neque etiam Patrum deſtinata excuſare poteſt, quod Conventus Noribergenſis nondum abſoluto Judicio ſolutus fuerit. Si omnes aliæ cauſæ, quæ ad punctum reſiiduendorum ex capite gravaminum pertinebant, abſolutæ fuiſſent, hac ſola indeciſa: ſpeciem aliquam habitura foret eorum querela. At poſtquam plurima alia ad Comitia univerſalia, quæ Cæſar mox indicturus erat, differri oportuit, quo punctum reſtituendorum etiam remiſſum, indigniſſima res fuiſſet, ſi, dum Evangelici Status hoc tempus ſuis in cauſis exſpectare tenentur, interea Patres Jeſuitæ alia ſibi via conſulere poſſint. Scilicet expreſſe placuerat, ut proximis Comitiis expedirentur, quæ Noribergæ habere finem non potuerunt: ideoque Cæſareæ propoſitionis pars ſecunda fuit, tractatio caſuum Reſtituendorum ex capite amneſtiæ atque gravaminum. Inter iſtos caſus fuiſſe etiam litem hanc Patrum cum Lippiacis de Monaſterio Falckenhagen, documento eſt index ille, quem Status dictis in Comitiis novo ſtudio de reſtituendis compilaverant, ubi inter alias cauſas renovata nominatim eſt memoria hujuſce rei. Deinde hæc omnia iterum in Conventum Deputationis Frankofurtenſem comperendinata: & inde mox ad hæc comitia præſentia rejecta. Ubi etſi quievit diu Collegium Deputatorum, initio inſtitutum, non omnino tamen extinctum eſſe credi debet. Habent enim profecto Proteſtantes Status graviora alia, quæ paulo pluris æſtimant, quam valet pars dimidia Monaſterii Falckenhagen. His expediundis dum ipſi adhibere patientiam debent, egregios iſtos Patres, qui ex diſciplinæ ſuæ regulis injurias etiam inimicorum ferre deberent, modici temporibus jacturam cum aliis, ſe melioribus, facere non pigebit.

Immotum itaque manet, Concilium imperiale aulicum nullo jure hujus cauſæ Judicem invitis Lippiacis eſſe poſſe,

ſed litem coram Deputatis eſſe perſequendam,uti cepta. Hic ſe ſiſtere Lippiaci,cauſamque de exceſſibus docere non recuſant,neque ingratum illis erit,ſi qua parte peccatum eſt,ut emendetur Modo hæc emendatio ſic inſtituatur, ut deinde alia opus non habeat. Nam eam ob rem ſolum,quod alieno in Circulo a Proteſtantibus Executoribus pax Weſtphalica executioni mandata eſt,poſſeſſionemPatribus velle reſtituere, quà ipſi in continenti rurſus auctoribusCirculiWeſtphalici Directoribus utriusq; religionis decedere, atque eam Lippiacis relinquere deberent, manifeſtum foret ludibrium, & fabula indigna pacis executione.

De cœtero,utut cum hac cauſa comparatum ſit, fieri nullo modo poteſt, ut Concilium Imperiale aulicum prætextu emendandorum exceſſuum in ea cognitionem habeat. Cepta ſemel eſt coram Deputatis ad punctum reſtituendorum; ab illis etiam judicari debet. Incerto valde & inſtabili loco res proteſtantium ſtarent, ſi reſtitutiones, ſtatim a pace Weſtphalica factas, poſt quinquaginta demum & amplius annos alieni & ſuſpecti Judicii auxilio reſcindere liceret. Ne hæc exempla invaleſcant, nimiopere intereſt Evangelicorũ Statuum,qui bellum tam diuturnum bonorum maxime Eccleſiaſticorum intuitu pertulere. Itaq; ridiculum foret, quæ Hoſtes potentiſſimi extorquere eorum manibus non potuere,ut occultis cuniculis labefactari,& jurisdicundi ſpecie ſibi eripi patiantur, ex quo ſemel placuit,ut ab omni juris & facti perſecutione perpetuo tuti ſint. Tribunal Imperiale Aulicum in cauſa a ſuo foro aliena tot reſcripta mandataq; decernat,quod impudentes Patrum obrepentiũ ſollicitationes emendicabant, per ea neque juſtitia cauſæ Lippiacorum deterior fieri: neque Patrum injuſta deſtinata reddi honeſtiora poſſunt. Ne quæ mutatio ſubita vi & ex improviſo contingat,jam ſatis proviſum eſt Proteſtantibus. Certe Epiſcopus Monaſterienſis aliquando haud modico deſiderio teneri viſus eſt, prætextu Cæſarei mandati tentare Patrum reſtitutionem. Sed intercedentibus ſemper Proteſtantibus, imprimis vero Directoribus Circuli inferioris Saxonici, de quorum honore & fama ſimul agitur,reclamantibus, conatus omnes hactenus intra cupita ſtitere. Nec credo vimComitibus facile illatum iri, ex quo omne Proteſtantium nomen facto unanimi decreto cenſuit, ut in omnem inſperatum eventum vis oppoſita vi repellatur, quod illis locis facere in promptu eſt. Non abs re eſſe exiſtimo, quas literas Evangelici Status nuper ad Imperatorem dedere pro deprecanda a Comitibus omni injuria,ut hic inſerantur Coronidis loco. Non modo enim argumentis validis ſunt: verum etiam libere & cordate ſcriptæ. Spero, ea attentione qua decet, lectum illas conſideratumq; iri. Sin minus exitus docebit, qui rectius è republica conſuluerit.Certe executio illa non ita diu in Ducatu Megapolitano poſthabitisDirectoribusCirculi facta admonere nonnullos conſiliis præcipites poteſt,quam male per calida hæc & abrupta Cæſaris auctoritati conſulatur.

Ulter-

Digitized by Google

Allerdurchleuchtigſt-Großmächtigſter und unüberwindlichſter Römiſcher Käyſer ꝛc. Allergnädigſter Käyſer und Herr ꝛc.

EW. Käyſerl. Majeſtät im Nahmen Unſerer gnädigſt und gnädigen Herren Principalen auch Obern und Committenten in Unterthänigkeit abermahln anzugehen, u. wegen der wieder die Herren Graffen zu der Lippe, von denen PP. Jeſuitis zu Paderborn des halben Cloſters Falckenhagen halber, von geraumer Zeit her erregten Strittigkeit, derohalben anderweit allerunterthänigſt vorzutragen, haben Wir nicht Umgang nehmen können. Was maſſen ermeldte PP. Jeſuitæ ungeachtet ihnen auch Ihr ungegründetes Vorbringen die Nichtigkeit ihrer prætenſion bereits verſchiedentlich klar u. deutlich vor Augen geleget worden, dennoch nicht abgelaſſen, auf alle erſinnliche Weiſe und Wege in obgedachten Herrn Graffen von der Lippe zu dringen, und die Halbſcheid bemeldten Cloſters an ſich zu ziehen, welches ſie letzlichen durch eine von Ew. Käyſerl. Maj. Reichs Hoff-Rath an die Weſtphäliſche hohe Creyß-Directores erkandte Commiſſion zu Wercke zu richten, ſich eiferigſt bemühet.

Nun iſt anfänglich Gräfl. Lippiſcher Seite jederzeit mit allem Beſtande probiret und behauptet worden, daß das Cloſter Falckenhagen, als ein geiſtliches von dem regierenden Hrn. Graffen zur Lippe ꝛc. den 1. Jan. 1624 poſſidirtes Guth ad punctum reſtituendorum nach allen requiſitis qualificirt, deſſen reſtitution nach dem Weſtphäl. Frieden dem Hrn. Graffen von denen PP. Jeſuitis contra expreſſam literam Inſtrumenti Pacis und denen Käyſerl. Executorial-Mandaten zuwieder zur Ungebühr aufgehalten, auch von dem Weſtphäliſchen Creyß-ausſchreib-Ambt durch eine angemaſſete dem arctiori modo exequendi in caſu adeo liquido zuwiederlauffende Unterſuchung in effectu abgeſchlagen worden. Dahero die reſtitution von dem benachbarten Nieder-Sächſiſchen Creyß-ausſchreib-Ambt mit allem Recht verſchaffet u. bewerckſtelliget werden können, bey welchem es auch, will man anders nicht den §. 9. quæcunque Monaſteria &c. Art. V. J. P. kräncken, und daher zu ſchädlichen Folgereyen Anlaß geben, ſein nothwendiges Verbleiben haben muß.

Nach demmahln es aber aus der PP. Jeſuiten zum Vorſchein gekommenen u. gründlich wiederlegten Schrifften, um Unterſuchung einiger bey der Execution vorgegangenen vermeynten Exceſſe, denen man aber Gräfl. Lippiſcher Seits keiner geſtändig iſt, zu thun zu ſeyn ſcheinet, und ſie ſich deshalber an Ew. Käyſerl. Majeſtät Reichs-Hoff-Rath wenden wollen.

So iſt ja eines Theils, allen Rechten nach unwiederſprechlich, daß der Hr. Graff zur Lipp ante cognitionem

tores præſumptionem de executione legitime facta vor ſich. Welches alles ſo wichtige impedimenta ſeynd, woraus männiglich deutlich unter Augen leuchtet, wie die PP. Jeſuitæ in dieſer Falckenhagiſchen Sache ſich zu dem löblichen Käyſerl. Reichs-Hoff-Rath, als judicium incompetens nicht wenden ſollen, noch können;

Dieſemnach gelanget an Ew. Käyſerl. Majeſtät im Nahmen unſerer gnädigſten und gnädigen Herren Principalen auch Obern und Committenten unſer allerunterthänigſtes Bitten, dieſelbe wollen allergnädigſt geruhen, in höchſt erleuchteſter Erwegung obig der Länge nach angeführter wahrhaffter Umſtände die allergnädigſte Verfügung zu treffen, daß die PP. Jeſuitæ von Ew. Käyſerlichen Majeſtät Reichs-Hoff-Rathe als foro notorie incompetente ab- u. ad Collegium Deputatorum ad punctum reſtituendorum ſub certo termino verwieſen, die neulich aus dem Käyſerlichen Reichs-Hoff-Rath an die Weſtphäliſche Creyß-Directores erkandte Commiſſion caſſiret, und dem gantzen Reichs-Hoff-Rathe, damit derſelbe wieder die Reichs-Conſtitutiones und Käyſerliche Wahl-Capitulation die Stände mit dergleichen und wiederrechtlichen Executions-Commiſſionen künfftig weiter nicht gravire, unterſaget werden möge. Wobey Ew. Käyſerl. Majeſtät Dero Käyſerl. allerhöchſte Authorität bey hieſigen Reichs-Convent pro bono publico und um innerliche Ruhe willen, allergnädigſt anzuwenden, auch noch abſonderlich allerunterthänigſt angelanget werden, damit der punctus reſtituendorum forderſamſt reaſſumiret, und die noch zurück gebliebene Sachen coram Collegio Deputatorum einſten mögten erörtert werden, mit dem allerunterthänigſten Erbieten, daß man diſſeits hierzu (angeſehen Status Evangelici niemahls, was beſagten punctum reſtituendorum anbelanget, anderer Meynung geweſen, als ſolchen zu einer deswegen anzuordnenden Reichs-Deputation zu erweiſen, wie unter andern dieſes aus denen zweyen, bald nach geſchloſſenen vorigen Reichs-Tage, an Ew. Käyſerl. Majeſtät von ihnen unterm 8. und 16. Maji des 1654ſten Jahrs deßwegen abgelaſſenen allerunterthänigſten Schreiben klährlich erhellet,) alle möglichſte facilität beyzutragē, nicht ermangeln werde. Bevor da Status Evangelici noch weit wichtigere gravamina haben, welche dieſes, ratione Falckenhagen, weit überwiegen. Wann aber dieſe biß dahin ſich werden gedulden müſſen, ſo wird denen PP. Jeſuitis um ſo vielweniger entgegen ſeyn können, ebenmäßig ſo lange in Ruhe zu ſtehen.

Von Ew. Käyſerl. Maj. Weltbekandten und Preißwürdigſten Liebe und Eiffer zu Adminiſtration einer gleichdurchgehenden Juſtiz und Befeſtigung des ſo theur erworbenenen allgemeinen Friedens getröſten ſich unſere gnädigſt und gnädige Herren und

Principalen auch Obern und Committenten dieſer allergnädigſt und gerechteſten Verfügung zum gewiſſeſten, und werden ſich davor zu fernern Pflicht ſchuldigſten allerunterthänigſten Dienſten höchſt verbunden erkennen. Wir aber vor Unſer wenigſte Perſohnen beharren in aller tieffeſter submiſſion

Ew. Käyſerl. Majeſtät

Regensburg den 9.
Februarii 1702.

Allerunterthänigſt-treueſt-gehorſahmſte.

Der A. C. Verwandten Chur-Fürſten, Furſten und Stände zu gegenwärtigen Reichs-Tage gevollmächtigte Räthe, Botſchaffter und Geſandte ꝛc.

Inſcriptio.

Dem Allerdurchleuchtigſten, Großmächtigſten und Unüberwindlichſten Fürſten und Herrn, Herrn Leopolden, erwehlten Röm. Käyſer, zu allen Zeiten Mehrern des Reichs, in Germanien, zu Hungarn, Boheim, Dalmatien, Croatien, Schlavonien ꝛc. König ꝛc. Ertz-Hertzogen zu Oeſterreich, Hertzogen zu Burgund, Steyer, Cärndten, Crain und Würtenberg, Graffen zu Tyrol ꝛc. Unſerm allergnädigſten Käyſer und Herrn ꝛc.

Schema Sigillantium

Churfürſtliche

1.) Chur-Sachſen.

2.) Chur-Brandenburg.

Fürſtliche

1.) Magdeburg.
2.) Sachſen-Coburg.
3.) - - - Gotha.
4.) - - - Weymar.
5.) - - - Eiſenach.
6.) Brandenb. Culmbach.
7.) - - - Onoltzbach.
8.) Braunſchw. Zelle.
9.) Halberſtadt.
10.) Würtenberg.
11.) Holſtein Glückſtadt.
12.) Anhalt.
13.) Henneberg.
14.) Oſt-Frießland.
15.) Wetterau- } ſche Graffen.
16.) Franck- }

Reichs-Stättiſche.

Rheiniſche Banck.
1.) Lübeck.
3.) Dortmund.

Schwäbiſche Banck.
2.) Eßlingen.
4.) Nordlingen.

§. 26.

Digitized by Google

§. 26. Omnia quoque a) Monaſteria, fundationes & ſodalitia mediata b) quæ die prima Januarii, Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto c) Catholici d) realiter poſſederunt e) poſſideant & ipſi ſimiliter, f) utut in Aug. Confeſſionis Statuum territoriis & ditionibus

§vus 26.

a) *Omnia quoque*) Eſt hic §vus longe minore accuratione & exactitudine deſcriptus, quam ſuperior. Cui præterea aliena etiam de oppignorationibus Imperialibus admiſcentur. Qua fini aut qua occaſione id factum ſit, nulla cogitatione aſſequi poſſum. Cum hoc argumentum de pignoribus alibi loco longe commodiori tractari potuiſſet. Sed cum hic ordo Paciſcentibus placuerit, nobis etiam commentatione noſtra ſequendus eſt. Habet vero hic §vus quatuor fere partes. Prima agit de Catholicorum poſſesſione. Secunda de Monaſteriis, ubi promiſcue Catholici & Proteſtantes vivunt. Tertia, de juribus, quæ aliis in iſtis Monaſteriis competere poſſunt. Et quarta de oppignorationibus Imperialibus.

b) *Monaſteria, fundationes & ſodalitia mediata.*) Hic *Sodalitiorum* fit mentio, quæ ſuperiori §vo omiſſa: e contra omittuntur *Collegia*, *Ballivia*, *Commendæ*, *Templa*, *Scholæ*, *Hoſpitalia*, *aliave bona Eccleſiaſtica mediata*: item *eorum reditus juraque*. Sed non dubito, hæc omnia etiam hoc loco repetita cenſeri. Quia par ratio legis hinc & illinc. Neque æquo animo ferent Catholici, ſuis rebus parcius & illiberalius eſſe conſultum.

c) *Quæ die 1. Januarii 1624.*) Vel hic terminus Calendis Januariis circumſcriptus indicat, de Statuum Catholicorum poſſesſione hic agi: repetenda itaque hic etiam, quæ ſupra ad verba *Auguſtanæ Confeſſionis Electores Principes Statusque* adnotavimus.

d) *Catholici.*) Electores ſcilicet, Principesque, Statusque alii immediati. In hoc enim parallelismo manendum nobis eſt, imprimis cum hic de poſſeſſione agatur, qua quis poſſidet ut Dominus Territorii. Poſſeſſio enim privatorum ex alio loco Inſtrumenti pacis judicatur, ſuamque habet firmitudinem.

e) *Realiter poſſederunt*) *realiter* posſidere opponitur hic ei, quod *mentaliter*, posſidetur, ſeu *intentionaliter*, uti loquuntur, cum quis animo poſſesſionem rei videri vult retinuiſſe, qua ab alio corpore eſt expulſus. Nam ſi mentales illæ ſive intentionales poſſesſiones admiſſæ fuiſſent, jura Proteſtantium in bonis Eccleſiaſticis nullam uſpiam habere certitudinem potuiſſent: quæ hâc unica nituntur poſſesſione corporali, adverſus quam nec contradictiones audiuntur, nec declarationes de animo retinendæ poſſesſionis.

f) *Poſſideant & ipſi ſimiliter.*) Id eſt, eodem modo, ut ſupra de Proteſtantibus

Digitized by Google

bus ea ſita ſint g) non tamen in alios h) religioſorum ordines, quam quo-

tibus dictum. Scilicet ut habita dicto anno dieque poſſeſſio ſolum & unicum fundamentum ſit reſtitutionis, obſervantiæque futuræ: non attentis ullis exceptionibus. Neve Catholici poſthac in habita vel recuperata poſſeſſione ullo modo turbentur, ſed ab omni perſecutione juris & facti perpetuo ſint tuti. Valde pauca illorum bonorum fuiſſe, quæ Catholicis hac lege viciſſim reſtituenda fuerint, ex eo conjicio, quod perfunctorie adeo & negligenter caveri ſibi de iis curaverunt. Cum paulo ante Proteſtantibus pleniſſime & ſumma cum diligentia proſpectum fuiſſet. Recenſet tamen Bukiſch iſtorum duo ad hunc locum, nimirum Monaſterium Zwifaltenſe, in Ducatu Wirtebergico, & Kircheimenſe, ſub Principe Oettingenſi.

g) *Utut in Auguſtana Confeſſionis Statuum territoriis & ditionibus ea ſita ſint.*) Supra de bonis a Proteſtantibus poſſeſſis placuerat, ne attendatur exceptio, *quod non ſint de vel in territorio.* Hic Catholicorum poſſeſſio extenditur ad ea etiam bona, quæ in territoriis & ditionibus Auguſtanæ Confeſſionis Statuum ſita ſunt: num utriusque dictionis idem ſenſus ſit, dubitari poteſt; primo enim exceptio, *quod non ſint de territorio, vel exempta*, jam indicat bona eſſe in territorio ſita. Si ad illam exceptionem reſpicio, *quod non ſint in territorio*, tum quidem paulo propius coincidere videntur iſta verba cum his noſtris. Erit tamen nihilominus quædam differentia. Ut enim taceamus, per ſuperiorem exceptionem argui territorium ſaltem controverſum, cum in hac etiam de certo idem ſtatuatur. Id in ſuperiori amplius eſt, quod exceptioni non ſit locus, ſive bona illa in Catholicorum territoriis, ſive in aliis Auguſtanæ Confeſſionis Statuum ſint ſita: Cum verear, ut Catholici id quod hic de ſitu bonorum in territoriis Auguſtanæ Confeſſionis Statuum dicitur, etiam ad territoria Catholicorum Statuum poſſint extendere, atque ex hoc loco reſtitutionem Monaſterii petere, quod Catholicus Status anno 1624. in alius Catholici Status territorio poſſedit, ſi huic in monaſterium illud alio ex titulo jus antiquius fuit quæſitum. De cætero dubium non eſt, Proteſtantibus ſupra eodem modo de Monaſteriis extra eorum territorium ſitis cautum fuiſſe, uti hic Catholicis. Ut enim exactam illam mutuamque æqualitatem, quæ §. 1. hujus art. 5. ſancita eſt, non urgeam; Sane exceptio illa, quod non ſint in territorio declarat, referre nihil, ſive in territoriis Evangelicorum, ſive Catholicorum ſita fuerint. Quod paulo inferius his verbis, *ubicunque ſitis*, qui generalem latiſſimamque ſignificationem habent, adhuc magis confirmatur? nam ſi bona Eccleſiaſtica ubicunque ſita Proteſtantes ex poſſeſſione

Digitized by Google

quorum regulis primitus dicata ſunt i) commutentur: niſi talium re-ligio-

ne a. 1624. habita vindicare ſibi poſſunt: excludi vel eximi non debent ſita in Catholicorum territoriis, cum utique hæc etiam ſita alicubi ſint.

h) *Non tamen in alios &c.*) Memorat Sprengerus, dubitatum aliquando fuiſſe, *an introductio novorum Ordinum hic prohibita ad illa ſola bona Eccleſiaſtica, quæ in Auguſtanæ Confeſſionis Statuum territoriis ſita ſunt, reſtringenda. An vero etiam ad ea, quæ ipſi Catholici ſuis in territoriis vel civitatibus Municipalibus poſſident, extendenda?* Niſi fallor, fuit hæc res agitata in Caſu Hildeſiano de Cappucinis illis, qui poſt initam pacem ad inſtantiam Urbis Hildeſii eo nomine loco pulſi fuerunt, quod anno 1624 ibi nullum Statum habuiſſent. Erit cum infra hunc caſum data opera tractabimus; itaque dilatis eo tantiſper, quæ dici hic poſſent, conſiderabimus nudam quæſtionem ſine reſpectu ad certam cauſam. Quin Proteſtantium gratia, qui hæc odio Jeſuitarum imprimis monuerene aliquando ſibi invitis inquieti iſti & importuni obtrudi ejusmodi colore poſſint prohibitio facta fuerit, dubitari non debet: Neque enim veriti ſunt hunc ordinem nominatim ſuis in propoſitionibus deſignare, eumque excluſum velle. Sicuti igitur invito beneficium non datur, ita non percipio quomodo Catholicis ſuis in ditionibus Proteſtantes legem dicere queant, quos novos ordines in decedentium veterum loca adoptare velint. Niſi forte aliquo modo Proteſtantium interſit, quod in Civitatibus mixtis itemque Monaſteriis, ubi utriusque religionis Conventuales ſunt, fieri poteſt. Interea certus etiam ſum, ſi Catholici hac legi uti velint pro excuſatione, quominus novos ordines recipiant, de quibus forte ſollicitantur ab iis, qui cum aliqua autoritate vel imperioſis precibus agunt. Id ipſis denegandum nullo modo eſſe, quia prohibitio eſt generalis, neq; bono tantum Auguſtanæ Confeſſionis Statuum ſcripta. Quamvis id non obſtet, quominus quis juri ſuum in compendium lato renunciare libere poſſit. Id enim in omnibus id genus cautionibus, quæ prohibitionem continent, uſu venire ſolet. Intelliguntur enim iſtæ prohibitiones aliorum magis importunitates refrenare quam libertati meæ vim facere. Illorum itaque reſpectu ſunt utique prohibitiones. At mei cauſa privilegiorũ naturam vimque habent. Exempli gratia: ſi cui ſtabulario vel cauponi in Civitate datum fuerit, ne recipere hoſpitio mendicantes teneatur, & ipſis mendicantibus & omnibus aliis interdictum erit, cauponem ad id officii quocunque modo, ſive mandatis, ſive precibus adigere. Ipſi volenti injuria etiam fieret, ſi quis obſiſtere vellet, ne id genus homines recipere poſſit.

i) *Quam quorum regulis primitus dicata*

ligioſorum ordo plane interciderit. k) Tunc enim Magiſtratui Catholicorum l) liberum eſto, ex alio in Germania m) ante diſſidia Re-

cata ſunt.) Catholici in Conventu Deputationis Franckofurtenſi, cum de Jeſuitis, quos Kauff bairam contra ſtatum anni 1624. intruſerant, tolerandis ageretur, inter alia argumenta hoc etiam uſi ſunt: daß im Inſtrumento pacis mit keinem Wort verbothen, religioſos ordines in Civitatibus mixtis einzuführen. Quæſitum ergo, an ab hoc loco contra ſententiam iſtam argumentum capi poſſit. Tractabimus hanc cauſam ſpeciatim infra §. 29. Sed illa nobis occaſionem ad aliam quæſtionem aperit, num ſi anno 1624. quodam in Monaſterio aut fundatione nulli plane religioſi Ordines fuerint, an eos Catholicis introducendi poteſtas ſit. Fateor, non facile hunc caſum dari, cum Monaſterium ſine ordine religioſo non magis concipi poſſit, quam campana ſine piſtillo. Eveniſſe tamen id caſu poterit, fortuito quodam impedimento. Et quid, ſi Catholicus in prædio quodam, quod in ditione Auguſtanæ Confeſſionis Status proprium habet, exædificare Monaſterium ibiq; inſtituere religioſum Ordinem velit? Crediderim utroque caſu hac noſtra lege prohibitum illud eſſe, cum Status anni 1624. mutari non poſſit, quoties alterius intereſt, iſtum ſervari. Allegarunt quidem Catholici pacem religioſam, qua utriq; parti ordonandorum ſacrorum pro uſu captuque ſuæ religionis facultas data. Sed ſciendum eſt, univerſim paci religioſæ derogatum eſſe, cum quid ſuſcipitur ab hoc ſtatu alienum, quod alii diverſæ religionis novitate ſua aut quocunque modo incommodat. Sane enim nihil omnino mei non refert, habeat Catholicus meo in territorio bona quædam Eccleſiaſtica, aliis uſibus ab antiquo deſtinata. An iſta novo Monaſterio addicat, ſuſtentando religioſo Ordini, quem mihi cervicibus meis in meo imponi non poteſt non moleſtum eſſe, & cum tempore etiam damnoſum. Interea Catholicis in ſuo, quando aliorum nihil refert, pro arbitrio ſtatuendi nulla erit invidia.

k) *Niſi talium religioſorum Ordo plane interciderit.*) Regula eſt, *ne Monaſteria in alios religioſorum Ordines commutentur, quam quorum regulis primitus dicata ſunt.* Exceptio. *Niſi talium religioſorum ordo plane interciderit.* Neceſſe fuit hoc vitandæ calumniæ cauſa ſtatui, ne ſcilicet ex improviſo caſus eveniat, quo carendum ſit Monaſterio illo religioſis, quando ſcilicet priſtinus Ordo plane intercidit, ſi alium ſurrogare non liceret.

l) *Tunc enim Magiſtratui Catholicorum.*) Non dicit lex Statui Catholico. Sed Magiſtratui Catholicorum, nimirū Magiſtratui Eccleſiaſtico, ad quem ſpectat hæc cura. Nam Politici Magiſtratus apud Catholicos in his muneribus aut nullæ ſunt, aut exiguæ valde partes, quorum auctoritate Eccleſiaſtici illi facile non

Digitized by Google

Religionis n) exorta, uſitato ordine novos Religioſos ſubſtituere. In quibus-

non utuntur, niſi cum ſuis deſtinatis ſubſidio aut miniſterio brachii ſecularis, quod appellant, opus habent. Cœtera liberi eſſe volunt ſuique juris.

m) *Ex alio in Germania ante diſſidia religionis exorta uſitato ordine novos religioſos ſubſtituere.)* Uti jam ſupra monui, appoſita hæc conditio odio Jeſuitarum, quos Proteſtantes apud Paciſcentes ſuis in propoſitionibus nominatim etiam deſignavere: conjunctis deinde aliis etiam novioribus, ne ſoli invidiæ expoſiti videantur. *Videſis Præliminaria Pacis ad hunc paragraphum, uti & Puffendorffium Hiſtoria Suecica libro 18. §. 60. itemque 68. nec non libro 19. §. 96.*

n) *Ante diſſidia religionis.)* Quæſitum fuit hic a nonnullis curioſius, quam neceſſe eſt, quodnam tempus *ante religionis diſſidia* intelligendum? Credo occaſionem huic dubio præbuiſſe, quod lex dicat: *ex alio in Germania ante diſſidia religionis exorta uſitato ordine.* Non vero *ex alio ante diſſidia religionis in Germania exorta uſitato ordine.* Nonnihil enim inter has locutiones intereſſe videtur. Prima illud *in Germania* referre etiam poteſt ad uſitatos in Germania Ordines. Altera, ad *exorta in Germania religionis diſſidia.* Illa ſua latitudine verborum *ante exorta religionis diſſidia* extrahit tempus usque ad Waldenſium motus. Hæc reducit ad illa tempora, quo de religione in Germania ceptum eſt controverti. Sed hujus interum duo quaſi periodi. Una, quæ a diſſidiis Bohemicis incipit, auctoribus Johanne Huſſo atque Hieronymo Pragenſi, in Concilio Conſtantienſi poſtea crematis; & altera, quæ reformationem Lutheri pro initio temporis ejus habet. Mihi extra dubium eſt, hæc ultima tempora reſpici. Præter alia argumenta manifeſtum id eſt, ex proœmio articuli noſtri quinti, ubi tantum de gravaminibus conventum, quæ inter utriusque religionis Statu: vertebantur. At nihil horum ante hæc tempora auditum fuit. Adfuere potius ſopiendis motibus Bohemicis Sigismundo Status Imperii, ſusceptisq; expeditionibus magno tum Zelo & inhumanitate miſeros diſſentientes illos opprimere & funditus extirpare ſunt conati, mulorum inſtar, quos tum Pontifex pro lubitu fune quaſi obligatis naribus circumduxerat. De Waldenſium temporibus cogitaſſe Proteſtantes dictu plane eſt abſurdum, atq; ideo fruſtraneus Sprengeri labor, qui Franciſcanis ſuis & Dominicanis metuens, quorum ortus ad tempora usq; Waldenſium non pertingunt, recentioris ævi Patrocinium inutili ſtudio ſuſcepit: Res ipſa ex circumſtantiis ſuis in confeſſo eſt. Nimirum hoc unum Proteſtantes ſollicitos habebat, ut Jeſuitas removerent, ne quis eos loco religioſi cujusdam ordinis, qui forte intercidit, ſubdere ſuccedaneos poſſit: quam ambitioſe enim ubiq; obrepant, quo vel rimam

Digitized by Google

quibuscunque vero fundationibus, o) Eccleſiis, Collegiatis, Monaſteriis,

modo vident, quantumque valeant apud Principes paulo religioſiores, id vero in univerſo orbe notiſſima eſt fabula. Sed non ferendum videbatur Proteſtantibus, ut apud ſe patiantur nidum eos ſibi ſtruere qui omni Proteſtantium nomini capitales ſe & conjuratos hoſtes, tot editis acerbis ſcriptis, nefandisque auſibus probavere. Abs hoc genere hominum ſi fuiſſet, potuiſſent Proteſtantes hac cautione omnino ſuperſedere, cum parum eorum referat, Cappucinos, aliosque Fraterculos mendicantes, an Dominicanos & Franciſcanos, vel Benedictinos habeant. Sed quia probroſum Jeſuitis nimium & infame fuiſſet, ſi ſoli nominarentur; itaque oportuit alios in ſocietatem invidiæ & damnorum venire. Cum igitur ratio unica legis, cur hoc contra novos ordines placitum fuerit, metus ſit & odium in Jeſuitas: ſaltem ultra ea disſidia religionis, inter quæ iſti Lojalâ Patre nati ſunt, ad antiquiora recurrere non eſt neceſſe, dum abunde Proteſtantium rebus proviſum, ſi hanc ſaltem gentem ſuis pomeriis arceant. Videtur huic quæſtioni affinis alia eſſe: ſcilicet an cum Princeps Evangelicus religionem mutat, & ad Sacra Romana tranſit, permiſſum ei ſit, Jeſuitas vel alios novos Ordines in uſum ſui Aulæque ſuæ vocare, non obſtante hac lege? Non arbitror prohibitum id eſſe: & adſtipulantur exempla. Nempe Dux Brunſvicenſis Johannes Fridericus Cappucinos domi ſuæ habuit. Dux Megapolitanus Chriſtianus Ludovicus, & Lauenburgicus Julius Franciſcus etiam Jeſuitas. Hic enim tantum ſermo eſt de Monaſteriis, fundationibus & id genus bonis Eccleſiaſticis. In his novos ordines in locum decedentium ſurrogare non licet. Licet autem Principi eos ſibi adſciſcere, ut conſcientiæ ſuæ moderentur, & in aula ſacra faciant.

o) *In quibuscunque vero fundationibus*) Incipit altera pars legis, de fundationibus, Eccleſiis, monaſteriis, ubi Catholici & Auguſtanæ Confeſſioni addicti promiſcue vivunt. Poterat autem hic multo commodius ad aſſequendam mentem Paciſcentium novus paragraphus inchoari, quia lex novum plane caſum continet. Nota enim propoſitionem univerſalem, *in quibuscunque*, id eſt, tum in illis, quæ Catholici, quam quæ Auguſtanæ Confeſſionis Status poſſident. Quippe duplex concurrit hoc loco poſſeſſio. Una qua quis Monaſterium illud ut Status poſſidet territorii jure: & alia, qua conventuales in Monaſterio ſuum quisque locum poſſident. Hi quamvis ſint mediati, adeoque Domino territorii ſubjecti, eundem tamen cum illo terminum reſtitutionis & obſervantiæ futuræ habent Calendas Januarias 1624. cum aliis mediatis ſubditis totus ille annus & quæcunque ejus pars data ſit. *art. 5. §. 31.* Exceptio igitur eſt in monachis, aliisque id genus

Digitized by Google

riis, hoſpitalibus ejusmodi mediatis Catholici & Aug. Conf. addicti promiſcue vixerunt, p) vivant etiam poſthac promiſcue numero prorſus eodem, q) qui die prima Januarii, Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſi-

genus conventualibus mediatis, quorum poſſeſsionem cum poſſeſsione Domini territorialis reſpectu Termini conjungi placuit, & ſtrictiori tempore circumſcribi. De ratione diverſitatis haud ſumus ſolliciti: cum tutisſime in voluntate paciſcentium, quæ manifeſta eſt, acquieſcamus. Neque tamen nulla omnino eſt, ſi cauſæ diſparitatem intenſius conſideramus; ut enim taceam ad imitationem id factum eorum, quæ ſupra §. 23. de Canonicis & Capitularibus, qui etiam ſuo modo ſubſunt Epiſcopo, & ſic Mediatorum numero habentur, conventa fuere. Peculiaris ratio inſuper in eo eſſe videtur, quia Monachi cæterique Conventuales in ejusmodi bonis Eccleſiaſticis mediatis certo & definito numero ſunt, quorum unusquisque ſuum locum obtinet, quem duo ſimul posſidere non poſſunt. Itaque conſultum viſum eſt, præſcindendis de loco controverſiis, ſi forte duo eundem eodem anno per vices poſſedisſent, ſtatuere, ut poſſeſsione is ſuperior ſit, qui Calendis Januariis illam habuisſet.

p) *Promiſcue vixerunt*) Promiſcue vivere eſt, non modo cum utraque pars ibi ſuæ religionis exercitium habet: Sed imprimis, quando unusquisque ejus Eccleſiæ vel Monaſterii membrum eſt collegiatum. De his duobus enim hic ſtatuitur: Scilicet 1. ut vivant poſthac promiſcue numero prorſus eodem, qui die 1. Januarii ibidem repertus fuit. & 2. ut publicum etiam religionis exercitium idem maneat, quod quovis in loco dicto anno dieque uſitatum fuit, absque unius vel alterius partis impedimento.

q) *Numero prorſus eodem*) Ergo ſi par numerus fuit, par etiam manet. Sin impar, is quoque ſervabitur. De cœtero, quod ſupra §vo 5to de Auguſta Vindelicorum placitum eſt, ut neutra pars ſuæ religioni adhærentium potentia ad deprimendam alteram abutatur, neve majorem numerum directe vel indirecte ad dignitates & publica munera aggregare præſumat. Id tanto magis hic etiam intelligendũ eſt locum habere, quanto periculoſior eſt Status Proteſtantium in ejusmodi mediatis Monaſteriis ſub Catholico Principe, qui ſibi in illud Monaſterium ſive jure territorii, ſive diœceſano poteſtatem aliquam & authoritatem arrogat, & cujus adeo favore illi, qui eandem cum ipſo religionem profitentur, ad partis alterius injuriam abuti facile poſſunt: unde nihil niſi turbæ & queſtus. Nam fieri quidem poteſt, ut diverſæ religiones uno loco pacate vivant. Sed omnes æquo jure ſunt regendæ, ubi Catholici in animo Principis alios prævalent, ibi continuo motus & diſturbia, quod experientia

Digitized by Google

vigeſimo quarto ibidem repertus fuit r) publicum etiam Religionis exercitium idem maneat s) quod quovis in loco dicto Anno dieque

entia docet. Sed imprimis Ordines illi religioſi ſervare modeſtiam neſciunt. Nihil eis eſt ſatis. Bonis, opibus, divitiis, honoribus, auctoritate vincere volunt. Cum ventus inflat, plenis velis vehuntur: & quibus artibus aliena rapiunt, iisdem ne ſua amittant, eximie ſibi cavent. Dum adrepunt, dum firmant ſe atque commendant, humiles videntur eſſe, paucisque contenti. Sed poſtquam ſemel invaluere, nemo ab ingluvie eorum & avaritia tutus agit. Omnia aggrediuntur, in omni gurgite pendet hamus, & quæ ſemel per fas & nefas acquiſiviſſe ſibi viſi ſunt, ea tenent forcipe tenacius; Jus, æquum, caritas ſurdis occinuntur. His argumentis, niſi major vis inſit, nunquam effeceris ut vel captam prædam dimittant, vel poſthac moderatius agant. Cum iſtis igitur hominibus quæ eſſe concordia poterit, qui ex aliorum vexatione gloriam atque lucrum captant. Suaves cantilenas triſtibus experimentis vitare didicimus. Itaque tanto magis laborandum eſt, ut quo in Monaſterio utrique diverſæ religionis certo numero vivunt, id perpetuo cuſtodiatur. Neve unam partem ultra eam proportionem, quam ex lege contra alteram habet, creſcere ſinamus; ſumpturam propediem animos & audaciam, cum ſemel juſtam ſui menſuram exceſſit.

r) *Qui die prima Januarii 1624, ibidem repertus eſt.*) Quid ſi mortuo ante Calendas Januarias Monacho quodam vel Conventuali cum eligendi dies nondum veniſſet, ipſis Calendis Januariis locus vacuus repertus fuiſſet? Reſpondeo, ſi nemo fuit, qui Electioni contradixit, vel eam impedivit, quæque poſt Calendas Januarias ſuo legitimo tempore libere facta eſt: idem fore, ac ſi locus Calendis Januariis revera occupatus fuiſſet. Atque adeo is etiam in computum venit, illi parti adnumerandus, cujus religioni nov9 Electus addictus eſt. Sin vero vi, clam, errore vel dolo quodam electio peracta, reclamante adverſa parte: aut locus iſte nullo numero erit, aut ſi utique in numerum referendus, inter partes tranſigi amicabiliter debet, cui adſcribendus ſit. Niſi forte clare conſtet alteram partem loculentum jus Electionis anno 1624. Calendis Januariis habuiſſe: ſed deinde injuria & vi turbatum fuiſſe.

s) *Publicum etiam religionis exercitium idem maneat, quod quovis in loco dicto anno dieque uſitatum fuit*) Quid ſit publicum religionis exercitium, quid privatum mox dicetur accuratius. Uno verbo: publicum exercitium eſt, quod publica autoritate, publico in loco, ſumptibus publicis, itemque ceremoniis & ritibus publicis pro cujusque religionis natura, neceſſitate, dignitate & honore fit. Hoc jam quovis loco idem

Digitized by Google

que t) uſitatum fuit abſque unius vel alterius partis impedimento

dem manet, id eſt eadem menſura modoque, quale dicto anno dieque uſu viguit. Nam eſſe poſſunt etiam gradus libertatis in publico exercitio, tam quantum ad cultum ipſum atque ceremonias, quam ad tempus vel horas attinet. Quorum omnium Moderatores ac veluti diſpenſatores ſunt illæ Calendæ Januariæ, quæ terminos cujusque libertatis ſolo uſu ſuo deſignant.

t) *Dicto anno dieque*) Bukiſch inter hunc textum & §vum inferiorem 31. repugnantiam quandam eſſe arbitratur. Neque rationem conciliationis videt. Nos per ſuperius dicta rem planam & ſine ulla difficultate habemus. Sane in objecto ratio differentiæ præfixi hinc & illinc, alius atque alius termini quæri non poteſt. Nam in dicto etiam §vo 31. fit mentio *Monaſteriorum, fundationum, Hoſpitalium, templorum.* Neque magis illa a ſubjecto petenda, quia poſſeſſores bonorum mediatorum, quando de poſſeſſione, ut ſic dicam, ſecundaria illorum agitur, qui non ut Status, ſed ut membra Monaſterii poſſident, numero ſubditorum mediatorum cenſentur. Relinquitur ergo, ut differentia quærenda ſit in cauſa, ex qua agitur. Scilicet paragrapho 31. proſpectum eſt ſubditis mediatis contra jus reformandi Domini territorialis, quod huic paragrapho præcedenti 30. pax Weſtphalica hac conditione confirmaverat, ne hoc prætextu Subditorum poſſeſſio quacunque parte anni 1624. habita a territorii Domino turbari poſſit. Hoc noſtro autem loco iidem ſubditi contra alios omnes, qui alio titulo, quam jure reformandi agunt, ex poſſeſſione die prima Januarii ejusdem anni in tuto collocantur. Igitur cum quæſtio eſt, quo numero in Monaſteriis mixtis Catholici & Auguſtanæ confeſſioni addicti pro ſua quisq; parte eſſe & remanere poſſint, ſecundum hanc legem inſpicitur dies prima Januarii. Sin vero illis ipſis ex jure reformandi ſit moleſtia, præſidium contra illud in quavis parte anni 1624. habent. Quod remedium paulo pinguius eſt. Ponamus igitur caſum, quodam in Monaſterio vel Conventu 1624. prima die Januarii vixiſſe octo Monachos Auguſtanæ Confeſſioni addictos. Et ſex Catholicos. Poſtea vero eodem anno ſuperveniſſe unum vel plures Catholicos alios. Si jam de numero quæritur, quo Conventuales poſt pacem in Monaſterio illo eſſe debeant. Sine dubio ad obſervantiam & ſtatum, qui Calendis Januariis fuit, reſpiciendum eſt. Sin vero Dominus Territorialis Monaſterii, quem ſupponemus eſſe Proteſtantem, Catholicorum exercitio religionis titulo juris reformandi inferre vim velit, illis quæcunque pars anni vigeſimi quarti contra illud reformandi jus profuerit. Adeo ut illi etiam, qui poſt Calendas Januarias alia quadam ejus anni parte ibi publicum exercitium reli-

Digitized by Google

to. u) In quibuscunque etiam fundationibus x) mediatis Anno milleſi-

religionis cum reliquis habuerunt, turbari in ea non poſſint: etſi propterea in numero Conventualium non cenſeantur. Ubi nihilominus hanc æquitatem ex §vo ſuperiore 23. adhibendam exiſtimarim, ut ſupernumerarii tolerentur, dum vivunt, donec morte decedentium, utriusque religionis Conventuales ad juſtum & lege definitum numerum redacti fuerint. Atque hoc ex fundamento Ego controverſiam illam decidi poſſe reor, quæ in Conventu Deputatorum Franckofurtenſi, cum caſus Hagenoicus diſceptaretur, vehementibus ſtudiis & diverſis opinionibus agitata eſt. Scilicet Hagenoæ, in Civitate tum adhuc libera Imperii, anno 1624. Calendis Januariis poſſederant Proteſtantes Cives templum Diſcalceatorum, Barfüßer Kirch, excepto Odeo, ſeu Choro. Eodem anno, menſe Octobri, niſi fallor. his pulſis Franciſcani, qui Odeum illud in poteſtate jam habuerant, totum templum occupavere. Cum igitur poſt pacem Evangelici in templum iſtud, ex habita 1. Januarii poſſesſione reſtitui cuperent, inter alias difficultates occurrebat id etiam, quod utraque pars aliqua parte anni 1624. in poſſeſſione fuerit. Quare Catholici cenſuere, Evangelicorum cauſam *ex §vo 31. Hoc tamen non obſtante* judicandum esſe, Proteſtantibus contra tendentibus & reſtitutionem petentibus ex ea lege, quæ §vo 29. pro Civitatibus mixtis eſt ſcripta. Catholici Deputati hactenus ſuis in votis æquitatem agnoviſſe videntur, ut cenſuerint, niſi alia obſtarent, utramque partem ex habita poſſeſſione in communionem mittendam. Evangelicis e contra id templum ſuis aſſerentibus, quatenus illud prima die Januarii poſſederunt. De toto caſu infra ad §vum 29. prolixius agere conſultum eſt nobis, ubi argumenta, quæ utrique magna contentione jactaverant, lectorem non celabimus. Interea ſi mihi duobus verbis hic dicere fas eſt, quod ſentio, ſecundum fundamenta noſtra ſupra tradita, quæ Inſtrumento pacis conformia fore confido, ita habendum erit. Quod ad proprietatem rei attinet, uti illa in Odeo, ſive Choro Franciſcanis diſputanda non eſt; ita eandem in templo Evangelicis Civibus reſtituendam eſſe exiſtimo, cum in ejus posſeſſione anno 1624. Calendis Januariis ſine omni contradictione utrique fuerint. Quandoquidem vero aliqua dicti anni parte Franciſcani etiam in navi Templi exercitium ſuæ religionis habuerunt, hoc relinquendum eſſe eis, ſed ne ſacris Proteſtantium officiat, certis diebus horisque circumſcriptum.

u) *Absque unius vel alterius partis impedimento*) Una vel altera pars ſunt hic conventuales ipſi Catholici & Auguſtanæ Confeſſioni addicti, neutra alteram impedire debet, quo minus fruatur poſſeſſione tam loci, quam exercitii religi-

leſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto die prima Januarii y) Sacra Cæ-ſarea

religionis, uti eam unusquisque habuit Calendis Januariis, Dominus autem territorii jure ſuo reformandi non ſit impedimento, quo minus ſinguli id conſequantur & retineant, cujus poſſeſſionem quavis anni 14. parte ſe habuiſſe docere poterunt.

x) *In quibuscunque etiam fundationibus*) Tertia pars hujus §vi agit de iis, qui in bonis illis Eccleſiaſticis mediatis jura quædam habent: veluti primariarum precum, menſium Papalium, menſium extraordinariorum. item, jura præſentandi, viſitandi, inſpectionis, confirmandi, corrigendi, protectionis, aperturæ, Hoſpitationis, ſervitiorum, operarum. Quæ unicuique ſalva iterum manent, ſecundum ſtatũ poſſesſionis & obſervantiæ, qualis prima die Januarii 1624. fuiſſe compertus eſt. addita denique Conſtitutio, pro cautione in eum caſum, quando electiones debito tempore modove non fiunt. Quæ neceſſaria ideo fuit ne unius partis ſtudioſa hanc circa rem cunctatio vel prorogatio alteri in electione ſuæ religionis conſortium fraudi & impedimento ſit.

y) *Anno 1624, die prima Januarii exercuit.*) quæritur an hoc loco, illud *exercuit*, eodem modo intelligendum ſit de actu exercitii ſeu exercitio reali, uti verbum *poſſederunt*, ſemper intellgendum eſt de reali poſſeſſione ſeu facto. An potius, uti in actibus diſcontinuis uſu venire ſolet, de facultate exercendi ſic interpretabimur, ut quo loco Cæſar ann. 1624. jus primariarum precum exercere potuiſſet, eodem porro exerceat, etſi dicto Anno nulla occaſio ejus exercendi fuerit? Antequam reſpodeamus, paucis dicetur, quid ſit jus primariarũ precum. Deſcribit hoc Carolus IV. in Reſcripto de Primariis precibus apud Goldaſtum *Tomo 1. Conſtitutionum Imperii pag. 343.* Nimirum *Imperator* inquit, *habet jure & approbata conſuetudine a Divis Romanorum Imperatoribus & Regibus Prædeceſſoribus hactenus obſervata, poteſtatem, ex coronationis ſuæ ſolennis ad Romanorum regnum, impletione, in quolibet Monaſterio, in Imperio conſtituto unam tantum virtute primariarum precum ad Beneficium Eccleſiaſticum promovendi perſonam.* Eſt itaque jus primariarum precum poteſtas nominandi unum in quodlibet monaſterio ſemel ad beneficium Eccleſiaſticum, quæ Imperatori competit poſt ſolennia coronationis. Nota hic, quod unum ſaltem in quolibet monaſterio nominet, & ſemel tantum tota vita. Jam fac, anno 1624. in monaſterio quodam, ubi Imperator jus primariarum precum habet, non vacaſſe locum qui exercitio hujus juris occaſionem dederit, præſertim quia prima dies Januarii inſpicienda, num ideo Imperator jure ſuo excidet? itaque ego hoc, *ubi exercuit* ſic intelligo, ubi facultatem habuit exercendi: quæ ſi contradictione aut prohibitione

ſacra Majeſtas primarias preces exercuit z) exerceat eas & poſterum, ad modum circa bona immediata ſuperius explicatum. aa) Idem plane hic obſervetur de menſibus Papalibus, quod ſupra de iis §. Quinto diſpoſitum eſt. bb) Conferant autem Archiepiſcopi, & quibus aliis id juris

alterius ei dubia facta ſit, ita ut alius in poſſeſſione prohibendi tum fuerit, Cæſar ex mente paciſcentium exiſtimandus erit non exercuiſſe, quia exercere non poterat, alieno facto impeditus. De cætero hanc poteſtatem Imperatoris, quæ olim ex teſtimonio Caroli IV. toto Imperio exercebatur, temporibus poſterioribus quibusdam in locis ſive non uſu, ſeu ex aliis cauſis ſublatam fuiſſe, patet cum ex hoc §vo tum illo ſuperiore 18vo per verba, *ubi, & in quibuscunque.* quæ jus univerſale reſtringunt.

z) *S. C. Majeſtas primarias preces exercuit:)* Habet igitur Cæſar jus primariarum precum etiam in boni Eccleſiaſticis quibusdam mediatis: Sed inter hæc & bona immediata inſignis eſt differentia. In his enim, immediatis ſcilicet, Cæſari ſimpliciter, & ſine ulla reſtrictione facultas eſt exercendi preces primarias, ubi ante hac exercuerat *ſupra §vo 18.* At in bonis mediatis non aliter, quam ſi illas anno 1624. prima die Januari exercuit. Cujus differentiæ rationem ſi quis a me petat, fateor mihi nihil occurrere, quod ſatisfaciat. Niſi forſan illud ſit, quod cavere Status voluerint, ut Imperatori quam minimum in conferendis bonis Eccleſiaſticis mediatis ſit arbitrium. Quæ cura imprimis olim Proteſtantium fuiſſe videtur, ne ſub hoc prætextu ſibi Catholici in Reformatis Monaſteriis obtrudi poſſint. Unde Limneus diſputatu refert, *an exercitium primariarum precum etiam poſt pacificationem religioſam Imperatori competat in Collegiis Eccleſiaſticis reformatis Jur. publ. lib. 2 c. 9. n. 3.* Evangelicis id negantibus Unde procul dubio in pacis compoſitione hæc etiam mota quæſtio, & ad exemplum aliarum anno dieque decretoria definita eſt. Interea nihilominus manet dubium, cur non idem Capitula bonorum immediatorum exoptare debuerint, quorum libertati Electionis jure illo primariarum precum officitur. Sed quia lex ſic ſcripta eſt, eam ſequi, non vero inutilibus diſputationibus laceſſere noſtri eſt officii.

aa) *Ad modum circa bona immediata ſuperius explicatum.)* Scilicet ſupra §vo 18 ubi hic modus præſcribitur, ut Cæſar decedente Auguſtanæ Confeſſioni addicto Canonico, in ejus religionis Epiſcopatibus non alium quam eidem religioni addictum, & ad normam ſtatutorum & obſervantiæ idoneum præficiat. In mixtis vero ex utraq; religione precibus primariis præſentatus non gaudeat, niſi beneficium vacans religionis conſors poſſederit.

bb) *Idem plane hic obſervetur de menſibus Papalibus, quod ſupra de iis §vo 5. diſpoſi-*

Digitized by Google

juris competit beneficia menſium extraordinariorum. cc) Quod ſi quoque Auguſt. Conf. dd) addicti in ejusmodi bonis Eccleſiaſticis mediatis dicto anno dieque a Catholicis realiter, plene vel ex parte poſſeſſis, ee) jura præſentandi, ff) viſitandi, inſpectionis, confirmandi,

diſpoſitum eſt.) Menſes Papales in bonis etiam quibusdam Eccleſiaſticis mediatis locum habent: quod jus non exigua eſt Curiæ Romanæ nundinatio, dum hac eſca allicit Germanos devincitque, ut dum rationem ſui vel ſuorum habent, contra Papam pro libertate populi Chriſtiani conſilia conferre tanto magis cunctentur. Olim hæc omnia beneficia Eccleſiaſtica a gratia & voluntate Imperatorum dependebant, qui commentatione ſua apud eligentes vix unquam eſt fruſtratus. Nunc vero, poſtquam harum rerum arbitrium Romam eſt delatum, plerumq; ejusmodi homines, magno etiam Monaſteriorum incommodo, obtruduntur Capitulis, qui nec Cæſari fidi ſunt, nec Germanam fidem & reipublicæ ſalutem cordi habent, id unice agentes, ut Pontificis Itali, Germanisque infenſi hominis, pravis cupiditatibus obſequantur, cujus beneficio locum ſuum obtinuere.

De cætero, §vus ſtus qui hic allegatur ſecundum recentiorem ordinem vel ſectionem in duos paragraphos diſpergitur; nimirum 19. & 20. Primo ſtatuitur, ne quid menſium Papalium nomine in Bonis Auguſtanæ Confesſionis Eccleſiaſticis immediatis a quocunque, quandocunque aut quomodocunque prætendatur. Altero de Capitulis mixtis agitur, ubi menſes Papales reſpectu Canonicorum Catholicorum admittuntur. Proteſtantibus hoc etiam caſu ſuæ libertati relictis, quibus nihil cum Papa ejusque menſibus.

cc) *Conferant etiam Archiepiſcopi, & quibus aliis id juris competit, beneficia menſium extraordinariorum.*) Quod proverbio dicitur, *qualis Hera, tales pediſſequæ*: hic non inepte accommodaveris. Exemplo enim Pontificis Archiepiſcopi etiam aliique jura quædam menſium ſuum in compendium, cum manifeſta electionis injuria, ſibi comparavere, quos *extraordinarios* appellant. Sed viderint de hiſce Catholici. Noſtrum nihil refert.

dd) *Quod ſi quoque Auguſtanæ Confesſioni*) Buchiſch ad hunc locum notat, patere hoc exemplo, in fundis etiam Eccleſiaſticis ſervitutes ac jura alteri posſe conſtitui. De juribus nullum unquam fuit dubium. An autem hæc commode ſervitutum nomine appellari posſint, & an ejusmodi appellatio Eccleſiaſticæ dignitati ſatis conveniat, viderint alii. Certe ſervitutem in fundo pati & ejusdem fundi libertatem eccleſiaſticam jactare, quodammodo ſibi repugnare videntur.

ee) *In ejusmodi bonis Eccleſiaſticis mediatis dicto anno dieque à Catholicis rea-*

Digitized by Google

di, corrigendi, protectionis, aperturæ, hoſpitationis, ſervitiorum, operarum, habuerunt. gg) Item Parochos, Præpoſitos ibi aluerunt. hh) Jura

realiter plene vel ex parte poſſeſſis.) Hic iterum detegendus eſt hujus Hominis ſive error ſive fraus, qui tradit, hoc textu dici, Auguſtanæ Confeſſioni addictos anno 1624. 1. die Januarii *realiter debere poſſediſſe iſta jura, qui in poſterum eadem poſſidere & percipere volunt, ne quis blandiretur ſibi, & litem movere ſatagat, quaſi animo ſibi poſſeſſionem quandam retinuiſſet.* Hæc ſi per imprudentiam ſcripſit, miror cœcitatem & oſſcitantiam. Sin dolo, impudentiam. Lex enim cum hoc loco de *reali* poſſeſſione in ejusmodi bonis Eccleſiaſticis mediatis dicto anno dieq; habita loquitur, præciſe de Catholicis agit: verba manifeſta ſunt *in ejusmodi bonis Eccleſiaſticis mediatis dicto anno dieq; à CATHOLICIS REALITER plene vel ex parte poſſesſis.* Ubi vero de juribus Auguſtanæ Confesſioni addictis competentibus ſtatuit, nullam plane mentionem certi termini facit, ſed univerſum dicit, ſi quæ jura in bonis illis habuerunt, ut iſta ſarta tectaq; illis maneant. Vix tamen negare auſim, his in ejusmodi bonis eundem terminum non eſſe poſitum qui paragrapho ſuperiori ipſis in omnibus bonis Eccleſiaſticis pro regula datus eſt. Nam ſi jura primariarum precum Cæſaris, itemque ſi jura menſium Papalium, & menſium extraordinariorum hoc anno dieque circumſcribi Catholici pati debuere. Nulla ratio ſane eſt, cur jura Proteſtantium, quæ in præſentando, viſitando, confirmando, & ſimilibus conſiſtunt, meliori conditione habita fuiſſe exiſtimemus. Ut adeo hic illud *dicto anno dieq;* tam ad poſſeſſionem realem bonorum à Catholicis habitam, quam ad poſſeſſionem jurium, quæ Auguſtanæ Confeſſioni addictis competebant, pertinere videatur.

ff) *Jura præſentandi.*) Jus præſentandi habent Patroni Eccleſiarum, quales ſunt, qui ædificant vel dotant Eccleſias, reſervata ſibi parochos præſentandi poteſtate: jus viſitandi ad mores pertinet, & inſtar cenſuræ eſt. Inſpectio etiam doctrinam videtur comprehendere. Confirmatio reſpicit electos ſeu præſentatos. Correctio quandam etiam coërcendi facultatem continet. Protectio pars advocatiæ eſt. Apertura in locis munitis ſibi autoritatem vindicat. Hoſpitatio militibus in hibernis vel ſtativis debetur. Servitia, operasque ſubditi præſtant, intuitu id genus bonorum, quæ Eccleſiaſtica appellantur.

gg) *Habuerunt.*) Id eſt, poſſederunt & quidem realiter, ſuoque nomine. Neque enim id ſufficere videtur, quod habuerint, niſi accedat poſſeſſio, & quidem jure proprio, ſecundum ea, quæ ſupra de poſſeſſione dicta ſunt.

hh) *Idem parochos, præpoſitos, ubi aluerunt.*) Hoc aluerunt, iterum indicat, non indefinito tempore, ſed certo rem

Digitized by Google

Jura iſta alia ſarta tectaque maneant. Et ſi Electiones debito tempore, modove ii) non fiant, præbendarum vacantium diſtributio kk) & collatio in ejusdem religionis perſonas, cujus decedens fuit, ex jure devoluto ad eosdem pertinet ll) modo per hoc in iſtiusmodi bonis Eccleſiaſticis mediatis mm) inſtituto Catholicæ Religionis nn) nihil

rem metiendam eſſe. Quid enim ſi quis forte centum ante annos ejusmodi in bonis quosdam parochos vel præpoſitos aluerit, qui deinde pulſi, neque anno 1624. ibidem inventi amplius ſunt. Mea ſententia nemo facile erit, qui dixerit, hos nunc ex hoc loco reſtituendos eſſe, cum ſupra §vo 2do generalis terminus a quo reſtitutionis in Eccleſiaſticis conventus ſit prima dies Januarii 1624.

ii) *Et ſi Electiones debito tempore modove.*) Debitum tempus Electionis jure communi Canonico hic etiam eſt ſemeſtre ſive ſex menſium. Confer hic, quæ ſupra obſervamus ad §vum 20. Modus faciendæ electionis itidem jure canonico præſcriptus eſt. De quo hic verboſum eſſe nihil attinet.

kk) *Præbendorum vacantium diſtributio* &c) Si Electiones debito tempore modove factæ non fuerint, jus eligendi ad alios devolvitur. Atque hic in mixtis Monaſteriis, quando juri devoluto locus eſt, duo imprimis obſervanda ſunt. Ut collationes fiant in ejusdem religionis perſonas, cujus decedens fuit. 2. Ut jus devolutum ad illos ſaltem intelligatur pertinere, qui cum defuncto ejusdem ſunt religionis. Sic enim interpretor illud, *ad eosdem*, id eſt, ad ejusdem religionis perſonas.

ll) *Modo per hoc in iſtiusmodi bonis*) Hic cautio duplex additur (1.) ne collatione ejusmodi præbendorum vacantium inſtituto Catholicæ religionis in id genus bonis Eccleſiaſticis mediatis præjudicetur. Et (2.) ne Magiſtratui Catholicorum Eccleſiaſtico ſua jura ex inſtituto ordinis in ipſos religioſos competentia pereant. Quæ vero, quo proprie pertineant, mihi non ſatis liquet. Quamvis enim verba ſatis perſpicua ſint, id tamen non æque conſtat, qua mente, quove conſilio ſic cautum fuerit, cum per ſuperiora de his videretur abunde proſpectum eſſe, etiamſi nihil dictum fuiſſet. Adeoque quod me attinet, doceri magis cupio, quam ut docere alios poſſim. Tentabimus tamen, annon brevi quadam paraphraſi lux aliqua eruendo ſenſui accendi poſſit. *Modo per hoc*, id eſt, modo per hoc jus devolutum, quod eo caſu, ſi Electiones debito tempore modove non fiant, ad illos conventuales pertinet, qui cum defuncto ejusdem ſunt religionis.

mm) *In iſtiusmodi bonis Eccleſiaſticis mediatis.*) Id eſt, in ejusmodi, in quibus ſcilicet anno 1624. die prima Januarii Catholici & Auguſtanæ Confeſſioni addicti promiſcue vixerunt.

nn) *Inſtituto Catholicæ religionis.*) id

hil præjudicetur, oo) & Magiſtratui Catholicorum Eccleſiaſtico ſua jura ex inſtituto ordinis in ipſos religioſos competentia, ſalva & illibata ſint. pp) Quibus etiamſi Electiones aut collationes præbendarum vacantium debito tempore factæ non fuerint, Jus devolutum ſalvum eſto. qq) Quod ad oppignorationes rr) Imperiales attinet,

Id eſt, exercitio, libertati, juribus, privilegiis. Eſt quidem *inſtitutum* proprie idem quod mos, diſciplina, conſuetudo. Quin autem hic latius accipiatur, non dubito equidem, modo omnia ad ſtatum anni dieique prædicti expendantur atque exigantur.

oo) *Nihil præjudicetur.*) Id eſt, ne inſtitutum Catholicæ religionis jure illo devoluto damnum aliquod accipiat.

pp) *Et Magiſtratui Catholicorum Eccleſiaſtico ſua jura ex inſtituto ordinis in ipſos religioſos competentia ſalva & illibata ſint.*) Id eſt, ut Abbates, Præpoſiti, Commendatores, aliive Magiſtratus Eccleſiaſtici ſarta tectaque jura ſua retineant, quæ ex inſtituto cujusque Ordinis in religioſos ſuæ religionis ipſis competunt. Quia enim de Magiſtratu Catholicorum ſolum hic ſermo eſt, itaque jura ejus pinguius intelligi non poſſunt quam quæ ex inſtituto Ordinis in ſuos religioſos exercent. Religioſi enim Auguſtanæ Confeſſioni addicti, qui iisdem in Monaſteriis vel conventibus cum Catholicis mixtim vivunt, Catholicum Magiſtratum Eccleſiaſticum non habent, cum infra §vo 48. omne jus diœceſanum, & tota jurisdictio Eccleſiaſtica cum omnibus ſuis ſpeciebus contra Auguſtanæ Confeſſionis ſtatus, eorumque ſubditos, tam inter Catholicos, & Auguſtanæ Confeſſioni addictos, quam inter ipſos ſolos Auguſtanæ Confeſſionis ſtatus ſuſpenſum ſit. Et §vo ſequenti 49. in Civitatibus adeo Imperii mixtæ religionis contra Cives Auguſtanæ Confeſſionis Catholicis nulla jurisdictio concedatur, quamvis hi de cætero juxta obſervantiam anni 1624. in ipſos Catholicos non prohibeantur jure ſuo uti: ex quibus duobus locis huic noſtro paululum obſcuriori præferri facem exiſtimo.

qq) *Quibus etiam, ſi Electiones aut Collationes præbendarum vacantium debito tempore factæ non fuerint, jus devolutum ſalvum eſto.*) Id eſt, quibus Catholicis religioſis eodem modo, quo paulo ante de Proteſtantibus traditum, jus devolutum ſalvum eſto, ſi Electiones aut collationes præbendarum vacantium debito tempore, addo etiam ex ſuperioribus, *modoque*, factæ non fuerint. Nimirum omnis cardo rei in hoc verti videtur, Potuit in quibusdam Monaſteriis mixtis anno 1624. id uſu eveniſſe, ut omnes Conventuales utriusque religionis ad electionem concurrerint. Unde forſan ambitu Canditatorum, & diverſis affectibus partium in promptu erat, electiones contrariis

tinet, ss) cum in capitulatione Cæſarea tt) diſpoſitum reperiatur, quod

riis ſtudiis impediri, quo minus debito tempore fiant. Quamvis enim in locum defuncti alius ejusdem religionis ſurrogandus eſſet, referre tamen eorum, qui cum eligendo eandem religionem profitebantur, multum poterat, quem ſibi contubernalem haberent. Expeditiſſima itaque via conficiendæ rei viſa eſt, ut Electiones, ſi debito tempore modoque factæ non ſint, arbitrio committantur eorum, qui cum defuncto ejusdem ſunt religionis. Ita tamen, ut per id nemini ſuis in juribus præjudicium creetur, ſed ſua cuique ſalva & illibata ſint. Quo ipſo hoc ſimul cautum eſſe intelligitur, eligendi modum, qui ad omnes ſpectat, hoc ſingulari & extraordinario, certis ex cauſis ſaltem in ſubſidium comparato in reliquis ſublatum non eſſe. Sed ex hoc diverticulo jam in viam.

tt) *Quod ad Oppignorationes Imperiales attinet.*) Jam ſupra monui, & adhuc repeto, me ſatis mirari non poſſe, qua ratione, quove conſilio argumentum de pignoribus cum hoc negotio de Bonis Eccleſiaſticis mediatis conjunctum tractatumque fuerit. Si de pignoribus ſaltem ſermo eſſet, quæ in Bonis Eccleſiaſticis conſtituta ſunt, reddi utcunque aliqua ratio poſſet. Sed quia primo ſtatim loco de Oppignorationibus Imperialibus agitur, facile apparet, de iis ſolis ſermonem non eſſe, quæ bona Eccleſiaſtica reſpiciunt. Quicquid ſit, ſequendus ordo eſt, qui paciſcentibus placuit, quamvis mihi perſuaſum habeam, nec loco magis incommodo rem iſtam ſuſcipi: nec cum alieniore materia combinari potuiſſe; neque ſane anxie conſultandum fuiſſet, cui potiſſimum loco res iſta debeatur. Nam ſi novus ſaltem paragraphus inciperet, plana omnino & ordinata forent.

ss) *Oppignorationes Imperiales.*) Oppignorationes Imperiales ſunt, quæ fiunt in bonis atque juribus Imperii, ab Imperatore Statibus pignori datis pro certa pecuniæ ſumma, mutuo accepta, vel alia ex cauſa debita. Has oppignorationes ne reluendi facultas ſit Imperatoribus, donec conſenſu Statuum aliter ſtatutum fuerit, hic ſancitum eſt. Ad invidiam leniendam pro cauſa allegatur, quod Capitulatione Cæſarea diſpoſitum reperiatur, Imperatorem Statibus immediatis Imperii ejusmodi oppignorationes confirmare, atque illos in earundem tranquilla & quieta poſſeſſione defendere ac manutenere debere. Qua ratione cum is ipſe, cujus peculiariter intereſt, juri reluendi renunciaſſe videtur, reliquorum haud referre valde potuit, quid ea ſuper re ſtatuatur. Accedit quod noſtris temporibus hæreditarium quaſi ſit in Domo Auſtriaca jus Imperii, quam opulentis atque egregiis regnis provinciisque jam tum plus, quam ſatis eſt, potentem, haud viſum fuit e Statuum ſecuritate oppigno-

quod Electus Romanorum Imperator, Electoribus, Principibus cæteriſque Statibus immediatis Imperii, ejuſmodi oppignorationes confirmare atque illos in eorundem tranquilla & quieta poſſeſſione defendere ac manutenere debeat: Conventum eſt, hanc diſpoſitionem, donec conſenſu Electorum, Principum & Statuum aliter ſtatutum fuerit uu) obſervandam eſſe, atque propterea Civitati Lindaw, xx) nec non Weiſſenburgo in Noricis yy) reddita ſorte zz) oppignorationes Imperiales ipſis ademptas, illico & plenarie reſtituendas.

§. 27. Quæ

gnorationum reluitione, quæ cauſa quaque late ſe in Imperio pandebat; imprimis vero vectigalia opima ad Rhenum Danubiumque complectebatur, formidabiliorem facere.

tt) *Cum in Capitulatione Cæſarea.*) Hic intelligitur Capitulatio Ferdinandi III. quo Imperatore confecta pax eſt. Locus, quem lex intendit, in ejuſdem Capitulatione eſt articulus 3tius de cujus ſenſu poſtquam Limneus multa ad articulum 4tum capitulationis Caroli V. diſputavit, tandem fateri coactus fuit, cogitationes ſuas Inſtrumento pacis non congruere, adeoque opinionem ſuam corrigendam eſſe. Quamquam Obrechtus ad hunc §vum non neget ſententiam Limnei, ſi in commune conſideres naturam oppignorationum, juri & æquitati magis conformem eſſe.

uu) *Donec conſenſu Electorum aliter ſtatutum fuerit.*) Hæc conditio honeſtatis cauſa videtur adjecta, quamvis eam adimpletum nunquam iri conſtet. Saltem quamdiu præſens reipublicæ forma manet, neque Imperator ea cum auctoritate agit, ut cogere Status poſſit ad pignus reſtituendum accepta ſorte, quæ modica plerumque eſt habita æſtimatione ad res oppignoratas, prout iis hoc tempore uti licet.

xx) *Civitati Lindau.*) Videſis de hac controverſia Limneum *Tom. 2. addit. lib VII. cap. 29.* ubi & Receſſus Executionis juxta formulam Inſtrumenti pacis habetur.

yy) *Weiſſenburgo in Noricis.*) Huc etiam confer Limneum *dict. Tom. II. addit. ad lib. VII. cap. 51.* Utraque cauſa concernebat advocatias in pagos nonnullos, ab Imperatoribus oppignoratos illis civitatibus.

zz) *In Noricis, reddita ſorte.*) Hic inſignes lapſus verſionis Germaniæ advertimus, quando hæc verba, *Weiſſenburgo in Noricis* ſic tranſlata ſunt. Veiſſenburgum im Nürnbergiſchen & ſequentia, *reddita ſorte.* Bey Wiedererſtattung vorigen Standes. Quod utrumque eximiam imperitiam tranſlatoris, quicunque ille fuerit, indicat. Noricum enim, Nordgau, tractus eſt, qui ditionem quidem Noribergenſem complectitur. Sed præterea complures alias terras continet, integrum nimirum Palatinatum Superiorem,

Lant-

Digitized by Google

§. 27. Quæ vero bona a) Status Imperii ſibi invicem pignoris b) jure ante hominis memoriam c) obligaverunt, in iis reluitioni aliter

Lantgraviatum Leichtebergenſem, Epiſcopatum Eiſtattenſem, multa Margraviatus Culbacenſis loca: ut & quædam Neoburgici Ducatus. Vide Zeilerum *in Itinerario Germanico, cap. 4.* Sed & illud *reddita ſorte*, plane diverſum ſignificat. Nimirum cum hæc pignora a Catholicis reluebantur, creditoribus ſors reddita fuerat aliqua juſticiæ ſpecie. Hanc ſortem, id eſt creditum, reſtituere nunc juſſi ſunt creditores recepto pignore quo ſenſu perſpicua omnia ſunt, cum illa Germanica, bey wieder Erſtattung vorigen Standes, non modo ab argumento ſint aliena: verum etiam locutione vix Germanica. Videtur ignoraſſe translator, quid ſit ſors, quam pro ſtatu ſeu conditione civitatis accepit: cum ſummam pecuniæ ſignificet mutuo datæ.

§vus 27.

a) *Quæ vero bona* &c.) Quæ bona vel jura Imperatores Statibus oppignorarunt, non repignorantur, ſed tamdiu pignori obligata manent, donec Statuum conſenſu aliter fuerit ſtatutum. Quæ vero bona ipſi Status Imperii ſibi invicem pignoris jure ante hominis memoriam obligarunt, iis reluendis alia conditio adjecta. Scilicet ut antequam reluitioni locus ſit, poſſeſſorum exceptiones & merita cauſæ ſufficienter examinentur. Quod etſi moras etiam & impedimenta ſua habeat, non iis tamen ſubjacet difficultatibus, quas conditio à conſenſu Statuum ſuſpenſa inſuperabiles prorſus, adeoque rem revera impoſſibilem facit.

b) *Bona Status Imperii ſibi invicem pignoris jure ante hominis memoriam* &c.) Ut huic legi detur locus, quatuor requiruntur. (1.) Ut bona obligata ſint immobilia: (2) ut ea Status ſibi invicem obligarint, & quidem (3) pignoris jure, ac deniq; (4.) ut pignus in iis conſtitutum ſit ante hominis memoriam.

Bona hic immobilia intelligi, non dubito: Mobilium enim alia plane eſt ratio. Eccleſiaſtica vero an ſecularia ſint, nihil intereſt: Illorum enim, id eſt, Eccleſiaſticorum, occaſione præcipue hujus rei tractatio hoc loco ſuſcepta fuit. Sed præcipua cauſa, quæ ex hujus legis formula actionem dat, eſt, ſi pignus ante hominis memoriam in ejusmodi bonis ſit conſtitutum. Ad antiqua enim diuque poſſeſſa pignora, non ad recentiora paciſcentes reſpexere: quod enim uno alterove ſeculo ita poſſeſſum eſt, debitor reluendi pignoris curam tanto tempore abjiciente, longe difficilius reſtituitur, ex quo ea creditor inter ſuas facultates numerare cepit: quam ſi memoria extat celebrati contractus pignoratitii.

c) *Ante hominis memoriam.*) Reliqua igitur pignora, quæ memoriam hominis non excedunt, ſed vel ante bellum civile,

ter locus non detur, niſi poſſeſſorum exceptiones & merita cauſarum ſufficienter examinentur. Quod ſi bona d) ejusmodi e) durante hoc bel-

le, aut eo jam durante conſtituta ſunt, ſi poſt pacem à debitore redempta, æſtimantur quoad religionem ſubditorum per omnia ex ſtatu anni 1624 prout de eo lex art. 31. diſponit. Cœterum quod ad ipſum tempus immemoriale attinet, uti ætas hominis varia eſt, ita etiam memoria ejus. Neque ego hic aſſentior Büttiſch, qui exiſtimat, ultra memoriam hominum currere, quæ triginta vel quadraginta annos tranſcendunt. Mihi potius videtur terminus eo figendus, quem nullius hominis memoria aſſequitur. Probari autem duobus modis poteſt, rem memoriam hominum ſuperare. Uno remotive, cum nemo eſt, qui contrarii reminiſcitur. Et altero, quando ſuſcepto probationis onere quis oſtendit, ante immemorabile tempus rem geſtam eſſe. Quod vel Teſtibus fit vel documentis. Documentorum, quæ diem & Conſulem habent, expedita eſt ſupputandi ratio. Quod ſi vero tempus immemoriale per Teſtes probandum, Doctores, hæc quatuor requirunt. (1.) Ut Teſtes ſint minimum 54. annorum, & de quadraginta annis teſtentur. (2.) Ut dicant communem opinionem eſſe; quod contrarii non exſtet memoria. (3.) Quod Teſtes non modo ſemper ipſi id viderint, verum etiam à majoribus ſuis audiverint. Et (4.) quod meminiſſe nemo poſſit, aliud unquam obſervatum eſſe. Ex quo apparet, tempus memoriam hominum excedens Teſtibus non aliter probari, quam de auditu alieno teſtimonium dicentibus. Qui enim de viſu ſeu propria ſcientia loquuntur, cum ſuæ memoriæ innitantur, ad teſtimonium de tempore immemoriali dicendum non ſunt idonei.

d) *Quod ſi bona ejusmodi.*) Senſus aliquanto obſcurior hic eſſe videtur. Si bona ejusmodi durante hoc bello ab aliquo occupata fuerint, ſive id factum ſit absque prævia cauſæ cognitione, ſive non ſoluta ſorte, reſtituantur, prioribus poſſeſſoribus plenarie, ſtatim una cum documentis. Sed neque ſic omnia plana ſunt. Quid enim, ſi occupata fuerint ejusmodi bona ante bellum, vel cum prævia cauſæ cognitione? vel denique ſoluta ſorte? Dubius profecto ſum quid reſpondeam. Vertitur hic præcipue cauſa Kitzingenſis oppignorationis. Hanc Civitatem Marchionibus Onoldinis pignoris jure obligatam reluêre Herbipolenſes, etſi non ante motus Bohemicos, tamen ante bellum Germanicum. Occupatio ejus etiam facta prævia quadam cauſæ cognitione, quamvis manifeſta prævaricatione, & ſoluta ſorte. Unde credidere Herbipolenſes, ſe uti à reſtitutione ex capite amneſtiæ per art. 4tum §vum 23. ita etiam ab altera ex capite gravaminum, hoc modo liberatos eſſe. Dicam breviter, quod ſentio: de reluitionibus ante bellum factis nihil movendum

bello f) vel abſq; prævia cauſæ cognitione g) vel non ſoluta ſorte h) ab aliquo i) occupata fuerint, k) una cum documentis l) ſtatim m) plena-

dum arbitror, niſi quatenus Creditori ob pignus indebito modo vindicatum vel occupatum communia juris beneficia ſuperſunt; majus eſt dubium, ſi durante bello receptum fuerit pignus ſententia judicis vel ſoluta ſorte: Sane ſi res hæc judicanda eſſet ex univerſali amneſtia, qua reſtituuntur omnes tam quoad ditiones quam jura plenarie in eum ſtatum, quo ante deſtitutionem gaviſi ſunt, quibus occaſione Bohemiæ Germaniæve motuum aliquid præjudicii aut damni quocunque modo vel prætextu eſt illatum, annullatis quibuscunque interim in contrarium factis mutationibus *art. 3. §. 1.* à reſtitutione ſe is liberare vix poſſet, qui pignus interea ſuum inter turbas conſecutus eſt. Præſertim cum etiā ſententiæ tempore belli de rebus mere ſecularibus pronunciatæ ab effectu rei judicatæ ſuſpendantur, *art. 4. §. 49.* Econtra, ſi ad hunc noſtrum ſvum attendimus animum, de pignoribus videtur aliud ſtatuendum. Nam hæc demum bona pignoratitia reſtitutioni obnoxia ſunt, quæ *durante bello abſq; prævia cauſæ cognitione vel non ſoluta ſorte* ab aliquo ſunt occupata. Excipiuntur itaque occupata cum prævia cauſæ cognitione vel ſoluta ſorte: quia contrarium conditionis, ſub qua reſtitutio imperata eſt, ab hac obligatione liberat. Hæc tamen dicta ſint absque cujusque præjudicio, & ſalvo rectius ſentientium judicio.

e) *Bona ejusmodi.*) Non eccleſiaſtica modo, ſed & ſecularia. Hic enim paragraphus complectitur indiſtincte omnia bona, quæ Status Imperii ſibi invicem pignoris jure obligaverunt.

f) *Durante hoc bello.*) Cujus initium à motibus Bohemicis computandum exiſtimarim.

g) *Vel absque prævia cauſa cognitione vel non ſoluta ſorte.*) Quæritur an hæc disjunctive ſint intelligenda, vel conjunctive: id eſt, an ſufficiat ad petendam reſtitutionem, ſi alterutrum horum in repetendo pignore obſervatum non fuerit? Vel num utrumque oporteat concurrere? Exempli cauſa. Occupatum eſt pignus prævia cauſæ cognitione, ſed non ſoluta ſorte: vel ſoluta quidem ſorte, ſed absque cognitione cauſæ. Habet quidem conjunctio VEL aliquando etiam vim copulativam: plerumq; tamen ſignificatione ſua eſt disjunctiva. Atq; hac ultima ſignificatione hic etiam accipiendum eſſe mihi probabilius fit: nihil tamen decido.

h) *Vel non ſoluta ſorte.*) Id eſt, non oblata & depoſita ſorte, ſive credito. Nam ſi debitor affert ſortem, & creditor accipit, de pignore reſtituendo utique tranſactum eſt, neque à debitore poſt exſolutum debitum repeti poteſt.

i) *Ab aliquo.*) Id eſt, debitore. Si alius occupaverit, petenda reſtitutio erit ex alia cauſa.

Uu 2 k) *Oc-*

plenariè n) prioribus poſſeſſoribus o) reddantur, & ſi ſententia reluitioni locum concedat p) inque rem judicatam tranſierit, q) atque ſorte numerata reſtitutio ſubſecuta fuerit, r) Domino s) quidem dire-

k) *Occupata fuerint.*) Sive per vim, ſeu auxilio Magiſtratus: inter hæc enim nihil intereſt, modo occupatio facta fuerit durante bello.

l) *Una cum documentis.*) Hæc verba rurſus indicant, de bonis immobilibus legem loqui. Quia ad mobilia vix documenta pertinent.

m) *Statim.*) Id eſt, *ſtatim* poſt promulgata Cæſarea edicta, factamq; à Reſtuendo notificationem, ſine omni tergiverſatione vel oppoſitione, aut quacunque alia exceptione. Itemque ſine noxa aliqua vel damno intra tempus concluſæ & ratificandæ pacis. *Confer quæ leguntur infra art. 16. §. 2. & 5.*

n) *Plenarie.*) Id eſt, nulla pignoris parte detracta vel retenta. Neque ulla ratione detrita.

o) *Prioribus poſſeſſoribus reddantur.*) Id eſt, reſtituantur iis, à quibus, ut pignoris poſſeſſoribus, ablata ſunt. Poſſeſſores itaque hic intelliguntur creditores. Nam ſi his alius eripuiſſet, qui non eſt creditor, à quo deinde ea debitor accepit, ille etſi poſterior ſit poſſeſſor, *prior* tamen ille, cui reſtitutio facienda, non intelligitur eſſe.

p) *Et ſi ſententia reluitioni locum concedat* &c.) Id eſt, ſi facta reſtitutione deinde debitor oblato credito vindicet pignus, & judex pronunciaverit, reluendi pignoris poteſtatem eſſe.

q) *Inque rem judicatam tranſierit.*) Quia ſcilicet à ſententia appellatum non fuit: vel remediis aliis jura aditum intercludunt.

r) *Atq; ſorte numerata reſtitutio ſubſecuta fuerit.*) Sorte numerata reſtitutio pignoris fit duplici modo. Uno cum creditor accepta ſorte reſtituit ipſi pignus. Et altero, quando creditore tergiverſante, debitor deponit modo legitimo creditum, & pignus autoritate Magiſtratus accipit. Quatenus hoc ipſi liceat privata autoritate, de eo leges cujusque loci conſulendæ ſunt.

s) *Domino quidem directo* &c.) Hic demum paciſcentes, dum videntur hactenus à materia ſubſtrata, quæ ad cauſam religionis hoc toto articulo ſpectat, & gravamina Eccleſiaſtica concernit, prorſus deflexiſſe, in viam redeunt, & quid in ejusmodi bonis ante hominis memoriam pignori obligatis reluenti Debitori liceat, quod ad jus reformandi attinet, decernunt. Scilicet, liberum ei eſſe, in hujusmodi terras oppignoratas ad ſe reverſas ſuæ religionis exercitium publice introducere, ita tamen, ne ſubditi migrare, aut ſuam religionem deſerere cogantur. Qua ratione vero etiam publicum exercitium retinere posſint, id ad tranſactionem rejicitur, inter reluentem Dominum & ſubditos ineundam.

t) *Do-*

Digitized by Google

recto t) liberum eſſe debet, u) in hujuſmodi terras oppignoratas x) ad

t) *Domino directo.)* Non memini me in jure unquam alias legiſſe, Debitorem, qui rem pignori dedit, appellari *directum Dominum*, Dominum rei oppignoratæ eſſe & manere, nemo unquam dubitavit. Sed vocari directum Dominum, eo ſenſu, quo utili opponitur, id certe me fugit. Habet quidem creditor in pignore jus in re. Sed Dominium utile habere, uti Vaſallus aut uſufructuarius id habent, non facile dixerim. Itaque hic mihi non abs re ſuſpicio oritur, legem noſtram loqui de illis ſaltem bonis, quæ cum pacto de retrovendendo revera empta, aut ſaltem jure antichreſeos ita pignori data ſunt, ut interea Creditor juribus omnibus fructibusq; gaudeat, quæ ad bona illa ſpectant, neque perceptorum rationem ullam reddere teneatur, modo ne rem oppignoratam deteriorem faciat. In pignoribus enim alius generis, ubi Creditor tantummodo inſiſtit pignori ad ſecuritatem crediti, commodo & onere rei penes debitorem manente, non percipio ſane ego, qua ratione hic directus Dominus, alter vocari utilis poſſit. Cum utile dominium jus ſit utendi fruendi re pleniſſime, atq; de illa etiam certo modo pro arbitrio diſponendi. Directum vero Dominium conſiſtat in eo, ut res illa ad alium etiam pertineat ſuperiori quadam proprietate, ſed abſque alio commodo aut fructu, quam ſpe conſolidationis & ne Dominus utilis eam ob cauſam alienare rem, vel alio modo deteriorem facere poſſit damno Domini directi. Aliquando etiam, certisq; caſibus pro natura negotii præſtationes quædam, ſive annuæ, ſive pro temporum conditione debentur. Denique evenire etiam ſolet, ut renovari contractum neceſſe ſit conventis temporibus, ſive id morte fiat alterutrius Domini, ſive ſtatis annis. Iſta omnia ad res pignori datas nulla ratione quadrant, aut ſi hoc etiam in contractu dominium aliquod utile & directum concipiendum eſt, invertenda potius nomina ſunt, & Creditori directum dominium propter jus illud, quod in re ſibi oppignorata proprium habet: Debitori vero ob fructus & commoda, quæ eadem ex re ſtante pignore percipit, utile adſcribendum fuerit. Unde quocunque me vertam, niſi ad jus antichreſeos in pignore conſtitutum, aut venditionem temporariam reſpiciam, nihil video, quo legem hoc loco ego ab ἀκυρολογίᾳ minusque accurata locutione liberem. Et eſt profecto hæc ſive incogitantia, ſive impropria dictio tanto periculoſior, quod deinde occaſionem hinc arripuerint nonnulli Interpretes, ad feuda devoluta applicare conſtitutionem, atque Dominis Feudi ad illos forte reverſi, eandem licentiam circa jus reformandi religionem aſſerere, quæ non niſi Debitoribus recepto poſt exſolutam ſortem pignore, ſpeciali plane ratione conceſſa eſt, quod fieri adeo

Digitized by Google

facile non potuiſſet, ſi Domini Directi mentio à paciſcentibus omiſſa fuiſſet. Qua de controverſia mox plura dicenda ſunt. De cœtero diſputatum acriter fuit apud tractatus pacis, quid liceat Debitori circa religionem ſubditorum, poſtquam bona illa oppignorata recepit? Evangelici contendebant, ad ſtatum anni 1624 hic etiam attendendum, omniaque eo in ſtatu relinquenda eſſe. Catholici vero noluere in hæc concedere, objicientes, Creditorem non habuiſſe mutandæ religionis poteſtatem; adeoque pignus eum in ſtatum Debitori reſtituendum, quo oppignoratum fuit, aut ſaltem ipſi permittendum, ut ad illum ſtatum reducat. Re diu ventilata tandem hoc placuit, quod hoc loco ſtatutum legitur: certe non ſine admiratione, ſi quis hæc probe expenderit. Neque enim facile apparet ratio, cur quæ bona Eccleſiaſtica occupavere Proteſtantes, illa ſibi vindicare, inſtitutamque ibi religionem ſuam, prout anno decretorio fuit, conſervare potuerint; & cur creditores in rebus ante hominis memoriam oppignoratis, ſi utique reluitioni locum facere oportuit, ſaltem religionem eodem in ſtatu defendere non potuerint: cum videantur occupantes illi, invadentesque bona aliorum Eccleſiaſtica minori favore digni, quam Creditores, qui poſſesſionem bonorum pignori legitime conſtituto nacti ſunt. Scio equidem ad hæc reſponderi, creditorem non ſuo ſed alieno nomine poſſidere. Illos vero occupaſſe bona, quod prætenderint ad ſe iſta pertinere, adeoq; poſſediſſe nomine proprio & pro ſuo. Itaque præſcindendis controverſiis de dominio placuiſſe velut per averſionem, ut qui anno 1624. realiter illa poſſedit, propria habeat, neque de jure aliorum queri amplius poſſit. Sed creditorem, quamdiu hoc nomine rem poſſidet perpetuo fateri, ſe poſſidere rem alienam, ut proinde nulla iis ſuper dominio rei ſuperſit. Quare ſi quid in religione ab ipſo mutatum, id viſibili vitio obnoxium eſſe, cum nemo poteſtatem habeat reformandæ religionis, niſi qui territorii eſt dominus. Sed hæc ſane mihi non ſatisfaciunt. Nam ſi terminus reſtitutionis in Eccleſiaſticis ſimpliciter eſt dies prima Januarii a. 1624. caſſatis omnibus ſententiis, transactionibus, pactis & reductione ad ſtatum dicti anni dieique in omnibus facta. art. 5. §. 2. Item ſi omnia Monaſteria aliave bona eccleſiaſtica, ut & eorum reditus juraque, quocunque ea nomine appellata fuerint, quæ Auguſtanæ confesſionis Status ann. 1624. Calendis Januariis poſſederunt, iidem tamdiu poſſidere debent, donec controverſiæ religionis amicabili partium compoſitione univerſali definiantur, non attentis ullis exceptionibus, vel aliis quibuscunque prætextibus & rationibus: adeo ut unicum ſolumque futuræ obſervantiæ ſit fundamentum habita die prima Januarii poſſesſio, nec Auguſtanæ Confesſioni addicti poſthac in habita vel recuperata poſſesſione ullo modo turbandi, ſed ab omni perſecutione juris & facti perpetuo tuti ſint, *art. 5. §. 25.* quid opus fuit de pignoribus

Digitized by Google

ribus aliud ſtatuere? Accedit, quod plerumque ſubditi ipſi initium fecerint mutandæ religionis, etiam contra dominorum voluntatem. Hoc ſi in re oppignorata factum, cur pejori loco eſſe debent præ illis, qui adverſus Dominorum ſuorum territorialium mandata iſtam ſibi licentiam arrogarunt? Ad hæc non parum obſtant, quæ paulo poſt art. 31. de omnibus ſubditis in univerſum cujuscunque generis conventa ſunt, ut qui eorum ſive publicum ſive privatum ſuæ religionis exercitium anno 1624. ſive certo pacto aut privilegio, ſive longo uſu, ſive ſola denique obſervantia habuerunt, id etiam retinere in poſterum fas eis ſit; qua ſtante conſtitutione, quid intereſt, bona illa, quorum partem ſubditi faciunt, pignori affecta, vel libera eſſe? Ego ſane conſideratis omnibus nihil invenio, cur hic Catholici deſiderare diverſum cum ratione potuerint. Interea tamen, quia id ſemel placuit, atque lex ita ſcripta eſt, illa nobis ſequenda erit: non vero inutili diſputatione laceſſenda. Proponuntur autem duæ diverſæ quæſtiones. Una quid Domino pignoris liceat in religione ſua reſtituenda? & altera, quid poſſit contra ſubditos diverſæ religionis jure reformandi? Ad primum reſpondetur, liberum ei eſſe debere, ſuæ religionis exercitium publice introducere. Ad ſecundum vero: non poſſe ſubditos cogere, ut vel migrent, vel religionem ſuam deſerant. At vero, quod ad publicum eorum religionis exercitium attinet, de eo inter ipſos & reluentem Dominum tranſigendum eſt, unde ſequi videtur, ſubditos iſtos non gaudere ſecuritate ex §vo 31. *Hoc tamen non obſtante*, ſed hunc caſum velut exceptionem eſſe ab iſta generali regula. Id quod tamen aliis maturius perpendendum relinquo.

u) *Liberum eſſe debet*) Ex hoc loco argumentum haud quaquam contemnendum deſumi poteſt contra illam Catholicorum opinionem, qui contendunt, Domino territorii vi poteſtatis territorialis & juris reformandi facultatem eſſe ſuo in territorio vel ditione, ubi anno 1624. Catholicæ religionis exercitium non viguit, illud publice introducendi, dummodo ſubditos eo in ſtatu ſuæ religionis ſine turbatione & impedimento relinquat, quo ipſi etiam prædicto anno fuerunt. Nam ſi jure territoriali indiſtincte hæc poteſtas competit Statibus religionis alienæ introducendæ, non opus erat, ut hac de re ſpeciali placito ſtatueretur; Cum lex generalis ſuffeciſſet. Quia autem hoc §vo multa alia præcipua circa religionem data ſunt debitoribus, bona ſua oppignorata reluentibus, quæ a communi regula deficiunt, ad illa merito etiam referimus libertatem introducendi exercitii ſuæ religionis, eamque veluti exceptionem conſideramus, quæ regulam in caſibus non exceptis firmat magis quam infringit. Nam ſi ex ſpeciali ratione Domino pignoris liberum eſt, *in ejuſmodi terras oppignoratas ad ſe reverſas* ſuæ religionis exercitium publice introducere: Sane aliis in locis id ipſum

Digitized by Google

ad ſe reverſas y) ſuæ religionis exercitium z) publice introducere aa) incolæ

ipſum Dominis territorialibus liberum non erit. Quemadmodum ex adverſo concludimus, quia hic incolis & ſubditis proſpicitur, ne migrare aut ſuam religionem deſerere cogantur, alios ſubditos, qui neque publicum neque privatum ſuæ religionis exercitium anno 1624. habuerunt juxta §vum inferiorem 36. ad emigrandum, ſi mutare religionem noluerint, juſſu Domini Territorialis adigi poſſe.

x) *In hujusmodi terras oppignoratas*) Confirmat hoc, quod ſupra monuimus, de bonis ſaltem immobilibus pignori obligatis hic agi: non etiam de immobilibus: de quibus dici non poſſet, quod ſint *ejusmodi terræ oppignoratæ*.

y) *Ad ſe reverſas.*) Sorte ſcilicet reſtituta, ex quo ſententia reluitioni locum conceſſit, atque in rem judicatam tranſivit.

z) *Suæ religionis exercitium publice introducere.*) Id eſt, tota ditione, ubi modo illud ipſi videbitur, inſtituere. Domino enim territorii pro ſe ſuaque Domo vel Aula hoc nuſpiam prohibitum legitur, quamvis etiam id nuſpiam permiſſum inveniatur. Sed ratio ipſa huc nos ducit. Neque enim Dominus Territorii, qui alienis ſacris addictus eſt, juberi poteſt, ut vel migret, vel religionem mutet. Neque ei ſacrorum ſuorum libertati interdicendum, ſi domi illis vacare velit. Intelligimus autem hæc dicta eo caſu, cum ditio eſt Evangelica, Dominus vero territorii Catholicæ religioni addictus, aut vice verſa. Nam inter ipſos Evangelicos, ſi Territorii Dominus eſt reformatæ religionis & ditio Lutherana; aut ille Lutheranus, hæc reformata, quid hac in cauſa ſit juris, ex, re ſic conventum, nimirum, ut *ſi alius Princeps vel alius Territorii Dominus, vel alicujus Eccleſiæ Patronus poſthac ad alterius partis ſacra tranſierit, aut Principatum aut Ditionem ſeu jure ſucceſſionis, ſeu vigore præſentis tractatus pacis, aliove quocunq; titulo nactus fuerit, ipſi concionatores aulicos ſuæ confeſſionis ſecum atq; in Reſidentia ſua habere liceat art. 7. §. 1.* Hæc inter Evangelicos ita placuere. De eo autem caſu, quando Catholicus Princeps in ditionem Evangelicam ſuccedit, ſtatutum nihil invenitur. Uſus tamen docuit, id ipſum eis quoque negatum non fuiſſe. Ita Johannes Fridericus, Dux Brunsvicenſis. Ita Chriſtianus Ludovicus Dux Megalopolitanus, ita denique Julius Franciſcus Dux Saxo-Lauenburgicus hoc jure uſi ſunt. Neque majorem ſibi hactenus licentiam ſumpſit Rex Auguſtus in Saxonia; Solus Elector Palatinus, ne quicquam horum Patrisq; ſui exemplis motus, neque conventionis Hallenſis ſuæq; fidei toties datæ amplius memor, neſcio quod ſibi arbitrium religionis in Palatinatu arrogavit, occupatis templis, interverſis reditibus, pulſis Paſtori-

Digitized by Google

incolæ tamen & ſubditi bb) migrare, cc) aut ſuam, dd) quam ſub priori

Paſtoribus atque ludimagiſtris. Et indignis aliis multifariam ſumma cum Proteſtantium injuria patratis, de quibus fortaſſis alio loco plura dicentur. Enimvero ſi Catholici Principes id, quod art. 7. Proteſtantibus datum, in ſuas etiam utilitates trahere velint, meminiſſe oportuiſſet, id etiam ſibi dictum, ut hoc faciant *citra ſubditorum onus & præjudicium*, neve juris territorialis, Epiſcopalis, Patronatus aliove quocunque prætextu *publicum religionis exercitium leges aut conſtitutiones Eccleſiaſticas hactenus ibi receptas mutent, vel templa, ſcholas, Hoſpitalia, aut eo pertinentes reditus, penſiones, ſtipendia, prioribus adimant, ſuorumque ſacrorum hominibus applicent:* deniq; *ne ſubditis Miniſtros alterius Confeſſionis obtrudant, ullumve impedimentum aut præjudicium directe vel indirecte alterius ſacris afferant.* Quodſi vero hæ leges commodæ ipſis non videntur, injuſtum eſt, ab eis in articulo ſeptimo auxilium peti.

aa) *Publice introducere.*) Quamvis illud exercitium religionis anno 1624. ibi locorum inſtitutum non fuiſſet. Recte enim Deckherrus *Part. 1. Conſult. For. cap. 36.* argumentatur, *ſi hoc jus exercendi religionem anno 1624. obtentum fuiſſet, quid hac lege opus futurum fuiſſet?*

bb) *Incolæ tamen & ſubditi migrare.*) Incolæ nimirum & ſubditi intelligendi ſunt, qui anno 1624. publicum exercitium ſuæ religionis illic habuerunt. His ſi territorii Dominus recepto pignore illud permittere amplius noluerit, non prodeſt poſſeſſio anni 1624. ſed eis cum Domino ſuper hac re denuo eſt tranſigendum. Ut adeo hic ſine dubio erret Deckherrus, qui controverſia carere putat, *num ſubditi in publico privatoque exercitio tum temporis habito relinquendi.* De privato non contendo. De publico autem res plana hic eſt: quid enim ſubditis opus nova tranſactione, ſi §vus 31. illis hac in cauſa ſatis proſpexiſſet? imo potius hæc ipſa neceſſitas tranſigendi ſubditis impoſita argumento eſt, illos in poſſeſſione exercitii quocunq; tempore habiti nullum auxilium invenire. Ut proinde fruſtra quæratur, *an & quale tempus receptæ, habitæ vel poſſeſſæ ſub priori Creditore poſſeſſore religionis hic ſubintelligendum? an ſufficiat quocunque tempore aliam religionem exercuiſſe? an ante concluſam pacem noviſſimum exigendum, an vero hic quoque annus 1624. tanquam deciſorius requirendus?* Nam ſi nullum tempus ſubditis auxilio eſt, quid quærimus quale eis prodeſſe poſſit? & annon perverſa eſt Deckherri commentatio, qui exiſtimat, ſubditis quodcunque tempus ſufficere, etiam ultimum, usque ad concluſam pacem, vel reluitionem. Quæ ſententia prorſus à mente paciſcentium legisque ratione abit. Nimirum cum annus vigeſimus quartus ſuperioris ſeculi in univerſum pro regula conſtitutus

tus fuiſſet, qua ſubditorum publicum privatumque religionis exercitium metiremur, ab hac regula excipiuntur bona pignoris jure ante hominis memoriam obligata: & poſt pacem forte à Debitore ſeu Domino pignoris reluta. In illis enim adeo ſubditos non juvat exercitium publicum religionis, anno 1624. habitum, ut demum eos oporteat cum Domino territorii, qui reluit pignus illud, transigere: His ſtantibus, quæ manifeſta ex lege ſunt, abſurdum ſane eſt dicere ſufficiturum exercitium quocunque tempore habitum, cum nullo tempore, ac ne quidem anno decretorio habitum ſufficiat. Qua perverſa interpretatione in ſubditorũ commodum inſtar privilegii torquetur, quod ex ratione ſpeciali, veluti per modum exceptionis in Domini territorialis gratiam contra ipſos ſubditos eſt ſtatutum. Senſit Deckherrus, ſibi obſtare, quod ſubditi transigere cum Domino territorii jubeantur, itaque ait, *pacta & transactiones ad alia quam quæ juxta annum 1624. alias regulantur, eoq; tempore incolumia fuerunt, negotia pertinere.* Sed & hæc explicatio à lege alieniſſima eſt, quæ his verbis, *ſuam, quam ſub priori poſſeſſore hujusmodi terrarum oppignoratarum amplexi fuerant religionem, deſerere non cogantur,* indicat, habuiſſe utique ſubditos anno 1624. publicum exercitium religionis, quam amplexi fuerant ſub priori poſſeſſore, quæque à religione Domini reluentis eſt aliena. Quemadmodum ex adverſo verba legis, *Domino quidem directo liberum eſſe debet, in hujusmodi terras oppignoratas ad ſe reverſas ſuæ religionis exercitium publice introducere,* oſtendunt, illius religionis exercitium nec anno 1624. nec tempore concluſæ pacis ibi fuiſſe. Quare cum ſubditis de hoc ipſo quæ alias per annum 1624. regulantur, cum Domino territorii, pignus reluentis transigendum ſit, id eſt, de religione ejusque exercitio publico. Quid attinet ad alia negotia transactiones rejicere, cum lex ſuper religione ipſa transigere jubeat, quam ſubditi amplexi fuerant ſub priori poſſeſſore, quæque illis anno 1624. incolumis fuit & libera atque publica? Fruſtra objicitur, iniquum eſſe, *ſi ſuditi de religione anno 1624. omnibus Imperii membris adeo inviolabili fide ſervando, exercitii cum diſpendio pridem defenſi jure paciſci vel transigere deberent.* Fatemur *non mediocrem* hinc eſſe *iniquitatem* ſed æquo animo hæc toleranda ſunt, ex quo id ſemel paciſcentibus placuit: neque conſultum ſane eſt, iniquitate rei contra legem diſputare. Niſi eandem actionem Catholicis magno noſtro periculo ſuppeditare, atque adeo illos iisdem armis adverſus nos inſtruere velimus. Scilicet odorare facile licet, quam ob cauſam hæc ita ſint conventa. Nimirum Catholici obnixe contendebant, in bonis ante memoriam hominis oppignoratis Domino Territorii, poſtquam pignus ſuum reluit, liberum eſſe debere religioni arbitrium. Proteſtantes vero negabant, cauſam eſſe, cur in his abeatur ab univerſali regula habitæ anno 1624. poſſeſſionis. Ita nimirum Ev-

ang-

angelici in ſua declaratione anno 1646. die 24. Auguſti Mediatoribus exhibita ad art. 9. ajunt. Und werden unter dieſer Regel auch die Pfandſchafften verſtanden, ſo viel deren die Evangeliſche und Ihre Vorfahren über Menſchen Gedencken in Beſitz gehabt, und ann. 1624. prima Januarii beſeſſen. Deinde cum obſtinationi Catholicorum remittendum nonnihil hac in re eſſet, conceſſere Evangelici, ut Dominus pignoris hoc recepto ſuæ religionis exercitium introducere quidem publice poſſit: ne tamen ſubditos à ſtatu ſuæ religionis ejusque exercitio publico dejiciat, vel alio eos modo in hoc turbet. Hac de re adeo jam transactum fuerat, ut Plenipotentiarii Cæſarei in Formula pacis ab ipſis compoſita & menſe Junio 1647. exhibita art. 9. hac de re iſta ſtatuerint. Solle es zwar dem richtigen Herren frey ſtehen, daß er in ſolche verpfändte Güter, die wieder an Ihn kommen, ſeiner eigenen religion exercitium offentlich einführe. Doch die Inwohner und Unterthanen die Ihrige, die ſie unter dem vorigen Beſitzer ſolcher verpfändeten Länder ergriffen, zu verlaſſen nicht zwingen: ſondern das vorige exercitium derſelben Ihnen in den Kirchen, ſo ſie zuvor erhalten, geſtatten. Quanquam autem poſthæc non inveniam, Catholicos huic Cæſareanorum propoſitioni contradixiſſe, id tamen factum eſſe oportet, quia Inſtrumentum pacis de hoc negotio longe aliter ſtatuit. Nimirum conjicio, Catholicos conſenſiſſe quidem, ne ſubditi diverſæ religionis migrare aut religionem ſuam deſere cogantur. Sed noluiſſe ſibi neceſſitatem imponi tolerandi publici ejus exercitii: Proteſtantibus id procul dubio ægre ferentibus, quos nec honos nec conſcientia, faciles eſſe ſinebat. Utcunque fuerit, pervicta tamen res eſt à Catholicis, neque aliud Proteſtantibus relictum, quam ut Catholici receperint, inter reluentem Dominum & ſubditos diverſæ ab hoc religionis de publico ſacrorum exercitio, quantum ad iſtos attinet, tranſigi debere. Solatio quidem non omnino nullo, ſed ſane exiguo. Cum in ejus generis transactionibus non poſſit non ſemper ſubditorum deterior conditio eſſe. Allegat adhuc Deckherrus pro ſua ſententia, quam ſibi obfirmatiſſimam eſſe ait, verba hujus §vi *quam ſub priore poſſeſſore habuerunt*, quæ *plane indefinita* eſſe ait. Sed ego ſane non intelligo, quid his ſibi velit, cum ad hanc quæſtionem definiendam nihil faciant. Si quæreretur, an ſubditi ſuam religionem deſerere cogantur, quam ſub priori poſſeſſore habuerunt, non repugnarim, recte ea allegari. Sed ubi de publico exercitio eſt ſermo, cujus cauſa inter Dominum & ſubditos transactio adhuc inſtituenda, non exiſtimarim, ſubditis ante tranſactionem his verbis, utcunque indefinita facias, ſatis cautum eſſe. Ad quid enim transactione ſuper publico religionis exercitio opus, ſi lege ipſa de hoc jam abunde eſt proviſum?

cc) *Migrare, aut ſuam quam ſub priori poſſeſſore hujusmodi terrarum oppignoratarum amplexi fuerant, religionem*

Digitized by Google

deſerere non cogantur.) Sunt duæ velut generales regulæ, quibus paciſcentes ſubditorum conſcientiis proſpexere. Una habetur §vo 31. *Hoc tamen non obſtante.* Agitque de ſubditis, qui ſive publicum ſive privatum religionis exercitium anno 1624. habuerunt. Alteram exhibet §vus 6. *Quod ſi vero ſubditus* qua definitur, quid illis ſubditis fiat, qui anno 1624. nec publicum nec privatum ſuæ religionis exercitium habuerunt. Vel qui poſt publicatam pacem religionem mutarunt. Illis exercitium ſuum, prout dicto anno habuerunt, integrum illibatumque ſervatur. His beneficium emigrationis eſt datum, ſi ſponte velit, vel Dominus eum tolerare noluerit. Neq; enim cogere imperio poteſt, ut ad ſua ſacra tranſeat. Has inter duas regulas media quædam hoc loco eſt ſingulari exemplo ſubditorum, qui etſi habuerint anno 1624. publicum ſuæ religionis exercitium, eo tamen uti non poſſint, antequam de illo cum Domino reluente tranſegerint. Itemque aliorum, qui etſi publicum exercitium non habuiſſent, cogi tamen non poſſint, ut vel migrent, vel ſuam religionem deſerant. Namque hunc etiam ultimum caſum hic comprehendi exiſtimarim. Dabo exemplum, ut melius intelligar quid velim. Status quidam Auguſtanæ Confeſſioni addictus bona quædam pignoris jure à tempore immemoriali poſſedit, Catholico Domino & debitore. In bona illa ſive terras Creditor ille, qui Lutheranus eſt, publicum ſuæ religionis exercitium introduxit, ſtabilivitque, atque ſic ad ſucceſſores transmiſit: religione Catholica prorſus exilio damnata. Irrepſere interea eandem in ditionem Reformati, ſic tolerati, ut ſuis quidem conſcientiis relinquerentur, nullo uſu dato nec publici nec privati exercitii. Poſt pacem Weſtphalicam ſupervenit Debitor, ſuumque pignus exſoluta ſorte redimit. Hic de religione tripliciter eſt ſtatuendum; Dominus reluens exercitium Catholicæ religionis, quæ ſua eſt, publice reſtituere & introducere poteſt. Lutherani de publico ſuæ religionis exercitio, quod hactenus habuerunt, cum Domino territorii tranſigere debent, atque Hic in eo negotio ſe illis facilem præbere obſtrictus eſt. Denique Reformati nec migrare coguntur, nec ſuam religionem deſerere: ſed ſtatu manent, quo fuere. Interea jus ex hac lege non habent, quo cogant Dominum, ut ſecum etiam de publico exercitio tranſigat. Id enim illis ſolummodo datum, qui antea publicum exercitium habuére.

dd) *Migrare aut ſuam religionem deſerere.*) Aliis ſublatis, qui neque publicum neque privatum exercitium habuere, horum alterutrum ſi Dominus juſſerit, eligendum eſt; Neutrum illis, qui publico aut privato gaviſi ſunt, defendendi eo ſtatu, quo anno 1624. fuere. Hic in bonis oppignoratis media via placuit, ut ad migrandum aut religionem mutandam cogi non poſſint. Neque tamen ea etiam libertate per omnia gaudeant qua beneficio pacis alii fruuntur.

ee) *Quam*

Digitized by Google

priori poſſeſſore hujusmodi terrarum oppignoratarum amplexi fuerant, ee) Religionem deſerere non cogantur ff) de publico vero ſuæ gg) Religionis exercitio hh) inter ipſos & reluentem Dominum directum ii) tranſigatur. kk)

§. 28.

ee) *Quam ſub priore poſſeſſore hujusmodi terrarum oppignoratarum amplexi fuerant.*) Prior poſſeſſor eſt Creditor, isque Status Imperii. De privatis enim idem non eſt ſtatuendum. Amplecti vero ſub poſſeſſore ejusmodi religionem ſubditi dicuntur præcipuo ſenſu, quando ejusdem cum illo confeſſionis fideique participes fiunt: ex quo ſequitur, dari ſimul eis facultatem publici exercitii, quo Dominus Territorii ſuos nunquam deſtituat, ſi lege aut imperio non prohibetur. Notandum tamen, neceſſe non eſſe, ut quis eandem religionem fuerit amplexus, cujus eſt poſſeſſor; ſed ſufficere, ſi aliquam ſub illo amplexus ſit, quamvis a ſua diverſam. Sub priori autem Poſſeſſore amplecti religionem eſt profiteri religionem quamcunque ex tribus illis in Imperio toleratis eo tempore, quo Creditor Poſſeſſor incubuit pignori, ſive mutarit ſuam eo loco in gratiam Creditoris, ſive retinuerit ex conſcientia: ſive denique aliunde adveniens invexerit collocato Domicilio, ſciente Domino, neque prohibente.

ff) *Deſerere non cogantur.*) Id eſt, non cogantur mutare religionem, & Domini Territorialis ſacra contra animi ſententiam ſequi.

gg) *De publico vero ſuæ religionis exercitio.*) Quia tantum de publico religionis exercitio eſt tranſigendum, ratio poſtulat, ut dicamus, privatum ejusmodi ſubditis, qui ad emigrandum cogi nequeunt, non negari. Qua in re paulo melioris ſint conditionis præ aliis ſubditis, qui neque publicum neque privatum exercitium religionis anno 1624. habuere; His enim imperari poteſt, ut emigrent.

hh) *Suæ religionis.*) i. e. religionis ſubditorum: non Domini territorialis. Huic enim jam ſupra datum, ut ſuæ religionis exercitium publice introducere poſſit. Subditis autem de publico ſuæ religionis exercitio cum reluente Domino eſt tranſigendum. Nam quo referuntur verba *inter ipſos*, eodem etiam referri debent, quæ antecedunt, *ſuæ religionis*. At illa luculenter ad ſubditos ſpectant: ergo hæc etiam de illis intelligenda ſunt.

ii) *Reluentem Dominum directum.*) Num igitur eſt etiam quidem reluens Dominus utilis? & ſi nemo eſt, quid opus fuit addere, *directum?*

Cœterum dedit hæc vox occaſionem movendæ quæſtionis, an non quod hujus introducendæ religionis datur debitori, Domino pignoris, uti appellatur, *Directo*, ut nimirum redempto pignore liberum Ei eſſe debeat, in hujusmodi terras oppignoratas, ad ſe reverſas, ſuæ religionis exercitium publice introducere,

cere: idem etiam concedendum ſit Domino Feudi directo, poſtquam quocunque caſu legitimo res feudalis extincto Domino Vaſalli utili ad ipſum reverſum eſt? quod Feudi conſolidationem vel ap rturam vocant. Hanc quæſtionem ex Schützii Manuali Pacifico quæſtione 14. ſic proponit Deckherrus. *An idem obtineat in Feudo, morte Vaſalli, Felonia aliave quacunque juſta ratione ad Dominum directum reverſo?* Generaliter veriſſima ſunt quæ reſponſi loco ſcribit *Conſult. Forenſ. part. 1. cap. 36. n. 14. Formulam* (ſcil. pacis art. 5. §. 17.) *id operari, vix obtineri poſſe.* Addit rationem ex manifeſtiſſima differentia utriusque caſus. *In quorum poſteriori exercitium religionis a Vaſallo jure ſuperioritatis in priori nullo* (jure ſcilicet ſuperioritatis) *nec tantum operante antichretico* (jure) *inductum permiſſumque fuit*: ac tandem concludit, quod ad hanc quæſtionem attinet, *obſervanda eſſe ratione ſubditorum, quæ an. 1624. obtinuiſſe demonſtrari poſſunt, ita ut ſi hoc tempore juribus, de quibus quæſtio eſt, gaviſi ſunt, nunquam iis, niſi læſa lege & juſtitia deſtitui queant.* Nobis operæ pretium eſſe videtur, rationem differentiæ, cujus hic meminit Deckherrus, paulo diſtinctius evolvere, & oculis ſubjicere.

Primo igitur ut a definitione utriusque rei incipiam, eſt Pignus *jus in bonis debitoris Creditori conſtitutum ad ſecuritatem crediti.* Feudum eſt *jus in re immobili ita conſtitutum, ut quis poſſit illa re uti frui pro arbitrio.* Modo per id juri Directo ejus, qui Dominus Feudi dicitur, nihil præjudicetur. Ex quo ſtatim intelligimus, jus illud in re, quod Vaſallus habet, longe fortius eſſe, & propius accedere ad naturam dominii, quam jus pignoris, quod Creditori ſecuritatis cauſa conſtitutum eſt. Unde etiam jus Vaſalli communiter vocatur utile Dominium, ob utilitatem fructusque, quos Vaſallus ex ipſa re percipit. Jus pignoris ſic facile appellari non memini.

Deinde licet pignus in re immobili cum pacto antichretico conſtitutum ſit, & quidem ita, ut propter fructus & proventus rei incertos quis uti frui illa poſſit uſurarum nomine nec perceptorum rationem reddere teneatur; neque ſic tamen jus ipſum pignoris ad naturam Dominii magis accedere videtur. Saltem enim contractui pignoratitio adjicitur novum pactum, quo velut ſpecies quædam uſusfructus in re oppignorata conſtituitur, hac lege, ut donec creditum ſolutum non fuerit, fructus ex re, percepti, ſint Creditori loco uſurarum.

Hinc tertio in omni pignore quomodocunque conventum illud fuerit, creditor nudum jus habet inſiſtendi rei, pro crediti ſecuritate. At vero Vaſallus ipſam rei proprietatem participat, atque de Feudo diſponit, tanquam de re ſua ad uſum proprium.

Ex quo ſequitur quarto, Creditorem pignus poſſidere non ſuo nomine ſed alieno, & citra animum Domini. Cum ex adverſo Vaſallus rem poſſideat tanquam Dominus, ac proinde ut ſuam.

Unde

Digitized by Google

Unde etiam quinto Creditor in re ſibi oppignorata contra voluntatem Domini mutare nihil poteſt: cum Vaſallus in Feudo omnia faciat pro arbitrio, & mutet quadrata rotundis, modo facta ejusmodi, & mutationes in præjudicium Domini directi non vergant. Ita Vaſallus etiam ſine conſenſu Domini rem alteri rurſus in feudum concedit. Cum creditor pignus, ut rem alienam alteri non recte iterum oppignoret.

Sexto, ſi quid Creditor in pignore mutat, id adeo non obligat debitorem, ut ſæpe eam ob rem ipſi competat actio pignoratitia contraria. At Vaſallus multos actus in re feudali ex jure Dominii utilis celebrare poteſt, quibus etiam Dominus Feudi, re ad ſe reverſa ſtare tenetur.

Enimvero ſeptimo nulla re magis diverſitas pignoris & feudi quod vel cauſam præſente elucescit, quam ſi id genus Feuda cum pignoribus conferimus, quæ inter alios fructus & emolumenta Vaſallo jus etiam ſuperioritatis territorialis tribuunt. Nullus omnino Creditor, dum pignori ſuo inſiſtit, pro territorii Domino habetur, neque jura territorialia ſibi vindicare poteſt: aut ſi utique iſta etiam inter fructus pignoris ex pacto antichretico computat, ſaltem hoc ſuo nomine & pro Domino non exercet, ſed detinet ſaltem, pro ſecuritate Crediti & uſurarum. Ex adverſo ſunt Feuda Imperii, imo quædam etiam ſubfeuda, cum quibus & jus territoriale in Vaſallum tranſit. In his, quicquid Vaſallus vi illius ſuperioritatis territorialis exequitur, id facit ſuo jure, neque poteſt Dominus Feudi Directus illud impedire, vel retractare Feudo ad ſe redeunte. Cum igitur jus reformandi jure territoriali competat, & in re ſua, non aliena exerceatur, manifeſtum eſt, creditori circa mutationem religionis id agere non licere quod Vaſallo licet. Ille enim Debitori, ſive Domino pignoris rem eo in ſtatu reſtituere tenetur, quo accepit. Hic vero Domino directo ejus rei cauſa reddere rationem non eſt obſtrictus, cum jure ſuo uſus fuerit.

Ponamus itaq; octavo caſum, accidiſſe ante bellum Germanicum, ut Vaſallus jure ſuperioritatis ſuo in Territorio mutarit religionem, atque ſubditos anno 1624. in ſtatu religionis ita mutatæ fuiſſe. Deinceps vero, ſive durante adhuc bello ſive poſt pacem Feudum illud rediiſſe quocunque legitimo modo ad directum Dominum ejusque adeo Dominium cum utili conſolidatum fuiſſe, ſubditi ſane in ſua poſſeſſione religionis ſecundum legem art. 5. §. 31. latam relinquendi ab ipſo ſunt neque ullo jure vel prætextu turbari poſſunt. Ratio eſt, quia Vaſallus territorii jure de religione ſtatuit, quod Directus Dominus neque ſtante Feudo impedire, neq; reverſo ad ſe reſcindere poteſt. Illic enim ipſi obſiſtit §. 42. *à ſola qualitate feudali* &c. Hic vero obſtat §. 11. *Hoc tamen non obſtante* &c. Aliud eſt in pignoribus, ubi etſi Debitor Creditori omnem uſum bonorum oppignoratorum conceſſerit, arbitrium tamen religio-

gionis dediſſe non præſumitur quod ipſe forte ex ſuæ Eccleſiæ doctrina ſibi aliter non ſumpſiſſet, quam ad ſacrorum protectionem, non vero in eorundem perniciem.

Novo videtur hic ipſe §vus noſter 27. pro nobis contra adverſam ſententiam ſuffragium ferre. Notiſſimi juris eſt, exceptionem formare regulam in caſibus non exceptis. Regula extat §vo præcedenti 26: in bonis Eccleſiaſticis mediatis, quæ ſive Auguſtanæ Confeſſioni addicti, ſive Catholici Status poſſederunt, omnia eo ſtatu metienda relinquendaque eſſe, qui anno 1624. Calendis Januariis fuit. Hanc nunc ſequitur exceptio hoc §vo *quæ vero bona* &c. cujus particulæ *vero* vis adverſativa ſatis indicat, aliud & diverſum circa religionem placuiſſe in *bonis ejusmodi oppignoratis*. Igitur ſi aliud & diverſum, cœtera omnia ſub regula univerſali relinquuntur, ad quæ etiam Bona feudalia pertinent, nusquam excepta.

Neque ſane etiam excipi potuiſſent, quod decimo loco moneo, niſi ſubditis omnem fere ſecuritatem religionis ſuæ ademptum ire voluiſſemus, de qua tamen illis tanta diligentia & auctoritate legis proviſum eſt. Paucisſima ſunt in Imperio id genus bona, ante hominis memoriam oppignorata. At vero omnes propemodum, ditiones nexu feudali ſunt obligatæ ſive Dominum Directum Imperatorem habeant, ſive alios Status. Fac nunc illas eadem conditione eſſe, qua hic bona ſunt ante hominis memoriam oppignorata, ſane fruſtranea propemodum erit omnis illa ſanctio, quæ §vo 31. legitur. Neque enim *hæc omnia ſemper & ubique obſervabuntur eo usq; donec de religione Chriſtiana vel univerſaliter, vel inter Status immediatos eorumq; ſubditos mutuo conſenſu aliter erit conventum*. Si Domino in feudo ad ſe reverſo circa religionem eadem licent, quæ debitori in pignore redempto licent. Improbum igitur eſt, legem noſtram ad hæc aliena & abſurda extendere, de quibus nec cogitatum nec actum fuerat.

Undecimo. Gaudere debent beneficio legis dicto §vo 31 comprehenſæ *ſubditi cujuscunq; generis*. Quis nunc eximere eos auſit, qui ad bona feudalia pertinent; cum de his nihil, ſed ſaltem de bonis oppignoratis paulo aliter ſtatutum.

Denique duodecimo tollit omnem dubitationem §. 42. *à ſola qualitate feudali* &c. quo expreſſe cautum eſt, ne *à ſola qualitate feudali, jus reformandi dependeat, ſed ut feuda iſta & ſubfeuda, nec non Vaſalli, ſubditi & bona Eccleſiaſtica IN CAUSIS RELIGIONIS, ET QUICQUID JURIS DOMINUS FEUDI PRÆTENDA INTRODUXERIT AUT SIBI ARROGARIT, ex ſtatu anni 1624. die 1. Januarii PERPETUO cenſeantur*. Quod ſi hæc bona & ſubditi, *perpetuo* ex ſtatu anni 1624. cenſendi ſunt, excidere eo tum non poſſunt, quando Feudum ad directum Dominum rediit.

Quæ cum ita ſe habeant, merito hic valet regula univerſalis, jure naturæ etiam

Digitized by Google

tiam fundata quæ extat in l. 27. §. 4. ff. de Pactis. Ubi JCtus Paulus ait, *ante omnia animadvertendum eſt, ne conventio in alia re facta, aut cum alia perſona in alia re vel perſona noceat.* Jam vero ſine controverſia alius eſt contractus Feudalis, & alius pignoratitius. Itemque perſona alia, Dominus Feudi Directus, & alia Debitor ſeu Dominus pignoris. Uti & alia Vaſallus, & alia Creditor. Hæc vel ſolis nominibus tantum differunt, ut ab uno negotio ad alterum nulla ratio argumentandi appareat.

Allegant quidem identitatem rationis Sed allegant tantum non oſtendunt. Non ſufficit, identitatis rationem in eo collocari, quia ſicuti redempto pignore res cum omni jure ad Dominum redit; ita Feudo reverſo Dominus Feudi directus plenam ejus proprietatem conſequatur. Sed id probandum fuiſſet, Vaſallum ſtante Feudo in re Feudali non eſſe potiori jure de ea pro arbitrio ſtatuendi, quam quo eſt Creditor, in re ſibi oppignorata. Sic propoſita quæſtio identitatè rationis ſtatim evertit. Diverſitas enim manifeſta eſt, quia Creditor in pignore mutare nihil poteſt; At Dominus Directus facta etiam Vaſalli præſtare debet, quoties Hic ſuo jure eſt uſus.

kk) *Tranſigatur.*) Hoc imperative, intelligo, ut neceſſe ſit Domino cum ſubditis de publico religionis exercitio tranſigere. Sed hic duo quæruntnr. 1. Quid interea ſubditis fiat, donec tranſactum ſit? 2. quid ſi tranſigi plane non potuerit? Ad primum mea eſt ſententia, Dominum quidem Territorii, poſtquam reluit pignus, non impediri, quo minus publicum ſuæ religionis exercitium introducat. At ſubditos tamdiu in ſtatu religionis quo anno 1624. fuere, relinquendos eſſe, donec de eorum quoque exercitio publico conventum ſit. Expediundæ rei ex æquo & bono aliam rationem non video. Nam ſi Dominus territorii reluens eos propediem dejicere ſuo ſtatu poſſet, rejecto ad tranſactionem negotio, nemo dubitat, quin poſtea res omnis tot difficultates offenſura ſit, ut exitum nunquam ſit habitura: De ſecunda quæſtione ex pari ratione idem dixerim. Publicum exercitium ſuæ religionis ſubditos habere debere nullus dubito. Id enim præſupponit lex, cum jubet, ut inter eos & Dominum territorialem de hoc tranſigatur. Non itaque in tranſactionem venit quæſtio, an æquum ſit, ut ſubditi hoc exercitium habeant? ſed quibus locis id eos habere oporteat, quibusve in templis. An in iisdem, cum Catholicis, ſtatis horis? Num vero potius ſeparatim & in propriis. Donec ea de re conventum eſt, non arbitror juſtum fore, ut interea ſubditi exercitio publico careant, poſthæc forte ſemper cărituri. Si modo Dominus territorii voluerit, negotium confectu facile erit. Iniquum autem foret, ſi hujus duritiem aut tergiverſationem ſubditi ſine culpa ſua luere jactura rerum ſacrarum deberent. Quare hoc etiam caſu eos priſtinum ſuum ſtatum retinere poſſe mihi maxime videtur æquitati atque paciſcentium menti conſentaneum.

§. 28. X. Libera & immediata Imperii Nobilitas,a) omniaque & Nobilitas libera Imperii.

§vus 28.

a) *Libera & immediata Imperii Nobilitas.*) Quamvis Ordo Equeſtris, qui jure immedietatis gaudet, jam olim pace religioſa comprehenſus fuerit, ei tamen poſtea Catholici Status multis modis negotium religionis cauſa faceſſere non dubitarunt, quod in Franconia imprimis tentatum, ubi Epiſcopi, à quibus Nobiles immediati plurima bona Feudi jure poſſident, paulo ſunt potentiores: nec Principes Evangelici in illo Circulo validi ſatis, ut cum illis aliorum gratia lites ſuſciperent. Hinc Ordo ille variis titulis vexatus eſt. Jam enim dicebant Catholici, illum non comprehendi ſub nomine Statuum. Jam negabant, ei jus territoriale competere: à quo jus reformandi dependet. Aliquando etiam Dominus Feudi prætextu Dominii directi arbitrium religionis ſibi in bonis Feudalibus ejusmodi Vaſalli arrogabat. Atque Hoc pacem religioſam allegante reſpondebatur, contineri eum iſta pace, & ex illa libertatem religionis habere, ratione ſaltem ſuæ perſonæ, non vero bonorum, ſeu Territorii: Hinc ipſorum quidem perſonas à reformatione Catholicorum fore tutas, & arbitrium religionis habituras. Sed hoc nunquam iri conceſſum, ut ſuis in pagis, ſæpe in territoriis aliorum Statuum ſitis, ipſi jus reformandi, quod ad Dominos Territorii potius ſpectet, exercere, atque religionem Proteſtantium, damno & injuria Catholicæ inſtituere aut protegere poſſint. Nonnumquam etiam Dominus Feudi directi Dominii colore & obtentu ſibi facultatem reformandæ religionis eſſe contendebat. Cujus rei exempla apud Lehmannum, Gilmannum, & ſcriptorem de Antonomia inveniuntur. Hinc apud Tractatus pacis Catholici in reſponſo ad gravamina Evangelicorum, anno 1645. menſe Decembri exhibita, inter alia, quod ad Ordinem Equeſtrem attinet, hæc propoſuere. Weniger nicht, haben die Catholiſche ſich vorhin mehrmahln beſchwehret, und noch, das die von der Freyen Ritterſchafft Augſpurgiſcher Confeſſion, welche der Käyſerl. Majeſtät ohne Mittel unterworffen, Dero Ihnen im Religions-Frieden indulgirten Freyheit des Glaubens ſich dahin zu mißbrauchen unterſtanden, daß Sie in Ihren angehörigen Dorffſchafften die Catholiſche Religion abzuſchaffen, und die Augſpurgiſche Confeſſion in Übung zu bringen Macht haben ſolten: Da doch der Religions-Frieden Ihrenthalben nur perſonal iſt, und Sie darumen anderer Geſtalt nicht, als daß Sie der Religion halber von niemanden vergewaltiget, bedrängt, oder beſchwehrt werden ſolten ꝛc. begrieffen: und daß es hiemit andere Meynung nicht gehabt, iſt aus dem Verlauff des Religion-Friedens genungſam abzuneh-

& ſingula ejus membra, b) una cum ſubditis c) & bonis ſuis feudalibus

men, weiln die Stånde Augſpurgiſcher Confeſſion damahln zwar begehret; daß die Freye Ritterſchafft allermaſſen und Geſtalt, wie andere Stånde dem Religions-Frieden einverleibt werden möchte, ſolches aber von Ihro Käyſerl. Majeſtät und den Catholiſchen nicht bewilliget werden wollen. Worauff dann dieſer Articul mit obgemeldter reſtriction verfaſſet worden. Welches alles, was von ermeldter Ritterſchafft dagegen vorgenommen, muß billig auffgehebt, und in vorigen Stand wieder geſetzet; Sie auch in den Schrancken des Religion-Friedens hinführo ſich zu halten, angewieſen werden. Sed inſtantibus Evangelicis, daß die unmittelbahre Reichs-Ritterſchafft von beyden Religionen, denen Ständen gleich gehalte, Ihnen ſambt u. Ihren gehuldigten Unterthanen und Hinterſaſſen gantz kein Eintrag geſchehen, ſondern dafern etwan einer beſchehen wåre, Sie darwieder reſtituirt werden, wie ingleichen in Ihren Adelichen Freyen Schlöſſern und Håuſern, ob Sie ſchon zu Dorff oder Stadt keine jurisdiction haben, doch privatim vor ſich und die Ihrigen an Ubung beyder Religionen und Adminiſtration der Sacramenten nicht gehindert werden ſoller: negavere denuo Plenipotentiarii Cæſaris in mediis Compoſitionis anno ſequente 1646. menſe Julio propoſitis ubi numero 14. hæc leguntur. Die Freye Reichs-Ritterſchafft bleibt billig bey demjenigen, was Ihrenthalben in dem Religions-Frieden verordnet: kan auch einige weitere Extenſion, ſo andern Obrigkeiten zu Städten und Landen an Ihrem jure reformandi oder ſonſt in andern Weg nachtheilig seyn möchte, nicht verſtattet werden: und hat dieſes Orts mit Ihrem Religions-Exercitio zu verbleiben, wie Sie anno 1624. in poſſeſſione vel quaſi geweſen. Denique cum Proteſtantes iterum in ultima declaratione, menſe Auguſto exhibita poſtulaſſent, daß die freye unmittelbahre Reichs-Ritterſchafft an Orten und Ende, da Sie reſpectu certorum bonorum keinem Stand, als Landſaſſen unterworffen gleich obberührten Chur-Fürſten und Stånden bey dem klaren illimitirten Verſtand und Inhalt des Religions-Friedens und dieſes Vergleichs fur ſich und Ihre gehuldigte Unterthanen gelegen, und Ihnen darüber gantz kein Eintrag gethan, ſondern dafern einiger beſchehen, ſie darwieder reſtituiret werden ſolle. Tandem hæc controverſia ſic eſt compoſita, uti hoc §vo legitur, quo non tantum ipſis Nobilibus, ſed & ſubditis eorum ſatis proſpectum.

b) *Omniaque & ſingula ejus Membra.*) Nobilitas, quia eſt nomen Collectivum corporis ſeu Univerſitatis, ne calumniæ aut cavillis ſubjaceat, quaſi ſingulis

bus & allodialibus, d) niſi forte in quibusdam locis ratione bonorum & reſpectu territorii vel domicilii aliis Statibus reperiantur ſubjecti, e) vigore pacis religioſæ & præſentis conventionis f) in juribus religionem

ſingulis datum non ſit, quod lex corpori vel Collegio conceſſit, ideoque ſingula etiam ejus membra nominare conſultum fuit. Sunt autem membra Nobilitatis proprie hic, qui poſſident immediata bona, in album cenſumque Nobilitatis relata, neque neceſſe eſt, ut ipſe etiam Nobilis, octo generationibus, quod ajunt, ſit probatus. Quæ enim jura ex hac ſanguinis prærogativa fluunt perſonalia ſunt, non realia. Adeoque nec poſſeſſores juvans, etſi dignitatem eis & honorem, imaginum ſerie concilient.

c) *Una cum ſubditis.*) Hos diſſertim nominare neceſſe fuit, quoniam Catholici negabant, jus reformandi religionem Ordini equeſtri ex pace religioſa competere; cum hoc pax intuitu eorum perſonalis ſit, neque haud largiatur, quam libertatem conſcientiæ & religionis pro Nobilibus ipſis, eorumque familiis, ne in ea violari poſſit. Uti ex declaratione Catholicorum ſupra allegata conſtat

d) *Et bonis ſuis Feudalibus & allodialibus.*) Quod ſi Nobilibus & ſubditis ſatis eſt proſpectum, de bonis ipſis, quæ nullius ſunt religionis, non videtur fuiſſe laborandum. Placuit tamen eorum etiam mentionem facere, quia Catholici inter Feudalia bona & allodialia, vel potius inter ſubditos, quia ad iſta vel hæc pertinent, quandam ſibi differentiam excogitaverant, vexandi Ordinis equeſtris cauſa, cujus plurima feuda Catholicos Status habebant Dominos Directos, qui eo nomine Vaſallis ſuis non modo creabant moleſtiam: Verum etiam ipſi in bonis id genus feudalibus ſibi arbitrium ſumebant, de religione ſubditorum ſtatuendi.

e) *Niſi forte in quibusdam locis ratione bonorum & reſpectu territorii vel domicilii aliis Statibus reperiantur ſubjecti.*) Ratio eſt, quia Nobiles, cum hoc reſpectu non ſint immediati, immediatorum juribus & grærogativis gaudere non poſſunt: Deſignantur autem hic tres ſubjectionis modi. Scilicet 1. ratione bonorum. 2. Reſpectu territorii. 3. Reſpectu Domicilii. Priores duo idem fere ſignificare exiſtimo, unde etiam loco non tam disjunguntur, quam conjunguntur, *ratione bonorum & reſpectu territorii.* Tertius autem, qui ad Domicilium pertinet, diverſus eſt. Nam ſi Nobilis immediatus in territorio diverſæ religionis habet domicilium, immedietas ejus perſonalis ipſi non ſufficit, ut ibi ſua ſacra publice habere poſſit, quando Territorii Dominus illi hujus exercitii gratiam noluerit facere.

f) *Vigore pacis religioſæ, & præſentis*

nem concernentibus g) & beneficiis inde promanantibus, h) idem jus habeant, i) quod ſupradictis Electoribus, Principibus & Statibus competit, nec in iis ſub quocunque prætextu impediantur, aut turbentur, k) turbati vero omnes omnino in integrum reſtituantur. l)

§. 29.

ſentis conventionis.) Ut ſupra diximus, diſputatū fuit, an Ordo Equeſtris per pacem religioſam eandem libertatem, eademq; beneficia circa religionē inſtituendā habeat, quæ Status Imperii habent? Negavere enim Catholici. Sed hoc loco pax religioſa contra eos declarata eſt. Additur, *vigore præſentis conventionis:* ut duo vincula fortius ligent. Quamvis igitur poſthæc forſan cavillari nonnulli atque dicere vellent, quia pax religioſa hoc non ſtatuit, errorem interpretationis ſeu declarationis veritati præjudicio eſſe non debere: reponi poterit, ſufficere, quod nunc vigore præſentis conventionis hoc ipſum Nobilibus immediatis ſit conceſſum.

g) *In juribus religionem concernentibus.*) Id eſt, in jure reformandi inſtituendique religionem, quod varia iterum jura complectitur, quæ ſummatim exhibuit pax religioſa. Scilicet, ut Catholici Proteſtantes Status, & Hi viciſſim iſtos ſine moleſtia ac turbatione, pacate vivere ſinant. Bey ſeinem Religions-Glauben, Kirchen-Gebräuchen, Ordnungen und Ceremonien, ſo ſie aufgerichtet, oder nachmahls aufrichten möchten.

h) *Et beneficiis inde promanantibus.*) Tam pro Nobilibus, quam ſubditis eorum. Unde ad hos, ſubditos, inquam, etiam pertinent, quæ infra §vo 31. omnium ſubditorum bono ad coërcendum juris reformandi ambitum placuere, ſemper & ubique obſervanda eo usque donec de religione Chriſtiana vel univerſaliter vel particulariter aliter erit conventum. Quam ob rem oppido hic errat Buckiſch, cum ad hunc §vum obſerv. 16. tradit, *Dominum directum aperto Feudo priſtinæ reaſſumendæ introducendæq; religionis jus ſemper integrum ſalvumq; retinere.* Sicuti enim ſtante Feudo à jure reformandi arcetur §vo 42. ubi expreſſe negatur, à ſola qualitate Feudali vel ſubfeudali jus reformandi dependere: ita aperto Feudo, atque Dominio utili cum directo conſolidato, ſubditi diverſæ religionis præſidium habent in §vo 31. contra ejusmodi reformationis impetiginem.

i) *Idem jus habeant.*) Hic quidem Termini reſtitutionis à quo, & anni decretorii non ſit ſpecialis mentio. Dubitandum tamen non eſt, quin dictus annus ſubintelligendus ſit. Nam ſi Nobiles idem jus habent, quod Electoribus, Principibus & Statibus Imperii datum eſt à beneficiis, quæ toties repetitus annus 1624. tam Statibus, quam ſubditis largitur, excludi non debent.

k) *Nec in iis ſub quocunq; prætextu impediantur aut turbentur.*) Impediti nimirum

§.29. XI Liberæ Imperii Civitates a) prout omnes atque ſingulæ ſub appellatione Statuum Imperii b) non tantum in Pace Religionis & Civitates Imperii Liberæ.

nimirum turbatiq; ſæpe antehac fuere à Catholicis, variis prætextibus. Hic itaq; edicitur, ne deinceps id ſub quocunque fiat.

l) *Turbati vero omnes omnino in integrum reſtituantur*) *Turbati* ſcilicet contra ſtatum anni 1624. *omnes*, ex Ordine equeſtri ſine diſcrimine, nobiles ſint an ſubditi eorum, *omnino* i. e. ſine ulla exceptione, mora, tergiverſatione aut damno, *in integrum*, i. e. in priſtinum illum Statum quo dicto anno fuere, reſtituendi ſunt.

§. 29.

a) *Liberæ Imperii Civitates.*) Immediata Imperii Nobilitas, quamvis non ſit Status Imperii, quia jure ſuffragii in Comitiis caret, neque etiam jus territoriale habet, quod ſolis Statibus proprium, hic tamen antepónitur Civitatibus liberis, non omnino nullo illarum præjudicio, quas vel hoc ſolum, quod ſunt Status immediati, (quod nomen cum Electoribus atque Principibus commune habent), defendere debuiſſet, ne inter ſe & Status ſuperiores Ordo Equeſtris medium locum caperet. Neque enim prærogativa Nobilitatis, qua forte contra ſingulorum in Civitate libera conditionem pugnare poſſunt, univerſitati, quæ jura Status habet, & de Republica cum Cæſare & reliquis ſtatuendi facultatem cum voto deciſivo, præjudicium facit. Aut ſi illius prærogativæ utique habenda eſt ratio, longe conſultius foret, Ordini Equeſtri jus Statuum tandem conferri, quod à multo jam tempore magno ambitu petiere, dato ſuffragio in Principum Curia atque deſcriptis ſingulis corporibus, cenſu cujusque facultatibus digno, qua re controverſia illa cum Civitatibus liberis non modo conticeſceret ſtatim; Verum etiam reſpublica hunc ſibi Ordinem haberet magis obnoxium certitudine Cenſus, & parata in eos executione, qui debitum non ſolvunt. Qua in re Circulos non fore negligentes credibile eſt; Cum nunc ſi quid utique præſtant, aut in commune conferunt, id nec æſtimationem habeat ad ſuas facultates, nec proportionem ad aliorum Civium onera: nec denique in uſus publicos impendatur, cum magna pars involatu Harpyiarum inter numerandum plerumque pereat, ſive jam olim emendicata gratiis à Clero inſatiabili: ſive pro munere inter Patronos diſtributa, à quibus tuitionem ſui Ordinis redimere quaſi debent. Quorum nihil fieri poſſet, ſi ordo equeſtris in cenſum Imperii relatus cum reliquis Statibus in Circulo conferret ſuas partes.

b) *Prout omnes atque ſingulæ ſua appellatione Statuum Imperii.*) Excluduntur itaque illæ Civitates, quæ etſi pri-

præſenti ejusdem declaratione, ſed & alias ubique indubitate c) continentur, ita & ex illarum numero eæ, in quibus d) unica tantum Religio e) Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto f) in uſu fuit, tam ratione juris reformandi g) quam aliorum caſuum Religionem

privilegiis & opibus hic proxime accedunt, non tamen ſunt Status Imperii, ſed Dominum Territorialem habent, & jure Municipalium cenſentur: Ad has enim Municipales non hæc lex pertinet, ſed alia, quæ paulo inferius §. 31. continetur.

c) *Non tantum in pace religionis, & præſenti ejusdem declaratione, ſed & alias ubique indubitate continentur.)* Dubitare quondam nonnulli viſi ſunt, an Civitates Imperii ſint Status. Dubitandi occaſionem dedit illa quæſtio: an habeant in Comitiis jus ſuffragii *deciſivi*, quod aliquibus negatum fuit, qui ad Conſultationem ſalte illas admittebant. Verum uti hæc quæſtio infra art. 8. §. 4. pro Civitatibus, earumque voto deciſivo terminata eſt, ita hic indubium eſſe dicitur, Has non tantum in pace religionis atque præſenti transactione; ſed & *alias ubique* Statuum appellatione contineri.

d) *Ita ex illarum numero ea, in quibus.)* Dividitur hic paragraphus 29. in duas partes principiales. Prima agit de Civitatibus, in quibus unica tantum religio anno 1624 in uſu fuit. Altera de Civitatibus mixtis uti vocantur, quæ utrique religioni addictæ ſunt.

e) *Unica tantum religio.)* Unica tantum religio in ejusmodi Civitate, pura intelligitur in uſu eſſe, quando Magiſtratus & maxima Civium pars unius ſunt religionis, etſi ibi etiam aliqui alterius religionis Cives commorentur, vel in aliquibus Capitulis, Eccleſiis Collegiatis, Monaſteriis & Cœnobiis ibi ſitis exercitium vigeat, modo illud publica Magiſtratus loci autoritate ſumptibusque Civitatis non ſuſtentetur. Uno verbo: Religio alia in Civitate mixtam illam non facit, ſed diverſæ religiones ipſius Civitatis. Verbi gratia: Ratisbonæ Catholici liberrimum exercitium habent ſuæ religionis, idque publicum ex omni parte. Templa etiam quintuplo plura poſſident, quam Evangelici. Ad hæc Cives quidam, qui jure Civitatis gaudent, eidem religioni ſunt addicti. Quoniam vero illa Catholicæ religionis profeſſio publica ad Civitatem non pertinet, neque impenſis Civitatis aut ejus auſpiciis exercetur, ſed aliorum res eſt, qui partem Civitatis nullo modo conſtituunt, ideoque Ratisbona pro libera Imperii Civitate, ubi una tantum religio in uſu, recte habetur, ſi de effectibus jurium, ex noſtro paragrapho reſultantium, eſt quæſtio.

f) *Anno 1624.)* Adde etiam, die prima Januarii. Uti paulo poſt ſequitur.

g) *Tam ratione juris reformandi.)* De quo jure ſtatim §vo ſequenti plura habentur.

Digitized by Google

nem concernentium h) in territoriis ſuis i) reſpectu ſubditorum non minus

bentur. Habent igitur Civitates Imperii liberæ, jus reformandi, idem, cum reliquis Statibus Imperii ſuperioribus, ideoque mutare non ipſæ modo religionem poſſunt, verum etiam in Cives qua ſingulos jure reformandi utuntur, ſecundum ea, quæ de hoc jure, ejusque legitimo uſu generaliter diſpoſita & conventa ſunt. Enimvero cum non in omnibus liberis Imperii Civitatibus idem ſit Status ſeu forma reipublicæ, ſed aliæ imperio Ariſtocratico regantur, aliæ vero regimini Democratico ſint propiores; adhæc nonnullæ quibus Ariſtocratia placuit, ob Nobilium, ſeu Patriciorum potentiam, qui vim omnem Imperii ad ſe pertraxerunt, in Oligarchiæ ſpeciem degeneraſſe videantur, pro alio aliove ſingularum habitu, de jure etiam reformandi idem jus ſtatui nequit. Nam ubi populus regnat, ibi abſq; totius Civitatis conſenſu mutatio religionis hoc cum effectu inſtitui non poteſt, ut alterius publicum vel privatum exercitium fas ſit introducere, quod anno 1624. illic exulaverat. In hoc enim regiminis genere, ſummum arbitrium de religione ſtatuendi penes multitudinem conſiſtit cujus ſuffragiis Senatus ad omnia publica negotia expediunda opus habet, quia ipſe eſt ſub populi Imperio velut alii Magiſtratus, ſine cujus autoritate & juſſu nihil recte earum rerũ gerit, quæ ad ſtatum publicum pertinent. Imprimis cum mutandum aliquid eſt, in quo omnium ſalus, totiusq; reipublicæ ſumma vertitur. Ubi vero Senatus ſupremum rerum arbitrium habet, Civibus obſequii gloria relinquitur, utcunque aliquando in Conſilium vocentur, ex inſtitutis Civitatis: ibi jus etiam reformandi in poteſtate Senatus non poteſt non collocari, ſive Patricii regnent, ſive ex optimis Civibus Lectus Senatus. Neque enim magis abſurdum eſt, ut populo competat legendi Senatus libertas. Summa vero rerum apud ipſum Senatum ſit: quam fieri poteſt, ut populo jus liberum ſit eligendi Regis. Rex ipſe vero ſic electus imperio abſoluto gaudeat. Quando ſcilicet Eligentes nullis illud vinculis conſtringunt, ſed Regi omnem in ſe & rempublicam permittunt poteſtatem. Interea illud tenendum, quicunque etiam fuerit Civitatis Status, Civibus ſingulis mutandæ religionis arbitrium haud magis adimi poſſe, quam aliis Statuum Subditis: modo hoc etiam notemus, illos, qui novam religionem ita amplexantur, cujus nec publicum nec privatum exercitium anno 1624. in Civitate habuerunt, ſi eos ferre poſthæc Civitas nolit, emigrandi beneficio contentos eſſe debere, nec ob jus Civitatis, quod habent, poſtulare poſſe, ut tolerentur. Nam hac parte Civitatibus idem in ſingulos ſuos cives jus eſt, quod reliquis Statibus in ſuos ſubditos.

h) *Quam aliorum caſuum religionem concernentium.*) Alii caſus religionem con-

minus ac intra muros & ſuburbia k) idem cum reliquis Statibus Imperii ſuperioribus l) jus habeant adeoque de iſtis generaliter diſpoſita & conventa, de his quoque dicta & intellecta ſunto, m) non attendendo,

---

concernentes varii eſſe poſſunt. Veluti ſunt omnes illi actus juris Territorialis, qui magis ad religionem, quæ cuique Orthodoxa eſt, ornandam cuſtodiendamque tendunt, quam ad heterodoxam conſtringendam. Breviter, quicquid eſt poteſtatis territorialis, quod circa religionem verſatur neque tamen ſub appellatione juris reformandi commode venit, id omne hic ad alios caſus religionem concernentes pertinet. Procul dubio Paciſcentes planius apertiusque locuti fuiſſent, ſi pro verbo *caſuum* poſuiſſent *actuum*; proprie enim non caſus ſunt, ſed actus quibus poteſtas territorialis in omnibus jurium ſuorum ſpeciebus exercendis occupata eſt.

i) *In territoriis ſuis.*) Habent itaque Civitates Imperii liberæ etiam territoria, & per conſequens, jura territorii de quo nonnulli quondam dubitare viſi ſunt. Errori, ſi non calumniæ, anſam dedit antiqua illa formula, die Landes-Fürſtliche Hohe Obrigkeit, qua poteſtatem territorialem deſignabant. Sed uti ea tolerari poteſt, cum de Principibus eſt ſermo, ita quando Comitum Urbiumque ratio habetur, vocari hæc poteſtas ſolet die Landes-Hoheit vel Hohe Landes-Obrigkeit. Paulo generaliori nomine cum illud Landes-Fürſtliche à ſubjecto perſonali denominatum ſignificatum habeat aliquando arctiorem.

k) *Et reſpectu ſubditorum non minus quam intra muros & ſuburbia.*) vel in Subditos non minus quam Civitates. Habent enim nonnullæ Civitates Imperiales etiam extra pomœria ſua agros & ditiones, nequaquam contemnendas. Uti Norberga, Ulma, Hamburgum, aliæ, quas emptione aliove titulo ſibi comparavere. Videtur itaque dubitatum olim fuiſſe, an in hæc etiam loca Civitatibus jus reformandi competat. Ratio dubitandi forſan erat, quod ſæpe ejusmodi terræ finitimorum Principum territoria contingunt, aut illis etiam comprehenduntur, ita ut ſint quidem in territorio, quamvis non ſint de territorio, ſeu territorii pars: unde facilis materies litis.

l) *Idem cum reliquis Statibus Imperii ſuperioribus.*) Verba *cum reliquis Statibus Imperii ſuperioribus* duplicem ſenſum habent. Vel enim vox *ſuperioribus* ad Ordinem refertur, vel ad dignitatem: quamquam autem parum interſit, utro accipias, vel utroque, poſterior tamen magis placet. Nam eadem fere ſignificatione formula illa intelligitur, die beyde Höhere Collegia: quod dignitatem atq; honorem præcipue reſpicit, & aliquid amplius dicit, quam ſolum Ordinem, cum etiam inter pares dignitate Ordo aliquis eſſe poſſit, & ſæpe debeat.

m) *Idem jus habeant, adeoq; de iſtis gene-*

Digitized by Google

dendo, quod in iis Civitatibus, n) in quibus præter Auguſtanæ Confeſſionis

generaliter diſpoſita & conventa, de his quoque dicta & intellecta ſunto.) Nam quæ ſpecialiter de Statibus ſuperioribus ex reſpectu perſonali vel aliis de cauſis hac pace ſancita ſunt, ad Civitates Imperiales merito non referuntur.

n) *Non attendendo, quod in Civitatibus.)* In conventu Deputationis Francofurtano acerrime diſputatum fuit, quæ ſint Civitates non mixtæ religionis & quæ ſint mixtæ? Quodſi de non mixtis prius recte conſtiterit, de mixtis judicium expeditius erit. Itaque de illis occaſione horum verborum primo loco agamus. Definiuntur hic Civitates non mixtæ religionis, *in quibus præter Auguſtanæ Confeſſionis exercitium nullum aliud à Magiſtratu & Civibus juxta morem & Statuta cujusq; loci anno 1624. introductum fuit non attento, quod in iis aliqui Catholicæ religioni addicti Cives commorentur, vel etiam in aliquibus Capitulis, Eccleſiis Collegiatis, & Cœnobiis, ibidem ſitis, Catholicæ religionis exercitium vigeat.* De Civitatibus Catholicæ religioni deditis idem erit judicium. Ex hac definitione ſive deſcriptione, nihil enim refert, conſtare puto, Civitatis non mixtæ naturam non alterari, ſi alterius etiam religionis exercitium ibi in uſu fuerit, modo non inſtituta ſit decreto publico Magiſtratus & Civium; quemadmodum ex adverſo ad mixtas Civitates illæ referendæ ſunt, in quibus utraque religio, & Evangelica & Catholica, à Magiſtratu & Civibus authoritate publica acceptata & ſtabilita eſt atq; ſub communi Civitatis protectione exercetur. De Civitatibus Auguſta Vindelicorum, Dünckelſpühla, Biberaco & Ravensburgo res per ipſum Inſtrumentum §vo 3. & ſeqq. transacta fuit. Sed de Hagenoâ in Alſatia & Kauffbaira in Suevia difficiliores lites exortæ. Integrum ſtatum controverſiæ cujusque Civitatis ad finem hujus paragraphi recenſebimus ex actis fide dignis. Nunc ſaltem quæ pro Civitatibus mixtis vel non mixtis agitata utrinque inter Deputatos fuerint, proferre animus eſt.

Itaque in caſu Hagenoënſi Catholici dicebant, Civitatem Hagenoam omni tempore pro pure Catholica habitam, regimenque ejus & jura in manu & poteſtate Magiſtratus Catholici fuiſſe; Quod ſi illic anno 1624. Cives quidam Auguſtanæ Confeſſioni addicti commorati fuerint, eos proprie ſtatum politicum & jura territorii non participaſſe, ſed conditione ſubditorum æſtimandos eſſe, qui Magiſtratui Catholico nullas præſcribere leges in negotio religionis potuerint. Ad hæc reſpondebant Evangelici, Hagenoam Civitatem procul omni dubio Civitatibus mixtis eſſe adnumerandam, cum anno 1624. utraque religio, & Evangelica & Pontificia ibi publice exercita fuerit, Civesque Auguſtanæ Confeſſionis & in Senatum lecti fuerint, & reliqua Civitatis munia aliquan-

Digitized by Google

ſionis exercitium nullum aliud a Magiſtratu & Civibus o) juxta morem & ſtatuta cujusque loci, p) Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto q) introductum fuit, aliqui Catholicæ Religioni addicti r) cives

quando etiam numero Catholicis ſuperiores obierint. Poſthæc ceptum eſt diſceptari, inter Deputatos de mixtæ Civitatis recta definitione. Proteſtantes eam ex hoc noſtro paragrapho ſic definiebant, Civitatem mixtam eſſe, ubi utraque religio conſenſu Magiſtratus & Civium eſt inſtituta & anno 1624. publice exercita. Atque hoc ipſum Hagenoæ factum probare liquido contendebant pacta illa & transactiones inter utramq; partem ſuper exercitio publico religionis Evangelicæ in annis 1564, 1578, & 1582 quin etiam anno 1624. initas, quibus tractandis perficiundisque Commisſarii adeo Cæſarei auctoritatem ſuam eo tempore accommodarint. Itaq; cum his argumentis Catholici premi ſe animadverterent, aliud effugium non habuere, quam inane hoc & frigidum, ut dicerent, Hagenoæ Auguſtanæ Confesſionis addictos Cives pene omnes poſt annum 1624. mutaſſe religionem, & Catholicæ ex ſua animi ſententia accesſiſſe. Quod quia ipſis facere licuerit, Statum Civitatis per id ipſum aliam plane formam induiſſe, ac proinde ceſſare nunc illam juris conſiderationem, quæ ex conditione Civitatis mixtæ momentum afferre potuiſſet. Hanc rationem recte frigidam & ineptam appello, cum quæſtio ſit de reſtituendo Civitatis ipſius Statu, qualis Calendis Januariis anno 1624. in ſacris & profanis fuiſſe compertus eſt. De Civium ſingulorum reſtitutione diverſum negotium, ubi vel Catholicis non monentibus etiam cæci vident, eos, qui libere religionem mutarunt, non poſſe quidem reſtitui in priſtinum ſtatum, ſi noluerint. At ſimul id etiam manifeſtum eſt, Horum Apoſtatarum inconſtantiam atque levitatem cæteris, imprimis vero exulibus, ſua in reſtitutione nec objici poſſe, nec fraudi eſſe debere.

o) *In quibus præter Aug. Confeſſ. exercitium nullum aliud à Magiſtratu & Civibus.*) Uti enim in Civitatibus liberis penes Magiſtratum & Cives jus Imperii eſt, ita etiam in eorundem poteſtate poſitum eſt arbitrium de religione ſtatuendi.

p) *Juxta morem & ſtatuta cujusq; loci.*) Nimirum prout in quavis Civitate vis Imperii ex forma & legibus cujusque loci in manu ſenatus eſt, vel populi univerſi ſuffragiis & juſſu in rebus gerendis eſt opus. Qua de re jam ſupra actum.

q) *Anno 1624.*) Non additur dies prima Januarii, credo tamen ſubintelligendam eſſe. Quid enim ſi conſtet, alicubi dicto quidem anno Calendis Januariis præter Auguſtanæ Confesſionis exercitium nullum aliud a Magiſtratu & Civibus introductum fuiſſe, at poſt

cives commorentur s) vel etiam in aliquibus Capitulis, Eccleſiis, Col-

poſt illas Calendas eodem anno autoritate publica ſacra etiam Catholica ſive ex pacto, ſeu neceſſitate, ſeu alia de cauſa inſtituta: quid habendum? Ego ſane cenſeo, his ultimis locum non relinqui, ſed Civitatem reſtitui in ſtatum, quo præciſe Calendis Januariis dicto anno fuit. Nam ſi paulo poſt hæc dies in Capitulis, Eccleſiis, & cœnobiis Catholicis, ſtricte attenditur, in reſtitutione ſane ſtatus ipſius Civitatis tanto magis reſpicienda & pro formula jurium cuique parti competentium habenda erit. Præſertim cum mox, quando in Civitatibus mixtis fata ſacrorum diſponuntur, eadem ipſa dies ordinandis rebus omnibus velut amuſſis & regula adhibeatur.

r) *Aliqui Catholicæ religioni addicti Cives.*) Quid autem, ſi Cives illi, aut nonnulli ex iis pars ſint ipſius Senatus vel Magiſtratus publici? num ideo Civitas non mixta in mixtam degenerabit, quia regiminis & conſilii publici ſunt participes? Non arbitror, modo religio Catholica ex publico decreto non ſit inſtituta. Sola enim profeſſio religionis, prout ea ſingulis libra eſt, non facit mixturam, ſed eam ad rem auctoritate Senatus juſſuque populi eſt opus. Quin etſi major Senatus pars, diverſa ſacra à religione publice recepta, amplexus fuerit; Cives autem alterius religionis partes etiam ſuas & arbitrium de republica ſtatuendi habeant, abs quorum juſſu & voluntate nihil mutari in ſtatu Civitatis poſſit, quod ad rerum ſummam attinet, tamen ego ne hoc quidem caſu exiſtimaverim, conditionem Civitatis è non mixta mixtam fieri. Ad hoc enim ſola Magiſtratus autoritas non ſufficit, ubi ſuffragia Civium rebus decernendis firmandisque ultimam velut manum imponunt. Aliud eſſet, ſi juxta mores & Statuta Civitatis Senatus rempublicam ſummo cum imperio regeret; Cives numero ſubditorum eſſent, conſilii & adminiſtrationis rerum expertes. Hoc enim Statu Civitatis judicare facile eſt, partem illam Senatus Catholicæ religioni addictam ſibi non defore, quin jure majoris partis decretum fieri curet, pro publico ſaltem ſuæ etiam religionis exercitio, niſi forte Civium minis & metu ſeditionis eo in deſtinato usque ad annum 1624. impeditus fuerit. Ab hoc enim tempore Status religionis in Civitate manere debet, qualis proxime ante fuit, quamcunque etiam reipublicæ formam clavum ibi tenere fingamus.

s) *Commorentur.*) Si lubitum eſſet, in verbis ludere, hoc *commorari* ad peregrinos magis ſeu Incolas quadrare videtur, quam Cives, qui non tam commorari in Civitate, quam in Patria vivere videntur. Eſt enim commorari aliquo loco, cum ad tempus aliquod ibi verſamur, ut in alieno. Quo ſenſu Cicero dixit: *Fuitque mecum familiariter triduum illud, quo ego*

& ſingula ejus membra, b) una cum ſubditis c) & bonis ſuis feudalibus

men, weiln die Stände Augſpurgiſcher Confeſſion damahln zwar begehret; daß die Freye Ritterſchafft allermaſſen und Geſtalt, wie andere Stände dem Religions-Frieden einverleibt werden möchte, ſolches aber von Ihro Käyſerl. Majeſtät und den Catholiſchen nicht bewilliget werden wollen. Worauff dann dieſer Articul mit obgemeldter reſtriction verfaſſet worden. Welches alles, was von ermeldter Ritterſchafft dagegen vorgenommen, muß billig auffgehebt, und in vorigen Stand wieder geſetzet; Sie auch in den Schrancken des Religion-Friedens hinführo ſich zu halten, angewieſen werden. Sed inſtantibus Evangelicis, daß die unmittelbahre Reichs-Ritterſchafft von beyden Religionen, denen Ständen gleich gehalte, Ihnen ſambt u. Ihren gehuldigten Unterthanen und Hinterſaſſen gantz kein Eintrag geſchehen, ſondern dafern etwan einer beſchehen wäre, Sie dawieder reſtituirt werden, wie ingleichen in Ihren Adelichen Freyen Schlöſſern und Häuſern, ob Sie ſchon zu Dorff oder Stadt keine jurisdiction haben, doch privatim vor ſich und die Ihrigen an Ubung beyder Religionen und Adminiſtration der Sacramenten nicht gehindert werden ſollen: negavere denuo Plenipotentiarii Cæſaris in mediis Compoſitionis anno ſequente 1646. menſe Julio propoſitis ubi numero 14. hæc leguntur. Die Freye Reichs-Ritterſchafft bleibt billig bey demjenigen, was Ihrenthalben in dem Religions-Frieden verordnet: kan auch einige weitere Extenſion, ſo andern Obrigkeiten zu Städten und Landen an Ihrem jure reformandi oder ſonſt in andern Weg nachtheilig ſeyn möchte, nicht verſtattet werden: und hat dieſes Orts mit Ihrem Religions-Exercitio zu verbleiben, wie Sie anno 1624. in poſſeſſione vel quaſi geweſen. Denique cum Proteſtantes iterum in ultima declaratione, menſe Auguſto exhibita poſtulaſſent, daß die freye unmittelbahre Reichs-Ritterſchafft an Orten und Ende, da Sie reſpectu certorum bonorum keinem Stand, als Landſaſſen unterworffen gleich obberuhrten Chur-Fürſten und Ständen bey dem klaren illimitirten Verſtand und Inhalt des Religions-Friedens und dieſes Vergleichs für ſich und Ihre gehuldigte Unterthanen gelegen, und Ihnen darüber gantz kein Eintrag gethan, ſondern dafern einiger beſchehen, ſie dawieder reſtituiret werden ſolle. Tandem hæc controverſia ſic eſt compoſita, uti hoc §vo legitur, quo non tantum ipſis Nobilibus, ſed & ſubditis eorum ſatis proſpectum.

b) *Omniaque & ſingula ejus Membra.)* Nobilitas, quia eſt nomen Collectivum corporis ſeu Univerſitatis, ne calumniæ aut cavillis ſubjaceat, quaſi

ſingulis

Digitized by Google

bus & allodialibus, d) niſi forte in quibusdam locis ratione bonorum & reſpectu territorii vel domicilii aliis Statibus reperiantur ſubjecti, e) vigore pacis religioſæ & præſentis conventionis f) in juribus religionem

ſingulis datum non ſit, quod lex corpori vel Collegio conceſſit, ideoque ſingula etiam ejus membra nominare conſultum fuit. Sunt autem membra Nobilitatis proprie hic, qui poſſident immediata bona, in album cenſumque Nobilitatis relata, neque neceſſe eſt, ut ipſe etiam Nobilis, octo generationibus, quod ajunt, ſit probatus. Quæ enim jura ex hac ſanguinis prærogativa fluunt perſonalia ſunt, non realia. Adeoque nec poſſeſſores juvans, etſi dignitatem eis & honorem, imaginum ſerie concilient.

c) *Una cum ſubditis.*) Hos diſſertim nominare neceſſe fuit, quoniam Catholici negabant, jus reformandi religionem Ordini æqueſtri ex pace religioſa competere: cum hoc pax intuitu eorum perſonalis ſit, neque haud largiatur, quam libertatem conſcientiæ & religionis pro Nobilibus ipſis, eorumque familiis, ne in ea viſilis fieri poſſit. Uti ex declaratione Catholicorum ſupra allegata conſtat

d) *Et bonis ſuis Feudalibus & allodialibus.*) Quod ſi Nobilibus & ſubditis ſatis eſt proſpectum, de bonis ipſis, quæ nullius ſunt religionis, non videtur fuiſſe laborandum. Placuit tamen eorum etiam mentionem facere, quia Catholici inter Feudalia bona & allodialia, vel potius inter ſubditos, quia ad iſta vel hæc pertinent, quandam ſibi differentiam excogitaverant, vexandi Ordinis equeſtris cauſa, cujus plurima feuda Catholicos Status habebant Dominos Directos, qui eo nomine Vaſallis ſuis non modo creabant moleſtiam: Verum etiam ipſi in bonis id genus feudalibus ſibi arbitrium ſumebant, de religione ſubditorum ſtatuendi.

e) *Niſi forte in quibusdam locis ratione bonorum & reſpectu territorii vel domicilii aliis Statibus reperiantur ſubjecti.*) Ratio eſt, quia Nobiles, cum hoc reſpectu non ſint immediati, immediatorum juribus & prærogativis gaudere non poſſunt: Deſignantur autem hic tres ſubjectionis modi. Scilicet 1. ratione bonorum. 2. Reſpectu territorii. 3. Reſpectu Domicilii. Priores duo idem fere ſignificare exiſtimo, unde etiam loco non tam disjunguntur, quam conjunguntur, *ratione bonorum & reſpectu territorii.* Tertius autem, qui ad Domicilium pertinet, diverſus eſt. Nam ſi Nobilis immediatus in territorio diverſæ religionis habet domicilium, immedietas ejus perſonalis ipſi non ſufficit, ut ibi ſua ſacra publice habere poſſit, quando Territorii Dominus illi hujus exercitii gratiam noluerit facere.

f) *Vigore pacis religioſæ, & præſentis*

nem concernentibus g) & beneficiis inde promanantibus, h) idem jus habeant, i) quod ſupradictis Electoribus, Principibus & Statibus competit, nec in iis ſub quocunque prætextu impediantur, aut turbentur, k) turbati vero omnes omnino in integrum reſtituantur. l)

§. 29.

ſentis conventionis.) Ut ſupra diximus, diſputatū fuit, an Ordo Equeſtris per pacem religioſam eandem libertatem, eademq; beneficia circa religionē inſtituendā habeat, quæ Status Imperii habent? Negavere enim Catholici. Sed hoc loco pax religioſa contra eos declarata eſt. Additur, *vigore præſentis conventionis:* ut duo vincula fortius ligent. Quamvis igitur poſthæc forſan cavillari nonnulli atque dicere vellent, quia pax religioſa hoc non ſtatuit, errorem interpretationis ſeu declarationis veritati præjudicio eſſe non debere: reponi poterit, ſufficere, quod nunc vigore præſentis conventionis hoc ipſum Nobilibus immediatis ſit conceſſum.

g) *In juribus religionem concernentibus.*) Id eſt, in jure reformandi inſtituendique religionem, quod varia iterum jura complectitur, quæ ſummatim exhibuit pax religioſa. Scilicet, ut Catholici Proteſtantes Status, & Hi viciſſim iſtos ſine moleſtia ac turbatione, pacate vivere ſinant. Bey ſeinem Religions-Glauben, Kirchen-Gebräuchen, Ordnungen und Ceremonien, ſo ſie aufgerichtet, oder nachmahls aufrichten möchten.

h) *Et beneficiis inde promanantibus.*) Tam pro Nobilibus, quam ſubditis eorum. Unde ad hos, ſubditos, inquam, etiam pertinent, quæ infra §vo 31. omnium ſubditorum bono ad coërcendum juris reformandi ambitum placuere, ſemper & ubique obſervanda eo usque donec de religione Chriſtiana vel univerſaliter vel particulariter aliter erit conventum. Quam ob rem oppido hic errat Buckiſch, cum ad hunc §vum obſerv. 16. tradit, *Dominum directum aperto Feudo priſtinæ reaſſumendæ introducendæq; religionis jus ſemper integrum ſalvumq; retinere.* Sicuti enim ſtante Feudo à jure reformandi arcetur §vo 42. ubi expreſſe negatur, à ſola qualitate Feudali vel ſubfeudali jus reformandi dependere: ita aperto Feudo, atque Dominio utili cum directo conſolidato, ſubditi diverſæ religionis præſidium habent in §vo 31. contra ejusmodi reformationis impetiginem.

i) *Idem jus habeant.*) Hic quidem Termini reſtitutionis à quo, & anni decretorii non fit ſpecialis mentio. Dubitandum tamen non eſt, quin dictus annus ſubintelligendus ſit. Nam ſi Nobiles idem jus habent, quod Electoribus, Principibus & Statibus Imperii datum eſt à beneficiis, quæ toties repetitus annus 1624. tam Statibus, quam ſubditis largitur, excludi non debent.

k) *Nec in iis ſub quocunq; prætextu impediantur aut turbentur.*) Impediti

nimirum

§.29. XI. Liberæ Imperii Civitates a) prout omnes atque ſingulæ ſub apellatione Statuum Imperii b) non tantum in Pace Religionis & — Civitates Imperii Liberæ.

nimirum turbatiqi ſæpe antehac fuere à Catholicis, variis prætextibus. Hic itaqi edicitur, ne deinceps id ſub quocunque fiat.

l) *Turbati vero omnes omnino in integrum reſtituantur*) *Turbati* ſcilicet contra ſtatum anni 1624. *omnes*, ex Ordine equeſtri ſine diſcrimine, nobiles ſint an ſubditi eorum, *omnino*. i. e. ſine ulla exceptione, mora, tergiverſatione aut damno, *in integrum*, i. e. in priſtinum illum Statum quo dicto anno fuere, reſtituendi ſunt.

§. 29.

a) *Liberæ Imperii Civitates.*) Immediata Imperii Nobilitas, quamvis non ſit Status Imperii, quia jure ſuffragii in Comitiis caret, neque etiam jus territoriale habet, quod ſolis Statibus proprium, hic tamen antepónitur Civitatibus liberis, non omnino nullo iſtarum præjudicio, quas vel hoc ſolum, quod ſunt Status immediati, (quod nomen cum Electoribus atque Principibus commune habent), defendere debuiſſet, ne inter ſe & Status ſuperiores Ordo Equeſtris medium locum caperet. Neque enim prærogativa Nobilitatis, qua forte contra ſingulorum in Civitate libera conditionem pugnare poſſunt, univerſitati, quæ jura Status habet, & de Republica cum Cæſare & reliquis ſtatuendi facultatem cum voto deciſivo, præjudicium facit. Aut ſi illius prærogativæ utique habenda eſt ratio, longe conſultius foret, Ordini Equeſtri jus Statuum tandem conferri, quod à multo jam tempore magno ambitu petiere, dato ſuffragio in Principum Curia atque deſcriptis ſingulis corporibus, cenſu cujusque facultatibus digno, qua re controverſia illa cum Civitatibus liberis non modo conticeſceret ſtatim; Verum etiam reſpublica hunc ſibi Ordinem haberet magis obnoxium certitudine Cenſus, & parata in eos executione, qui debitum non ſolvunt. Qua in re Circulos non fore negligentes credibile eſt; Cum nunc ſi quid utique præſtant, aut in commune conferunt, id nec æſtimationem habeat ad ſuas facultates, nec proportionem ad aliorum Civium onera: nec denique in uſus publicos impendatur, cum magna pars involatu Harpyiarum inter numerandum plerumque pereat, ſive jam olim emendicata gratiis à Clero inſatiabili: ſive pro munere inter Patronos diſtributa, à quibus tuitionem ſui Ordinis redimere quaſi debent. Quorum nihil fieri poſſet, ſi ordo equeſtris in cenſum Imperii relatus cum reliquis Statibus in Circulo conferret ſuas partes.

b) *Prout omnes atque ſingulæ ſub appellatione Statuum Imperii.*) Excluduntur itaque illæ Civitates, quæ etſi pri-

præſenti ejuſdem declaratione, ſed & alias ubique indubitate c) continentur, ita & ex illarum numero eæ, in quibus d) unica tantum Religio e) Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto f) in uſu fuit, tam ratione juris reformandi g) quam aliorum caſuum Religionem

privilegiis & opibus hic proxime accedunt, non tamen ſunt Status Imperii, ſed Dominum Territorialem habent, & jure Municipalium cenſentur: Ad has enim Municipales non hæc lex pertinet, ſed alia, quæ paulo inferius §. 31. continetur.

c) *Non tantum in pace religionis, & præſenti ejusdem declaratione, ſed & alias ubique indubitate continentur.*) Dubitare quondam nonnulli viſi ſunt, an Civitates Imperii ſint Status. Dubitandi occaſionem dedit illa quæſtio: an habeant in Comitiis jus ſuffragii *deciſivi*, quod aliquibus negatum fuit, qui ad Conſultationem ſalte illas admittebant. Verum uti hæc quæſtio infra art. 8. §. 4. pro Civitatibus, earumque voto deciſivo terminata eſt, ita hic indubium eſſe dicitur, Has non tantum in pace religionis atque præſenti transactione; ſed & *alias ubique* Statuum appellatione contineri.

d) *Ita ex illarum numero eæ, in quibus.*) Dividitur hic paragraphus 29. in duas partes principiales. Prima agit de Civitatibus, in quibus unica tantum religio anno 1624 in uſu fuit. Altera de Civitatibus mixtis uti vocantur, quæ utrique religioni addictæ ſunt.

e) *Unica tantum religio.*) Unica tantum religio in ejusmodi Civitate, pura intelligitur in uſu eſſe, quando Magiſtratus & maxima Civium pars unius ſunt religionis, etſi ibi etiam aliqui alterius religionis Cives commorentur, vel in aliquibus Capitulis, Eccleſiis Collegiatis, Monaſteriis & Cœnobiis ibi ſitis exercitium vigeat, modo illud publica Magiſtratus loci autoritate ſumptibusque Civitatis non ſuſtentetur. Uno verbo: Religio alia in Civitate mixtam illam non facit, ſed diverſæ religiones ipſius Civitatis. Verbi gratia: Ratisbonæ Catholici liberrimum exercitium habent ſuæ religionis, idque publicum ex omni parte. Templa etiam quintuplo plura poſſident, quam Evangelici. Ad hæc Cives quidam, qui jure Civitatis gaudent, eidem religioni ſunt addicti. Quoniam vero illa Catholicæ religionis profeſſio publica ad Civitatem non pertinet, neque impenſis Civitatis aut ejus auſpiciis exercetur, ſed aliorum res eſt, qui partem Civitatis nullo modo conſtituunt, ideoque Ratisbona pro libera Imperii Civitate, ubi una tantum religio in uſu, recte habetur, ſi de effectibus jurium, ex noſtro paragrapho reſultantium, eſt quæſtio.

f) *Anno 1624.*) Adde etiam, die prima Januarii. Uti paulo poſt ſequitur.

g) *Tam ratione juris reformandi.*) De quo jure ſtatim §vo ſequenti plura habentur.

Digitized by Google

nem concernentium h) in territoriis ſuis i) reſpectu ſubditorum non minus

bentur. Habent igitur Civitates Imperii liberæ, jus reformandi, idem, cum reliquis Statibus Imperii ſuperioribus, ideoque mutare non ipſæ modo religionem poſſunt, verum etiam in Cives qua ſingulos jure reformandi utuntur, ſecundum ea, quæ de hoc jure, ejusque legitimo uſu generaliter diſpoſita & conventa ſunt. Enimvero cum non in omnibus liberis Imperii Civitatibus idem ſit Status ſeu forma reipublicæ, ſed aliæ imperio Ariſtocratico regantur, aliæ vero regimini Democratico ſint propiores; adhæc nonnullæ quibus Ariſtocratia placuit, ob Nobilium, ſeu Patriciorum potentiam, qui vim omnem Imperii ad ſe pertraxerunt, in Oligarchiæ ſpeciem degeneraſſe videantur, pro alio aliove ſingularum habitu, de jure etiam reformandi idem jus ſtatui nequit. Nam ubi populus regnat, ibi absq; totius Civitatis conſenſu mutatio religionis hoc cum effectu inſtitui non poteſt, ut alterius publicum vel privatum exercitium fas ſit introducere, quod anno 1624. illic exulaverat. In hoc enim regiminis genere, unanimum arbitrium de religione ſtatuendi penes multitudinem conſiſtit cujus ſuffragiis Senatus ad omnia publica negotia expediunda opus habet, quia ipſe eſt ſub populi Imperio velut alii Magiſtratus, ſine cujus autoritate & juſſu nihil recte eatenus rerũ gerit, quæ ad ſtatum publicum pertinent. Imprimis cum mutandum aliquid eſt, in quo omnium ſalus, totiusq; reipublicæ ſumma vertitur. Ubi vero Senatus ſupremum rerum arbitrium habet, Civibus obſequii gloria relinquitur, utcunque aliquando in Conſilium vocentur, ex inſtitutis Civitatis: ibi jus etiam reformandi in poteſtate Senatus non poteſt non collocari, ſive Patricii regnent, ſive ex optimis Civibus Lectu Senatus. Neque enim magis abſurdum eſt, ut populo competat legendi Senatus libertas. Summa vero rerum apud ipſum Senatum ſit: quam fieri poteſt, ut populo jus liberum ſit eligendi Regis. Rex ipſe vero ſic electus imperio abſoluto gaudeat. Quando ſcilicet Eligentes nullis illud vinculis conſtringunt, ſed Regi omnem in ſe & rempublicam permittunt poteſtatem. Interea illud tenendum, quicunque etiam fuerit Civitatis Status, Civibus ſingulis mutandæ religionis arbitrium haud magis adimi poſſe, quam aliis Statuum Subditis: modo hoc etiam notemus, illos, qui novam religionem ita amplexantur, cujus nec publicum nec privatum exercitium anno 1624. in Civitate habuerunt, ſi eos ferre poſthæc Civitas nolit, emigrandi beneficio contentos eſſe debere, nec ob jus Civitatis, quod habent, poſtulare poſſe, ut tolerentur. Nam hac parte Civitatibus idem in ſingulos ſuos cives jus eſt, quod reliquis Statibus in ſuos ſubditos.

h) *Quam aliorum caſuum religionem concernentium.*) Alii caſus religionem con-

minus ac intra muros & ſuburbia k) idem cum reliquis Statibus Imperii ſuperioribus l) jus habeant adeoque de iſtis generaliter diſpoſita & conventa, de his quoque dicta & intellecta ſunto, m) non attendendo,

concernentes varii eſſe poſſint. Veluti ſunt omnes illi actus juris Territorialis, qui magis ad religionem, quæ cuique Orthodoxa eſt, ornandam cuſtodiendamque tendunt, quam ad heterodoxam conſtringendam. Breviter, quicquid eſt poteſtatis territorialis, quod circa religionem verſatur neque tamen ſub appellatione juris reformandi commode venit, id omne hic ad alios caſus religionem concernentes pertinet. Procul dubio Paciſcentes planius apertiusque locuti fuiſſent, ſi pro verbo *caſuum* poluiſſent *actuum*; proprie enim non caſus ſunt, ſed actus, quibus poteſtas territorialis in omnibus jurium ſuorum ſpeciebus exercendis occupata eſt.

i) *In territoriis ſuis.*) Habent itaque Civitates Imperii liberæ etiam territoria, & per conſequens, jura territorii de quo nonnulli quondam dubitare viſi ſunt. Errori, ſi non calumniæ, anſam dedit antiqua illa formula, die Landes-Fürſtliche Hohe Obrigkeit, qua poteſtatem territorialem deſignabant. Sed uti ea tolerari poteſt, cum de Principibus eſt ſermo, ita quando Comitum Urbiumque ratio habetur, vocari hæc poteſtas ſolet die Landes-Hoheit vel Hohe Landes-Obrigkeit. Paulo generaliori nomine cum illud Landes-Fürſtliche à ſubjecto perſonali denominatum ſignificatum habeat aliquando arctiorem,

k) *Et reſpectu ſubditorum non minus quam intra muros & ſuburbia*) vel in Subditos non minus quam Civitates. Habent enim nonnullæ Civitates Imperiales etiam extra pomœria ſua agros & ditiones, nequaquam contemnendas. Uti Norberga, Ulma, Hamburgum, aliæ, quas emptione aliove titulo ſibi comparavere. Videtur itaque dubitatum olim fuiſſe, an in hæc etiam loca Civitatibus jus reformandi competat. Ratio dubitandi forſan erat, quod ſæpe ejusmodi terræ finitimorum Principum territoria contingunt, aut illis etiam comprehenduntur, ita ut ſint quidem in territorio, quamvis non ſint de territorio, ſeu territorii pars: unde facilis materies litis.

l) *Idem cum reliquis Statibus Imperii ſuperioribus.*) Verba *cum reliquis Statibus Imperii ſuperioribus* duplicem ſenſum habent. Vel enim vox *ſuperioribus* ad Ordinem refertur, vel ad dignitatem: quamquam autem parum interſit, utro accipias, vel utroque, poſterior tamen magis placet. Nam eadem fere ſignificatione formula illa intelligitur, die beyde Höhere Collegia: quod dignitatem atq; honorem præcipue reſpicit, & aliquid amplius dicit, quam ſolum Ordinem, cum etiam inter pares dignitate Ordo aliquis eſſe poſſit, & ſæpe debeat.

m) *Idem jus habeant, adeoq; de iſtis gene-*

dendo, quod in iis Civitatibus, n) in quibus præter Auguſtanæ Confeſſionis

generaliter diſpoſita & conventa, de his quoque dicta & intellecta ſunto.) Nam quæ ſpecialiter de Statibus ſuperioribus ex reſpectu perſonali vel aliis de cauſis hac pace ſancita ſunt, ad Civitates Imperiales merito non referuntur.

n) *Non attendendo, quod in Civitatibus.)* In conventu Deputationis Francofurtano acerrime diſputatum fuit, quæ ſint Civitates non mixtæ religionis & quæ ſint mixtæ? Quodſi de non mixtis prius recte conſtiterit, de mixtis judicium expeditius erit. Itaque de illis occaſione horum verborum primo loco agamus. Definiuntur hic Civitates non mixtæ religionis, *in quibus præter Auguſtanæ Confeſſionis exercitium nullum aliud à Magiſtratu & Civibus juxta morem & Statuta cujusq; loci anno 1624. introductum fuit non attento, quod in iis aliqui Catholicæ religioni addicti Cives commorentur, vel etiam in aliquibus Capitulis, Eccleſiis Collegiatis, & Cœnobiis, ibidem ſitis, Catholicæ religionis exercitium vigeat.* De Civitatibus Catholicæ religioni deditis idem erit judicium. Ex hac definitione ſive deſcriptione, nihil enim refert, conſtare puto, Civitatis non mixtæ naturam non alterari, ſi alterius etiam religionis exercitium ibi in uſu fuerit, modo non inſtituta ſit decreto publico Magiſtratus & Civium; quemadmodum ex adverſo ad mixtas Civitates illæ referendæ ſunt, in quibus utraque religio, & Evangelica & Catholica, à Magiſtratu & Civibus authoritate publica acceptata & ſtabilita eſt atq; ſub communi Civitatis protectione exercetur. De Civitatibus Auguſta Vindelicorum, Dünckelſpühla, Biberaco & Ravensburgo res per ipſum Inſtrumentum §vo 3. & ſeqq. transacta fuit. Sed de Hagenoâ in Alſatia & Kauffbaira in Suevia difficiliores lites exortæ. Integrum ſtatum controverſiæ cujusque Civitatis ad finem hujus paragraphi recenſebimus ex actis fide dignis. Nunc ſaltem quæ pro Civitatibus mixtis vel non mixtis agitata utrinque inter Deputatos fuerint, proferre animus eſt.

Itaque in caſu Hagenoënſi Catholici dicebant, Civitatem Hagenoam omni tempore pro pure Catholica habitam, regimenque ejus & jura in manu & poteſtate Magiſtratus Catholici fuiſſe: Quod ſi illic anno 1624. Cives quidam Auguſtanæ Confeſſioni addicti commorati fuerint, eos proprie ſtatum politicum & jura territorii non participaſſe, ſed conditione ſubditorum æſtimandos eſſe, qui Magiſtratui Catholico nullas præſcribere leges in negotio religionis potuerint. Ad hæc reſpondebant Evangelici, Hagenoam Civitatem procul omni dubio Civitatibus mixtis eſſe adnumerandam, cum anno 1624. utraque religio, & Evangelica & Pontificia ibi publice exercita fuerit, Civesque Auguſtanæ Confeſſionis & in Senatum lecti fuerint, & reliqua Civitatis munia aliquan-

Digitized by Google

ſionis exercitium nullum aliud a Magiſtratu & Civibus o) juxta morem & ſtatuta cujusque loci, p) Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto q) introductum fuit, aliqui Catholicæ Religioni addicti r) cives

quando etiam numero Catholicis ſuperiores obierint. Poſthæc ceptum eſt diſceptari, inter Deputatos de mixtæ Civitatis recta definitione. Proteſtantes eam ex hoc noſtro paragrapho ſic definiebant, Civitatem mixtam eſſe, ubi utraque religio conſenſu Magiſtratus & Civium eſt inſtituta & anno 1624. publice exercita. Atque hoc ipſum Hagenoæ factum probare liquido contendebant pacta illa & transactiones inter utramq; partem ſuper exercitio publico religionis Evangelicæ in annis 1564, 1578, & 1582 quin etiam anno 1624. initas, quibus tractandis perficiundisque Commiſſarii adeo Cæſarei auctoritatem ſuam eo tempore accommodarint. Itaq; cum his argumentis Catholici premi ſe animadverterent, aliud effugium non habuere, quam inane hoc & frigidum, ut dicerent, Hagenoæ Auguſtanæ Confesſionis addictos Cives pene omnes poſt annum 1624. mutaſſe religionem, & Catholicæ ex ſua animi ſententia acceſſiſſe. Quod quia ipſis facere licuerit, Statum Civitatis per id ipſum aliam plane formam induiſſe, ac proinde ceſſare nunc illam juris conſiderationem, quæ ex conditione Civitatis mixtæ momentum afferre potuiſſet. Hanc rationem recte frigidam & ineptam appello, cum quæſtio ſit de reſtituendo Civitatis ipſius Statu, qualis Calendis Januariis anno 1624. in ſacris & profanis fuiſſe compertus eſt. De Civium ſingulorum reſtitutione diverſum negotium, ubi vel Catholicis non monentibus etiam cœci vident, eos, qui libere religionem mutarunt, non poſſe quidem reſtitui in priſtinum ſtatum, ſi noluerint. At ſimul id etiam manifeſtum eſt, Horum Apoſtatarum inconſtantiam atque levitatem cœteris, imprimis vero exulibus, ſua in reſtitutione nec objici poſſe, nec fraudi eſſe debere.

o) *In quibus præter Aug. Confeſſ. exercitium nullum aliud à Magiſtratu & Civibus.*) Uti enim in Civitatibus liberis penes Magiſtratum & Cives jus Imperii eſt, ita etiam in eorundem poteſtate poſitum eſt arbitrium de religione ſtatuendi.

p) *Juxta morem & ſtatuta cujusq; loci.*) Nimirum prout in quavis Civitate vis Imperii ex forma & legibus cujusque loci in manu ſenatus eſt, vel populi univerſi ſuffragiis & juſſu in rebus gerendis eſt opus. Qua de re jam ſupra actum.

q) *Anno 1624.*) Non additur dies prima Januarii, credo tamen ſubintelligendam eſſe. Quid enim ſi conſtet, alicubi dicto quidem anno Calendis Januariis præter Auguſtanæ Confeſſionis exercitium nullum aliud a Magiſtratu & Civibus introductum fuiſſe, at poſt

Digitized by Google

cives commorentur s) vel etiam in aliquibus Capitulis, Eccleſiis, Col-

poſt illas Calendas eodem anno autoritate publica ſacra etiam Catholica ſive ex pacto, ſeu neceſſitate, ſeu alia de cauſa inſtituta: quid habendum? Ego ſane cenſeo, his ultimis locum non relinqui, ſed Civitatem reſtitui in ſtatum, quo præciſe Calendis Januariis dicto anno fuit. Nam ſi paulo poſt hæc dies in Capitulis, Eccleſiis, & cœnobiis Catholicis, ſtricte attenditur, in reſtitutione ſane ſtatus ipſius Civitatis tanto magis reſpicienda & pro formula jurium cuique parti competentium habenda erit. Præſertim cum mox, quando in Civitatibus mixtis fata ſacrorum diſponuntur, eadem ipſa dies ordinandis rebus omnibus velut amuſſis & regula adhibeatur.

r) *Aliqui Catholicæ religioni addicti Cives.*) Quid autem, ſi Cives illi, aut nonnulli ex iis pars ſint ipſius Senatus vel Magiſtratus publici? num ideo Civitas non mixta in mixtam degenerabit, quia regiminis & conſilii publici ſunt participes? Non arbitror, modo religio Catholica ex publico decreto non ſit inſtituta. Sola enim profeſſio religionis, prout ea ſingulis libra eſt, non facit mixturam, ſed eam ad rem auctoritate Senatus juſſuque populi eſt opus. Quin etſi major Senatus pars, diverſa ſacra à religione publice recepta, amplexus fuerit; Cives autem alterius religionis partes etiam ſuas & arbitrium de republica ſtatuendi habeant, abs quorum juſſu & voluntate nihil mutari in ſtatu Civitatis poſſit, quod ad rerum ſummam attinet, tamen ego ne hoc quidem caſu exiſtimaverim, conditionem Civitatis è non mixta mixtam fieri. Ad hoc enim ſola Magiſtratus autoritas non ſufficit, ubi ſuffragia Civium rebus decernendis firmandisque ultimam velut manum imponunt. Aliud eſſet, ſi juxta mores & Statuta Civitatis Senatus rempublicam ſummo cum imperio regeret; Cives numero ſubditorum eſſent, conſilii & adminiſtrationis rerum expertes. Hoc enim Statu Civitatis judicare facile eſt, partem illam Senatus Catholicæ religioni addictam ſibi non defore, quin jure majoris partis decretum fieri curet, pro publico ſaltem ſuæ etiam religionis exercitio, niſi forte Civium minis & metu ſeditionis eo in deſtinato usque ad annum 1624. impeditus fuerit. Ab hoc enim tempore Status religionis in Civitate manere debet, qualis proxime ante fuit, quamcunque etiam reipublicæ formam clavum ibi tenere fingamus.

s) *Commorentur.*) Si lubitum eſſet, in verbis ludere, hoc *commorari* ad peregrinos magis ſeu Incolas quadrare videtur, quam Cives, qui non tam commorari in Civitate, quam in Patria vivere videntur. Eſt enim commorari aliquo loco, cum ad tempus aliquod ibi verſamur, ut in alieno. Quo ſenſu Cicero dixit: *Fuitque mecum familiariter triduum illud, quo ego*

Collegiatis t) Monaſteriis & Cœnobiis ibidem ſitis, immediate vel mediate Imperio ſubjectis u) inque eo Statu, qui fuit die prima Januarii

Epheſi commoratus ſum. Sed in verbis ſimus faciles, modo in re conveniamus. Quoniam enim hoc loco *Cives* expreſſe nominantur: de inquilinis vero & advenis dubium eſſe nullum poteſt, quin eorum ratio non ſit habenda, itaque nihil eſt cur non de veris Civibus verba legis intelligamus.

t) *Vel etiam in aliquibus Capitulis, Eccleſiis Collegiatis* &c. &c.) ſenſus paulo difficilior ob poſitum verborum non ſatis aptum, atque propter periodi orationis longitudinem, hic eſt. Statui Civitatis non mixtæ fraudi aut præjudicio non eſſe, etiamſi ſint ibi Capitula quædam, Eccleſiæ, Monaſteria vel Cœnobia, ſive immediate, ſive mediate Imperio ſubjecta, in quibus anno 1624. prima die Januarii exercitium Catholicæ religionis viguit; quamquam enim illa in ſtatu, qualis dicto anno dieque fuit, relinquenda ſint, Civitatem tamen illam ideo non deſinere eſſe non mixtam. Interea Clerum alterius generis vel Ordinis introducere illic non licere, quem ibidem anno illo dieque non fuiſſe conſtat: neque etiam plures Catholicos Cives ferendos, quam tot numero, quot eodem tempore illic vixere. Alii cum religionem poſtea mutant, gaudeant ſaltem emigrationis beneficio, quoties eos pati in Civitate publico inconſultum viſum erit.

u) *Immediate vel mediate Imperio ſubjectis.*) Quæ Capitula, Monaſteria, & ſimilia, immediate Imperio ſunt ſubjecta, ea Civitati ſimul ſubjecta eſſe non poſſe manifeſta res eſt. Sed de mediate Imperio ſubjectis, qui ſcilicet medio alio Statu immediato ſub Imperatore & Imperio ſunt, anceps eſſe videtur, num intelligantur, quæ ipſi Civitati, ubi ſita ſunt ſubjiciuntur, an quæ aliis. Quamvis autem nihil forte abſonum ſit, ſi affirmemus, utroſque hic complecti. Nos tamen fere non dubitamus, quin lex intelligi non tam de illis velit, quam his poſterioribus. Verbi gratia: Eſt Noribergæ Ordinis Teutonici Domus, immediate huic Ordini, & deinde hoc mediante Imperio ſubjecta. Hæc niſi fallor, in Magiſtratus Norici poteſtate non eſt, neque ejus juriſdictioni paret. Idem de Domo Ordinis Teutonici habendum, quæ Ratisbonæ mœnibus quidem, ſed non Imperio includitur. Monaſteriorum, quæ ipſi Civitati, ubi domicilium habent, ſubjecta etiam ſunt, paulo alia eſt ratio. Quamquam enim Hæc etiam eo in ſtatu relinquenda ſint, quo anno & die fatali fuerunt, de cœtero tamen Civitati, ut Statui, in illa, ut ſubjecta, jus reformandi competit, quatenus eo nihil adverſum agitur legi, quæ nimiam reformationis licentiam art. 1. cohibuit. In aliis

Digitized by Google

nuarii Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto, x) dein eius quoque

aliis cum His, uti Subditis, territoriali ſuperioritate agere Civitas non prohibetur.

x) *Inque eo ſtatu, qui fuit die prima Januarii anni 1624.*) Sæpius hic, & alibi eſt diſputatum, an Status ſignificet nudam loci conditionem ſeu ſtatum, prout illo tempore de religione in omnibus circumſtantiis comparatum ibi fuit, ut nec plura petere fas ſit nec pauciora indulgere liceat, quam de facto ibi locorum tum in uſu fuiſſe conſtet? an vero, cum de ſtatu quæritur, id in quæſtionem veniat, in quarum rerum actuumve, vel jurium poſſeſſione & exercitio reali una alterave pars diverſarum religionum anno 1624. die 1. Januar. egiſſe comperta eſt? Hæc duo enim ſatis multum inter ſe differre, neque eundem in ſenſum ubique trahi poſſe, ſtatim poſt confectam Weſtphalicam pacem apparuit, quando Catholici hoc diſputandi artificio conati ſunt in multis à reſtitutionis neceſſitate ſe excuſare. Neque ſane nihil diſcriminis in re ipſa eſt; ſæpius enim accidere potuit, ut aliquo loco alia fuerit facies ſeu ſtatus loci ipſius, & alia facies ſeu ſtatus religionis ejusque exercitii. Quarum rerum differentiæ tum maxime animadvertuntur, quando controverſiæ *de poſitionibus negativis* agitantur. Id eſt, cum quæritur non tam de eo, quod unusquisque anno illo decretorio realiter poſſedit & exercuit quam de eo, quod à neutro illo tempore exercitum eſt. Tum enim ſtatim in diſcuſſionem venit, quid de ſtatu habendum? & num is, qui ſub id tempus facultatem gerendæ rei habuerat, in poſſeſſione & exercitio etiam fuiſſe exiſtimandus ſit, etſi neglexerit uti jure ſuo? Modo cum nemo tum uſu de facto prohibuit, aut conatibus contradixit, quibus modis poſſeſſiones turbari non eſt dubium. Vel an non potius eo loco omnia manere debeant ſimpliciter illo in ſtatu, quo conſtituta fuiſſe reperiuntur. adeo ut ſola omiſſio vel negligentia actibus etiam meræ facultatis præjudicio ſit, quamvis de nullius prohibitione vel contradictione conſtet. Exempli cauſa: Eſt in Civitate quadam pura, ſive non mixta, Monaſterium, ad alium Catholicum Statum ſpectans, quod ex inſtitutione primæva certo quidem & definito numero Monachorum vel Monialium conſtabat: Sed qui numerus an. 1624. completus non fuerat, quacunque de cauſa, modo nullum ejus rei impedimentum ex parte Civitatis intervenit, quominus compleri potuiſſet. Poſt illum annum vero Collegium redintegrari cœptum eſt, ſive ſtatim id factum, ſive poſt tempus aliquod, ſive deniq; poſt pacem initam. Quæritur itaque, an ex formula pacis numerus Monachorum, Monialiumve reducendus ſit ad eum modum, quantus fuit anno 1624? Eadem conſi-

conſideratio occurrit, cum circa ipſam libertatem ſacrorum nonnihil omiſſum aut neglectum eſt, quod mox correctum iterum vel bello adhuc durante, vel jam facta pace; an manere id poſſit, aut tolli debeat, tanquam termino fatali contrarium, ubi iterum præſupponitur, nullum dictum factumque Civitatis extare, per quod Monaſterio liberiori juris ſui uſui interdictum, ut ex eo aliqua prohibendi poſſeſſio allegari atque doceri poſſit. Nimirum fieri potuit, ut loco aliquo in Monaſterio, extra Civitatis mœnia ſito, anno 1624. Calendis Januariis forte metu vagantium militũ autPrædonum ſacra Catholica aut plane ſint intermiſſa, aut clauſis foribus celebrata; Vel ut proceſſiones intra muros Monaſterii ipſius fuerint inſtituta, quas alio tempore per ipſam Civitatem haberi moris erat, & quibus Civitas, quominus tum etiam ſic fierent, impedimento non fuit. Hoc caſu ajunt Catholici, ſibi ſtatum loci eo tempore plane accidentalem nocere non poſſe, ſed reſpiciendum ad id eſſe, quod unusquisque dicto anno dieque realiter poſſedit, etſi non per omnia exercuit, cum non per alium ſed ſe ipſum ſteterit, quominus exercuerit. Ex adverſo contendunt Evangelici, omnia eum in ſtatum præciſe reſtituenda eſſe, quo ſæpe dicto anno atq; die comperta ſunt fuiſſe. Videbimus argumenta cujusq; partis paulo infra plena manu expoſita, ubi de illis dubiis maxime agitatis caſibus Civitatum Hagenæ & Kauffbairæ agere conſtituimus. Quibus deinde etiam ſuo loco ſubjungemus caſum Hildeſienſem, cujus decidendi maximum iterum momentum hac in quæſtione, velut præjudiciali vertebatur. Sed quoniam hæc ipſa quæſtio una eſt ex quatuor illis dubiis, quæ Catholici ſuperioribus in Comitiis propoſuere, ut de illis ante omnia ſtatuatur, antequam pax Weſtphalica in negotio religionis in omnibus ſuis articulis executioni dari poſſit, ideoq; nos, conditionis noſtræ memores nullum nobis judicium arrogare volumus. Egere ſane Catholici ſæpe argumentis haudquaquam ſpernendis. Quibus etiam Proteſtantes aliquando uſos eſſe invenimus, cum id eis compendio fuit. quamvis noluerint ea patrocinari Catholicis in cauſis ſibi adverſis. Si mihi permiſſum eſt ſententiam meam hac ſuper re brevibus exponere, videtur aliquid intereſſe, num controvertentes in communione ſint ejus rei, quæ in controverſiam venit; an hoc reſpectu commune nihil habeant. Obſervamus enim omnibus fere pacis Weſtphalicæ locis quibus communis alicujus inter utriusque religionis conſortes habetur ratio, formulam reſtitutionis & futuræ obſervantiæ ex ſtatu ſeu conſtitutione ipſius loci proponi; cum in aliis ad cujusque poſſeſſionem, exercitium & uſum magis attendatur. Extant illuſtria & memoratu digna ejus rei exempla. Maximum, quod inſtar regulæ eſſe poſſit, habetur art. 5 § 33. verb. *in iis locis* &c. ubi hæc leguntur. *In iis locis, ubi Catholici & Augustanæ Confeſſionis Status ex æquo jure ſuperioritatis fruuntur,* *eam*

tam ratione publici exercitii, quam aliarum rerum religionem concernentium, idem ſtatus maneat, qui fuit anno dieque ſupra dictis. Hic nihil de *poſſeſſione, exercitio, uſu*, unius vel alterius partis; nihil de nudo facto poſſeſſionis, quæ vocabula iterum in alium ſenſum torqueri poſſunt. *Locorum* tantum fit mentio & *ſtatus religionis.* Quod de alio quam ſtatu naturali, & ſimplici habitu, qualis iis locis tum erat, vix intelligi poteſt. Prout hoc etiam in Conventu Francofurtano Deputati Evangelici interpretati ſunt. Nach dem bloſſen ſchlechten und euſerlichen Zuſtand jedes Orts. Equidem non ignoramus, quibus artibus hujus etiam loci perſpicuitatem eludere conati ſint Catholici. Sed profecto manifeſtis Cavillis, quibus vis legi omni ex parte fit. Similiter art. 5. §. 23. de mixtis Epiſcopatibus edicitur, ut in illis *exercitium religionis ita reſtituatur, & permaneat, ubi & quatenus id anno 1624. palam receptum permiſſumq; fuit.* Obſerva ſis, quæſo, hic, *UBI ET QUATENUS.* De quorum verborum vi, cum in ſuperioribus ad hunc locum jam aliqua dicta ſint, verboſi eſſe nolumus. Ex adverſo, quando lex agit de jure partium utriusque religionis extra reſpectum communionis, magis ex cujusq; poſſeſſione, quam ex ſtatu vel conditione loci de reſtitutione & futura obſervantia jus dicitur, quæ duo non ubiq; ſunt idem. Status enim loci, ſi idem manere debet, qui fuit, nullam admittit mutationem; At Status poſſeſſionis meæ relinqui mihi poteſt, etiamſi ſtatus loci in quibusdam mutet. Quando nimirum altera pars ex alio juris capite ſibi etiam quædam in loco illo ex pace deberi contendit Atque ex hac differentia Catholici Status, illud jus ſuum inſtituendi ſimultanei exſculpſere, quoties illud & quatenus ſine Proteſtantium, ſubditorum ſuorum, injuria & turbatione exercitii eorum fieri poſſit. Nam de his ſubditis infra §. 31. tantum dicitur, ut qui illorum ſive publicum ſive privatum ſuæ religionis exercitium anno 1624. habuere, id etiam in poſterum retineant; Eodem modo manere jubentur in poſſeſſione omnium dicto tempore *in poteſtate* eorundem conſtitutorum Templorum &c. Fac jam poſt pacem evenire, ut in quadam municipali Civitate, cujus Dominus Territorialis Catholicæ religioni eſt addictus, Templum vel Sacellum ſit, in poteſtate Proteſtantium anno 1624. non conſtitutum, ſed vetuſtate forte collapſum, aut alias neglectum, in quo Proteſtantes vel nunquam, vel ſaltem toto anno 1624. ſacra non fecerint, neque exercitium religionis ſuæ habuerint: Catholicis id ipſum eodem tempore ſic negligentibus, ut locus omni divino cultu ſub id tempus vacarit: quid juris, ſi nunc Dominus Territorii ad reſtituendum ſuæ religionis exercitium, quod anno 1624. ibidem exulaverat, hunc locum ſibi vindicare, & ad ſacrorũ uſum aptare velit? Negant quidem Proteſtantes, introduci exercitium Catholicæ religionis eo loco, eove in templo poſſe, quo illud anno 1624. non viguiſſe conſtat. Sed Catholici

que cum Clero intra prædictum terminum non introducto y) & Civibus

lici excipiunt, hoc injuria ipſis negari, neque fas eſſe, verbis & ſenſu § vi 31. eo uſque abuti. Neq; enim hac lege plus contineri, quam ut relinquatur ſubditis Proteſtantibus templa aliave loca, quæ dicto anno in poteſtate eorum ſunt conſtituta, in quibus illis exercitium ſuæ religionis liberum & imperturbatum, quale eodem tempore habuerunt, eſſe merito debeat. At cœtera ſane loca & ædificia publica, tam ſacra quam profana Domino Territorii propria eſſe, qui prohiberi non debeat, quo minus re ſua citra cujusq; noxam vel injuriam, pro lubito uti, atque adeo locum aliquem ab omni exercitio religionis Proteſtantium vacuum, neque alio eis quocunq; titulo quæſitum, uſibus ſuæ religionis jure reformandi, ſibi ante etiam confirmato, quam ſubditorum rebus proſpectum fuerit, accommodare poſſit. Nam hoc pacto hos, ſubditos inquam, nihil omnino habere, cur de jure ſuo læſo querantur, quando eis Dominus nec in exercitio religionis, nec in templis poſſeſſis moleſtiæ vel impedimento eſt. Atque ſane non ſine omni ratione hæc dici videntur, modo illud adhuc moneamus, ſubditos Dominum anno 1624. religionem ſuam illo loco introducere conantem non impediiſſe, neque obſtitiſſe, quo minus deſtinata exſequeretur. Nam ſi eum tum cœpto deſiſtere coë gerunt, quo jure, quave injuria, nihil intereſt, hoc ſane facto quæſiſſe ſibi videntur poſſeſſionem prohibendi, in qua ita tuendi poſthæc erunt, ut ſi poſtea Dominus durante adhuc bello tale quid invitis ſubditis tentarit, & perfecerit id ex formula pacis reſtituendum tollendumq; ſit. Sin vero poſt pacem hoc ipſum moliatur, perpetua ſubditorum obnunciatione propoſitum ejus ſiſti atque repelli poſſit. Subditi enim in prohibendi poſſeſſione defendendi ſunt. Id quod in Conventu Deputationis Francofurtano ab ipſis Catholicis agnitum eſt.

y) *Deinceps quoq; cum Clero, intra prædictum terminum non introducto.*) Clerus intra prædictum terminum non introductus eſt, qui in ante Calendas Januarias ibi locorum ſtabilimentum non habuit, ſed demum ex illa die uſque ad pacem concluſam Civitati vel obrepſit, vel eſt obtruſus. Itaque *intra prædictum terminum* eſt tempus, quod à Calendis Januariis incipit, & deſinit in pacem. Quicunque Ordines intra hoc ſpacium ſunt recepti, eos rurſus exulare Civitate oportet, quando hoc ipſa petierit. Scilicet *intra* eſt adverbium temporis, quod ſemper duos habet terminos, intra quos factum aliquid aut non factum eſſe oportet. Unus terminus eſt, *à quo*, ubi incipit tempus computari: & alter *ad quem*, quo deſinit: Ille deſignatur Calendis Januariis anni 1624. Hic quo ſcripta hæc atque conventa ſunt. Quamquam fatear, vocabulum *intra* menti

vibus Catholicis pro tempore ibi exiſtentibus z) tam active, quam paſſive

menti paciſcentium exprimendæ non ſatis commodam eſſe, & ſenſu apertiori dici potuiſſe, *prædicto termino jam tum introducto.* Ut ſic Clerus excludatur, qui poſt illum terminum, ſcilicet Calendas Januarias introductus demum fuit. Habet enim vox *intra* aliquam latitudinem, ut, ſi dicimus, intra viginti dies, totum illud tempus viginti dierum computandum venit: Sed noſter terminus una die incipit & finitur. Nam qui Clerus Calendis Januariis in illa Civitate non invenitur eſſe introductus, illum non juvat, etſi ante hæc tempora illic quondam fuerit, poſtea forte loco pulſus. Sed longe magis obſtabit ei, poſt Calandas illas eſſe introductum. Fortaſſis etiam non male fecerit, qui adverbium hoc, *intra*, non de tempore, ſed loco interpretatur: utrumque enim ſignificat. Uti cum dicimus, intra viceſimum Lapidem, ita Cicero. *Locus intra Oceanum jam nullus eſt.* Ut ſic Calendæ Januariæ ſint terminus, intra quem Clero ante illas non recepto nullus in Civitate locus eſſe poſſit. Quamquam fatear, ſenſum eundem fore. Omnis obſcuritas provenit à particula negativa NON. Nam plana & perſpicua forent omnia, ſi modo ſcriptum fuiſſet, *cum Clero, Calendis Januariis jam introducto.* Ut exciperetur ille, qui eo tempore nondum introductus fuit. Quicquid tandem ſit, obſervare hic licet terminum, quem pro Clero vel tolerando vel excludendo lex noſtra ponit, paulo diverſum eſſe ab eo, qui ſupra §. 26. placuit, cum de monaſteriis mixtis quæſtio eſſet. Ibi enim in ſubſtitutione ordinum Religioſorum prohibitum eſt ſubſtituere novos illos, ante diſſidia religionis in Germania exorta nondum cognitos. Hic ſufficit, ante Calendas Januarias, vel his ipſis introductos eſſe: quo pacto novi etiam Ordines ſub id tempus in Civitatibus recepti admittuntur. Quemadmodum ex adverſo hac noſtra lege Ordines antiqui excluſi videntur, quorum illo tempore nullus ſtatus in his locis fuit. Cum ſupra in mixtis Monaſteriis eo caſu, quando priſtinus Ordo plane interiit, electio libera eſt in ſubſtituendo alio, modo ante diſſidia religionis in Germania exorta eſſe ceperit, etſi illo loco adhæc usque tempora receptus non fuiſſet.

z) *Et Civibus Catholicis, pro tempore ibi exiſtentibus.*) Iterum hic paulo obſcurius eſt, quid ſit, *Civibus Catholicis pro tempore ibi exiſtentibus?* Dubitari ſcilicet poteſt, an id, *pro tempore*, etiam ad verbum, quod mox ſequitur, *relinquendis*, pertineat? Vel ſolummodo ad præcedens, *exiſtentibus?* poſteriori caſu ſenſus eſſet, Cives Catholicos, qui *pro tempore* ibi exiſtunt, *pro tempore* etiam ibi relinquendos eſſe. Quo pacto beneficium perſonale foret ſummum ad dies vitæ, decedentibusque illis, qui pro tempore exſtitere, in locum eorum neq;

 ſuc-

paſſive aa) omnino relinquendis, bb) Catholicæ Religionis exercitium vigeat.

ſucceſſores & hæredes: neque alios pari numero ſurrogare neceſſe foret. At ſenſu priori conſiderandum, annon lex velit continuari illos Cives Catholicos, eodem ſenſu, quo relinquuntur Monaſteria & Clerus? ſi Cavillis delectaremur, forſan non deeſſent ſpecioſa argumenta, quibus illa verba *pro tempore* de tolerantia temporali explicare liceret. Sed malumus aperta & bona fide agere; quamdiu enim Capitula, Eccleſiæ, Monaſteria & cœnobia in ejusmodi Civitatibus cum Clero & Civibus Catholicis ibi relinquenda ſunt, tamdiu etiam ſunt relinquendi ipſi Cives, quia his defunctis, ſi alios in locum eorum non pateremur ſurrogari nec illa amplius eo modo & formula relinquerentur, quo paciſcentes relinquenda voluere. Igitur id *pro tempore exiſtentibus* ad numerum Civium Catholicorum pertinet, ne cogatur Civitas plures tolerare quam pro tempore, id eſt, anno 1624 Calendis Januarii ibi vixere. Quod ſi autem poſthac alii his ſe adjunxerint, ſciendum eſt, illis in hac lege nullum præſidium eſſe ſed jubente Magiſtratu emigrare debere.

aa) *Tam active quam paſſive omnino relinquendis.*) Novum dubium: neque enim opinor omnes ſtatim intelligunt, quid ſit relinquere Monaſteria, & cætera, in ſuo ſtatu *active*? quid item *paſſive*? In genere dicere poſſumus active relinqui Monaſteria, Clerum, Cives, &c quando in eo, quod ipſis debetur, non impediuntur, ſive ex inſtitutis regulæ ſuæ jus agendi habeant, ſive ex Catholicæ religionis more, ſive denique ex obligatione cum Civitate aliisve contracta; econtra relinquuntur etiam *paſſive*, cum id præſtant faciuntque, quod ex pacto cum Civitate inito, vel ex conſuetudine aliove juris titulo præſtare & facere debent. Habent enim plerumq; Civitates cum Capitulis & Monaſteriis, atque Clero reliquo ſpecialia pacta vel conventiones, quibus utrique parti velut limes ponitur cujusq; imperii, jurisdictionis & libertatis. Igitur etiam quod ex his pactis debent Monaſteria, in ea obligatione *paſſive* dicuntur relinqui, quando patiendum habent, ut ab ipſis aliquid dari vel fieri petatur. Quatenus tamen id ſtatui pacis Weſtphalicæ non repugnat.

bb) *Omnino relinquendis.*) Hoc *omnino* ſignificat partim enixam ſeriamque paciſcentium voluntatem; partim vero abſolutam tolerantiæ neceſſitatem. Illud vero *relinquendis* indicat, non obligari Civitates, ut conſerventur apud ſe Monaſteria illa, Clerus, Cives in ſua religione, ſed ſaltem ut tolerentur. Cura de cujusque conſervatione apud unumquemque erit, Civitate de hoc officio ſecura. Itaq; ſi Civis Catholicus mutare religionem velit, id quidem integrum illi erit, ſed alia eſt quæſtio, num Civitatem oporteat ejus loco alium Civem religionis Catholicæ recipere. Quod mihi ſane non videtur, cum Civitas non

Digitized by Google

vigeat. Ante omnia vero illæ Civitates Imperiales, cc) quæ ſive uni, ſive utrique Religioni addictæ dd) & inter has poſteriores, cum primis

non teneatur præſtare numerum Catholicorum civium: ſed ſaltem relinquere. Quod ſi vero ipſi Cives Catholici ſe numero minuant, tranſitione ad ſacra Proteſtantium, nihil forte eſt, quod imputari publico poſſit, cur ſatisfactionem cuiquam præſtare debeat. Sed procul dubio diverſum eſt in Monaſteriis & Clero Catholico. Nam ſi ex Horum ordine vel numero deficiunt aliqui, cum eo ipſo ſtatu ſuo penitus excidant, & Clerus eſſe deſinant, impediendi Ordines. Capitula & reliqui, ad quos alias hæc cura pertinet, non ſunt, quo minus in locum vacuum alios vocent & ſubſtituant.

cc) *Ante omnia vero illæ Civitates Imperiales.*) Hæc verba, & quæ ſequuntur, etſi mixtas Civitates & non mixtas concernant, ad illas tamen præcipue pertinent. Igitur ſunt hic quædam utriſque communia: quædam vero mixtis propria. Communia ambobus hæc ſunt. 1. Reſtitutio in ſtatum tam in ſacris, quam profanis quo anno 1624. Calendis Januar. fuere. 2. Reſtitutio pleniſſima. 3. Eodem modo, ut reliqui Status ſuperiores; 4. reſtitutio earum Civitatum quæ ab anno 621. propter religionem vel bona Eccleſiaſtica, ante vel poſt tranſactionem Paſſavienſem, & ſecutam pacem religioſam occupata & reformata, vel alias intuitu religionis in politicis quocunque modo ſive extra ſive judicialiter aggravatæ ſunt. 5. Conſervatio earundem eodem in ſtatu, abſque ulteriori turbatione. 6. Si quæ tum temporis adhuc poſſederunt, aut interea poſſeſſionem nacti ſunt, ut in ea conſerventur uſque ad amicabilem religionum compoſitionem. Quæ mixtis Civitatibus propria ſunt, his capitibus comprehenduntur. 1. Neutri partium fas ſit, alteram de religionis ſuæ exercitio, Eccleſiæ ritibus & Ceremoniis deturbare. 2. Cives pacifice & comiter invicem cohabitent. 3. Liberum religionis ſuæ & bonorum uſum ultro citroque habeant. 4. Omnes exceptiones caſſentur. Et 5. quæ ratione Politicorum de quatuor Civitatibus mixtis §. 3 & ſeqq. diſpoſita ſunt, ſalva maneant. Sed opus eſt, ut pro more noſtro jam ſingula ſpecialius examinemus.

dd) *Quæ ſive uni, ſive utrique religioni addictæ.*) Ecce iterum hoc etiam loco Status in duas tantum, non tres religiones diviſos. Quod ubique obſervatur, quoties religio Evangelica contra Catholicam communem cauſam habet. Neque videas trium religionum unquam facile mentionem fieri, quam ubi certas ob cauſas Proteſtantium etiam partes nominari, atque adeo Reformatos a Lutheranis diſtingui oportet. Id quod denuo contra Novatores notandum eſt, qui nudius Tertius novam loquendi rationem ſtabilire conati ſunt.

Digitized by Google

mis Auguſta Vindelicorum, ee) itemque Dunckelſpühla, Biberacum, Ravens-

ee) *Et inter has poſteriores cumprimis Auguſta Vindelicorum.*) Hic quatuor illis Civitatibus, quarum cauſa in ſuperioribus art. 3. usque ad 12. multa conſtituta leguntur, additur quinta, ſcilicet Kauffbaira, de cujus ſtatu mixto etiam conſtabat. Igitnr verba, *inter has poſteriores* hoc volunt, inter has Civitates, quæ utrique religioni ſunt addictæ: i. e. inter Civitates mixtas, prout vulgariter appellantur. Sed hic quæritur, an præter quinque illas jam nominatas Civitates adhuc aliæ dentur in Imperio mixtæ? Id ſane ex hoc loco videtur; Nam quinque illæ *inter Civitates* mixtas recenſentur. Adeoque ſaltem partem earum faciunt. Sed cum cœterarum inimus cenſum, protinus ubique maximæ difficultates. Fere enim ſemper uſu venire ſolet, ut quo loco altera religio vel numero Civium, vel majore aut potiori parte Senatus ſuperior eſt, ibi alii Statum Civitatis ad mixtum trahant, alteri purum eſſe contendant. Id quod utraque pars cum manifeſta ratione commodorum ſuorũ agit. Nam ſi numero & auctoritate potiores propoſitum ſuum de Statu Civitatis non mixto obtinent, reliqui diverſæ religionis ſubditorum loco habentur. Sin vero Hi miſturam evincere poſſunt, neceſſe eſt, ipſos etiam participes fieri debere non honorum modo & munerum publicorum: ſed & ipſius adminiſtrationis & Senatus; quo pacto alia plane formula legis in negotio religionis utuntur. Hinc videas, graviſſimas ſtatim contentiones excitari, quoties in ejusmodi Civitatibus de ſtatu illarum mentio incidit eam ob cauſam, ut ſecundum illum ſtatum cuique parti jus dicatur aliis mixtum ſibi vindicantibus, aliis de miſtura negantibus. Meminimus id ipſum contigiſſe in cauſa Civitatis Hagenoenſis. Ibi ſacra Proteſtantium transactionibus publicis, a Cæſare etiam confirmatis ſtabilita erant, Civesque Evangelici non publicum modo illic habebant ſuæ religionis exercitium; verum etiam pars S. natus haud infima erant, omniaque, munera publica & Magiſtratuum obibant pari cum Catholicis jure. Hæc ſi miſturam non faciunt, fateor me ignorare, quid tandem ſit, quod eam facere poſſit. Atqui tamen in Conventu Deputationis Francofurtano Catholici manibus pedibusque alloboravere, ut Hagenoam ex albo Civitatum mixtarum delerent, & ad Catholicas puras referrent, Proteſtantium Civibus ſubditorum loco æſtimatis, quibus in negotio religionis jus dici debeat, non ex hoc noſtro §vo 29. ſed ex ſequenti 31, quos inter multum ſane in ſacris & profanis intereſt. Quamvis autem Deputati Proteſtantes nihil dubitabant, Catholicos hac quidem in cauſa maniſeſto cavillari; ipſis tamen aliquo modo etiam anceps & periculoſum viſum eſt, certam Civitatis mixtæ definitionem dare, quod Altenburgicus

eo

Ravenſburgum & Kauffbaira ff) ab Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto gg) propter Religionem, vel bona Eccleſiaſtica hh) ante, vel poſt Transactionem Paſſavienſem & inſecutam Pacem Religioſam ii) occupata & reformata kk) vel alias intuitu Religionis in Politicis ll) quocunque modo, ſive extra, ſive judicialiter mm) aggrava-

eo conſilio prudenter diſuaſerat, ne quod nunc commodo & in utilitatem Hagenoæ ſtatuere videamus, alia vice in Civitatis alius Evangelicæ injuriam damnumque torqueri poſſit, de quo forte jam non ſit cogitatum. Quamvis itaque certum ſit, dari Civitates alias mixtas; impeditiſſimi tamen negotii res erit, ſi ad ſingulos deſcendimus, & definire velimus, quænam illæ ſint? partium ſtudiis pro ſuæ utrinque religionis ſociis adeo ferventibus, ut vix unquam res exitum habitura ſit. Quare rectius feciſſent paciſcentes, ſi his quinque Civitatibus mixtis reliquas etiam quas eo numero haberi volebant, adjeciſſent, atque eas nominatim deſignaſſent, quod haud valde operoſum futurum fuerat, cum ex mea quidem ſententia paucæ admodum ſupererunt, in hanc claſſem collocandæ.

ff) *Kauffbaira.*) De cauſa hujus Civitatis per Deputatos quondam Francofurtanos examinata plura dicentur ſub finem hujus ſpeciminis.

gg) *Ab anno 1624.*) Hic etiam procul dubio addendæ ſunt Calendæ Januariæ, uti paucis lineis infra traditur.

hh) *Propter religionem vel bona Eccleſiaſtica.*) Nota tres cauſas reſtitutionis, ſi quis turbatus fuerit: ſcilicet 1. propter religionem; 2. Quoad bona Eccleſiaſtica, 3. In politicis, intuitu religionis.

ii) *Ante vel poſt Transactionem Paſſavienſem, & inſecutam pacem religioſam.*) Hæc itaque diſtinctio æque ſublata eſt intuitu Civitatum Imperialium quam reſpectu Monaſteriorum. De quibus videſis §. 25. ubi fere eadem verba.

kk) *Occupata & reformata.*) Pertinent hæc verba ad bona Eccleſiaſtica.

ll) *Vel alias intuitu religionis in politicis.*) Confer §. 2. hujus articuli V. ubi habetur, *intuitu eorum*, i. e. Eccleſiaſticorum. Unde apparet, verba intuitu religionis, & *intuitu Eccleſiaſticorum* in hoc argumento reſtitutionis ſenſu politico idem ſibi velle. Etſi alias religio ab Eccleſiaſticis differre poſſit.

mm) *Quocunque modo, ſive extra, ſive judicialiter.*) Termini *extrajudicialiter* & *judicialiter* hic latiſſime ſumuntur, ut omnes modos, quibus alicui inferri injuria damnumve poteſt, includant; etiam cum vi & autoritate propria id factum eſt. Alias in ſtrictiore ſignificatione extrajudicialiter id fieri dicitur, quod apud Magiſtratum quidem geritur, ſed extra formam Judicii. Quo pertinent inter alia actus voluntariæ jurisdictionis.

nn) *In*

Digitized by Google

gravatæ ſunt, in eum ſtatum, in quo Kalendis Januariis prædicti Anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi quarti nn) tam in ſacris, quam in profanis oo) fuerunt, non minus ac reliqui Status Imperii ſuperiores pp) ple-

nn) *In eum ſtatum, quo Calendis Januariis anno 1624.*) In Conventu Deputatorum Francofurtano, cum alias ſæpe, tum etiam in Cauſa Civitatis Hagenoæ multum diuque diſputatum fuit, quid proprie ſit ſtatus. Verb. gr. Dicta in Civitate anno 1624. dimidia fere Senatus pars Civibus Evangelicis conſtabat: ad omnia etiam publica munia iſti ſine diſcrimine eligebantur. Quæſitum igitur, an hæc externa loci conſtitutio pro Statu Civitatis ſit habenda? Proteſtantes affirmabant, dicebantque, nudum factum reſpiciendum eſſe prout ſe res illo tempore in Civitate habebant. Sed negabant Catholici, hunc ſenſum voce *Status* contineri, vel ei tribui poſſe cum juris ſit nomen vel ad minimum poſſeſſionis, quæ etſi facti ſit, in aliquo tamen juris exercitio conſiſtere debeat. Ita quidem Hagenoæ an. 1624. Senatum Civibus ex utraque religione compoſitum inveniri. Sed hoc ipſum electione libera factum. Statum itaque Civitatis hunc fuiſſe, ut libere eligi potuerint cives ex utraque religione. Hoc ut nunc etiam ſervetur juſtum eſſe, & legi congruere; at vero ut idem Catholicorum, idemque Proteſtantium numerus in Senatu, & Magiſtratibus ſervetur, qui ſæpe dicto anno & die fuerat, id eam ob cauſam iniquiſſimum fore, cum per id electionis libertatem tolli oporteat, in quam tamen lex Civitatem reſtitui velit. Ecce diverſas de *Statu* ſententias. De quibus paulo poſt plura.

oo) *Tam in ſacris quam profanis.*) In ſacris ſimpliciter; in profanis, ſi mutatio intuitu religionis facta. Non omne enim, quod in politicis a dicto anno & die mutatum eſt, ad hunc ſtatum exigitur, cum alias neceſſe foret, non modo contractus omnes actusque, quibus in humana ſocietate opus eſt, tolli, verum etiam vi & autoritate deſtitui, quæ Civitates poſthæc ex uſu rei publicæ, & pro temporum conditione edicunt, vel etiam circa ipſam adminiſtrationis formam ex communi conſenſu mutant.

pp) *Non minus ac reliqui Status Imperii ſuperiores.*) paulo ante dictum fuerat, *idem cum reliquis Statibus Imperii Superioribus jus habeant.* Quod hic iisdem fere verbis repetitur. Hæc comparatio & exæquatio Civitatum cum reliquis Statibus Imperii ſuperioribus, geminato paucis lineis facta meo judicio aliam ob cauſam non potuit placere, quam tollendo omni dubio, quaſi Civitates Imperiales in negotio religionis Statibus ſuperioribus non eſſent exæquata.

Digitized by Google

pleniſſime reponantur, qq) inque eo, abſque ulteriore turbatione, perinde atque illæ, rr) quæ tum temporis ss) adhuc poſſederunt, aut interea poſſeſſionem recuperarunt, tt) usque ad amicabilem Religionum compoſitionem uu) conſerventur. Neutrique partium alteram xx) de Religionis ſuo exercitio, Eccleſiæ ritibus & ceremoniis deturbare fas ſit, yy) ſed cives pacifice & comiter invicem cohabitent, zz) liberum·

qq) *Pleniſſime reponantur.*) Sic, ut nulla parte debitæ reſtitutioni aliquid deſit.

rr) *Inque eo abs ulteriori turbatione perinde atque illæ.*) Ubi duo genera ſunt eorum, qui beneficio pacis frui poſſunt, unum, qui poſſeſſionem anno 1624. habitam usque ad pacem retinuere, vel poſt dictum annum amiſſam, ante pacem tamen recuperavere. Et alterum, qui ab hoc anno poſtea poſſeſſione dejecti ſunt, ita de utrisque pro cujusque conditione ſtatutum eſt. Illi in poſſeſſione tempore factæ pacis habita conſervandi ſunt. Hi vero ante omnia pleniſſime reſtituendi: deinde vero ulterius non turbandi.

ss) *Quæ tum temporis.*) i, e. tempore concluſæ & publicatæ pacis. His enim quia reſtitutione non opus habent, ſaltem de futura turbatione cavendũ fuit.

tt) *Aut interea poſſeſſionem recuperarunt.*) Interea poſſeſſionem recuperaſſe is dicitur, qui poſt Calendas Januarias forte amiſſam quocunque tempore ante pacem initam recuperavit, atque in ea ſe conſervavit, cum pax fieret.

uu) *Usq; ad amicabilem religionum compoſitionem.*) Confer cum hac conditione, quæ §§vi 1. 14. 25. extant, & à nobis tum dicta ſunt.

xx) *Neutriq; partium alteram.*) Hic incipit conſtitutio, quæ ad mixtas Civitates ſolum pertinet. Quæ enim hactenus dicta fuere, ambobus conveniunt.

yy) *De religionis ſuæ exercitio, Eccleſiæ ritibus & Ceremoniis deturbare fas ſit*) Videntur Catholici hæc verba aliter intelligere, aliter Proteſtantes. Hi enim in ceremoniis etiam & ritibus atque exercitio religionis exigere omnia volunt ad ſtatum habitumque anni illius dieique fatalis, prout tum unoquoq; loco cum ſingulis re ipſa comparatum erat. Illi vero in ſuæ religionis exercitio, uti & in ritibus & Ceremoniis Eccleſiæ præſcribi ſibi quid ab altera parte, modumque dictari poſſe negant, modo per id Proteſtantibus nullum creetur præjudicium, nullumve onus aut moleſtia ad eos perveniat; Unde Superioribus Comitiis enata quæſtio de Civitatibus mixtis, & inter quatuor illa famigeratiſſima dubia relata, wo in einer Reichs-Stadt die gantze Gemeinde und Bürgerſchafft, den Magiſtrat mit eingeſchloſſen, getheilter Religion iſt, und jeder Theil einen öffentlichen Kirchgang und Ubung ſeiner Religion vor dem Jahr 1624. hergebracht, und deſſen zu dieſer Zeit in poſſeſſione vel quaſi geweſen iſt; ob in ſolchem Stand dem

dem einen oder andern Theil frey und unverwerth ſeyn ſolle, was zu Beziehung, Vermehrung und Erhaltung, Troſt, Wohlſtand und Nothdurfft ſeiner Religions Ubung dienlich ſeyn kan, es beſtehe nun ſolches in Auffrichtung neuer Stifftung, Kirchen, Schulen, Klöſter, Einführung oder Veränderung geiſtlicher Perſohnen, ohngeachtet dergleichen an. 1624. 1. *Jan.* nicht vorhanden geweſen, auf ſeinen eigenen Koſten, ohne Schmählerung des gemeinen Guths, einzuführen und vorzunehmen? Diſputata hæc res acerrime fuit in cauſa Civitatis Kauffbairæ, cum de recipiendis ibi Jeſuitis, qui demum poſt annum 1624. irrepſerant, Catholicorum potentia, Francofurti inter Deputatos ageretur. Certum eſt, ſi hic verbum *deturbare* ad ſtatum loci, prout in dicto anno dieque fuit, referas, Catholicis hac in lege nihil præſidii eſſe, imprimis cum ſupra intuitu Civitatum, quæ mixtæ *non* ſunt, Clero intra prædictum terminum non introducto locus eſſe poſſe negetur. Sed negant Catholici, Proteſtantes ſibi impedimento eſſe poſſe, quo minus exercitio ſuæ religionis ritibusque & ceremoniis libere utantur, quamvis hæc anno 1624. paulo aliter ſe habuerint. Neque admittunt conſequentiam argumenti à Civitatibus non mixtis ad mixtas, cum ibi Proteſtantes ſoli clavum reipublicæ & jus imperii in manu habeant, Catholicis numero ſubditorum æſtimatis. Hic vero illi ipſi Catholici partem reipub. conſtituant, & inter alia de jure etiam ſacrorum participent. Neque magis Proteſtantes profecere diſtinctione ſua inter omnimodam mutationem ſtatus anni vigeſimi quarti, quod receptione novorum Ordinum & exſtructione novorum Templorum atq; Monaſteriorum fieri putabant: & inter mutationem aliqualem in Eccleſiæ ritibus & Ceremoniis, cum ſcilicet Catholici Templa ſua novis altaribus, ſtatuis, aut picturis ornant, cum Monaſteria opimioribus proventibus de ſuo dotant, cum curam & diſpenſationem Eleemoſynarum ſuſcipiunt. Hæc & talia quidem Catholicis licere non abnuunt, ſed prohiberi eoſdem volunt ab omni novo opere aut facto, quod ipſum ſtatum Civitatis, qualis *anno* 1624. in Sacris erat, afficit atq; alterat, partemque adverſam metu quodam novitatis ſuſpenſam tenet. Catholici enim ex hac ipſa diſtinctione, qua quædam eis contra ſtatum concedebantur, compendium facere haud neglexere. De argumentis utriusq; partis judicabit æquus lector infra, ubi proponere ea bona fide decrevimus. Tractata hæc res etiam fuerat ante in Conventu Noribergenſi, anno 1650. & mirum profecto eſt, commentatorem Buckiſch in ſuis obſervationibus ad Inſtrumentum pacis poſt relatas Catholicorum atque Proteſtantium rationes concludere tandem cogente legis perſpicuitate auſum eſſe, *manere firmum, etiam in mixtis Urbibus, numero Miniſtrorum Eccleſiæ, ſeu Ordinum religioſorum anni 1624. plures alios niſi tranſactione vel mutua voluntate & conſenſu utriusq; partis addi*

non

Digitized by Google

liberumque Religionis ſuæ & bonorum uſum, ultro citroque habeant, aaa) ceſſatis rerum judicatarum & tranſactarum, litispendentiarum, aliisque §§. 2. & 9. enumeratis exceptionibus. bbb) Salvis tamen iis, quæ Politicorum ratione de Auguſta Vindelicorum, Dunckelſpühla, Biberaco & Ravenſpurgo ccc) dicto §. 2. diſpoſita ſunt. ddd)

non poſſe. Qua ſententia procul dubio Catholicus ipſe apud ſuæ religionis ſectatores non multum gratiæ inivit, quamquam liber iſte ex cenſura Patrum ſocietatis, atque ſecundum illam auctoritate Rectoris Academiæ Viennenſis imprimi juſſus ſit.

zz) *Sed Cives pacifice & comiter invicem cohabitent.*) Neceſſaria admonitio & ſalutaris. Cui ſi vis ſua conſtare debet, pellendi ſimul ſunt flabra illa odiorum & incentores, qui ſimultates ubique & diſcordias diſſeminant, clamoſis ſuis atque ſedoſis concionibus. Neque Proteſtantium rixoſis Declamatoribus parci velim. Imprmis autem apud Pontificios ab colluvie Monachorum cavendum eſt, qui non modo, ubi habitant, more cimicum ſimulata devotione civium ſanguinem exſugunt: Verum etiam ne gratis videantur impudenti mendacitate facultates credulorũ devorare, in eo ſe operæ pretium facere exiſtimant, ſi clamoribus & turbis implere omnia: imprimis vero ſecretis in confeſſionibus ſuorum animos ſtimulare ad iras & certamina plusquam gladiatoria poſſint. Quo Zelo male temperato, an potius inſania aut furore, invaleſcente fieri nequit, ut ad hujus legis præceptum inter cives concordia & Comitas ſervetur. Habemus hujus mali triſtia documenta, omnibus illis locis, ubi id genus Turbones imprimis tumultuantur, & conſcientias hominum ſuis mendaciis regunt. Et vel una Auguſta Vindelicorum de veritate querelarum noſtrarum teſtari poterit, qua in Civitate à pace Weſtphalica usque ad hæc tempora hac peſte inteſtina peſſime laboratum eſt.

aaa) *Liberumque religionis ſuæ & bonorum uſum ultro citroq; habeant.*) Liberum religionis uſum, quatenus paci Weſtphalicæ & termino reſtitutionis congruit: quod & de bonis Eccleſiaſticis intelligendum. Ratione vero aliorum bonorum, vel hæc ipſa pax, vel jura communia cujusque poſſeſsiones firmant.

bbb) *Ceſſatis rerum judicatarum & tranſactarum, litiſpendentiarum aliisq; §§. 2. & 9. enumeratis exceptionibus.*) Qui hic §§vi 2. & 9. allegantur juxta recentiorem paragraphorum diſpoſitionem ſint ſecundus & viceſimus quintus: in quibus iſtæ exceptiones enumerantur rejiciunturque.

ccc) *Salvis tamen iis, quæ Politicorum ratione de Auguſta Vindelicorum, Dunckelſpühla, Biberaco & Ravensburgo.*) Hac clauſula ſalvatoria ideo opus fuit, quia de his quatuor Civitatibus peculiariter quædam in politicis negotiis conventa, quæ cum uſu & obſervan-

 tia

Digitized by Google

tia anni 1624. non ubique ſatis conveniebant.

dd.l) *Dicto §. 2. diſpoſita ſunt.*) Diſpoſita hæc inveniuntur ſecundum recentiorem paragraphorum Ordinem in §§. 3. 4 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

Atq; hiſce abſolvere placet ſpecimen III. Meditationum noſtrarum. Antequam vero ad ſpecimen quartum accingamur, quod in argumento de Statuum jure reformandi, & ſubditorum religionis libertate, aliiſque ad negotium illud ſpectantibus cauſis occupabitur, promiſſorum memores ad enarrationem duorũ caſuum accedamus, qui in Conventu Deputatorum Francofurtano occaſione Civitatum Imperii mixtarum magno animorum æſtu, nec minoribus partium ſtudiis ventilati ſunt, ubi neutra ſane pars oblita eorum eſſe videtur, quæ cum oſtentandī ingenii, tum factionis ſuæ gratia pro cauſæ cujusque defenſione adferri potuere. Sunt vero duo illi caſus unus de Civitate Hagenoæ in Alſatia: alter de Civitate Kauffbaira in Suevia.

Quod itaque ad Hagenoam attinet, poſtquam inter Deputatos convenerat, ut abſoluto caſu Hildeſienſi, quo Cappucinorum reſtitutio tractabatur, alter ſtatim caſus de Civium Hagenoenſium, qui Evangelicæ religioni addicti fuere, reſtitutione in Eccleſiaſticis & politicis proponeretur, Deputati Proteſtantes ante omnia factu neceſſarium duxere, quo paratiores in publico eſſent, prævia quadam deliberatione præparare ſe, & apud ſe ſtatuere, quibus argumentis potiſſimum uterentur ad jus & æqum à Catholicis hac in cauſa impetrandum.

Erant autem Evangelicorum poſtulata tam Eccleſiaſtica quam Politica.

In Eccleſiaſticis petebatur 1. Templum Diſcalceatorum, die Barfüſſer Kirch cum cœmiterio. Excepto tamen Choro ſeu Odeo, à Monachis an. 1624. poſſeſſo. 2. Schola latina & Germanica. 3. Ædes quædam Paſtorum. 4. Salaria pro Miniſtris Eccleſiarum & Scholarum utque eam in rem vel certi reditus ſibi aſſignarentur, vel certa pecuniæ ſumma fœnori daretur.

In Politicis petebatur communio ſenatus, & publicorum munerum honorumque participatio, neve Proteſtantibus Civibus a Pontificiis moleſtia fiat, vel iis, qui migrare in Civitatem volunt, religionis cauſa jus Civitatis denegetur.

Circa reſtitutionem in Eccleſiaſticis facile conveniebat inter Proteſtantes Deputatos, Omnium enim una ſententia erat, hanc deberi ex hoc noſtro §vo cum Hagenoa indubie ſit Civitas Imperii mixta.

Ratione vero Politicorum id eos imprimis turbabat, quod mutatio Senatus & Magiſtratuum, quondam inter motus Germaniæ a Domo Auſtriaca facta, non tamen facta fuerit intuitu religionis, quia conſtabat, crimen rebellionis Civitati fuiſſe impactum, eoque nomine non Proteſtantes modo, ſed & Catholicos illo tempore ab officiis & muneribus remotos. Quam ob rem dubitabant, num etiam ſibi multum auxilio fuerint, quæ art. 5. §. 2. de reſtitutione

tione etiam in politicis decreta leguntur. Hinc in conventu quodam inter ſe uniendorum conſiliorum cauſa habito variæ ſententiæ pro hoc amoliendo dubio dictæ fuere. Inter alia quærebatur, annon Status anni 1618. aliquod momentum cauſæ poſſit adferre, hac fine, ut petere reſtitutionem in illum ſtatum liceat? id quidem Altenburgico viſum, etſi non ſine fluctuatione. Imprimis quod ad numerum civium reſtituendorum ex Senatorio Ordine attinet, quorum plerique interea mortui fuere, & ancipitis aleæ res habebatur, eundem numerum nunc poſtulare, quando ſuperiores hoc numero nulla lege vel conſtitutione Civitatis, ſed electione liberrima in Senatum cooptatos olim fuiſſe conſtet. Succus Pomeranus cenſebat, ab anno 1624. non eſſe recedendum, poſito, quod illo tempore Proteſtantes nonnulli Cives ex Ordine Senatorio fuerint. Neque ad numerum præciſe reſpiciendum, ſed petendam æqualitatem in Senatu, exemplo Civitatis Auguſtæ Vindelicorum, quæ non obſtantibus ſuis privilegiis coacta tandem fuit, ut Senatum ex pari utriusque religionis numero conſtitui pateretur. Contradicente Saxonico Electorali, qui exiſtimabat, Proteſtantibus in anno 1624. nullum præſidium fore, ſed omne fundamentum pro reſtitutione in annum 1618. collocandum eſſe, ex quo tempore deſtitutionem factam eſſe conſtet. Hac animorum conſiliorumque incertitudine tandem Proteſtantes pridie Cal. Mart. juxta Veteris Calendarii computum, cum Catholicis ad deliberandum ſuper hac cauſa Senatum ingreſſi ſunt. De qua cum Directores pro more retuliſſent, Catholici hunc in modum ex condicto ſententiam dixerunt.

1. Politica ab Eccleſiaſticis probe ſeparanda eſſe.

2. Quod igitur ad Politica attinet, probari non poſſe, Hagenoæ unquam Civibus Proteſtantibus poſt tempora diſſidiorum circa religionem, communionem Senatus & Magiſtratum debitam fuiſſe.

3. Multo minus exiſtere legem, vel ſtatutum, quo jubeantur Cives juxta Senatores & Magiſtratus Catholicos alios etiam ex Proteſtantiũ religione ſive pari, ſive impari numero legere. Itaque quod aliquando Proteſtantium honore factum, id liberrimæ fuiſſe electionis, quam civitas ab antiquisſimis temporibus, atque adeo ex privilegio quodam Wenceslai Cæſaris ſemper exercuerit.

4. Hagenoæ Cives Proteſtantes anno 1624. non fuiſſe in poſſeſſione communionis Senatus & Magiſtratuum hoc pacto, ut neceſſario eligi ex eorum numero quidam debuerint. Sed fuiſſe tantum in poſſeſſione aptitudinis ad eligendum, ut ſcilicet potuerint aſſumi per eos, quibus hoc negotium demandatum erat. Adeoque reſtitui non poſſe in plura, quam habuere illo tempore, & a quibus dejecti ſunt.

5. Ex adverſo autem Magiſtratum Civitatis defendendum etiam eſſe ſuis in juribus & privilegiis, in quæ cum utique

 tique

tique reſtitui oportuiſſet, ſi in iis fuiſſet turbatus.

6. Cum itaque Magiſtratus Civitatis Hagenoenſis Civibus Proteſtantibus nullam quæſtionem ſtatus de ineptitudine ad munia publica moveat, ſed tantum jure ſuo liberæ electionis uti velit, non intelligere ſe hercle, dicebant Deputati Catholici, quid ab eo amplius deſiderari poſſit.

7. Civitatem Hagenoam ab omni ævo habitam eſſe non mixtam Civitatem, ſed pure Catholicam: adeoque ad hunc caſum applicari non poſſe, quæ art. 5. §. 11. favore Civitatum mixtarum conſtituta reperiantur; Merito ergo ſtatum politicum in manu & poteſtate Magiſtratus Catholici manere, cujus judicio relinquendum ſit, quos in Senatum, legere, & muneribus publicis admovere: quos item in Cives vel inquilinos aſſumere velit.

8. Huc accedere, quod olim Senatores & Magiſtratus non ejecti ſint intuitu religionis, ſed ob crimen rebellionis, Archiduce Leopoldo utroſque, Catholicos ſcilicet & Proteſtantes, pari ſeveritate, plectente: omnes enim nullo religionis diſcrimine & motos Senatu: & quoad officia publica exauctoratos fuiſſe.

9. Quare deficiente conditione à paciſcentibus poſita, ſcilicet ut mutatio contigerit in politicis intuitu Eccleſiaſticorum, ſeu religionis, reſtitutionem dejectis ex capite gravaminum non deberi, etiamſi omnes adhuc in vivis eſſent.

10. Tanto minus eam poſtulari poſſe ab aliis, quibus nullum adhuc jus quæſitum fuerat, nullum præjudicium creatum, nulla injuria facta. Hoſce enim neque ex capite gravaminum, neque ex capite amneſtiæ actionem habere. Non illo modo, quia ipſis nocitum nihil ſit. Neque etiam hoc, quia Inſtrumentum pacis nullo loco id ſtatuat, qua urbe vel oppido nonnullæ perſonæ diverſæ à cæteris religionis forte Magiſtratu vel officiis quibusdam functæ fuerint, quos poſthæc mortuos eſſe conſtet, ut eorum vice alii ejusdem cultus, eorumdemque ſacrorum neceſſario ſurrogandi ſint. Cum amneſtia ex natura ſua ultra eos porrigi nequeat, quam qui nos offendere, vel ab his cauſam habent.

11. Quin id potius dictare rationem, cum defuncti Senatores & Magiſtratus partium, Proteſtantium Hagenoæ non aliter, quam liberis ſuffragiis eorum, ad quos jus legendi ſpectavit, in Senatum allecti muneribusque publicis honorati fuerint, alios, qui ſuccedere his exoptant, eosdemque honores ambiunt, eandem viam, ut Candidatos ingredi, atque eligentibus integram libertatem circa ſe relinquere oportere.

12. Denique non ſupereſſe amplius Hagenoæ cauſam reſtitutionis. Ab eo enim tempore, quo mutatio religionis contigit, omnes Cives Proteſtantes, tam Senatorii Ordinis, quam ex plebe, pauciſſimis exceptis, ad ſacra pontificia tranſiiſſe, atque eo ipſo præſentem ſtatum Civitatis approbaſſe. quo

Digitized by Google

Quo pacto certo ſit certius, omnem nunc quæſtionem de Civitatibus mixtis, & quæ illarum cauſa, ex inſtrumento pacis deduci ſolent, ceſſare. Neque enim magis Civitatem aliquam, quam reliquos Status, prohiberi poſſe, quo minus pro animi ſui ſententia libertate religionis fruatur, cum hæc ipſa optio infimo cuique integra eſſe debeat.

13. Quoad Eccleſiaſtica fateri quidem coacti ſunt Catholici, deberi Evangelicis ſecundum Weſtphalicæ pacis formulam reſtitutionem templi, unde dejecti fuere cum ſcholis & Salariis eo pertinentibus. Sed hujus reſtitutionis fundamentum poni nolebant in §. 29. ſed in ſequenti 31. *Hoc tamen non obſtante* &c. ex quo duas imprimis concluſiones deducebant: 1. Ne Hagenoam pro Civitate Imperii mixta viderentur agnoviſſe. 2. Ne in reſtitutione decernenda Status poſſeſſionis habitæ præciſe regendus ſit ad habitum loci, uti prima die Januarii fuit, ſed ut totus ille annus, vel quælibet ejus pars, quo non Evangelicos modo, ſed & Pontificios Templum illud ſcholasque, de quibus controvertebatur, alternatim poſſediſſe conſtabat, utrique lucro cederet. Id quod imprimis Catholicos juvabat, qui hac ratione Franciſcanos ſaltem cum Evangelicis in Templi illius communionem vocare poterant, cum Calendæ Januariæ totum, excepto tamen Odeo, His, Evangelicis inquam, alias addicerent. Unde dixere Catholici Deputati in votis ſuis. Ob gleich die Evangeliſche 1. Januar. anno 1624. bis auf den 24. Octobr. die Kirch bis auf den Chor inne gehabt, ſo ſey doch in dieſem Fall nicht ſo wohl ad primam Januar. als totum annum, & quamvis ejus partem zu ſehen, und dahero gedachte Kirch ex capite gravaminum beyden Theilen ſimultaneè juxta art. 5. §. 31. zu reſtituiren, als wohin ſo wohl die Catholiſche als Augſp. Confeſſ. verwandte Bürger tanquam Magiſtratus ſubditi, gehöreten

14. Sed ne hoc etiam beneficio legis Catholici paterentur Evangelicos Cives frui, aliam fraudem pararunt, adeo inopinatis Deputatis Proteſtantibus, ut de nulla re minus cogitarint, quam de captioſa ejusmodi interpretatione & calumnia. Scilicet negabant uno omnes ore deciſionem in hoc caſu ab Inſtrumento pacis Suecico peti poſſe. Ceſſam enim Gallis ab imperio Præfecturam Provincialem Alſatiæ hac lege eſſe, ut Rex Chriſtianiſſimus *ſit obligatus in omnibus & ſingulis locis Catholicam conſervare religionem quemadmodum ſub Auſtriacis Principibus conſervata fuit, omnesq́; quæ durante hoc bello novitates irrepſerunt, removere.* Hinc ajebant, ex hoc loco conſtare, quæſtionem de reſtitutione Evangelicorum Hagenoenſium decidi ex generali regula reſtituendorum non poſſe, ſed Inſtrumento pacis Gallico definiendam eſſe, ubi fundamentum conſervationis Catholicæ religionis poſitum eſſe reperiatur ſecundum illum ſtatum, quo ſub Auſtriacis Principibus conſervata fuit: ut proinde terminus generalis reſtitutionis à

quo

paſſive aa) omnino relinquendis, bb) Catholicæ Religionis exercitium vigeat.

ſucceſſores & hæredes: neque alios pari numero ſurrogare neceſſe foret. At ſenſu priori conſiderandum, annon lex velit continuari illos Cives Catholicos, eodem ſenſu, quo relinquuntur Monaſteria & Clerus? ſi Cavillis delectaremur, forſan non deeſſent ſpecioſa argumenta, quibus illa verba *pro tempore* de tolerantia temporali explicare liceret. Sed malumus aperta & bona fide agere; quamdiu enim Capitula, Eccleſiæ, Monaſteria & cœnobia in ejusmodi Civitatibus cum Clero & Civibus Catholicis ibi relinquenda ſunt, tamdiu etiam ſunt relinquendi ipſi Cives, quia his defunctis, ſi alios in locum eorum non pateremur ſurrogari nec illa amplius eo modo & formula relinquerentur, quo paciſcentes relinquenda voluere. Igitur id *pro tempore exiſtentibus* ad numerum Civium Catholicorum pertinet, ne cogatur Civitas plures tolerare quam pro tempore, id eſt, anno 1624 Calendis Januariis ibi vixere. Quodſi autem poſthac alii his ſe adjunxerint, ſciendum eſt, illis in hac lege nullum præſidium eſſe ſed jubente Magiſtratu emigrare debere.

aa) *Tam active quam paſſive omnino relinquendis.*) Novum dubium: neque enim opinor omnes ſtatim intelligunt, quid ſit relinquere Monaſteria, & cætera, in ſuo ſtatu *active?* quid item *paſſive?* In genere dicere poſſumus active relinqui Monaſteria, Clerum, Cives, &c quando in eo, quod ipſis debetur, non impediuntur, ſive ex inſtitutis regulæ ſuæ jus agendi habeant, ſive ex Catholicæ religionis more, ſive denique ex obligatione cum Civitate aliisve contracta; econtra relinquuntur etiam *paſſive*, cum id præſtant faciuntque, quod ex pacto cum Civitate inito, vel ex conſuetudine aliove juris titulo præſtare & facere debent. Habent enim plerumq; Civitates cum Capitulis & Monaſteriis, atque Clero reliquo ſpecialia pacta vel conventiones, quibus utrique parti velut limes ponitur cujusq; imperii, jurisdictionis & libertatis. Igitur etiam quod ex his pactis debent Monaſteria, in ea obligatione *paſſive* dicuntur relinqui, quando patiendum habent, ut ab ipſis aliquid dari vel fieri petatur. Quatenus tamen id ſtatui pacis Weſtphalicæ non repugnat.

bb) *Omnino relinquendis.*) Hoc *omnino* ſignificat partim enixam ſeriamque paciſcentium voluntatem: partim vero abſolutam tolerantiæ neceſſitatem. Illud vero *relinquendis* indicat, non obligari Civitates, ut conſerventur apud ſe Monaſteria illa, Clerus, Cives in ſua religione. Sed ſaltem ut tolerentur. Cura de cujusque conſervatione apud unumquemque erit, Civitate de hoc officio ſecura. Itaq; ſi Civis Catholicus mutare religionem velit, id quidem integrum illi erit, ſed alia eſt quæſtio, num Civitatem oporteat ejus loco alium Civem religionis Catholicæ recipere. Quod mihi ſane non videtur, cum Civitas non

Digitized by Google

vigeat. Ante omnia vero illæ Civitates Imperiales, cc) quæ ſive uni, ſive utrique Religioni addictæ dd) & inter has poſteriores, cum primis

non teneatur præſtare numerum Catholicorum civium: ſed ſaltem relinquere. Quod ſi vero ipſi Cives Catholici ſe numero minuant, tranſitione ad ſacra Proteſtantium, nihil forte eſt, quod imputari publico poſſit, cur ſatisfactionem cuiquam præſtare debeat. Sed procul dubio diverſum eſt in Monaſteriis & Clero Catholico. Nam ſi ex Horum ordine vel numero deficiunt aliqui, cum eo ipſo ſtatu ſuo penitus excidant, & Clerus eſſe deſinant, impediendi Ordines. Capitula & reliqui, ad quos alias hæc cura pertinet, non ſunt, quo minus in locum vacuum alios vocent & ſubſtituant.

cc) *Ante omnia vero illæ Civitates Imperiales.*) Hæc verba, & quæ ſequuntur, etſi mixtas Civitates & non mixtas concernant, ad illas tamen præcipue pertinent. Igitur ſunt hic quædam utriſque communia: quædam vero mixtis propria. Communia ambobus hæc ſunt. 1. Reſtitutio in ſtatum tam in ſacris, quam profanis quo anno 1624. Calendis Januar. fuere. 2. Reſtitutio pleniſſima. 3. Eodem modo, ut reliqui Status ſuperiores; 4. reſtitutio earum Civitatum quæ ab anno 621. propter religionem vel bona Eccleſiaſtica, ante vel poſt tranſactionem Paſſavienſem, & ſecutam pacem religioſam occupata & reformata, vel alias intuitu religionis in politicis quocunque modo ſive extra ſive judicialiter aggravata ſunt. 5. Conſervatio earundem eodem in ſtatu, abſque ulteriori turbatione. 6. Si quæ tum temporis adhuc poſſederunt, aut interea poſſeſſionem nacti ſunt, ut in ea conſerventur usque ad amicabilem religionum compoſitionem. Quæ mixtis Civitatibus propria ſunt, his capitibus comprehenduntur, 1. Neutri partium fas ſit, alteram de religionis ſuæ exercitio, Eccleſiæ ritibus & Ceremoniis deturbare, 2. Cives pacifice & comiter invicem cohabitent. 3. Liberum religionis ſuæ & bonorum uſum ultro citroque habeant. 4. Omnes exceptiones caſſentur. Et 5. quæ ratione Politicorum de quatuor Civitatibus mixtis §. 3 & ſeqq. diſpoſita ſunt, ſalva maneant. Sed opus eſt, ut pro more noſtro jam ſingula ſpecialius examinemus

dd) *Quæ ſive uni, ſive utrique religioni addictæ*) Ecce iterum hoc etiam loco Status in duas tantum, non tres religiones diviſos. Quod ubique obſervatur, quoties religio Evangelica contra Catholicam communem cauſam habet. Neque videas trium religionum unquam facile mentionem fieri, quam ubi certas ob cauſas Proteſtantium etiam partes nominari, atque adeo Reformatos a Lutheranis diſtingui oportet. Id quod denuo contra Novatores notandum eſt, qui nudius Tertius novam loquendi rationem ſtabilire conati ſunt,

 ee) *Et*

mis Auguſta Vindelicorum, ee) itemque Dunckelſpühla, Biberacum, Ravens-

ee) *Et inter has poſteriores cumprimis Auguſta Vindelicorum.*) Hic quatuor illis Civitatibus, quarum cauſa in ſuperioribus art. 3. usque ad 12. multa conſtituta leguntur, additur quinta, ſcilicet Kauffbaira, de cujus ſtatu mixto etiam conſtabat. Igitur verba, *inter has poſteriores* hoc volunt, inter has Civitates, quæ utrique religioni ſunt addictæ: i. e. inter Civitates mixtas, prout vulgariter appellantur. Sed hic quæritur, an præter quinque illas jam nominatas Civitates adhuc aliæ dentur in Imperio mixtæ? Id ſane ex hoc loco videtur; Nam quinque illæ *inter Civitates* mixtas recenſentur. Adeoque ſaltem partem earum faciunt. Sed cum cœterarum inimus cenſum, protinus ubique maximæ difficultates. Fere enim ſemper uſu venire ſolet, ut quo loco altera religio vel numero Civium, vel majore aut potiori parte Senatus ſuperior eſt, ibi alii Statum Civitatis ad mixtum trahant, alteri purum eſſe contendant. Id quod utraque pars cum manifeſta ratione commodorum ſuorũ agit. Nam ſi numero & auctoritate potiores propoſitum ſuum de Statu Civitatis non mixto obtinent, reliqui diverſæ religionis ſubditorum loco habentur. Sin vero Hi miſturam evincere poſſunt, neceſſe eſt, ipſos etiam participes fieri debere non honorum modo & munerum publicorum: ſed & ipſius adminiſtrationis & Senatus; quo pacto alia plane formula legis in negotio religionis utuntur. Hinc videas, graviſſimas ſtatim contentiones excitari, quoties in ejusmodi Civitatibus de ſtatu illarum mentio incidit eam ob cauſam, ut ſecundum illum ſtatum cuique parti jus dicatur aliis mixtum ſibi vindicantibus, aliis de miſtura negantibus. Meminimus id ipſum contigiſſe in cauſa Civitatis Hagenoenſis. Ibi ſacra Proteſtantium transactionibus publicis, a Cæſare etiam confirmatis ſtabilita erant, Civesque Evangelici non publicum modo illic habebant ſuæ religionis exercitium; verum etiam pars Senatus haud infima erant, omniaque, munera publica & Magiſtratuum obibant pari cum Catholicis jure. Hæc ſi miſturam non faciunt, fateor me ignorare, quid tandem ſit, quod eam facere poſſit. Atqui tamen in Conventu Deputationis Francofurtano Catholici manibus pedibusque alloboravere, ut Hagenoam ex albo Civitatum mixtarum delerent, & ad Catholicas puras referrent, Proteſtantium Civibus ſubditorum loco æſtimatis, quibus in negotio religionis jus dici debeat, non ex hoc noſtro §vo 29. ſed ex ſequenti 31, quos inter multum ſane in ſacris & profanis intereſt. Quamvis autem Deputati Proteſtantes nihil dubitabant, Catholicos hac quidem in cauſa manifeſto cavillari; ipſis tamen aliquo modo etiam anceps & periculoſum viſum eſt, certam Civitatis mixtæ definitionem dare, quod Altenburgicus

eo

Ravenſburgum & Kauffbaira ff) ab Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto gg) propter Religionem, vel bona Eccleſiaſtica hh) ante, vel poſt Transactionem Paſſavienſem & inſecutam Pacem Religioſam ii) occupata & reformata kk) vel alias intuitu Religionis in Politicis ll) quocunque modo, ſive extra, ſive judicialiter mm) aggrava-

eo conſilio prudenter diſuaſerat, ne quod nunc commodo & in utilitatem Hagenoæ ſtatuere videamus, alia vice in Civitatis alius Evangelicæ injuriam damnumque torqueri poſſit, de quo forte jam non ſit cogitatum. Quamvis itaque certum ſit, dari Civitates alias mixtas; impeditiſſimi tamen negotii res erit, ſi ad ſingulos deſcendimus, & definire velimus, quænam illæ ſint? partium ſtudiis pro ſuæ utrinque religionis ſociis adeo ferventibus, ut vix unquam res exitum habitura ſit. Quare rectius feciſſent paciſcentes, ſi his quinque Civitatibus mixtis reliquas etiam quas eo numero haberi volebant, adjeciſſent, atque eas nominatim deſignaſſent, quod haud valde operoſum futurum fuerat, cum ex mea quidem ſententia paucæ admodum ſupererunt, in hanc claſſem collocandæ.

ff) *Kauffbaira.*) De cauſa hujus Civitatis per Deputatos quondam Francofurtanos examinata plura dicentur ſub finem hujus ſpeciminis.

gg) *Ab anno 1624.*) Hic etiam procul dubio addendæ ſunt Calendæ Januariæ, uti paucis lineis infra traditur.

hh) *Propter religionem vel bona Eccleſiaſtica.*) Nota tres cauſas reſtitutionis, ſi quis turbatus fuerit: ſcilicet 1. propter religionem; 2. Quoad bona Eccleſiaſtica, 3. In politicis, intuitu religionis.

ii) *Ante vel poſt Transactionem Paſſavienſem, & inſecutam pacem religioſam.*) Hæc itaque diſtinctio æque ſublata eſt intuitu Civitatum Imperialium quam reſpectu Monaſteriorum. De quibus videſis §. 25. ubi fere eadem verba.

kk) *Occupata & reformata.*) Pertinent hæc verba ad bona Eccleſiaſtica.

ll) *Vel alias intuitu religionis in politicis.*) Confer §. 2. hujus articuli V. ubi habetur, *intuitu eorum*, i. e. Eccleſiaſticorum. Unde apparet, verba intuitu religionis, & *intuitu Eccleſiaſticorum* in hoc argumento reſtitutionis ſenſu politico idem ſibi velle. Etſi alias religio ab Eccleſiaſticis differre poſſit.

mm) *Quocunque modo, ſive extra ſive judicialiter.*) Termini *extrajudicialiter* & *judicialiter* hic latiſſime ſumuntur, ut omnes modos, quibus alicui inferri injuria damnumve poteſt, includant; etiam cum vi & autoritate propria id factum eſt. Alias in ſtrictiore ſignificatione extrajudicialiter id fieri dicitur, quod apud Magiſtratum quidem geritur, ſed extra formam Judicii. Quo pertinent inter alia actus voluntariæ juriſdictionis.

nn) *In*

Digitized by Google

pleniſſime reponantur, qq) inque eo, absque ulteriore turbatione, perinde atque illæ, rr) quæ tum temporis ss) adhuc poſſederunt, aut interea poſſeſſionem recuperarunt, tt) usque ad amicabilem Religionum compoſitionem uu) conſerventur. Neutrique partium alteram xx) de Religionis ſuo exercitio, Eccleſiæ ritibus & ceremoniis deturbare fas ſit, yy) ſed cives pacifice & comiter invicem cohabitent, zz) liberum·

qq) *Pleniſſime reponantur.*) Sic, ut nulla parte debitæ reſtitutioni aliquid deſit.

rr) *Inque eo abs ulteriori turbatione perinde atque illæ.*) Uti duo genera ſunt eorum, qui beneficio pacis frui poſſunt, unum, qui poſſeſſionem anno 1624. habitam usque ad pacem retinuere, vel poſt dictum annum amiſſam, ante pacem tamen recuperavere. Et alterum, qui ab hoc anno poſtea poſſeſſione dejecti ſunt, ita de utrisque pro cujusque conditione ſtatutum eſt. Illi in poſſeſſione tempore factæ pacis habita conſervandi ſunt. Hi vero ante omnia pleniſſime reſtituendi; deinde vero ulterius non turbandi.

ss) *Quæ tum temporis.*) i, e. tempore concluſæ & publicatæ pacis. His enim quia reſtitutione non opus habent, ſaltem de futura turbatione cavendū fuit.

tt) *Aut interea poſſeſſionem recuperarunt.*) Interea poſſeſſionem recuperaſſe is dicitur, qui poſt Calendas Januarias forte amiſſam quocunque tempore ante pacem initam recuperavit, atque in ea ſe conſervavit, cum pax fieret.

uu) *Usq; ad amicabilem religionum compoſitionem.*) Confer cum hac conditione, quæ §§vi 1. 14.25. extant, & a nobis tum dicta ſunt.

xx) *Neutriq; partium alteram.*) Hic incipit conſtitutio, quæ ad mixtas Civitates ſolum pertinet. Quæ enim hactenus dicta fuere, ambobus conveniunt.

yy) *De religionis ſuæ exercitio, Eccleſiæ ritibus & Ceremoniis deturbare fas ſit.*) Videntur Catholici hæc verba aliter intelligere, aliter Proteſtantes. Hi enim in ceremoniis etiam & ritibus atque exercitio religionis exigere omnia volunt ad ſtatum habitumque anni illius diei que fatalis, prout tum unoquoq; loco cum ſingulis re ipſa comparatum erat. Illi vero in ſuæ religionis exercitio, uti & in ritibus & Ceremoniis Eccleſiæ præſcribi ſibi quid ab altera parte, modumque dictari poſſe negant, modo per id Proteſtantibus nullum creetur præjudicium, nullumve onus aut moleſtia ad eos perveniat; Unde Superioribus Comitiis enata quæſtio de Civitatibus mixtis, & inter quatuor illa famigeratiſſima dubia relata, wo in einer Reichs-Stadt die gantze Gemeinde und Bürgerſchafft, den Magiſtrat mit eingeſchloſſen, getheilter Religion iſt, und jeder Theil einen öffentlichen Kirchgang und Ubung ſeiner Religion vor dem Jahr 1624. hergebracht, und deſſen zu dieſer Zeit in poſſeſſione vel quaſi geweſen iſt; ob in ſolchem Stand dem

Digitized by Google

dem einen oder andern Theil frey und unverwerth ſeyn ſolle, was zu Beziehrung, Vermehrung und Erhaltung, Troſt, Wohlſtand und Nothdurfft ſeiner Religions Ubung dienlich ſeyn kan, es beſtehe nun ſolches in Auffrichtung neuer Stifftung, Kirchen, Schulen, Klöſter, Einführung oder Veränderung geiſtlicher Perſohnen, ohngeachtet dergleichen an. 1624. 1. Jan. nicht verhanden geweſen, auf ſeinen eigenen Koſten, ohne Schmählerung des gemeinen Guths, einzuführen und vorzunehmen? Diſputata hæc res acerrime fuit in cauſa Civitatis Kauffbairæ, cum de recipiendis ibi Jeſuitis, qui demum poſt annum 1624. irrepſerant, Catholicorum potentia, Francofurti inter Deputatos ageretur. Certum eſt, ſi hic verbum *deturbare* ad ſtatum loci, prout in dicto anno dieque fuit, referas, Catholicis hac in lege nihil præſidii eſſe, imprimis cum ſupra intuitu Civitatum, quæ mixtæ non ſunt, Clero intra prædictum terminum non introducto locus eſſe poſſe negetur. Sed negant Catholici, Proteſtantes ſibi impedimento eſſe poſſe, quo minus exercitio ſuæ religionis ritibusque & ceremoniis libere utantur, quamvis hæc anno 1624. paulo aliter ſe habuerint. Neque admittunt conſequentiam argumenti à Civitatibus non mixtis ad mixtas, cum ibi Proteſtantes ſoli clavum reipublicæ & jus imperii in manu habeant, Catholicis numero ſubditorum æſtimatis. Hic vero illi ipſi Catholici partem reipub. conſtituant, & inter alia de jure etiam ſacrorum participent. Neque magis Proteſtantes profecere diſtinctione ſua inter omnimodam mutationem ſtatus anni vigeſimi quarti, quod receptione novorum Ordinum & exſtructione novorum Templorum atq; Monaſteriorum fieri putabant: & inter mutationem aliqualem in Eccleſiæ ritibus & Ceremoniis, cum ſcilicet Catholici Templa ſua novis altaribus, ſtatuis, aut picturis ornant, cum Monaſteria opimioribus proventibus de ſuo dotant, cum curam & diſpenſationem Eleemoſynarum ſuſcipiunt. Hæc & talia quidem Catholicis licere non abnuunt, ſed prohiberi eosdem volunt ab omni novo opere aut facto, quod ipſum ſtatum Civitatis, qualis anno 1624. in Sacris erat, afficit atq; alterat, partemque adverſam metu quodam novitatis ſuſpenſam tenet. Catholici enim ex hac ipſa diſtinctione, qua quædam eis contra ſtatum concedebantur, compendium facere haud neglexere. De argumentis utriusq; partis judicabit æquus lector infra, ubi proponere ea bona fide decrevimus. Tractata hæc res etiam fuerat ante in Conventu Noribergenſi, anno 1650. & mirum profecto eſt, commentatorem Buckiſch in ſuis obſervationibus ad Inſtrumentum pacis poſt relatas Catholicorum atque Proteſtantium rationes concludere tandem cogente legis perſpicuitate auſum eſſe, *manere firmum, etiam in mixtis Urbibus, numero Miniſtrorum Eccleſiæ, ſeu Ordinum religioſorum anni 1624. plures alios niſi transactione vel mutua voluntate & conſenſu utriusq; partis addi non*

liberumque Religionis ſuæ & bonorum uſum, ultro citroque habeant, aaa) ceſſatis rerum judicatarum & tranſactarum, litispendentiarum, aliisque §§. 2. & 9. enumeratis exceptionibus. bbb) Salvis tamen iis, quæ Politicorum ratione de Auguſta Vindelicorum, Dunckelſpühla, Biberaco & Ravenſpurgo ccc) dicto §. 2. diſpoſita ſunt. ddd)

non poſſe. Qua ſententia procul dubio Catholicus ipſe apud ſuæ religionis ſectatores non multum gratiæ inivit, quamquam liber iſte ex cenſura Patrum ſocietatis, atque ſecundum illam auctoritate Rectoris Academiæ Viennenſis imprimi juſſus ſit.

zz) *Sed Cives pacifice & comiter invicem cohabitent.*) Neceſſaria admonitio & ſalutaris. Cui ſi vis ſua conſtare debet, pellendi ſimul ſunt flabra illa odiorum & incentores, qui ſimultates ubique & diſcordias diſſeminant, clamoſis ſuis atque ſedoſis concionibus. Neque Proteſtantium rixoſis Declamatoribus parci velim. Imprmis autem apud Pontificios ab colluvie Monachorum cavendum eſt, qui non modo, ubi habitant, more cimicum ſimulata devotione civium ſanguinem exſugunt: Verum etiam ne gratis videantur impudenti mendacitate facultates credulorũ devorare, in eo ſe operæ pretium facere exiſtimant, ſi clamoribus & turbis implere omnia: imprimis vero ſecretis in confeſſionibus ſuorum animos ſtimulare ad iras & certamina plusquam gladiatoria poſſint. Quo Zelo male temperato, an potius inſania aut furore, invaleſcente fieri nequit, ut ad hujus legis præceptum inter cives concordia & Comitas ſervetur. Habemus hujus mali triſtia documenta, omnibus illis locis, ubi id genus Turbones imprimis tumultuantur, & conſcientias hominum ſuis mendaciis regunt. Et vel una Auguſta Vindelicorum de veritate querelarum noſtrarum teſtari poterit, qua in Civitate à pace Weſtphalica usque ad hæc tempora hac peſte inteſtina peſſime laboratum eſt.

aaa) *Liberumque religionis ſuæ & bonorum uſum ultro citroq; habeant.*) Liberum religionis uſum, quatenus paci Weſtphalicæ & termino reſtitutionis congruit: quod & de bonis Eccleſiaſticis intelligendum. Ratione vero aliorum bonorum, vel hæc ipſa pax, vel jura communia cujusque poſſeſſiones firmant.

bbb) *Ceſſatis rerum judicatarum & transactarum, litispendentiarum aliisq; §§. 2. & 9. enumeratis exceptionibus.*) Qui hic §§vi 2. & 9. allegantur juxta recentiorem paragraphorum diſpoſitionem ſint ſecundus & viceſimus quintus: in quibus iſtæ exceptiones enumerantur rejiciunturque.

ccc) *Salvis tamen iis, quæ Politicorum ratione de Auguſta Vindelicorum, Dunckelſpühla, Biberaco & Ravensburgo.*) Hac clauſula ſalvatoria ideo opus fuit, quia de his quatuor Civitatibus peculiariter quædam in politicis negotiis conventa, quæ cum uſu & obſervan-

tia anni 1624. non ubique ſatis conveniebant.

dd.l) *Dicto §.2. diſpoſita ſunt.*) Diſpoſita hæc inveniuntur ſecundum recentiorem paragraphorum Ordinem in §§. 3. 4 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

Atq; hiſce abſolvere placet ſpecimen III. Meditationum noſtrarum. Antequam vero ad ſpecimen quartum accingamur, quod in argumento de Statuum jure reformandi, & ſubditorum religionis libertate, aliisque ad negotium illud ſpectantibus cauſis occupabitur, promiſſorum memores ad enarrationem duorū caſuum accedamus, qui in Conventu Deputatorum Francofurtano occaſione Civitatum Imperii mixtarum magno animorum æſtu, nec minoribus partium ſtudiis ventilati ſunt, ubi neutra ſane pars oblita eorum eſſe videtur, quæ cum oſtentandi ingenii, tum factionis ſuæ gratia pro cauſæ cujusque defenſione adferri potuere. Sunt vero duo illi caſus unus de Civitate Hagenoæ in Alſatia: alter de Civitate Kauffbaira in Suevia.

Quod itaque ad Hagenoam attinet, poſtquam interDeputatos convenerat, ut abſoluto caſu Hildeſienſi, quo Cappucinorum reſtitutio tractabatur, alter ſtatim caſus de Civium Hagenoenſium, qui Evangelicæ religioni addicti fuere, reſtitutione in Eccleſiaſticis & politicis proponeretur, Deputati Proteſtantes ante omnia factu neceſſarium duxere, quo paratiores in publico eſſent, prævia quadam deliberatione præparare ſe, & apud ſe ſtatuere, quibus argumentis potiſſimum uterentur ad jus & æqum à Catholicis hac in cauſa impetrandum.

Erant autem Evangelicorum poſtulata tam Eccleſiaſtica quam Politica.

In Eccleſiaſticis petebatur 1. Templum Diſcalceatorum, die Barfüſſer Kirch cum cœmiterio. Excepto tamen Choro ſeu Odeo, à Monachis an. 1624. poſſeſſo. 2. Schola latina & Germanica. 3. Ædes quædam Paſtorum. 4. Salaria pro Miniſtris Eccleſiarum & Scholarum utque eam in rem vel certi reditus ſibi aſſignarentur, vel certa pecuniæ ſumma fœnori daretur.

In Politicis petebatur communio ſenatus, & publicorum munerum honorumque participatio, neve Proteſtantibus Civibus a Pontificiis moleſtia fiat, vel iis, qui migrare in Civitatem volunt, religionis cauſa jus Civitatis denegetur.

Circa reſtitutionem in Eccleſiaſticis facile conveniebat inter Proteſtantes Deputatos, Omnium enim una ſententia erat, hanc deberi ex hoc noſtro §vo cum Hagenoa indubie ſit Civitas Imperii mixta.

Ratione vero Politicorum id eos imprimis turbabat, quod mutatio Senatus & Magiſtratuum, quondam inter motus Germaniæ a Domo Auſtriaca facta, non tamen facta fuerit intuitu religionis, quia conſtabat, crimen rebellionis Civitati fuiſſe impactum, eoque nomine non Proteſtantes modo, ſed & Catholicos illo tempore ab officiis & muneribus remotos. Quam ob rem dubitabant, num etiam ſibi multum auxilio fuerint, quæ art. 5. §. 2. de reſtitutione

Digitized by Google

tione etiam in politicis decreta leguntur. Hinc in conventu quodam inter ſe uniendorum conſiliorum cauſa habito variæ ſententiæ pro hoc amoliendo dubio dictæ fuere. Inter alia quærebatur, annon Status anni 1618. aliquod momentum cauſæ poſſit adferre, hac fine, ut petere reſtitutionem in illum ſtatum liceat? id quidem Altenburgico viſum, etſi non ſine fluctuatione. Imprimis quod ad numerum civium reſtituendorum ex Senatorio Ordine attinet, quorum plerique interea mortui fuere, & ancipitis aleæ res habebatur, eundem numerum nunc poſtulare, quando ſuperiores hoc numero nulla lege vel conſtitutione Civitatis, ſed electione liberrima in Senatum cooptatos olim fuiſſe conſtet. Succus Pomeranus cenſebat, ab anno 1624. non eſſe recedendum, poſito, quod illo tempore Proteſtantes nonnulli Cives ex Ordine Senatorio fuerint. Neque ad numerum præciſe reſpiciendum, ſed petendam æqualitatem in Senatu, exemplo Civitatis Auguſtæ Vindelicorum, quæ non obſtantibus ſuis privilegiis coacta tandem fuit, ut Senatum ex pari utriusque religionis numero conſtitui pateretur. Contradicente Saxonico Electorali, qui exiſtimabat, Proteſtantibus in anno 1624. nullum præſidium fore, ſed omne fundamentum pro reſtitutione in annum 1618. collocandum eſſe, ex quo tempore deſtitutionem factam eſſe conſtet. Hac animorum conſiliorumque incertitudine tandem Proteſtantes pridie Cal. Mart. juxta Veteris Calendarii computum, cum Catholicis ad deliberandum ſuper hac cauſa Senatum ingreſſi ſunt. De qua cum Directores pro more retuliſſent, Catholici hunc in modum ex condicto ſententiam dixerunt.

1. Politica ab Eccleſiaſticis probe ſeparanda eſſe.

2. Quod igitur ad Politica attinet, probari non poſſe, Hagenoæ unquam Civibus Proteſtantibus poſt tempora diſſidiorum circa religionem, communionem Senatus & Magiſtratum debitam fuiſſe.

3. Multo minus exiſtere legem, vel ſtatutum, quo jubeantur Cives juxta Senatores & Magiſtratus Catholicos alios etiam ex Proteſtantiũ religione ſive pari, ſive impari numero legere. Itaque quod aliquando Proteſtantium honore factum, id liberrimæ fuiſſe electionis, quam civitas ab antiquisſimis temporibus, atque adeo ex privilegio quodam Wenceslai Cæſaris ſemper exercuerit.

4. Hagenoæ Cives Proteſtantes anno 1624. non fuiſſe in poſſeſſione communionis Senatus & Magiſtratuum hoc pacto, ut neceſſario eligi ex eorum numero quidam debuerint. Sed fuiſſe tantum in poſſeſſione aptitudinis ad eligendum, ut ſcilicet potuerint aſſumi per eos, quibus hoc negotium demandatum erat. Adeoque reſtitui non poſſe in plura, quam habuere illo tempore, & a quibus dejecti ſunt.

5. Ex adverſo autem Magiſtratum Civitatis defendendum etiam eſſe ſuis in juribus & privilegiis, in quæ cum utique

tique reſtitui oportuiſſet, ſi in iis fuiſſet turbatus.

6. Cum itaque Magiſtratus Civitatis Hagenoenſis Civibus Proteſtantibus nullam quæſtionem ſtatus de ineptitudine ad munia publica moveat, ſed tantum jure ſuo liberæ electionis uti velit, non intelligere ſe hercle, dicebant Deputati Catholici, quid ab eo amplius deſiderari poſſit.

7. Civitatem Hagenoam ab omni ævo habitam eſſe non mixtam Civitatem, ſed pure Catholicam: adeoque ad hunc caſum applicari non poſſe, quæ art. 5. §. 11. favore Civitatum mixtarum conſtituta reperiantur; Merito ergo ſtatum politicum in manu & poteſtate Magiſtratus Catholici manere, cujus judicio relinquendum ſit, quos in Senatum, legere, & muneribus publicis admovere: quos item in Cives vel inquilinos aſſumere velit.

8. Huc accedere, quod olim Senatores & Magiſtratus non ejecti ſint intuitu religionis, ſed ob crimen rebellionis, Archiduce Leopoldo utroſque, Catholicos ſcilicet & Proteſtantes, pari ſeveritate, plectente: omnes enim nullo religionis diſcrimine & motos Senatu: & quoad officia publica exauctoratos fuiſſe.

9. Quare deficiente conditione à paciſcentibus poſita, ſcilicet ut mutatio contigerit in politicis intuitu Eccleſiaſticorum, ſeu religionis, reſtitutionem dejectis ex capite gravaminum non deberi, etiamſi omnes adhuc in vivis eſſent.

10. Tanto minus eam poſtulari poſſe ab aliis, quibus nullum adhuc jus quæſitum fuerat, nullum præjudicium creatum, nulla injuria facta. Hoſce enim neque ex capite gravaminum, neque ex capite amneſtiæ actionem habere. Non illo modo, quia ipſis nocitum nihil ſit. Neque etiam hoc, quia Inſtrumentum pacis nullo loco id ſtatuat, qua urbe vel oppido nonnullæ perſonæ diverſæ à cæteris religionis forte Magiſtratu vel officiis quibusdam functæ fuerint, quos poſthæc mortuos eſſe conſtet, ut eorum vice alii ejusdem cultus, eorumdemque ſacrorum neceſſario ſurrogandi ſint. Cum amneſtia ex natura ſua ultra eos porrigi nequeat, quam qui nos offendere, vel ab his cauſam habent.

11. Quin id potius dictare rationem, cum defuncti Senatores & Magiſtratus partium, Proteſtantium Hagenoæ non aliter, quam liberis ſuffragiis eorum, ad quos jus legendi ſpectavit, in Senatum allecti muneribusque publicis honorati fuerint, alios, qui ſuccedere his exoptant, eosdemque honores ambiunt, eandem viam, ut Candidatos ingredi, atque eligentibus integram libertatem circa ſe relinquere oportere.

12. Denique non ſupereſſe amplius Hagenoæ cauſam reſtitutionis. Ab eo enim tempore, quo mutatio religionis contigit, omnes Cives Proteſtantes, tam Senatorii Ordinis, quam ex plebe, pauciſſimis exceptis, ad ſacra pontificia tranſiiſſe, atque eo ipſo præſentem ſtatum Civitatis approbaſſe. quo

Digitized by Google

Quo pacto certo ſit certius, omnem nunc quæſtionem de Civitatibus mixtis, & quæ illarum cauſa, ex inſtrumento pacis deduci ſolent, ceſſare. Neque enim magis Civitatem aliquam, quam reliquos Status, prohiberi poſſe, quo minus pro animi ſui ſententia libertate religionis fruatur, cum hæc ipſa optio infimo cuique integra eſſe debeat.

13. Quoad Eccleſiaſtica fateri quidem coacti ſunt Catholici, deberi Evangelicis ſecundum Weſtphalicæ pacis formulam reſtitutionem templi, unde dejecti fuere cum ſcholis & Salariis eo pertinentibus. Sed hujus reſtitutionis fundamentum poni nolebant in §. 29. ſed in ſequenti 31. *Hoc tamen non obſtante* &c. ex quo duas imprimis concluſiones deducebant: 1. Ne Hagenoam pro Civitate Imperii mixta viderentur agnoviſſe. 2. Ne in reſtitutione decernenda Status poſſeſſionis habitæ præciſe regendus ſit ad habitum loci, uti prima die Januarii fuit, ſed ut totus ille annus, vel quælibet ejus pars, quo non Evangelicos modo, ſed & Pontificios Templum illud ſcholasque, de quibus controvertebatur, alternatim poſſediſſe conſtabat, utrique lucro cederet. Id quod imprimis Catholicos juvabat, qui hac ratione Franciſcanos ſaltem cum Evangelicis in Templi illius communionem vocare poterant, cum Calendæ Januariæ totum, excepto tamen Odeo, His, Evangelicis inquam, alias addicerent. Unde dixere Catholici Deputati in votis ſuis. Ob gleich die Evangeliſche 1. Januar. anno 1624. bis auf den 24. Octobr. die Kirch bis auf den Chor inne gehabt, ſo ſey doch in dieſem Fall nicht ſo wohl ad primam Januar. als totum annum, & quamvis ejus partem zu ſehen, und dahero gedachte Kirch ex capite gravaminum beyden Theilen ſimultaneè juxta art. 5. §. 31. zu reſtituiren, als wohin ſo wohl die Catholiſche als Augſp. Confeſſ. verwandte Bürger tanquam Magiſtratus ſubditi, gehöreten.

14. Sed ne hoc etiam beneficio legis Catholici paterentur Evangelicos Cives frui, aliam fraudem pararunt, adeo inopinatis Deputatis Proteſtantibus, ut de nulla re minus cogitarint, quam de captioſa ejusmodi interpretatione & calumnia. Scilicet negabant uno omnes ore deciſionem in hoc caſu ab Inſtrumento pacis Suecico peti poſſe. Ceſſam enim Gallis ab imperio Præfecturam Provincialem Alſatiæ hac lege eſſe, ut Rex Chriſtianiſſimus *ſit obligatus in omnibus & ſingulis locis Catholicam conſervare religionem quemadmodum ſub Auſtriacis Principibus conſervata fuit, omnesq; quæ durante hoc bello novitates irrepſerunt, removere.* Hinc ajebant, ex hoc loco conſtare, quæſtionem de reſtitutione Evangelicorum Hagenoenſium decidi ex generali regula reſtituendorum non poſſe, ſed Inſtrumento pacis Gallico definiendam eſſe, ubi fundamentum conſervationis Catholicæ religionis poſitum eſſe reperiatur ſecundum illum ſtatum, quo ſub Auſtriacis Principibus conſervata fuit: ut proinde terminus generalis reſtitutionis à

quo

Digitized by Google

quo, Tabulis pacis Osnabrugenſibus deſignatus cauſæ non quadret. Eſſe enim hunc caſum exceptum à regula, & legi generali per hanc ſpecialem derogari. Quare penes Deputatos non ſtare, in præjudicium Coronæ Gallicæ diverſum ab hoc officio, Gallis ſemel impoſito, ſtatuere, aut de ſtatu religionis in Civitate conſervanda aliter decernere, cum ſemel placuerit religionem Catholicam ibi conſervandam eſſe, nulla facta mentione de reſtitutione ſacrorum Proteſtantium. Equidem Civitatem Hagenoam manſiſſe, atq; adhuc eſſe Civitatem Imperii liberam: at propterea neceſſario non ſequi, cum de reſtitutione Eccleſiaſticorum agitur, debere ipſam etiam & poſſe uti communi jure & conditione aliorum Statuum, cum certum ſit, ejus cauſa & nomine, ſpeciale quid hanc circa rem inter paciſcentes conveniſſe. Hæc Catholicorum Deputatorum ſententia fuit de hoc caſu, quibus Bavarus, ut erat Vir acer & impetuoſus, addebat, Gallos tanto magis inhærere huic contractæ obligationi pro conſervanda Hagenoæ Catholica religione poſſe & debere, quod ad obſervandas pacis cum Suecis initæ conditiones, quatenus illæ art. 5. cauſamq; reſtituendorum in ſacris & profanis concernunt, adſtricta haud quaquam ſit, neque Proteſtantibus fas eſſe, illos in demandata hâc curatione Catholicæ religionis impedire, nimium ſane abuſuris lege de reſtituendis lata, ſi omnia ſanare hac veluti panacæa vellent, quæ ipſis ægre faciunt. Es wolte faſt ein jeder ſeine alte verdorbene Schäden durch die im Inſtrumento pacis erfundene panacæam der reſtitution ex capite amneſtiæ & gravaminum heilen.

Enim vero alia omnia & diverſa Deputati Proteſtantes in Senatu diſſerebant, quos male admodum habuit hæc Catholicorum calliditas, ab omni bona fide tantopere aliena. Hinc protinus Saxo, cum vocatus ſententiam diceret, non oportere, ait, Deputatos occupari eo, quod aliorum forte intereſt, qui actioni huic nondum intervenere. Neque enim Deputatos officio Advocati pro Exteris fungi: ſed ad hoc unum delegatos eſſe, ut cauſis, quæ proponantur, Conſtitutionem Inſtrumenti pacis prudenter & ſine ullis partium ſtudiis applicent. Præterea, quod ad Gallos ipſos attinet, nihil profecto eſſe, de quo conquerantur. Placuiſſe enim pace, etiam Monaſterienſi, ſcriptumq; diſertis verbis legi §vo. *cum etiam ad majorem* &c. compoſitionem de controverſiis circa bona Eccleſiaſtica inter Cæſarem & Status Imperii initam *præſenti quoque Tractatu*, (i.e. inſtrumento pacis Cæſareo-Gallico) *firmari & ſtabiliri, eo plane modo, ac ſi de verbo ad verbum huic inſerta legeretur Inſtrumento.* Teneri itaq; etiam Gallos ſtare legibus de compoſitione Gravaminum Eccleſiaſticorum conventis, neque hanc obligationem tollere id, quod §vo alio *ſit tamen Rex obligatus.* de conſervatione religionis Catholicæ ſtatutum, cum reſtitutio Civium Proteſtantium Hagenoæ non impediat, quominus Rex Chriſtianiſſimus

Digitized by Google

mus religionem Catholicam in omnibus illis locis conſervare & protegere utique poſſit; cuique enim jus ſuum tribui oportere. Gallos in locum Auſtriacorum ſucceſſiſſe: at hos procul omni dubio conventione illa publica ſtare debuiſſe, quæ de reſtitutione gravatorum eſt prodita. Ergo nullam cauſam apparere, cur Galli ab hoc debito ſint abſolvendi. Adhæc in obſcuro non eſſe, cur iſte §*vus ſit tamen Rex obligatus*, Tabulis pacis Gallicæ inſertus fuerit. Scilicet Suecos, cum ſuſcepto bello usque in Alſatiam penetraſſent, ubique captis Urbibus religioni Proteſtantium liberaliter proſpexiſſe: id etiam Hagenoæ factum, non reſtituris modo Proteſtantibus Civibus, ſed & plurimis commodis atque prærogativis eisdem non ſine omni Catholicorum damno conceſſis. Enim vero cum hæc diu poſt annum demum 1624. contigerint, pace autem Weſtphalica deinde cautum ſit, ut hic annus pro termino reſtitutionis omnium in Eccleſiaſticis unice habeatur, idcirco Catholicis pro majori ſua ſecuritate viſum eſſe, cavere, ne ſuæ religioni fraudi & detrimento ſit, quod belli temporibus illis locis in Proteſtantium gratiam mutatum. Imprimis cum Gallis ibi jura quædam ſuprema cederentur, quos Auſtriaci zelo ſuæ religionis ſuſpectabant, ne ut captandæ Proteſtantium Statuum auræ tum cupidiores, tepidos ſe & paulo negligentiores exhiberent in procurandis Catholicorum commodis, itaque pacto ipſos aliquo ad id adigendos cenſuere, à quo eos invidia alias ex hoc pertimeſcenda deterrere potuiſſet. Interea, ne verba hujusce pacti aliquando contra mentem paciſcentium cum Proteſtantium injuria captarentur, expreſſe mentionem eſſe adjectam *durantis belli*. Quo bellum Germanicum Suecis inter & Auſtriacos in Germania geſtum toto Inſtrumento pacis ſignificetur. Priora enim tempora, quibus ab anno 1618. ad annum usq; trigeſimum tumultuatum eſt, motuum Bohemiæ Germaniæve nomine deſignari. Accedere & illud quod ſaltem *novitatum, quæ durante bello irrepſere*, meminerint paciſcentes. At quod nunc Proteſtantes Cives Hagenoæ repetant, pro novitatibus, quæ ſic irrepſere, æſtimari non poſſe, cum iſtis diu ante omnes motus Germanicos ex inſtituto Civitatis & antiquis conventionibus uſi fuerint. Denique verba illa, *quemadmodum ſub Auſtriacis Principibus conſervata fuit*, manifeſto præſcribere Gallis modum conſervandæ Catholicæ religionis. Auſtriacos enim usque ad Civile bellum religionem Catholicam ibi ſic conſervaſſe, ut ſacris Proteſtantium & quicquid illos horum reſpectu in Eccleſiaſticis atque politicis ex pacto & obſervantia habere æquum fuit, nullam moleſtiam crearint, utriusque religionis Civibus in quieta poſſeſſione ſuarum rerum relictis. Hoc nunc etiam à Gallis merito poſtulari, quos præterea hactenus nemo audiverit majorem ſibi poteſtatem arrogare voluiſſe, acturos itaque peſſima ſide Catholicos, ſi Gallos veluti Claſſico excitare ad ea vellent, à qui-

bus eos in hanc usque diem cum modeſtia propria, tum conventionis ipſius manifeſta ratio abſtinuerit.

Cum his rationibus & argumentis Deputati Proteſtantes præſentem cauſam à calumnia & impoſtura Catholicorum luculenter vindicaſſent, ſtatim rem ipſam ad præſcriptum Inſtrumenti pacis Suecici aggreſſi ſunt, in qua tractanda diſceptandaque hoc ordine uſos invenio.

1. Civitatem Hagenoam ſine ulla contradictione anno 1624. fuiſſe Civitatem Imperii ex utraque religione mixtam, ubi non modo Catholicæ & Evangelicæ religionis exercitium publicum certis in locis, nemine impediente aut prohibente viguerit, & quidem ex publico Civitatis inſtituto. Verum etiam ubi utraque pars æquo jure de Senatu aliisque Civitatis muneribus, officiis & juribus participarit.

2. Cives Proteſtantes Hagenoæ ante motus Civiles Catholicis Civibus aut numero ſuperiores, aut certe pares fuiſſe.

3. Exercitium publicum religionis Proteſtantium communi Magiſtratus Civiumque conſenſu introductum firmatumque eſſe, teſtantibus id clare pactis & tranſactionibus, Catholicos inter & Evangelicos, diverſis annis veluti, 1504 1578, 582, & adhuc 1624. ea ſuper re initis; atque à delegatis ab ipſo Cæſare Judicibus concordiæ cauſa approbatis confirmatisque.

4. Quod ad Eccleſiaſtica attinet, deciſionem hujus cauſæ non petendam eſſe ex art. 5. §. 31. Sed ex aliis Inſtrumenti pacis locis, ubi de Civitatibus mixtis agitur. Neque enim Proteſtantes Cives, Hagenoæ Catholicorum ſubditos mediatos fuiſſe, ſed una cum his conſtituiſſe ſtatum Civitatis, adeoq; conſiderandos ut partem ejus, quæ cum altera parte conjuncta efficiat ſtatum Imperii.

5. Hinc primo illis ex art. 5. §. 2. terminum generalem reſtitutionis prima die Januarii, anno 1624. deſignatum denegari non poſſe.

6. Sed præcipuum & principalem locum, quo Cives Proteſtantes juventur, inveniri, art. 5. §. 29. verb. *ante omnia.* Ubi reſtitutio præciſe Calendis illis Januariis definita & imperata, quo ſcrupulum illum ſimul tolli neceſſe ſit, qui ſuper poſſeſſione Templi diſcalceatorum, ab utraque parte aliqua anni 1624. parte habita injectus.

7 Illud etiam, quod art. 5. §. 31. de ſubditorum poſſeſſione quacunq; anni parte habita legitur, non ita eſſe intelligendũ; ut ſi quis alium aliqua anni 1624 parte poſſeſſione ſua dejecerit, ejusq; locum violenter occuparit, ille per id, quod rei poſſeſſionem nactus eſt, deinceps eam quoque retinere, & cum dejecto, quem reſtitui oportet, in communione rei manere poſſit. Sed legis hunc eſſe ſenſum ex mente paciſcentium, eum qui prior aliqua prædicti anni parte poſſeſſionem habuit, deinde vero dejectus turbatusque eſt, in integram ſolidamque poſſeſſionem reſtituendum, unde expulſus ab alio fuit. Hujus enim bono auxilioque unice ſancitum eſſe, quod de quacunque parte anni, quo facta dejectio,

ctio, lex ſtatuit. Qui aliter legem interpretentur, propediem ſenſuros, quam miris ſe difficultatibus involvant. Quando enim turbato reſtitutio plenaria, & ſine ulla exceptione decernitur & quidem eo modo, quatenus poſſedit, qua ratione alter turbans in communionem admitti poterit, ex quo conſtat, turbatum ante dejectionem rem in ſolidum & pro indiviſo poſſediſſe.

8 Longe magis frivolam eſſe objectionem de perſonis interea mortuis, quorum reſtitutio fieri non poſſit, cum rebus humanis ſint exempti. Neque enim fuiſſe hos ſolos, qui in poſſeſſione templorum, honorumque publicorum fuerint, ſed parti Proteſtantium in Civitate hæc jura fuiſſe debita, quæ nunc recte ſibi vindicent illi, qui ex corpore adhuc ſuperſunt, quocunque etiam numero ſint. Hos poſſeſſione expulſos cenſeri, ac proinde reſtitutionem in ſtatum priſtinum petere, cum à paucis etiam jura communitatis conſervari in confeſſo ſit. Confirmari hoc egregie reſtitutione aliarum Civitatum Imperialium, ubi non tam Individuorum ſuperſtitum habita fuerit ratio, quam ſtatus & juris, quo communitas tota olim gaviſa eſt. Quæ enim templa illo tempore in poteſtate habuere Proteſtantes, & quo numero Senatus pars fuere, vel publica Civitatis munia adminiſtrarunt, in hæc omnia illos reſtitutos fuiſſe, etſi priores illi, qui nunc vita defuncti ſint, initio liberis ſuffragiis ad honores illos dignitatesque pervenerint. Neque ſolam aptitudinem, ut eligi poſſint, adeptos, ſed re ipſa in deceſſorum ſuorum loca juraque reſtitutos, cum alias fruſtraneum & ludificabile futurum fuiſſet omne legis auxilium, Catholicis, qui numero jam longe ſuperiores ſint, nunquam permiſſuris, ut Proteſtantes in ſenatum & ad Magiſtratus adſumantur, utcunque aptiſſimos digniſſimosque finxeris. Idem prorſus probari exemplis Canonicorum in fundationes immediatas reſtituendorum, de quibus art. 5. §. 23. Ibi enim non reſtitui ſolum eos, qui adhuc in vivis ſunt: Sed quotquot Calendis Januariis fuerunt, tot alios ſurrogari, & ejusdem ſemper religionis in locum eorum, qui deceſſere, non obſtante, quot primi illi libera totius capituli electione dignitates Eccleſiaſticas ſint adepti: qui aliter ſentiunt, & non niſi ad ſuperſtites legis beneficium pertinere putant, reſtitutiones lege decretas pene omnes ludificare, reclamante manifeſto experientia, quæ nos docuit, quo pacto priores reſtitutiones factæ ſint, meliori adhuc fide ex recenti pace, cujus nunc pœnitentia duci illi videantur, qui callidis adeo inventis ſanctimoniam ejus & integritatem ſollicitant. Igitur ſummopere petere Proteſtantes, ut Catholici ſecum ſincerius deinceps agant, neque ludibriis & ſophiſmatibus, quorum ipſos merito pudere debeat, reſtitutiones impediant, quarum promovendarum cauſa negotium ſibi ab Imperio datum ſit. Ni fiat, nullo fructu hunc conventum agi, neque Deputatos diſſenſionibus ſuis & certaminibus per-

perpetuis aliud reportaturos, quam ut exteris deriſui, ſuis vero opprobrio & dedecori ſint futuri. Atqui hoc rerum ſtatu ſatius fore diſſolvi hæc comitia, & infecta re primo quoque tempore diſcedere, quam continuari actionem ſummo reipublicæ damno, neque ſine diſpendio & contemptu Delegantium, qui ſumptus in hoc negotium deſtinatos longe melius alios in uſus collocare poſſint.

Sed hæc tum jactata irritis querelis a Proteſtantibus nullo fructu fuere ob firmatis Catholicis, atque id unice agentibus, ut reſtitutionem Evangelicorum Hagenoæ quibuscunque prætextibus, utut frivolis & ineptis eludrent. Male iſta, uti par erat, habuere Evangelicos, jamque animorum ægritudo eo proceſſerat, ut V. Id. April 16 6. ſeparatim inter ſe Conſilia contulerint, num ſolvi conventum præſtet, quam cauſis pertractandis operam porro dare inani ſemper aut nullo exitu, quod fore prævideant. Palatino, ut Comitia protinus ſolvantur, multis rationibu ſuadente, a quo vero Saxo Electoralis & Altenburgicus diſſentiebant

Palatini argumenta erant,

1. Deputatis Proteſtantibus non oneri modo, ſed & probro fore, hunc agendi modum, quo Catholici fruſtrandi omnibus reſtitutionibus ſtudio & ex compacto quaſi utantur, diutius ferre.

2. Continuationem Comitiorum nec Statibus Evangelicis, neque gravatis ipſis ullum emolumentum vel ſolatium allaturam.

3. Tractationem caſus Hagenoenſis abunde docere Catholicos tergiverſationibus ſuis & ludificationibus hoc agere, ut nihil ſtatuatur.

4. Quin potius eo omnia eorum conſilia tendere, ut à ſcopo decernendarum reſtitutionum rem magis magisque abducant. Hoc vel ex eo perſpicuum eſſe, quod deſignationis ſeu Liſtæ Reſtituendorum penitus obliviſcantur & interea ejusmodi principia adoptent, quibus nudum factum poſſesſionis ad ſubtiles juris controverſias diverti poſſe confidunt.

5. Neque ſperandum eſſe, ut poſt hæc æquiora Conſilia capeſſant, aut meliori fide agant, poſtquam tot experimenta de pudore omni pridem decocto & obdurata conſcientia ſua dederint.

6. Denique appropinquare terminum Comitiis prorogatis præfixum, in quibus ex integro de his rebus referri oporteat. Eſſe autem contra Inſtituta Majorum, ſimul duobus locis Comitia univerſalia & Conventum Deputationis haberi.

At Saxo Electoralis atque Altenburgicus, ut ſupra dictum, prorogationem Conventus his commendabant rationibus.

1. Rem arduam & periculi plenam eſſe, id genus Conventus, quos Respublica firmandæ concordiæ & exequendæ pacis cauſa celebrandos decrevit & inſtituit, nullo fructu diſſolvere.

2. Imprimis vero gravatos Status hoc irrito exitu commotum, exacerbatumque

tumque iri, abjecta omni ſpe de levandis ſuis injuriis.

3. Evangelicos Status anno 1654. ante alios urſiſſe hunc Deputationis Conventum, itaque rem ſummæ invidiæ fore, ſi jam primi auctores abrumpendi ejus fuerint.

4. Neque etiam cauſas ſatis idoneas eſſe, cur diſcedere velint, objicientibus enim duritiem & obſtinationem Catholicorum in cauſa Hagenoenſi, hos confeſtim Hildeſienſem opponere, qua primo ſe à Proteſtantibus ludibrio habitos conquerantur.

5 Non invidioſum modo, ſed probroſum fore Evangelicis, tantum temporis hic conſumpſiſſe nullo facto operæ pretio, Catholicis eos velut capto naſo circumducentibus.

6 Dubitari non ſine ratione poſſe, an in Deputatorum poteſtate ſit, Conventum unanimi Statuum Imperii conſenſu decretum pro arbitrio abrumpere, antequam ea expediverint, quorum perficiendorum mandata habent.

7. Si hæc res in totius Conventus poteſtate non ſit, eam multo minus in manu unius partis fore.

8. Præterea verendum eſſe, ne poſt ſolutum Conventum Catholici omnia ubique pro lubitu agant, & reſtituendos perpetuo deludant.

9. Huic Conventui non ſolas reſtituendorum rationes mandatas eſſe, ſed negotium etiam datum, ut ſecuritati Reipublicæ proſpiciant, & ſevera cenſura in pravos mores animadvertant, quarum rerum hactenus nihil fuerit curatum.

10. Neque melius de Reſtituendorum cauſis ſperare licere, etſi Deputati patiantur hanc actionem a ſe avocari, & ad proxima Comitia trahi.

11. Hinc ſatius eſſe, terminum futuris Comitiis præfixum aliquantum adhuc prorogari, donec ipſi hic deliberationibus ſuis aliquod operæ pretium fecerint.

12. Terreri nos a propoſito exemplis merito deberi, quæ admoneant, quanto periculo & diſpendio Reipublicæ id genus Conventuum manente animorum ægritudine ſoluti fuerint. Cum nondum a memoria receſſerit, quos motus, quasve turbas ad 1608. & 1613. rupta tum Comitia mox dederint, non minimam ſane occaſionem calamitoſi illius triennalis belli, quod hæc certamina, initio plus, quam par erat, neglecta, ſecutum eſt.

13 Ne vero hoc iterum experiamur, tanto magis cavendum eſſe, quanto recentior adhuc pax eſt, animis nondum ſatis ſanatis ab injuriarum ſenſu. Quo igitur majus periculum, ne vix ſopita turbetur, eo diligentius vitandas omnes occaſiones eſſe, quibus ſtimulari inter ſe Cives ad exercendas veteres ſimultates poſſint.

Hæc argumenta tandem prævaluere callidis Palatini conſiliis, itaque cum in cauſa Hagenoenſi ob ſententiarum diverſitatem decerni nihil poſſet, paribus ab utraque parte ſuffragiis, ne nihil actum videretur; Catholici & Proteſtantes ſeparatim ſuas quisque rationes ſcripto collegêre, probaturi eas

Commiſſariis Cæſaris in Conventu præſentibus non meliori ſane expediundæ rei conſilio vel ratio ne: neq: enim Proteſtantes Judices eos pati volebant, neque ab eorum judicio ſtare. Sed pro informatione ſaltem & honoris cauſa iſta fiebant, ne omnino præteriti viderentur, quos Imperator Conventui veluti præſidere voluerat.

Poſthæc cauſa Civitatis Kauffbairæ non minori animorum motu agitata fuit, qui alter eſt caſus, cujus hiſtoriam & expoſitionem ab initio polliciti ſumus. Atq; hic repenſa vice Catholici, quorum res agebatur, propoſito ſuo fruſtrati deluſique ſunt, veluti utraq; pars ex Compoſito id agere decreviſſet, ut non tam æquitate & juſtitia, quam ſtudiis & affectibus inter ſe digladiarentur.

Status controverſiæ paucis hic fuit. Civitas Kauffbaira in ſuperiori Suevia haud longe à lacu acronio ſita anno 1624. erat quidem Civitas Imperii ex utraque religione mixta; ſed Proteſtantes illo anno tam in Senatu, & gerendis Magiſtratibus aliisque officiis publicis obeundis, quam in rebus Eccleſiaſticis inſignes habuere prærogativas. Ante omnia vero illud conſtabat, Patres ſocietatis illo tempore in urbe nullum locum aut ſtationem habuiſſe, cum tribus annis ſerius i. e. anno 1627. recepti demum fuerint. Igitur confecta pace Weſtphalica Directores Circuli accepto à Cæſare de pace exequenda mandato, ſicuti ubique per Sueviam miſſis Delegatis omnia ad formulam pacis, tam in Eccleſiaſticis quam politicis, in ſtatum Conventum reſtituebant. Ita etiam in Civitate Kauffbaira, ubi ab anno 1624. aliqua interea mutata fuere, auctoritate Commiſſariorum redacta omnia in debitum juſtumque fuere, non modo ſenatu ad eum numerum ex utraque religione redintegrato, quem anno 1624. fuiſſe certum erat: ſed & honoribus muniisque publicis eodem pacto diſtributis. Imprimis vero de religionis cujusque partis exercitio, & quæ eo pertinent, haud poſtrema cura fuit. Inter alia Jeſuitis migratio indicta, pulſique urbe inviti etiam & reluctantes, quos demum poſt annum vigeſimum quartum admiſſos in Civitatem inter omnes conſtabat. Quorum vices, ut omnia in ſtatum debitum redigerentur, obire juſſi ſunt Catholici ſacerdotes ex eo Ordine, qui ſacra civitatis ante Jeſuitarum adventum curabant. Sed haud diu res quietæ ibidem manſere, Jeſuitis clamoribus ſuis & quæſtibus de facta ſibi injuria omnia replentibus. Neque hominum iſtorum vota deſtituit Imperator Ferdinandus, datis ad Civitatem mandatis, ne revertentibus Patribus impedimento ſit. Simulque Bavaro compellato, cui negotium datur, ut reduci Patres primo quoque tempore curaret: qui clandeſtino & indigno prorſus tali Executore modo id præſtitit. Ita Jeſuitæ non ſine Directorum Circuli Suevici ſugillatione & contumelia rediere: maximo ſane totius rei Evangelicæ præjudicio cum Proteſtantes non poterat non male habere, executiones in Circulis factas, ſi quid Catholicis in iis diſplicuerit, contraria Cæſaris autoritate reſcindi, & rem committi,

mitti Executoribus alieni Circoli. Quamobrem hoc in caſu Francofurti apud Deputatos duplex quaſi judicium fuit, utraque parte diverſis reſpectibus & actoris & rei perſonam agente. Proteſtantes enim pro injuria ſibi facta allegabant Patrum reſtitutionem contra ſtatum anni viceſimi quarti. At Catholici acceptata Patrum defenſione contra querebantur, Pontificios Cives in Senatu & publicis Civitatis officiis nimis impari conditione vivere, petebantque, ut æquis ſecum legibus agatur, reducto minimum ad parem numerum utriusque partis Senatu. Ventilata eſt hæc actio in conſilio Deputatorum magnis partium ſtudiis plus una vice, & nova plane methodo, cum loco ſingulorum, quos alias in Senatibus ad dicendam ſententiam vocari moris erat, Catholici ex una parte, & Evangelici ex altera per eos, qui in ordine rogandarum ſententiarum primi ſuffragii jus habebant, ſui animi ſenſa exponi curarint, poſtquam ea, quæ dicenda erant, ſeparatis unaquæque factio deliberationibus probe expendiſſet digeſſiſſetque.

Placet proponere amborum argumenta, prout repetitis vicibus ventitata atque diſcuſſa ſunt.

Factum eſt actionis initium exante Nonas Majas 1656, ſecundum vetus Calendarium: ubi Catholici, qui prærogativam ſuffragii habent, rem omnem in duo ſumma capita diviſere. Quorum alterum Politica complectebatur, alterum Eccleſiaſtica.

Ratione Politicorum ſic diſſerebant.

1. Ad hanc cauſam probe cognoſcendam ante omnia ad Ordinationem Carolinam attendendum eſſe, quam Carolus V. Imperator pluribus Civitatibus Imperialibus, ordinandis illarum rebus & capeſſendo regimine præſcripſerit.

2. Hanc Ordinationem tanto magis fundamentum in judicio ferendo eſſe debere, quod illa Inſtrumento pacis Weſtphalico non modo non abrogata: Sed expreſſe potius confirmata ſit in omnibus illis, quæ paci Weſtphalicæ non repugnant art. 5 §. 10.

3. Carolum V. Kauffbairæ ſic ordinaſſe ſtatum Civitatis, ut Catholici ſemper, ſi fuerint idonei, tam in electione ad dignitates Senatorias, quam in creatione Magiſtratuum Proteſtantibus præferendi ſint.

4. Hanc legem tum acceptaſſe Civitatem.

5. Eandem Status Imperii ratihabuiſſe diverſis Receſſibus Imperii veluti, 1552. 1555. 1560. & aliis ſubſecutis.

6. Secundum illam, Senatum ſemper fuiſſe lectum, & munia publica in Civitate diſtributa.

7. Itaque hoc nunc etiam fieri oportere, cum de Civitate Kauffbaira Tabulis pacis diverſum nihil conventum ſit, & vero Cives Kauffbairenſes toto anno '24. in poſſeſſione fuerint utendi Carolina.

8. Nuſpiam etiam pace ſancitum legi, quod Civitas in legendo Senatu & conferendis publicis officiis præciſe eum in ſtatum ſit reſtituenda, quo anno 1624. fuit.

9. Quin amneſtiam generalem id velle,

velle, ut omnes durante bello illatæ injuria receptæque offenſæ oblivioni dentur atque reſarciantur.

10 Hoc ipſum beneficium pacis Civitati tanto minus denegandum eſſe, quod experientia doceat, Proteſtantes, majori numero confiſos, velut dominatum meditari in Catholicos, quos multis & indignis modis hactenus habuerint: contra expreſſam formulam pacis art. 5. §. . . qua edicitur, ut neutra pars ſuæ religioni adhærentium potentia ad deprimendam alteram abutatur.

11. Neque obſtare executionem pacis, ſtatim ab ejus publicatione a Directoribus Circuli Suevici Kauffbairæ factam. Quamvis enim id genus executiones iterum reſcindi Inſtrumentum pacis nolit, excipi tamen diſerte, niſi exceſſu peccatum ab Executoribus fuerit: quod hâc in cauſa factum conſtet, ubi nulla omnino Carolinæ ordinationis habita ratio. Accedere metum armorum Succicorum, quo territi Cives Catholici, imo ipſe Executor Catholicus, multa contra animi ſui ſententiam tolerare coacti ſint. prævalida tum Proteſtantium gratia, & Succici Præſidii ferocia liberæ vocis uſum adimente.

12. Denique partem Civitatis Catholicæ religioni addictam contradixiſſe nihilominus huic executioni, ſuumque diſſenſum teſtatum ſcripto eſſe, juribus ſibi omnibus & beneficiis idoneis reſervatis.

Hactenus de Politicis. Quod ad Eccleſiaſtica, & in ſpecie ad Jeſuitarum reſtitutionem attinet, Catholici Deputati pro Conſervatione Patrum pugnavere ſequentibus argumentis

1. Ante pacem religioſam in arbitrio Catholicorum Statuum fuiſſe, quos ordines religioſos admittere velint, & quos nolint.

2. Hanc libertatem deinde pace religioſa neque reſtrictam, neque ſublatam eſſe.

3. Quin potius dicta pace, §. nachdem aber ꝛc. & §. dagegen von den Reichsſtänden ꝛc ſtatui, ne quis alium religionis cauſa turbet, ſed ut omnes ſine ullo impedimento aut injuria religionem quiſque ſuam exercere, ritibusque ſuis Eccleſiaſticis & ceremoniis uti poſſint. Ac denique ut liberrimam habeant perſonarum electionem, quas Sacris faciundis maxime judicarint idoneos.

4. Confirmare hanc ipſam libertatem Inſtrumentum pacis non modo in genere art. 5. §. 1. verum etiam

5. art. 5. §. 7. & art. 5. §. 29. in ſpecie de Civitatibus mixtæ religionis ſanciri ne quis ullo modo prohibeatur hac facultate uſuque.

6. Jam vero pacem religioſam, §. Damit auch ꝛc. hoc expreſſe velle, ut in cauſis, quæ Proteſtantium ritus Eccleſiaſticos non concernunt, Catholicorum ordinariis juriſdictio Eccleſiaſtica integra illibataque ſervetur, cujus pars ſit poteſtas introducendi novos religioſorum ordines cujuſcunque generis.

7. Fuiſſe in reali poſſeſſione recipiendi pro ſuo lubitu, ordines religioſos ſtatus Catholicos omnes, & in ſpecie

Digitized by Google

ſpecie mixtas etiam Civitates non habere dubium. His enim non minus quam Proteſtantibus licuiſſe ſacerdotes, atque id genus verbi divini Miniſtros vocare, templaque & Scholas ædificare: deniq; iſtorum omnium curationem ſine cujusquam interceſſione ſuſcipere ad cultum divinum debite ordinandum ornandumque.

8. Tabulas pacis Weſtphalicas nullo loco interdicere Civitatibus mixtis novorum ordinum allectione.

9 Imo hoc eo permiſſum videri, quod art. 5. §. 19 tantum de Civitatibus unius religionis conventum fuerit, ne alius ibi Clerus introduci poſſit ab eo, quem verum ſit anno 24. eo loco degiſſe. Sed hanc cautionem apud Civitates mixtas non reperiri, atque ipſis gratiam hujusce rei factam rejictasque illas eſſe religioſæ pacis ſanctioni & uſui.

10. Patres itaque Societatis Kauffbairam recte & legitime vocatos eſſe, quos proinde ſine ulla turbatione porro tolerari oporteat. Velle enim neceſſario etiam media, quæ vult finem: At Catholicæ religioni ſine confesſione auriculari proſpici ſatis non poſſe. Ad hanc confesſionem opus eſſe religioſis ordinibus, qui ante alias perſonas Eccleſiaſticas hac in re ſint exerciti. Itaq; cum Kauffbairæ Cives Catholici exiſtiment, omnino ſe indigere Patribus ſocietatis, hoc ſane eis neceſſarium viſum ſalutis æternæ remedium nec invidendum, nec denegandum eſſe, cum pars ſit præcipua exercitii Catholici, qua ſi priventur, magnam conſcientiis eorum vim fieri: quod mentí paciſcentium adverſum, optare nemo aut poſtulare poſſit, quem non omnis dilectionis Chriſtianæ ſenſus deſtituerit. Hæc tum Catholici.

Ex adverſo Deputati Proteſtantes longe alia iterum circa eandem rem cenſebant, exhibita VII. Id. Maj. prolixa reſponſione ad ſingula Catholicorum, cujus ſumma capita hæc fere erant.

1. Quoad politica non eſſe, cur ordinatio Carolina de Senatu legendo & creandis Magiſtratibus nos diu moretur: Reſtitutionem enim Proteſtantium Kauffbairæ recte factam eſſe ſecundum nullum factum poſſeſſionis & obſervantiam ejus, prout quisque in Senatu & Muneribus publicis ao. 1624. fuit, jubente ſic Inſtrumento pacis & Receſſu Noribergenſi, quin idem volentibus edictis Cæſareis de exequenda pace propoſitis.

2. Secundum hæc Commiſſarios Cæſaris ſtatum Civitatis debite ordinaſſe, omniaq; in ſcriptum redigi curaſſe, teſtantibus actis, & imprimis Receſſu Executionis hac ſuper re confecto.

3. Pro hac executione reſcindenda jam Catholicis nulla remedia, neque poſſeſſoria, neque petitoria ſupereſſe.

4. Neque enim Deputatis ad cauſas reſtituendorum promovendas mandatum eſſe, factas ſemel in Circulis reſtitutiones ſpecioſis prætextibus iterum ſollicitare & convellere.

5. Contradictionem Catholicorum Civium, Kauffbairæ agentium executioni ſemel factæ fraudi eſſe non poſſe, cum Inſtrumento pacis adverſa, ac proinde pro nulla habenda ſit.

6. Sic ipſos Deputatos in Conventu Noribergenſi dudum judicaſſe, querelis Catholicorum, ad ſe, contra hanc executionem delatis, haud valde moti, quas non exiſtimarint ejus pretii eſſe, ut propterea cauſa de integro tractanda ſit.

Quæ pro Jeſuitis a Catholicis allata fuere, ad ea Proteſtantes hunc in modum reſpondebant.

1. Quid licuerit Catholicis vel non licuerit temporibus pacem religioſam antegreſſis hac in cauſa non venire in quæſtionem,

2. Neq; magis momentũ facere ipſam pacem religiosam, quæ Weſtphalicæ iis in rebus fraudi eſſe non debet, ubi de ſtatu, poſſeſſione, uſu & obſervantia certi cujusdam anni diei que agitur.

3. Pace etiam religioſa non alio pacto ſuppetere facultatem recipiendi religioſos ordines, quam ſi univerſa Civitas, aut major ejus pars hoc ita decreverit: Sed noſtro caſu contrarium evenire, cum pauci admodum Cives hanc ſibi libertatem fieri velint, adverſus voluntatem longe potioris ac melioris partis, cui publica quies cordi ſit. Quare juri communi merito ſtari, quod non modo non permittit, ut in re communi alter ſine conſenſu alterius decernat quippiam aut mutet; Verum etiam vetantis conditionem ſemper meliorem habet, & majori favore proſequitur.

4. Exercitio Catholicæ religionis, quin cultui etiam & ceremoniis nihil decedere, etiamſi Jeſuitæ in Civitatem Kauſbairam non recipiantur. Gaviſos ante horum Patrum adventum Catholicos eſſe pleniſſimo omnium uſu; & poſtea etiam per abſentiam eorum gaviſuros.

5. Curam quidem Templorum omnium q; rerum, quæ ad promovendum ornandumq; cultum divinum pertinent, cuiq; parti liberum eſſe debere; Sed nihilominus hoc cum grano ſalis eſſe accipiendum. Diſtinguendum enim eſſe inter mutationem ſtatus Eccleſiaſtici in Civitate contra obſervantiam anni 24 ſuſceptam: & levem aliquam mutationem in ceremoniis, aliisque actibus Eccleſiaſticis pro ornatiore Sacrarum rerum uſu. Sic non prohiberi quidem, Catholicos ſui in Templis plures miſſas celebrare, pluresve aras extruere, quam anno 1624. forte fuerint. Poſſe etiam Eleemoſynas ſuas pro lubitu diſpenſare, & majorem pecuniæ ſummam ad pias cauſas egare. At ſane non poſſe nova Monaſteria vel Templa in Civitate ædificare, novosque & ſeditioſos Religioſorum ordines accipere: Hoc enim, ne fiat, Inſtrumentum pacis multis locis vetare, quia ſtatum anni 1624 mutat. Alterum non invideri, de quo proprie agat art. 5. §. 7. neque alio ſenſu intelligi §. 29. verb. *neutri q; partium.* Legem enim paulo ante jam voluiſſe, ut omnia in ſtatum anni 1624. plenarie reſtituantur, quo facto tum demum edici, ut neutri partium fas ſit alteram de religionis ſuæ exercitio, Eccleſiæ ritibus & ceremoniis deturbare.

6 De exercitio juriſdictionis Eccleſiaſticæ, in quantum id competat Ordinario loci, Inſtrumento pacis per ſtatum

Digitized by Google

tum anni 1624. abunde eſſe cautum. Sed ante omnia art. 5. §. 26. prohiberi. commutare monaſteria aliave bona Eccleſiaſtica in alios religioſorum ordines, quam quorum regulis primitus dicati ſunt. Cum autem accidere potuerit, ut talium religioſorum ordo plane interciderit, tum quidem hoc caſu Magiſtratui Catholicorum permiſſum eſſe, ex alio ordine novos religioſos legere, ſed tales, qui ante diſſidia religionis in Germania exorta cogniti jam uſitatiq; fuerint. Hoc argumentum a Monaſteriis mixtis ad Civitates mixtas tanto plus habiturum ponderis, quanto difficilius ſit ſtabilimentum novorum ordinum religioſorū ea in Civitate, in qua nulli unquam fuere, reclamante potiori parte Civitatis.

7. Objectionem de poſſeſſione juris ſeu facultatis utendi videri ad poſſeſſionem mentalem collimare, cujus hic nulla ratio habeatur, cum pax Weſtphalica veram & realem poſſeſſionem, ſeu nudum factum poſſeſſionis ſtatumque cujusque loci unice reſpiciat, ſecundum quem reſtitutio facienda ſit.

8. Negare Proteſtantes, quod pax Weſtphalica nuſpiam introductione novorum ordinum interdicat. Hoc enim menti paciſcentium, ſtatuiq; anni, quem pro termino reſtitutionis a quo, in omnibus deſignavere, oppido adverſum eſſe. Sane hoc §. 29. non ſine emphaſi legi præceptum de manſuris omnibus, eo ſtatu, quo anno 24. fuere, quod imprimis in Civitatibus mixtis tranquillitatis publicæ cauſa placuerit, ne animi Civium, diverſis religionibus jam tum diviſi, novis ſubinde mutationibus intempeſtive turbentur: Atque hoc ſane jure Catholicos ipſos multis locis adverſus Proteſtantes uſos: exempli gratia, Auguſtæ Vindelicorum, ubi obſtitere vocationi unius ſaltem Paſtoris, quem Proteſtantes ſupra numerum neceſſitate urgente petiere. Item Dünckelſpühlæ, ubi inſtitutio novæ Scholæ Evangelicis denegata: quin hoc in ipſa Civitate Kauffbaira occaſione Sacelli, Divæ Virgini dicati accidiſſe, approbantibus Deputatis Norimbergæ congregatis, quibus auctoribus omnia ad Statum ſæpe dicti anni dieiq; reducta. Neq; etiam deeſſe præjudicia rerum ab iis geſtarum, quibus exequendæ pacis negotium impoſitum. Fuiſſe autem illos viros graves, & prudentes, maxime ex eorum numero, qui Osnabrugæ conficiendæ paci operam navarunt, ac proinde probe novere, qua mente quove animo eam circa rem conventum ſit. Ita Wormatiæ Cappucinos non aliter admiſſos, quam intercedentibus pro illis apud Proteſtantes Catholicis, neque id ipſum aliter quam prævia certa transactione. Quibus rebus opus non fuiſſet, ſi penes Catholicos unice ſtaret arbitrium introducendi novos Ordines in Civitatem. Quod ſi jam Catholici recedere ab hoc principio velint, & Jeſuitarum gratia aliud aſſumere, verendum eſſe, ne poſthæc eodem jure Proteſtantes aliis locis agant, cum quod uni parti juſtum, alteri quoque juſtum eſſe debeat. Accedere hic ſpecialem rationem ex natura Civitatum mixtarum, in quibus neutra pars ſine alterius conſen-

Digitized by Google

ſu mutare ſtatum Civitatis poſſit, ſive in politicis id fuerit, ſive in Eccleſiaſticis. Neque enim reipublicæ nihil referre, ſintne ordines religioſi in Civitate vel non ſint. Oneri enim eſſe Civitati in ædificiis: ad neceſſitates publicas nihil conferre; eximi a jurisdictione Magiſtratus, & fraudi eſſe juri Patronatus, quod tamen Civitati Kauffbairæ atque Magiſtratui ſimul & pro indiviſo per receſſum executionis adjudicatum ſit. Ut jam taceantur faſtidia atque pericula, quæ religioſi illi ordines, novi imprimis & ſæpe incredibili audacia armati, per ſecretas machinationes & conſilia temeraria calidaq; publico privatisq; creare poſſint, tanto majori ſemper fiducia: quanto longius abſint a metu punitionis. Deniq; argumentum prohitionis recte ſumi ex art. 5. §. 43. verb. in iis locis. Quod ſi enim in re communi alter Dominus diverſæ ab altero religionis in Eccleſiaſticis contra ſtatum anni 24. nihil mutare poſſit abſque conſenſu & voluntate ſui Condomini, quanto minus in mixtis Civitatibus id a minore parte tentari poſſe verum erit.

9. Non ſequi, quia art. 5. §. 29. cum Civitatibus unius religionis diſpenſatum quaſi eſt, ut non cogerentur novum clerum apud ſe invitæ recipere, ergo ab hac neceſſitate Civitates mixtas ſe excuſari non poſſe. Hoc argumentum potius inverti debere, & longe eſſe probabilius, has magis eſſe exceptas, in quibus neutra pars adverſante altera, novi quid & inſoliti poſſit ſuſcipere. Præterea allegato loco agi tantum de Ordinum in Civitate jam exiſtentium permutatione eo caſu, quando prior forte extinctus. At hic cauſam agi novi ordinis introducendi, ubi nullus ante hæc unquam fuerit. De primo caſu ideo neceſſariam fuiſſe conſtitutionem, quia paulo ante de Civibus Catholicis illo tempore in Civitate præſentibus & manſuris actum ſit, ne quis exiſtimet, ea, quæ ſtatim de Ordinibus ſequuntur, ſimiliter ad perſonas Eccleſiaſticas vel individua, de præſenti in ejusmodi Monaſteriis aut cœnobiis degentia ſaltem pertinere: quod ſequenti verſic. *ante omnia* repeti, ideo opus non fuiſſe, quoniam illic de Civibus de præſenti nihil expreſſum inveniatur. Ad hanc cauſam, cur de novo Clero ſpeciali lege aliquid cautum fuerit, hanc fuiſſe, ne cui occaſio detur dubitandi ex eo, quod in Civitatibus unius Religionis Monaſteria atque cœnobia illic deſignata, ab Civitate ipſa pomœriis ſuis & muris ita ſeparata ſint, ſuisque rebus relicta, ut parum intereſſe Civitatis videatur, cujus ordinis religioſi ibi verſentur, & num albis vel nigris cucullis amicti ſint. Sed Inſtrumentum pacis ne hanc quidem libertatem tuliſſe, reductione ad ſtatum dicti anni dieique in omnibus facta. Denique poſſe Catholicos utique Kauffbairæ Confeſſione auricular frui, etſi Patrum Societatis opera non utantur, quos anno demum 1627. receptos conſtet, cum ante hæc Catholici Cives ſine iſtis pleno ſuæ religionis exercitio gaviſi ſint: quare autem illo tempore ſine jactura æternæ ſalutis carere

rere

Digitized by Google

rere potuerint, id his demũ diebus neceſſariũ eis eſſe non poſſe. Quin exulare ad hunc diem iſtos Patres toto Epiſcopatu Saliſburgenſi, neq; tamen propterea Homines ullum detrimentum in exercitio religionis ſentire, aut illorum operam ſibi neceſſariam judicare. Notum quoque eſſe, olim eosdem Patres tota Gallia propter Regicidium, & Veneta ditione ob ſeditioſas alias machinationes eſſe exactos, perpetuo ipſis indicto exilio: Nunc fingi licere, non fuiſſe illos reſtitutos, quis crederet, rem Catholicam illis locis deteriori conditione futuram fuiſſe? Et quid ſi hic ordo, ſeculo demum decimo ſexto natus, plane inſtitutus non fuiſſet, num ideo ſacra Chriſtianorum caritura fuerint aliqua perfectionis ſuæ parte, ſane ſi æquis lancibus expendantur merita iſtorum Hominum, cum ſcandalis & damnis, quæ per ſeculum, quo orbi Chriſtiano innotuere, & moralis doctrinæ ſumma corruptione, & turbulentis concionibus auſisque parricidalibus dedere. Hæc, eorum probra & flagitia, quorum teſtes omni exceptione majores non experientiam modo triſtiaque exempla: verum etiam propria ſua ſcripta habeant, quin immenſum merita eorundem exſuperatura ſint neminem forte dubitaturum. Quod vero ad metum armorum attinet, quam exceptionem Catholici contra executionem ſemel factam opponere velle videantur, ea ſane re ipſos non ſatis bona fide agere, ex quo Inſtrumentum pacis art. 16. & Receſſus Executionis Noribergenſis milite etiam præſidiario ad promovendas executiones cum executoribus ipſis, tum reſtituendis uti permittant, atque id genus executiones, utut militares, legitimas tamen pronuncient. Eſſe enim, quando etiam armis facere metum juſte liceat, ſcilicet quoties alter ſua pervicacia nobis adhibendi metus neceſſitatem imponit. Omnem enim executionem vi quâdam niti, in ſubſidium contra eum comparata, qui officio ſuo ſponte deeſt, vel impedit, quo minus alter ſuum conſequatur. Hæc Proteſtantes.

Atque hoc modo commiſſis partibus viſum eſt Catholicis argumenta Proteſtantium ſine reſponſo dimitti non debere: itaque pridie Idus Majas ad ea, quæ in cauſa gravaminum politicorum dicta fuere, hæc regeſſerunt.

1. Non ſequi, reſtitutionem Senatus & officiorum publicorum Kauffbairæ a Commiſſariis executionis factam eſſe, ergo rem neceſſario in ſtatu reſtituto manere debere, nullo remedio nec poſſeſſorio nec petitorio ſuperſtite. Conſtare enim, alterum Commiſſarium majori vi tum ceſſiſſe, non auſum impedire, quo minus reſtitutio ad arbitrium eorum, qui arma tenebant, perficeretur. Sed interea Catholicos rem non duraturam eo ſatis indicaſſe, quod in Receſſu Executionis ſibi jus prærogativæ, ex Carolina competens, expreſſe reſervarint, non invitis Commiſſariis, qui hanc quæſtionem ad Comitia proxima rejecerint, ut ibi de illa decerneretur. Enim vero tum in Comitiis nullo operæ pretio facto, rem omnem denuo ad

Digitized by Google

hunc Conventum Deputationis remiſſam.

2. Ex adverſo autem perſpicuam eſſe conſequentiam, ſi in Civitate Kauffbaira legendus Senatus, Magiſtratusque creandi ad legem Carolinæ ſunt, quæ Catholicis hiſce in rebus prærogativam tribuit, ergo Proteſtantes præferri Catholicis, aut potiori jure eſſe non poſſe. Imo hanc prærogativam Catholicos potius ſibi vindicare, quos & in Senatu, & in dignitatibus honoribusque capeſſendis alteram partem vincere æquum ſit, quamvis hoc beneficio rigide uti non decreverint, ſed eo contenti eſſe velint, ſi, quod pro medio compoſitionis proponant, æquali ubique numero utrique poſteris ſint futuri, ad exemplum aliarum Civitatum, ubi æqualitas iſta concordiæ cauſa placuit.

3. Metum armorum Commiſſariis a Milite præſidiario Suecico incusſum Catholicos Cives in Comitiis Ratisbonenſibus exhibito libello memoriali luculenter probaſſe, notumque adhuc eſſe, quod ſub tempus executionis Kauffbairæ inſolentia militum ab altero Commiſſario Coſtantienſi vix manibus ſit temperatum, cui ante Domum ſuam probroſis verbis clamoribusque inconditis inſultatum ſit. Hunc agendi modum pace Weſtphalica non inveniri præſcriptum, neque appellari legitimas executiones poſſe, quas unus ex Commiſſariis perfecerit, territo Collega, & metu licentiæ militaris ne hiſcere quidem auſo. Requiri enim pares numero ex utraque religione, quibus certæ regulæ cognitionis & executionis ſint datæ, quorum neutrum hoc caſu ſervatum. Catholicos igitur de reſtitutione cum exceſſu facta ex art. 17. §. 4. tanto rectius conqueri, quod jam ante Conventus Noribergenſis plurimas executiones eo tempore in circulo Suevico vi militari pervictas ſumme improbarit, datis etiam ad Duglaſſium, Ducem copiarum Suecicarum literis, quibus poſtulabant, ut hac violentia milites ſuos abſtineat, neque ſe rebus Imperii miſceat.

4. Exceſſus in executione Kauffbairæ admiſſos Catholicos plus nimio ſentire ex dominatu illo & prærogativa, quam ſibi Proteſtantes cives in omnibus rebus ſumant contra Carolinam Conſtitutionem. Hoc præteritis Comitiis apparuiſſe, cum Civitas aliquem ex Proteſtantibus eo ablegaret dato generali mandato, & ſigillo publico confirmato, cui ſumptus etiam ex ærario ſuppeditati fuerint, quod deinde utrumque parti Catholicæ negatum, poſtquam huic viſum eſt, ſuarum rerum cauſa ſpecialem Mandatarium Ratisbonam mittere, qui negotia ſua in Comitiis gereret. Huic enim non modo ſumptus ex publico denegatos, quibus Proteſtantes ſuum abunde inſtruxerint: Verum etiam Hos recuſaſſe mandatum, quod Catholici ſuo Ablegato dederint, ſigillo ſaltem Civitatis munire. Qua re, quam ſecum indigno prorſus modo agatur, omnes utique intelligere poſſe; cum in Civitate notoriè mixta Proteſtantes u-

nam

nam Civitatis ſaltem partem, & alteram Catholici conſtituant, quibus invitis illi univerſam Civitatem repræſentare in Comitiis non poſſint. Eandem iniquitatem nunc etiam continuari, dum Mandatarium a Catholicis ad hunc conventum miſſum rebus neceſſariis omnibus deſtituant, cum interea procul dubio opibus Civitatis utantur ad ſui Mandatarii ſuſtentationem.

5 Quanquam Kauffbairæ executione præterita metus armorum atque minæ intentatæ eousque valuerint, ut Commiſſarii, executioni præfecti Proteſtantibus obſequi fere in omnibus coacti ſint, executionem tamen ipſam ea mente non peractam, ut res eo in Statu, in quem tumultuarie & licenter reſtitutæ ſunt, permanere deinceps perpetuo debeant, Catholicis omni jure ſuo ex Conſtitutione Carolina quæſito, & anno 1624. exercito, dejectis. Proteſtantibus autem omni prærogativa in legendo Senatu gerendisque Magiſtratibus fruituris. Sed illis neceſſitati temporum vique majori cedendum fuiſſe, donec de omni cauſa ab Imperio melius cognoſceretur, id quod ipſi etiam Proteſtatione interpoſita, & a Commiſſariis etiam non rejecta ſatis declararint. Igitur ad hunc caſum non pertinere, quæ alias Inſtrumentum Pacis, & Receſſus executionis Noribergenſis, nec non arctior exequandi modus ratione facti poſſeſſionis, de executionibus ſuſcipiendis aut peractis ſtatuunt. Primo loco, & ante omnes reſpectus alios attendendum animum eſſe ad conſtitutionem Carolinam, art. 5. §. 10. ita nominatim confirmatam, ut ſalva per omnia & inviolabilis ſit, quatenus huic diſpoſitioni non repugnet. Jam vero circa Civitatem Kaufbairam nihil conveniſſe huic confirmationi contrarium. Conſequens itaque eſſe, ut robur ſuum vimque integram retineat, quam anno 1624. habuiſſe certum ſit. In eum enim ſtatum Catholicos non minus quam Proteſtantes plene reſtituendos eſſe, quo dicto anno fuiſſe reperiuntur. Edicere enim Inſtrumentum pacis de Civitatibus mixtis art. 5. § 29. ut fiant reſtitutiones in omnibus, eoque modo, quo quis propter religionem in Eccleſiaſticis, vel etiam in politicis intuitu religionis turbatus læſusque fuerit. Hanc enim legem non favore eorum, qui turbarunt alios, ſed gravatorum cauſa latam, neque apud pacis Tractatus mentem paciſcentium unquam fuiſſe, ut is, qui per factum exercitæ alicujus poſſeſſionis alium in ſua reali poſſeſſione juris exercendi turbavit, eundem poſtea lædere pepetuo & jure ſuo exturbare poſſit. Potius caveri art. 5. §. 13. ne terminus anni 1624. ullum præjudicium iis creet, qui ex capite amneſtiæ aut aliunde reſtituendi veniunt. Atque hoc ad Conſtitutionem Carolinam recte trahi, petique ut ſecundum art. 3. §. 1. locus ſit reſtitutioni in eum utrinque ſtatum, quo una alterave pars, cui occaſione Bohemiæ Germaniæve motuum aliquid præjudicii aut damni quocunque modo vel prætextu illatum ſit, ante deſtitutionem gaviſa, aut jure gaudere potuerit. At-

Digitized by Google

Atque hoc Catholici Deputati circa politica. Cauſam Patrum Societatis aliquot diebus poſt nempe, 14. Cal. Junias pari ſtudio & artificio diſputandi tutati ſunt, argumentis ſequentibus.

1. In omnibus cauſis, â Deputatione tractandis ad pacem religioſam anno 1555 conditam, reſpiciendum eſſe. Hanc enim pacem religioſam per Inſtrumentum pacis ita confirmari, ut in omnibus ſuis Capitulis rata habeatur, ſancteque & inviolabiliter ſervetur. Quod enim pax Weſtphalica circa eam non mutavit, ejus deciſionem ex religioſa recte peti.

2. In cauſa Jeſuitarum pro reſtitutione Patrum illorum eorumque conſervatione expreſſe facere pacem religioſam, §. Nachdem aber & §. Dagegen ꝛc. quibus locis quod derogeт tota pace Weſtphalica nihil extare.

3. Aſſertionem iſtam, quod apud Civitates mixtas neutra pars diverſæ religionis ſine alterius conſenſu uti beneficio in dictis §§. religioſæ pacis conceſſo poſſit, ſed quod opus ſit utriusq; ſuffragiis, tanquam in re communi, ubi præterea conditio prohibentis melior ſit, neque pace religioſa neq; Weſtphalica legi; imo id certo eſſe certius, ejus generis regulas juris ad communiones ſaltem Civiles pertinere, cum in cauſis religionis proprie nulla ſit communio, vel res communis, neq; etiam communis poſſeſſio, cum utraque pars rationes ſuas proprias & ſeparatas habeat, in quibus nec turbari ab alio nec impediri poſſit. Utrisque enim liberam poteſtatem arbitriumque eſſe ordinandi exornandique ſui cultus divini.

4. Proteſtantes ipſos in pacis Tractatibus anno 1646. die 18. Julii exhibito in puncto gravaminum libello declaraſſe, pacem religioſam, atque nominatim §. illum, Nachdem aber ꝛc. inſtar fundamenti eſſe debere cui reſtitutiones gravatorum in Eccleſiaſticis inniti æquum ſit.

5. A Judicio & ſententia Proteſtantium non dependere, an Patres Societatis Kauffbariæ Catholicis ad ſalutem animarum ſuarum neceſſarii ſint vel non ſint. Sibi Catholicis plane aliud videri neque tam magis ſe paſſuros, a Proteſtantibus ſibi eam circa rem legem modumve ſtatui, quam illis accipere hoc a Catholicis hactenus libuerit.

6. Pacem religioſam verbis ſenſuque minime ambiguo multis locis non in genere modo prohibere, ne alius alteri ſuis in ſacris & ceremoniis impedimento ſit. Verum etiam §. Nachdem aber ꝛc. id ipſum de Civitatibus mixtis diſerte repetere & ſancire.

7. Cum pace religioſa convenire etiam hac in re pacem Weſtphalicam, cum art. 5. §. 7. ubi templorum & Scholarum cuique parti ſuarum cura integra ſervatur. tum art. 5. §. 29 ubi neutri partium alteram de religionis ſuæ exercitio atque Eccleſiæ ritibus & ceremoniis deturbare fas eſt.

8. Toto Inſtrumento pacis ne literam quidem extare, qua Catholici argui poſſint, deteriori ſecum conditione

ne agi in rebus fidei, quam ſuperiores alii Catholici Status vivunt, in quorum poteſtate ſemper fuerit, pro ſui cultus ornatione & exercitio tam Patres iſtos ſocietatis, quam alios religioſos Ordines ex animi cujusque ſententia ſuſcipere & tueri.

9. Hac in poſſesſione reali libertatis introducendi ordines religioſos antiquisſimis temporibus habita, pace religioſa etiam confirmata, neq; pace Weſtphalica abrogata vel circumſcripta, Catholicos Cives Kauffbairæ Calendis Januariis 1624. utiq; fuiſſe, neque ab eo tempore a quoquam turbatos vel impeditos eſſe. Hinc ex formula pacis deberi eis omnino reſtitutionem in omnia, ſi forte poſt hæc illis ea in libertate creata moleſtia vel impedimentum datũ fuerit.

10. Neq; recte & ex ordine facere Proteſtantes, quando reſtitutiones in cauſis gravaminum ſecundum Calendas Januarias anni 1624. decretas, non affirmative modo, ſed & negative interpretari jam volunt, eo ſenſu, ac ſi is, qui anno 1624. jus ſuum non exercuit, in cujus tamen exercendi reali poſſesſione tum erat, poſthæc illud data occaſione exercere amplius non poſſit. Hanc interpretationem tam religioſæ paci, quam Weſtphalicæ repugnare, atque etiam contra animum paciſcentium eſſe, quandoquidem utriusq; partis gravamina, quorum reſtitutio inter Tractatus pacis petita & denique decreta fuit, non utiq; de exercitio ſuæ religionis ſuique juris: ſed de læſione & turbatione exercitii juris alterius propoſita agitataque fuerint. Atque ex hoc falſitatem concluſionis liquido apparere, qua Proteſtantes uti velint ex eo, quod anno 1624. Patres Societatis Kauffbairæ non recepti ſint, ad perpetuam ipſorum excluſionem argumentum male ducentes.

11. Agere autem nunc etiam Proteſtantes cum Catholicis tanto iniquius, quod illi probari teſtatumque facere nunquam poſſint, partem Civium ſuæ religionis Kauffbairæ anno 1624. in poſſesſione juris prohibendi, quo minus Jeſuitæ reciperentur, fuiſſe, aut ſaltem de facto obſtitiſſe. Cum igitur eo tempore nullæ eorum quærelæ auditæ ſint de eo, quod hanc quidem circa rem de læſione expoſtularint, ideoq; etiam in numerum gravatorum & reſtituendorum perperam referri. Neque enim Catholicos poſt hæc Jeſuitarum receptione uſos jure aliquo noviter uſurpato: ſed antiquo & ſuo proprio, ab omni tempore exercito, in pace religioſa fundato: anno 1624. realiter poſſeſſo, adeoq; pace ipſa Weſtphalica approbato: denique quo Auguſtanæ Confesſionis Civibus neque in exercitio ſuæ religionis, neq; in bonis Eccleſiaſticis ullam fecerint injuriam, quod Inſtrumentum pacis art. 5. §. 29. ad fundandam reſtitutionis petitionem neceſſario requirat.

12. Diſtinctionem illam inter mutationem magnam & parvam neq; pace religioſa, neque Weſtphalica niti. Quin uti neutri parti licet alteram in exercitio ſuæ religionis vel ritibus Eccleſiaſticis moleſtiam creare. Ita utrique liberum atque permiſſum eſſe, ut unusquis

quisque ſuum divinum cultum ornare atque promovere, ejusque rei cauſa perſonas Eccleſiaſticas, quibus opus habere ſibi videtur, ex religioſis etiam ordinibus conducere & recipere poſſit.

13. In pace religioſa, § Damit auch ꝛc. ut & Inſtrumento pacis art. 5. §. 16. jus diœceſanum, & juriſdictionem Ordinarii Eccleſiaſticam contra Auguſtanæ ſaltem Confeſſionis conſortes ſuſpendi. Pro Catholicis vero expreſſe reſervari. Quare ſicuti illi ordinarii ante diviſionem religionum ſua in diœceſi omnia jura Eccleſiaſtica abſolute exercuerint, inter quæ poteſtas admittendi religioſos ordines ſemper numerata ſit, qua plurimis locis ipſos anno etiam 1624. uſos conſtet, ita nihil obeſſe, quo minus hoc jure pro ſtatu rei porro utantur aliis etiam in locis ſuarum diœceſium, pro Catholicæ religionis bono, hominumque ſolatio, etiamſi forte anno 1624. exercendi juris occaſionem non habuerint.

14. Falſo prætexi, novos ordines in Civitatibus mixtis tranquillitati publicæ & civium concordiæ obſtare. Idem enim in clamoſos illos atq; rixoſos Prædicantes Proteſtantium dici poſſe, eandem ergo ob cauſam e civitate relegandos, quod nemo facile dixerit, cum ſatius ſit, animorum intemperiem Magiſtratus autoritate coërceri. Quando vero de mente paciſcentium quæritur, non reſpiciendū ad id ſolum, quod Proteſtantes animo agitaſſe probabile eſt; Sed etiam ad Catholicorum cogitata voluntatesque, qui altera paciſcentium pars ſunt. Abſurdū autem eſſe de his credere, voluiſſe eos, ut ſacrorum ſuorum procuratio tantopere in ordinem redigatur, ut excluſis & velut exilio damnatis quibusdam rei divinæ faciundæ maxime neceſſariis perſonis privarent, ſe cum libertate exercitii: tum illis ſimul mediis, quæ pro conſervanda ſua religione idonea aptaque ante alia duxerint.

15. Neq; ſuſpicioni locum eſſe, ac ſi id genus novi ordines a Catholicis ex mera æmulatione, & ut Proteſtantibus per id ægre faciant, recipiantur. In promptu enim Catholicis fore eadem de Proteſtantibus ſuſpicari, quoties illi in religione ſua emendanda exornandaq; pro arbitrio nova quædam conſtituunt. Igitur ſi in his Catholicos propterea ſibi impedimento eſſe nolint, æquum eſſe, ut ipſi viciſſim cum his eadem ratione & modeſtia agant.

16. Lites quondam & controverſias Auguſtæ Vindelicorū atq; Dünkelſpühlæ inter pacis tractatus verſatas ſuo nunc loco merito relinqui, poſtquam omnia illis locis pacifica transactione jam compoſita ſint; optare ſe, ut Kauffbairanis eadem felicitas obveniat.

17. Quæ de metu armorum ſupra fuere dicta, hac in cauſa eadem merito repeti. Neque enim uni ex Commiſſariis, rei exequendæ præfectis, integrum fuiſſe, invito altero expellere Patres Societatis, cauſa nondum ſufficienter cognita, & judicata. Quæ de modo exequendi art. 16. §. 2. habentur, contra eos eſſe decreta, qui ad reſtituendum legitimo judicio damnati executoribus

ſe

ſe opponunt. Hos enim compellere ad officium militaribus etiam copiis licere, ſi Executorum vires non ſufficiant. Sed hæc a caſu præſenti aliena eſſe, ubi alter tantùm Executor, Auguſtanæ confeſſioni addictus, licentiâ militari omnia tranſegit, Catholico fruſtra diſſentiente, minisq; inſuper territo, ut animi ſui ſenſa palam proferri non fuerit auſus.

18. Incommoda illa & diſpendia, quæ Civitates utriusq; religionis novorum ordinum admiſſione in publicis ædificiis oneribus civilibus, ut & exemptione a jurisdictione Magiſtratus ſentire perhibeant, non certe eousque valitura, ut propterea veluti per legem generalem novis ordinibus illis locis tanquam aqua & igni interdictum eſſe neceſſe ſit. Interea rationem tamen & æquitatem poſtulare, ut hæc res in id genus Civitatibus mixtis communicato conſilio tractetur. Præterea novos illos ordines ſemper recipi ſumptibus eorum, quorum ſacris operam dant; qua ratione pars altera indemnis præſtetur. Atque hoc ſane pacto Kauff bajræ cum Jeſuitis comparatum eſſe, quorum præſentia neque Auguſt. Confeſſionis Civibus, neque publico ærario ulla ex parte oneri ſit: quando & domus eorum, & vitæ neceſſaria impendiis Catholicorum unice debeantur.

19. Argumentum à loco Inſtrumenti pacis *art. 5. §. 43, verb. in iis locis*, deſumptum, adeo non obeſſe Catholicis, ut magis contra Proteſtantes faciat. Neque enim ibi in re duobus communi uni Domino, qui territoriali ſuperioritate ſimul cum altero gaudet, exercitio publico ſuæ religionis interdici, quo nemo Statuum arcendus eſt. Sed hoc loco utrumq; moneri, ut ſubditis ſervent Statum ſuum, tam ratione publici exercitii, quam aliarum rerum ad religionem ſpectantium. Deſtitutos igitur in liberum ſuæ religionis exercitium per hanc formulam reſtitui, ibique conſervari: Dominum vero Territorii propterea jure ſuæ religionis publice exercendæ non deſtitui.

20. Catholicos a prohibita receptione Novorum ordinum in Civitatibus unius religionis ad permiſſam introductionem in Civitates duarum religionum recte equidem argumentari, eamq; concluſionem tamdiu valituram, donec Proteſtantes contrarium ex pace religioſa vel Weſtphalica docuerint. Neque enim inter hæc duo nihil intereſſe, ordines in Civitatem primo recipias: an ordines, qui ibi extitere, quando deficiunt, cum aliis ordinibus permutes. De hoc ultimo caſu neceſſarium fuiſſe, ut certi quid ſtatuatur apud eas Civitates, ubi Magiſtratus Auguſtanæ confeſſioni ſolum eſt addictus. Nam ſine eo ordinarios Catholicos circa mutationem ordinum potuiſſe ſibi arbitrium arrogare, vigore pacis religioſæ, & juris diœceſani in pace etiam Weſtphalica confirmati. Sed nunc hanc eorum libertatem art. 5. §. 29. per illa verba, *cum clero, intra prædictum terminum non introducto*, reſtrictam & limitatam eſſe.

21. Denique infirmam valde eſſe hanc conſequentiam, religionem Catho-

tholicam Kauffbairæ absque Patribus Societatis diutiſſime ſubſtitiſſe, ergo hosce Patres hoc tempore Catholicis non eſſe neceſſarios. Eodem modo licere argumentari; Proteſtantes, ante annos non ita multos pluribus locis exercitio ſuæ religionis functos eſſe minori numero Prædicantium & paſtorum. Ergo qui poſtea ſupervenere abrogandos eſſe, ut ſuperfluos neque neceſſarios. Capere enim hanc rem mutationem, prout religio augmentum capit. Sicuti igitur Proteſtantes ſibi integrum eſſe exiſtimant, ad ampliorem ſuorum ſacrorum uſum nova inſtituta & opera facere, ſive exſtructis templorum ſcholarumque ædificiis, ſive aucto Paſtorum numero: ſeu denique inceptis aliis, quibus ſuæ religionis Majeſtati & commodis ſe conſulere poſſe confidunt. Ita ſperare Catholicos, eadem æquitate Proteſtantes ſecum acturos, neque admiſſuros, ut videantur aliis legem iis in rebus dare voluiſſe, a quibus accipere nullam volunt. In hac ipſa Urbe Kauffbaira, moliri ipſos novum Conſiſtorium, quod anno 1624. non habuiſſe certum ſit. Neque invidere Catholicos huic eorum deſtinato. Sed ſibi etiam opus eſſe quibusdam neceſſariis ad meliorem uſum religionis ſuæ & animarum ſalutem. His Proteſtantes viciſſim oportere faciles ſe & officioſos præbere; Hac ratione omnes offenſas iri vitatum, concordiamque diutisſime duraturam, quando unusquisque ſuis contentus beneficiis religioſæ atque Weſtphalicæ pacis quiete fruitur.

In tanta ſententiarum diverſitate cum paribus utrinque ſuffragiis decerni ad rei ſummam nihil poſſet, ad antiqua ſua & inania inſtituta revoluti ſunt deputati, rati, nihil aliudupereſſe, quam ut argumenta ſua utraque pars inſtruendis Delegatis Cæſareis de cauſæ hujus æquitate hinc & inde exhibeant: Itaq, Proteſtantes, quos Catholicorum manifeſtæ calumniæ & protelationes peſſime habebant, diverſis Conventibus diligenter expenderunt, qua ratione ſuas partes probe & perſpicue tuerentur. Hinc datum protinus Saxoni negotium, ut ſcripto comprehendat, quæ defendendæ Proteſtantium cauſæ, ſimulque refutandis adverſariorum argumentis atque detegendis cavillis idonea judicaverit.

Ille poſtquam hæc mandata executus eſt, rem omnem de integro ad Proteſtantes refert, rogans omnium ſententias, ut in medium conferant & libere dicant, quod unusquisque pro cauſa hac probe inſtruenda addi ſcripto poſſe cenſeat.

Primus igitur conſeſſus habitus eſt pridie Calendas Junias, in quo Legatus Brandenburgicus Electoralis hæc duo argumenta propoſuit.

1. Reſtitutionem Civitatum in cauſis religionis, & quæ intuitu earum in politicis mutata ſunt, juxta Inſtrumentum pacis factam manuteri debere.

At Civitatem Kauffbairam ita fuiſſe reſtitutam, ergo &c.

Majorem probari art. 5. §. 29. itemque art. 16. & 17. nec non Receſſu Exe-

Digitized by Google

cuſionis Noribergenſi, §. und ſolle hierunter ꝛc.

Minorem probari per ipſum Receſſum Executionis, ubi Commiſſarii Cæſarei quater diverſis locis teſtentur, reſtitutionem factam eſſe ad normam Inſtrumenti pacis. Id quod etiam doceat privata Conſtantienſium ſignatio, & declaratio Cæſarea ad Bavarum miſſa, itaque concluſionem firmam rectamque eſſe.

2. Illi qui contra reſtitutionem legitime factam Reſtitutum de novo gravare intendunt, in pœnam fractæ pacis ipſo jure & facto incidunt. Art. 17. §. 4.

Atque Catholici Cives Kauffbaitenſes & quotquot illorum partes defendunt, contra reſtitutionem legitime factam Evangelicos ibidem gravare intendunt: quot ipſo facto con ſtet. Ergo. Hæc fuere Brandenburgici argumenta, quibus ſtatim ſubjecit.

Excipere quidem Catholicos, de exceſſu in reſtitutione commiſſo. Sed hæc refelli per ipſum Receſſum executionis, qui teſtimonium publicum perhibeat, Commiſſarios omnia ad formulam pacis, Receſſumque Noribergenſem, ut & edicta Cæſarea executos eſſe, ſervatis exacte, quæ ſervari debuere. Imo Commiſſarios conjunctim & ſeparatim id ipſum faſſos eſſe; quin Imperatorem etiam hoc in declaratione ſua haud quaquam celaſſe.

Deinde excipi etiam de metu armorum & licentia militari: ſed nihil iſtarum rerum probari. Illas enim literas, quas Catholici allegent, eo minus fidem mereri, quod earum ipſos adhuc puduerit, cum producere illas nolint. Quam ob rem habere omnino Proteſtantes, de quo conquerantur. Interea obſtare huic accuſationi, quæ jam allegata ſunt; Scilicet Receſſum Executionis publicum, privatam Conſtantienſis ſignaturam: Denique Protocollum & declarationem Cæſaream, quibus nulla illius violentiæ mentio fiat. Equidem initio quosdam Cives Kauffbairæ leviter tumultuatos eſſe. Sed hos motus ſtatim fuiſſe compoſitos, & reliqua deinde ſumma cum tranquillitate peracta. Certe Conſtantienſes qui in privatam ſuam & clandeſtinam ſignaturam omnia comportaverint, quæ pro Catholicis facere videbantur, violentiam illam, quam nunc demum criminentur non fuiſſe diſſimulaturos, ſi quam fuiſſe compertum habuiſſent; quod utique ſine periculo facere potuiſſent, re tanto ſilentio inter Catholicos clam ſuſcepta & peracta, ut nec Subdelegatis Wirtebergicis, nec Civibus Proteſtentibus nec denique Præfecto Præſidii Suecici ſubolere quicquam, de hoc callido & fraudulento invento potuerit, quod demum poſt tempus aliquot ex tenebris in lucem protractum primum Noribergæ anno 1649. & deinde anno 1651. in Aula Cæſarea ſo oſtentarit.

Tertio a Catholicis perhiberi, ipſam Commiſſionem Cæſaream ſibi proſpexiſſe de juribus ſuis, ex Caro-

Digitized by Google

lina debitis. Sed adhæc reſponderi: in Receſſu Executionis ne verbum quidem hac de re extare: neque etiam Commiſſarios ejusmodi reſervatione opus habuiſſe; Sane non negari, quin Catholici ſibi quædam reſervare auſi fuerint; Sed Proteſtantes incontinenti hæc interpoſita contradictione repuliſſe. Neque etiam ſequi Catholicos poſtulaſſe, ut Senatus pari ex ſuis numero cum Proteſtantibus legeretur, & ut Magiſtratus eodem pacto crearentur, Cumque id contra Statum 1624. impetrare non potuerint, de diſſenſu teſtatos eſſe, ergo reſcindendam eſſe executionem, eorumque deſideriis ſatisfaciendum. Monendos potius eſſe Catholicos, ut ſorte ſua contenti æquali cum cœteris jure vivant; Nam ad cognitionem Deputatorum eas ſolummodo cauſas pertinere, quæ Inſtrumento Pacis, edictis Cæſaris & Receſſui Executionis Norico conveniant. Pacis religioſæ rationem aliam haberi non poſſe, quam iis caſibus, ubi per Weſtphalicam ei non derogatum; Denique §vum 13. ex art. 5. incommode allegari, cum ibi de reſtitutione ſaltem ex capite amneſtiæ agatur. Hic autem de gravaminibus religionis verti judicium, quorum compoſitio ex alio plane capite juris dependeat.

Altenburgicus addidit, inter alias rationes & hanc eſſe adducendam, quod anno 1649 apud Conventum Noribergenſem reſervatum illud Catholicorum ab ipſis Deputatis Catholicis rejectum fuerit.

Suecus Pomeranus magis adhuc commotior, Catholicos, inquit, ejus generis res & quæſtiones, in medium afferre, quas definire ne univerſum quidem Imperium poſſit, ne dum ut Deputatis ad hunc Conventum dijudicare illas fas ſit. Hoc enim negotium ad omnes pacis conſortes ſpectare, imprimis vero ad eos, qui principales Paciſcentes ſunt. In præſenti ſane cauſa nodum in ſcirpo quæri, art. 5. §. 29. de Civitatibus mixtis legi. *in eum ſtatum in quo Calendis Januariis anni 1624. tam in Sacris quam profanis fuerunt, pleniſſime reponantur, inque eo absque ulteriori turbatione perinde ac illæ quæ tum temporis adhuc poſſederunt, aut interea poſſeſſionem recuperarunt, usque ad amicabilem religionum compoſitionem conſerventur.* Qui hoc principium negare auſus ſit, contra eum non eſſe diſputandum. Exceptioni metus contradicere Receſſum executionis & a Catholico Commiſſario ſeparatim interpoſitam teſtationem imo ipſa Cæſarea Reſcripta, quæ claris verbis loquantur, Kauffbairæ in Senatu reſtituendo omnia ad formulam pacis eſſe peracta. De Carolina ordinatione fruſtra verboſos eſſe Catholicos. Neque enim in cauſa reſtituendorum ad hanc reſpici, ſed ad ſtatum anni 1624. De cœtero eam ſuo loco relinqui poſſe, quatenus dicto ſtatui non adverſatur. Sane per Receſſum executionis Civibus utriusque religionis conceſſum eſſe, ut unaquæque pars futuris Comitiis exponere poſſit, ſi qua re quis ſe læſum exiſtimaverit. Sed hoc reſtitutionem non infringere, cui eousque inhærendum,

donec

Digitized by Google

donec Imperium aliud decreverit. Denique cauſam Jeſuitarum videri dependere a quatuor illis dubiis quæſtionibus, anno 1654. in Comitiis Ratisbonenſibus a Catholicis propoſitis, quæ authenticam pacis Weſtphalicæ interpretationem deſiderent. Sed iniquisſimum fore, ſi intereà, & lite adhuc pendente, moliantur Catholici illa dubia in compendium ſuum vertere, iisque pro lubitu uti, veluti jam judicatum pro ipſis fuiſſet. Pacem quidem religioſam permittere cuique parti, quæ ad ſacrorum ſuorum uſum honoremque facere videantur: Sed pacem Weſtphalicam ante alia omnia ſtatus & obſervantiæ anni 1624. rationem habere velle. Itaque prioris pacis religioſæ, inquam licentiam poſteriori aliquando temperari & reprimi, quæ Catholicis jam ultra non permittit, ut poſſint pro ſuo lubitu religioſos ordines inſtituere, aliasque incipere novitates, quæ dicto ſtatui repugnant Adhuc illud etiam Catholicos non eſſe celandum, quantis & quam ſiniſtris ſuſpicionibus hactenus impleverint Proteſtantium animos, quod videantur hoc in Conventu de aliis cauſis nolle referri, quam quæ pacis Weſtphalicæ ſanctimoniam, ejusque executiones ad legis præſcriptum legitime factas, laceſſunt, veluti id Evangelicos poſtulare vellent, ut turbandarum rerum operas ſecum conferrent. Nullo enim omnino caſu hactenus ad unicum illud ſolumque fundamentum reſtitutionis & obſervantiæ futuræ, habitam nimirum anno 1624. poſſeſſionem, ſeu factum poſſeſſionis, reſpexiſſe, quo tamen Edicta Cæſarea, de exequenda pace propoſita, Executores unice advertere animum jubeant. Quid enim opus fuiſſe, ut pax de novo ſtatu, ex habita certo tempore poſſeſſione definiendo & quo utriusque partis cauſas judicari verum ſit, decreverit, ſi antiqua jura & privilegia allegare, vel religioſam pacem, olim a Pontificiis Scriptoribus tot ſeditioſis & temerariis ſcriptis correptam, nunc mutatis velis pro anchora & ſumma fere regula rerum judicandarum laudare liceat? idque imprimis in negotio reſtitutionis, ubi pax religioſa multis modis reformata ſit. Ut taceantur inepta alia & veteratoria principia, quibus audacter adoptatis jactatisque fucum facere conantur, quoties in re deſperata ipſos alia ſpecioſiora conſilia deſerunt. Monendos igitur amice Catholicos, ut ab his obliquis praviſque ſibi temperent, rectoque & candido animo de exequenda pace ſtatuant, ſi diurnam illam & duraturam velint.

Hæc fere primo Colloquio inter Proteſtantes acta ſunt. Alterum habuere 4 Non. Jun. quo hæc res denuo ventilata majori conatu.

Itaque Brandenburgicus Electoralis dixit, concedi nullo modo Catholicis poſſe, affirmantibus, ſe Keuſſbairæ anno 1624. in reali poſſeſſione introducendi Ordines religioſos fuiſſe. Factum enim poſſeſſionis, & realem poſſeſſionem ſenſu Inſtrumenti pacis eandem rem eſſe, nec quæri, quid fieri potuerit,

ſu mutare ſtatum Civitatis poſſit, ſive in politicis id fuerit, ſive in Eccleſiaſticis. Neque enim reipublicæ nihil referre, ſintne ordines religioſi in Civitate vel non ſint. Oneri enim eſſe Civitati in ædificiis: ad neceſſitates publicas nihil conferre: eximi a jurisdictione Magiſtratus, & fraudi eſſe juri Patronatus, quod tamen Civitati Kauffbairæ atque Magiſtratui ſimul & pro indiviſo per receſſum executionis adjudicatum ſit. Ut jam taceantur faſtidia atque pericula, quæ religioſi illi ordines, novi imprimis & ſæpe incredibili audacia armati, per ſecretas machinationes & conſilia temeraria calidaq; publico privatisq; creare poſſint, tanto majori ſemper fiducia: quanto longius abſunt a metu punitionis. Deniq; argumentum prohitionis recte ſumi ex art. 5. § 43. verb. in iis locis. Quod ſi enim in re communi alter Dominus diverſæ ab altero religionis in Eccleſiaſticis contra ſtatum anni 24. nihil mutare poſſit abſque conſenſu & voluntate ſui Condomini, quanto minus in mixtis Civitatibus id a minore parte tentari poſſe verum erit.

9. Non ſequi, quia art. 5. §. 29. cum Civitatibus unius religionis diſpenſatum quaſi eſt, ut non cogerentur novum clerum apud ſe invitæ recipere, ergo ab hac neceſſitate Civitates mixtas ſe excuſari non poſſe. Hoc argumentum potius inverti debere, & longe eſſe probabilius, has magis eſſe exceptas, in quibus neutra pars adverſante altera, novi quid & inſoliti poſſit ſuſcipere. Præterea allegato loco agi tantum de Ordinum in Civitate jam exiſtentium permutatione eo caſu, quando prior forte extinctus. At hic cauſam agi novi ordinis introducendi, ubi nullus ante hæc unquam fuerit. De primo caſu ideo neceſſariam fuiſſe conſtitutionem, quia paulo ante de Civibus Catholicis illo tempore in Civitate præſentibus & manſuris actum ſit, ne quis exiſtimet, ea, quæ ſtatim de Ordinibus ſequuntur, ſimiliter ad perſonas Eccleſiaſticas vel individua, de præſenti in ejusmodi Monaſteriis aut cœnobiis degentia ſaltem pertinere: quod ſequenti verſic. *ante omnia* repeti, ideo opus non fuiſſe, quoniam illic de Civibus de præſenti nihil expreſſum inveniatur. Ad hac cauſam, cur de novo Clero ſpeciali lege aliquid cautum fuerit, hanc fuiſſe, ne cui occaſio detur dubitandi ex eo, quod in Civitatibus unius Religionis Monaſteria atque cœnobia illic deſignata, ab Civitate ipſa pomœriis ſuis & muris ita ſeparata ſint, ſuisque rebus relicta, ut parum intereſſe Civitatis videatur, cujus ordinis religioſi ibi verſentur, & num albis vel nigris cucullis amicti ſint. Sed Inſtrumentum pacis ne hanc quidem libertatem tuliſſe, reductione ad ſtatum dicti anni dieique in omnibus facta. Denique poſſe Catholicos utique Kauffbairæ Confeſſione auricu-lari frui, etſi Patrum Societatis opera non utantur, quos anno demum 1627. receptos conſtet, cum ante hæc Catholici Cives ſine iſtis pleno ſuæ religionis exercitio gaviſi ſint: quare autem illo tempore ſine jactura æternæ ſalutis carere

tere potuerint, id his demũ diebus neceſſariũ eis eſſe non poſſe. Quin exulare ad hunc diem iſtos Patres toto Epiſcopatu Salisburgenſi, neq; tamen propterea Homines ullum detrimentum in exercitio religionis ſentire, aut illorum operam ſibi neceſſariam judicare. Notum quoque eſſe, olim eosdem Patres tota Gallia propter Regicidium, & Veneta ditione ob ſeditioſas alias machinationes eſſe exactos, perpetuo ipſis indicto exilio: Nunc fingi licere, non fuiſſe illos reſtitutos, quis crederet, rem Catholicam illis locis deteriori conditione futuram fuiſſe? Et quid ſi hic ordo, ſeculo demum decimo ſexto natus, plane inſtitutus non fuiſſet, num ideo ſacra Chriſtianorum caritura fuerint aliqua perfectionis ſuæ parte, ſane ſi æquis lancibus expendantur merita iſtorum Hominum, cum ſcandalis & damnis, quæ per ſeculum, quo orbi Chriſtiano innotuere, & moralis doctrinæ ſumma corruptione, & turbulentis concionibus auſisque parricidalibus dedere. Hæc, eorum probra & flagitia, quorum teſtes omni exceptione majores non experientiam modo triſtiaque exempla: verum etiam propria ſua ſcripta habeant, quin immenſum merita eorundem exſuperatura ſint neminem forte dubitaturum. Quod vero ad metum armorum attinet, quam exceptionem Catholici contra executionem ſemel factam opponere velle videantur, ea ſane re ipſos non ſatis bona fide agere, ex quo Inſtrumentum pacis art. 16. & Receſſus Executionis Noribergenſis milite etiam præſidiario ad promovendas executiones cum executoribus ipſis, tum reſtituendis uti permittant, atque id genus executiones, utut militares, legitimas tamen pronuncient. Eſſe enim, quando etiam armis facere metum juſte liceat, ſcilicet quoties alter ſua pervicacia nobis adhibendi metus neceſſitatem imponit. Omnem enim executionem vi quâdam niti, in ſubſidium contra eum comparata, qui officio ſuo ſponte deeſt, vel impedit, quo minus alter ſuum conſequatur. Hæc Proteſtantes.

Atque hoc modo commiſſis partibus viſum eſt Catholicis argumenta Proteſtantium ſine reſponſo dimitti non debere: itaque pridie Idus Majas ad ea, quæ in cauſa gravaminum politicorum dicta fuere, hæc regeſſerunt.

1. Non ſequi, reſtitutionem Senatus & officiorum publicorum Kauffbairæ a Commiſſariis executionis factam eſſe, ergo rem neceſſario in ſtatu reſtituto manere debere, nullo remedio nec poſſeſſorio nec petitorio ſuperſtite. Conſtare enim, alterum Commiſſarium majori vi tum ceſſiſſe, non auſum impedire, quo minus reſtitutio ad arbitrium eorum, qui arma tenebant, perficeretur. Sed interea Catholicos rem non duraturam eo ſatis indicaſſe, quod in Receſſu Executionis ſibi jus prærogativæ, ex Carolina competens, expreſſe reſervarint, non invitis Commiſſariis, qui hanc quæſtionem ad Comitia proxima rejecerint, ut ibi de illa decerneretur. Enim vero tum in Comitiis nullo operæ pretio facto, rem omnem denuo ad

hunc Conventum Deputationis remiſſam.

2. Ex adverſo autem perſpicuam eſſe conſequentiam, ſi in Civitate Kauffbairæ legendus Senatus, Magiſtratusque creandi ad legem Carolinæ ſunt, quæ Catholicis hiſce in rebus prærogativam tribuit, ergo Proteſtantes præferri Catholicis, aut potiori jure eſſe non poſſe. Imo hanc prærogativam Catholicos potius ſibi vindicare, quos & in Senatu, & in dignitatibus honoribusque capeſſendis alteram partem vincere æquum ſit, quamvis hoc beneficio rigide uti non decreverint, ſed eo contenti eſſe velint, ſi, quod pro medio compoſitionis proponant, æquali ubique numero utrique poſteris ſint futuri, ad exemplum aliarum Civitatum, ubi æqualitas iſta concordiæ cauſa placuit.

3. Metum armorum Commiſſariis a Milite præſidiario Suecico incusſum Catholicos Cives in Comitiis Ratisbonenſibus exhibito libello memoriali luculenter probaſſe, notumque adhuc eſſe, quod ſub tempus executionis Kauffbairæ inſolentia militum ab altero Commiſſario Coſtantienſi vix manibus ſit temperatum, cui ante Domum ſuam probroſis verbis clamoribusque inconditis inſultatum ſit. Hunc agendi modum pace Weſtphalica non inveniri præſcriptum, neque appellari legitimas executiones poſſe, quas unus ex Commiſſariis perfecerit, territo Collega, & metu licentiæ militaris ne hiſcere quidem auſo. Requiri enim pares numero ex utraque religione, quibus certæ regulæ cognitionis & executionis ſint datæ, quorum neutrum hoc caſu ſervatum. Catholicos igitur de reſtitutione cum exceſſu facta ex art. 17. §. 4. tanto rectius conqueri, quod jam ante Conventus Noribergenſis plurimas executiones eo tempore in circulo Suevico vi militari pervictas ſumme improbarit, datis etiam ad Duglaſſium, Ducem copiarum Suecicarum literis, quibus poſtulabant, ut hac violentia milites ſuos abſtineat, neque ſe rebus Imperii miſceat.

4. Exceſſus in executione Kauffbairæ admiſſos Catholicos plus nimio ſentire ex dominatu illo & prærogativa, quam ſibi Proteſtantes cives in omnibus rebus ſumant contra Carolinam Conſtitutionem. Hoc præteritis Comitiis apparuiſſe, cum Civitas aliquem ex Proteſtantibus eo ablegaret dato generali mandato, & ſigillo publico confirmato, cui ſumptus etiam ex ærario ſuppeditati fuerint, quod deinde utrumque parti Catholicæ negatum, poſtquam huic viſum eſt, ſuarum rerum cauſa ſpecialem Mandatarium Ratisbonam mittere, qui negotia ſua in Comitiis gereret. Huic enim non modo ſumptus ex publico denegatos, quibus Proteſtantes ſuum abunde inſtruxerint: Verum etiam Hos recuſaſſe mandatum, quod Catholici ſuo Ablegato dederint, ſigillo ſaltem Civitatis munire. Qua re, quam ſecum indigno prorſus modo agatur, omnes utique intelligere poſſe; cum in Civitate notoriè mixta Proteſtantes unam

nam Civitatis ſaltem partem, & alteram Catholici conſtituant, quibus invitis illi univerſam Civitatem repræſentare in Comitiis non poſſint. Eandem iniquitatem nunc etiam continuari, dum Mandatarium a Catholicis ad hunc conventum miſſum rebus neceſſariis omnibus deſtituant, cum interea procul dubio opibus Civitatis utantur ad ſui Mandatarii ſuſtentationem.

5 Quanquam Kauffbairæ executione præterita metus armorum atque minæ intentatæ eousque valuerint, ut Commiſſarii, executioni præfecti Proteſtantibus obſequi fere in omnibus coacti ſint, executionem tamen ipſam ea mente non peractam, ut res eo in Statu, in quem tumultuariè & licenter reſtitutæ ſunt, permanere deinceps perpetuo debeant, Catholicis omnì jure ſuo ex Conſtitutione Carolina quæſito, & anno 1624. exercito, dejectis. Proteſtantibus autem omni prærogativa in legendo Senatu gerendisque Magiſtratibus fruituris. Sed illis neceſſitati temporum vique majori cedendum fuiſſe, donec de omni cauſa ab Imperio melius cognoſceretur, id quod ipſi etiam Proteſtatione interpoſita, & a Commiſſariis etiam non rejecta ſatis declararint. Igitur ad hunc caſum non pertinere, quæ alias Inſtrumentum Pacis, & Receſſus executionis Norimbergenſis, nec non arctior exequendi modus ratione facti poſſeſſionis, de executionibus ſuſcipiendis aut peractis ſtatuunt. Primo loco, & ante omnes reſpectus alios attendendum animum eſſe ad conſtitutionem Carolinam, art. 5. §. 10. ita nominatim confirmatam, ut ſalva per omnia & inviolabilis ſit, quatenus huic diſpoſitioni non repugnet. Jam vero circa Civitatem Kauffbairam nihil conveniſſe huic confirmationi contrarium. Conſequens itaque eſſe, ut robur ſuum vimque integram retineat, quam anno 1624. habuiſſe certum ſit. In eum enim ſtatum Catholicos non minus quam Proteſtantes plene reſtituendos eſſe, quo dicto anno fuiſſe reperiuntur. Edicere enim Inſtrumentum pacis de Civitatibus mixtis art. 5. § 29. ut fiant reſtitutiones in omnibus, eoque modo, quo quis propter religionem in Eccleſiaſticis, vel etiam in politicis intuitu religionis turbatus læſusque fuerit. Hanc enim legem non favore eorum, qui turbarunt alios, ſed gravatorum cauſa latam, neque apud pacis Tractatus mentem paciſcentium unquam fuiſſe, ut is, qui per factum exercitæ alicujus poſſeſſionis alium in ſua reali poſſeſſione juris exercendi turbavit, eundem poſtea lædere pepetuo & jure ſuo exturbare poſſit. Potius caveri art. 5. §. 13. ne terminus anni 1624. ullum præjudicium iis creet, qui ex capite amneſtiæ aut aliunde reſtituendi veniunt. Atque hoc ad Conſtitutionem Carolinam recte trahi, petique ut ſecundum art. 3. §. 1. locus ſit reſtitutioni in eum utrinque ſtatum, quo una alterave pars, cui occaſione Bohemiæ Germaniæve motuum aliquid præjudicii aut damni quocunque modo vel prætextu illatum ſit, ante deſtitutionem gaviſa, aut jure gaudere potuerit. At-

Digitized by Google

Atque hoc Catholici Deputati circa politica. Cauſam Patrum Societatis aliquot diebus poſt nempe, 14. Cal. Junias pari ſtudio & artificio diſputandi tutati ſunt, argumentis ſequentibus.

1. In omnibus cauſis, à Deputatione tractandis ad pacem religioſam anno 1555 conditam, reſpiciendum eſſe. Hanc enim pacem religioſam per Inſtrumentum pacis ita confirmari, ut in omnibus ſuis Capitulis rata habeatur, ſancteque & inviolabiliter ſervetur. Quod enim pax Weſtphalica circa eam non mutavit, ejus deciſionem ex religioſa recte peti.

2. In cauſa Jeſuitarum pro reſtitutione Patrum illorum eorumque conſervatione expreſſe facere pacem religioſam, §. Nachdem aber & §. Dagegen ꝛc. quibus locis quod deroget tota pace Weſtphalica nihil extare.

3. Aſſertionem iſtam, quod apud Civitates mixtas neutra pars diverſæ religionis ſine alterius conſenſu uti beneficio in dictis §§. religioſæ pacis conceſſo poſſit, ſed quod opus ſit utriusq; ſuffragiis, tanquam in re communi, ubi præterea conditio prohibentis melior ſit, neque pace religioſa neq; Weſtphalica legi; imo id certo eſſe certius, ejus generis regulas juris ad communiones ſaltem Civiles pertinere, cum in cauſis religionis proprie nulla ſit communio, vel res communis, neq; etiam communis poſſeſſio, cum utraque pars rationes ſuas proprias & ſeparatas habeat, in quibus nec turbari ab alio nec impediri poſſit. Utrisque enim liberam poteſtatem arbitriumque eſſe ordinandi exornandique ſui cultus divini.

4. Proteſtantes ipſos in pacis Tractatibus anno 1646. die 18. Julii exhibito in puncto gravaminum libello declaraſſe, pacem religioſam, atque nominatim §. illum, Nachdem aber ꝛc. inſtar fundamenti eſſe debere cui reſtitutiones gravaminum in Eccleſiaſticis inniti æquum ſit.

5. A Judicio & ſententia Proteſtantium non dependere, an Patres Societatis Kauffbanæ Catholicis ad ſalutem animarum ſuarum neceſſarii ſint vel non ſint. Sibi Catholicis plane aliud videri neque ſane magis ſe paſſuros, a Proteſtantibus ſibi eam circa rem legem modumve ſtatui, quam illis accipere hoc a Catholicis hactenus libuerit.

6. Pacem religioſam verbis ſenſuque minime ambiguo multis locis non in genere modo prohibere, ne alius alteri ſuis in ſacris & ceremoniis impedimento ſit. Verum etiam §. Nachdem aber ꝛc. id ipſum de Civitatibus mixtis diſerte repetere & ſancire.

7. Cum pace religioſa convenire etiam hac in re pacem Weſtphalicam, cum art. 5. §. 7. ubi templorum & Scholarum cuique parti ſuarum cura integra ſervatur. tum art. 5. §. 29. ubi neutri partium alteram de religionis ſuæ exercitio atque Eccleſiæ ritibus & ceremoniis deturbare fas eſt.

8. Toto Inſtrumento pacis ne literam quidem extare, qua Catholici argui poſſint, deteriori ſecum conditione

ne

ne agi in rebus fidei, quam ſuperiores alii Catholici Status vivunt, in quorum poteſtate ſemper fuerit, pro ſui cultus ornatione & exercitio tam Patres iſtos ſocietatis, quam alios religioſos Ordines ex animi cujusque ſententia ſuſcipere & tueri.

9. Hac in poſſeſſione reali libertatis introducendi ordines religioſos antiquisſimis temporibus habita, pace religioſa etiam confirmata, neq; pace Weſtphalica abrogata vel circumſcripta, Catholicos Cives Kauffbairæ Calendis Januariis 1624. utiq; fuiſſe, neque ab eo tempore a quoquam turbatos vel impeditos eſſe. Hinc ex formula pacis deberi eis omnino reſtitutionem in omnia, ſi forte poſt hæc illis ea in libertate creata moleſtia vel impedimentum datū fuerit.

10. Neq; recte & ex ordine facere Proteſtantes, quando reſtitutiones in cauſis gravaminum ſecundum Calendas Januarias anni 1624. decretas, non affirmative modo, ſed & negative interpretari jam volunt, eo ſenſu, ac ſi is, qui anno 1624. jus ſuum non exercuit, in cujus tamen exercendi reali poſſeſſione tum erat, poſthæc illud data occaſione exercere amplius non poſſit. Hanc interpretationem tam religioſæ paci, quam Weſtphalicæ repugnare, atque etiam contra animum paciſcentium eſſe, quandoquidem utriusq; partis gravamina, quorum reſtitutio inter Tractatus pacis petita & denique decreta fuit, non utiq; de exercitio ſuæ religionis ſuique juris: ſed de læſione & turbatione exercitii juris alterius propoſita agitataque fuerint. Atque ex hoc falſitatem concluſionis liquido apparere, qua Proteſtantes uti velint ex eo, quod anno 1624. Patres Societatis Kauffbairæ non recepti ſint, ad perpetuam ipſorum excluſionem argumentum male ducentes.

11. Agere autem nunc etiam Proteſtantes cum Catholicis tanto iniquius, quod illi probari teſtatumque facere nunquam poſſint, partem Civium ſuæ religionis Kauffbairæ anno 1624 in poſſeſſione juris prohibendi, quo minus Jeſuitæ reciperentur, fuiſſe, aut ſaltem de facto obſtitiſſe. Cum igitur eo tempore nullæ eorum quærelæ auditæ ſint de eo, quod hanc quidem circa rem de læſione expoſtularint, ideoq; etiam in numerum gravatorum & reſtituendorum perperam referri. Neque enim Catholicos poſt hæc Jeſuitarum receptione uſos jure aliquo noviter uſurpato; ſed antiquo & ſuo proprio, ab omni tempore exercito, in pace religioſa fundato: anno 1624. realiter poſſeſſo, adeoq; pace ipſa Weſtphalica approbato: denique quo Auguſtanæ Confeſſionis Civibus neque in exercitio ſuæ religionis, neq; in bonis Eccleſiaſticis ullam fecerint injuriam, quod Inſtrumentum pacis art. 5. §. 29. ad fundandam reſtitutionis petitionem neceſſario requirat.

12. Diſtinctionem illam inter mutationem magnam & parvam neq; pace religioſa, neque Weſtphalica niti. Quin uti neutri parti licet alteram in exercitio ſuæ religionis vel ritibus Eccleſiaſticis moleſtiam creare. Ita utrique liberum atque permiſſum eſſe, ut unus-

quisque ſuum divinum cultum ornare atque promovere, ejusque rei cauſa perſonas Eccleſiaſticas, quibus opus habere ſibi videtur, ex religioſis etiam ordinibus conducere & recipere poſſit.

13. In pace religioſa, § Damit auch ꝛc. ut & Inſtrumento pacis art. 5. §. 16. jus diœceſanum, & juriſdictionem Ordinarii Eccleſiaſticam contra Auguſtanæ fidem Confeſſionis conſortes ſuſpendi. Pro Catholicis vero expreſſe reſervari. Quare ſicuti illi ordinarii ante diviſionem religionum ſua in diœceſi omnia jura Eccleſiaſtica abſolute exercuerint, inter quæ poteſtas admittendi religioſos ordines ſemper numerata ſit, qua plurimis locis ipſos anno etiam 1624. uſos conſtet, ita nihil obeſſe, quo minus hoc jure pro ſtatu rei porro utantur aliis etiam in locis ſuarum diœceſium, pro Catholicæ religionis bono, hominumque ſolatio, etiamſi forte anno 1624. exercendi juris occaſionem non habuerint.

14. Falſo prætexi, novos ordines in Civitatibus mixtis tranquillitati publicæ & civium concordiæ obſtare. Idem enim in clamoſos illos atq; rixoſos Prædicantes Proteſtantium dici poſſe, eandem ergo ob cauſam e civitate relegandos, quod nemo facile dixerit, cum ſatius ſit, animorum intemperiem Magiſtratus autoritate coërceri. Quando vero de mente paciſcentium quæritur, non reſpiciendū ad id ſolum, quod Proteſtantes animo agitaſſe probabile eſt; Sed etiam ad Catholicorum cogitata voluntatesque, qui altera paciſcentium pars ſunt. Abſurdū autem eſſe de his credere, voluiſſe eos, ut ſacrorum ſuorum procuratio tantopere in ordinem redigatur, ut excluſis & velut exilio damnatis quibusdam rei divinæ faciundæ maxime neceſſariis perſonis privarent, ſe cum libertate exercitii: tum illis ſimul mediis, quæ pro conſervanda ſua religione idonea aptaque ante alia duxerint.

15. Neq; ſuſpicioni locum eſſe, ac ſi id genus novi ordines a Catholicis ex mera æmulatione, & ut Proteſtantibus per id ægre faciant, recipiantur. In promptu enim Catholicis fore eadem de Proteſtantibus ſuſpicari, quoties illi in religione ſua emendanda exornandaq; pro arbitrio nova quædam conſtituunt. Igitur ſi in his Catholicos propterea ſibi impedimento eſſe nolint, æquum eſſe, ut ipſi viciſſim cum his eadem ratione & modeſtia agant.

16. Lites quondam & controverſias Auguſtæ Vindelicorū atq; Dünkelſpühlæ inter pacis tractatus verſatas ſuo nunc loco merito relinqui, poſtquam omnia illis locis pacifica transactione jam compoſita ſint; optare ſe, ut Kauffbairanis eadem felicitas obveniat.

17. Quæ de metu armorum ſupra fuere dicta, hac in cauſa eadem merito repeti. Neque enim uni ex Commiſſariis, rei exequendæ præfectis, integrum fuiſſe, invito altero expellere Patres Societatis, cauſa nondum ſufficienter cognita, & judicata. Quæ de modo exequendi art. 16. §. 2. habentur, contra eos eſſe decreta, qui ad reſtituendum legitimo judicio damnati executoribus ſe

ſe opponunt. Hos enim compellere ad officium militaribus etiam copiis licere, ſi Executorum vires non ſufficiant. Sed hæc a caſu præſenti aliena eſſe, ubi alter tantum Executor, Auguſtanæ confeſſioni addictus, licentia militari omnia tranſegit, Catholico fruſtra diſſentiente, minisq; inſuper territo, ut animi ſui ſenſa palam proferri non fuerit auſus.

18. Incommoda illa & diſpendia, quæ Civitates utriusq; religionis novorum ordinum admiſſione in publicis ædificiis oneribus civilibus, ut & exemptione a jurisdictione Magiſtratus ſentire perhibeant, non certe eousque valitura, ut propterea veluti per legem generalem novis ordinibus illis locis tanquam aqua & igni interdictum eſſe neceſſe ſit. Interea rationem tamen & æquitatem poſtulare, ut hæc res in id genus Civitatibus mixtis communicato conſilio tractetur. Præterea novos illos ordines ſemper recipi ſumptibus eorum, quorum ſacris operam dant; qua ratione pars altera indemnis præſtetur. Atque hoc ſane pacto Kauffbajræ cum Jeſuitis comparatum eſſe, quorum præſentia neque Auguſt. Confeſſionis Civibus, neque publico ærario ulla ex parte oneri ſit: quando & domus eorum, & vitæ neceſſaria impendiis Catholicorum unice debeantur.

19. Argumentum à loco Inſtrumenti pacis *art. 5. §. 43, verb. in iis locis*, deſumptum, adeo non obeſſe Catholicis, ut magis contra Proteſtantes faciat. Neque enim ibi in re duobus communi uni Domino, qui territoriali ſuperioritate ſimul cum altero gaudet, exercitio publico ſuæ religionis interdici, quo nemo Statuum arcendus eſt. Sed hoc loco utrumq; moneri, ut ſubditis ſervent Statum ſuum, tam ratione publici exercitii, quam aliarum rerum ad religionem ſpectantium. Deſtitutos igitur in liberum ſuæ religionis exercitium per hanc formulam reſtitui, ibique conſervari: Dominum vero Territorii propterea jure ſuæ religionis publice exercendæ non deſtitui.

20. Catholicos à prohibita receptione Novorum ordinum in Civitatibus unius religionis ad permiſſam introductionem in Civitates duarum religionum recte equidem argumentari, eamq; concluſionem tamdiu valituram, donec Proteſtantes contrarium ex pace religioſa vel Weſtphalica docuerint. Neque enim inter hæc duo nihil intereſſe, ordines in Civitatem primo recipias: an ordines, qui ibi extitere, quando deficiunt, cum aliis ordinibus permutes. De hoc ultimo caſu neceſſarium fuiſſe, ut certi quid ſtatuatur apud eas Civitates, ubi Magiſtratus Auguſtanæ confeſſioni ſolum eſt addictus. Nam ſine eo ordinarios Catholicos circa mutationem ordinum potuiſſe ſibi arbitrium arrogare, vigore pacis religioſæ, & juris diœceſani in pace etiam Weſtphalica confirmati. Sed nunc hanc eorum libertatem art. 5. §. 29. per illa verba, *cum clero, intra prædictum terminum non introducto*, reſtrictam & limitatam eſſe.

21. Denique infirmam valde eſſe hanc conſequentiam, religionem Ca-

tholicam Kauffbairæ absque Patribus Societatis diutiſſime ſubſtitiſſe, ergo hosce Patres hoc tempore Catholicis non eſſe neceſſarios. Eodem modo licere argumentari; Proteſtantes, ante annos non ita multos pluribus locis exercitio ſuæ religionis functos eſſe minori numero Prædicantium & paſtorum. Ergo qui poſtea ſupervenere abrogandos eſſe, ut ſuperfluos neque neceſſarios. Capere enim hanc rem mutationem, prout religio augmentum capit. Sicuti igitur Proteſtantes ſibi integrum eſſe exiſtimant, ad ampliorem ſuorum ſacrorum uſum nova inſtituta & opera facere, ſive exſtructis templorum ſcholarumque ædificiis, ſive aucto Paſtorum numero: ſeu denique inceptis aliis, quibus ſuæ religionis Majeſtati & commodis ſe conſulere poſſe confidunt. Ita ſperare Catholicos, eadem æquitate Proteſtantes ſecum acturos, neque admisſuros, ut videantur aliis legem iis in rebus dare voluiſſe, a quibus accipere nullam volunt. In hac ipſa Urbe Kauffbaira, moliri ipſos novum Conſiſtorium, quod anno 1624. non habuiſſe certum ſit. Neque invidere Catholicos huic eorum deſtinato. Sed ſibi etiam opus eſſe quibusdam neceſſariis ad meliorem uſum religionis ſuæ & animarum ſalutem. His Proteſtantes viciſſim oportere faciles ſe & officioſos præbere; Hac ratione omnes offenſas iri vitatum, concordiamque diutisſime duraturam, quando unusquisque ſuis contentus beneficiis religioſæ atque Weſtphalicæ pacis quiete fruitur.

In tanta ſententiarum diverſitate cum paribus utrinque ſuffragiis decerni ad rei ſummam nihil poſſet, ad antiqua ſua & inania inſtituta revoluti ſunt deputati, rati, nihil aliud ſupereſſe, quam ut argumenta ſua utraque pars inſtruendis Delegatis Cæſareis de cauſæ hujus æquitate hinc & inde exhibeant: Itaq; Proteſtantes, quos Catholicorum manifeſtæ calumniæ & protelationes pesſime habebant, diverſis Conventibus diligenter expenderunt, qua ratione ſuas partes probe & perſpicue tuerentur. Hinc datum protinus Saxoni negotium, ut ſcripto comprehendat, quæ defendendæ Proteſtantium cauſæ, ſimulque refutandis adverſariorum argumentis atque detegendis cavillis idonea judicaverit.

Ille poſtquam hæc mandata executus eſt, rem omnem de integro ad Proteſtantes refert, rogans omnium ſententias, ut in medium conferant & libere dicant, quod unusquisque pro cauſa hac probe inſtruenda addi ſcripto poſſe cenſeat.

Primus igitur conſeſſus habitus eſt pridie Calendas Junias, in quo Legatus Brandenburgicus Electoralis hæc duo argumenta propoſuit.

1. Reſtitutionem Civitatum in cauſis religionis, & quæ intuitu earum in politicis mutata ſunt, juxta Inſtrumentum pacis factam manuteri debere.

At Civitatem Kauffbairam ita fuiſſe reſtitutam, ergo &c.

Majorem probari art. 5. §. 29. itemque art. 16. & 17. nec non Receſſu

Exe-

cutionis Noribergenſi, §. und ſolle hierunter ꝛc.

Minorem probari per ipſum Receſſum Executionis, ubi Commiſſarii Cæſarei quater diverſis locis teſtentur, reſtitutionem factam eſſe ad normam Inſtrumenti pacis. Id quod etiam doceat privata Conſtantienſium ſignatio, & declaratio Cæſarea ad Bavarum miſſa, itaque concluſionem firmam rectamque eſſe.

2. Illi qui contra reſtitutionem legitime factam Reſtitutum de novo gravare intendunt, in pœnam fractæ pacis ipſo jure & facto incidunt. Art. 17. §. 4.

Atque Catholici Cives Kauffbaiıenſes & quotquot illorum partes defendunt, contra reſtitutionem legitime factam Evangelicos ibidem gravare intendunt: quot ipſo facto con ſtet. Ergo. Hæc fuere Brandenburgici argumenta, quibus ſtatim ſubjecit.

Excipere quidem Catholicos, de exceſſu in reſtitutione commiſſo. Sed hæc refelli per ipſum Receſſum executionis, qui teſtimonium publicum perhibeat, Commiſſarios omnia ad formulam pacis, Receſſumque Noribergenſem, ut & edicta Cæſarea executos eſſe, ſervatis exacte, quæ ſervari debuere. Imo Commiſſarios conjunctim & ſeparatim id ipſum faſſos eſſe; quin Imperatorem etiam hoc in declaratione ſua haud quaquam celaſſe.

Deinde excipi etiam de metu armorum & licentia militari: ſed nihil illarum rerum probari, Illas enim literas, quas Catholici allegent, eo minus fidem mereri, quod earum ipſos adhuc puduerit, cum producere illas nolint. Quam ob rem habere omnino Proteſtantes, de quo conquerantur. Interea obſtare huic accuſationi, quæ jam allegata ſunt; Scilicet Receſſum Executionis publicum, privatam Conſtantienſis ſignaturam: Denique Protocollum & declarationem Cæſaream, quibus nulla illius violentiæ mentio fiat. Equidem initio quosdam Cives Kauffbairæ leviter tumultuatos eſſe. Sed hos motus ſtatim fuiſſe compoſitos, & reliqua deinde ſumma cum tranquillitate peracta. Certe Conſtantienſes qui in privatam ſuam & clandeſtinam ſignaturam omnia comportaverint, quæ pro Catholicis facere videbantur, violentiam illam, quam nunc demum criminentur non fuiſſe diſſimulaturos, ſi quam fuiſſe compertum habuiſſent; quod utique ſine periculo facere potuiſſent, re tanto ſilentio inter Catholicos clam ſuſcepta & peracta, ut nec Subdelegatis Wirtebergicis, nec Civibus Proteſtantibus nec denique Præfecto Præſidii Suecici ſubolere quicquam, de hoc callido & fraudulento invento potuerit, quod demum poſt tempus aliquot ex tenebris in lucem protractum primum Noribergæ anno 1649. & deinde anno 1651. in Aula Cæſarea ſe oſtentarit.

Tertio a Catholicis perhiberi, ipſam Commiſſionem Cæſaream ſibi proſpexiſſe de juribus ſuis, ex Caro-

Digitized by Google

donec Imperium aliud decreverit. Denique cauſam Jeſuitarum videri dependere a quatuor illis dubiis quæſtionibus, anno 1654. in Comitiis Ratisbonenſibus a Catholicis propoſitis, quæ authenticam pacis Weſtphalicæ interpretationem deſiderent. Sed iniquisſimum fore, ſi interea, & lite adhuc pendente, moliantur Catholici illa dubia in compendium ſuum vertere, iisque pro lubitu uti, veluti jam judicatum pro ipſis fuiſſet. Pacem quidem religioſam permittere cuique parti, quæ ad ſacrorum ſuorum uſum honoremque facere videantur: Sed pacem Weſtphalicam ante alia omnia ſtatus & obſervantiæ anni 1624. rationem habere velle. Itaque prioris pacis religioſæ, inquam licentiam poſteriori aliquando temperari & reprimi, quæ Catholicis jam ultra non permittit, ut poſſint pro ſuo lubitu religioſos ordines inſtituere, aliasque incipere novitates, quæ dicto ſtatui repugnant Adhuc illud etiam Catholicos non eſſe celandum, quantis & quam ſiniſtris ſuſpicionibus hactenus impleverint Proteſtantium animos, quod videantur hoc in Conventu de aliis cauſis nolle referri, quam quæ pacis Weſtphalicæ ſanctimoniam, ejusque executiones ad legis præſcriptum legitime factas, laceſſunt, veluti id Evangelicos poſtulare vellent, ut turbandarum rerum operas ſecum conferrant. Nullo enim omnino caſu hactenus ad unicum illud ſolumque fundamentum reſtitutionis & obſervantiæ futuræ, habitam nimirum anno 1624. poſſeſſionem, ſeu factum poſſeſſionis, reſpexiſſe, quo tamen Edicta Cæſarea, de exequenda pace propoſita, Executores unice advertere animum jubeant. Quid enim opus fuiſſe, ut pax de novo ſtatu, ex habita certo tempore poſſeſſione definiendo & quo utriusque partis cauſas judicari verum ſit, decreverit, ſi antiqua jura & privilegia allegare, vel religioſam pacem, olim a Pontificiis Scriptoribus tot ſeditioſis & temerariis ſcriptis correptam, nunc mutatis velis pro anchora & ſumma fere regula rerum judicandarum laudare liceat? idque imprimis in negotio reſtitutionis, ubi pax religioſa multis modis reformata ſit. Ut taceantur inepta alia & veteratoria principia, quibus audacter adoptatis jactatisque fucum facere conantur, quoties in re deſperata ipſos alia ſpecioſiora conſilia deſerunt. Monendos igitur amice Catholicos, ut ab his obliquis pravisque ſibi temperent, rectoque & candido animo de exequenda pace ſtatuant, ſi diurnam illam & duraturam velint.

Hæc fere primo Colloquio inter Proteſtantes acta ſunt. Alterum habuere 4 Non. Jun. quo hæc res denuo ventilata majori conatu.

Itaque Brandenburgicus Electoralis dixit, concedi nullo modo Catholicis poſſe, affirmantibus, ſe Kauffbairæ anno 1624. in reali poſſeſſione introducendi Ordines religioſos fuiſſe. Factum enim poſſeſſionis, & realem poſſeſſionem ſenſu Inſtrumenti pacis eandem rem eſſe, nec quæri, quid fieri potuerit,

tuerit, ſed quid factum ſit, vel de facto contigerit. A poſſe enim ad eſſe non valere conſequentiam, nec actioni pro obtinenda reſtitutione locum dari, niſi turbatio vel deſtitutio contra factum poſſeſſionis, vel obſervantiæ exercitiumque dicti anni præceſſerit. Paciſcentes enim probe prævidiſſe, difficiliorem, longeq; impeditiorem fore quæſtionem de eo, quo quisque jure eſt potior; ideoque vitandæ omnis rixæ cauſa, & ad reſtitutiones promovendas placuiſſe, ut poſſeſſio cujusque pro unico ſoloque fundamento reſtitutionis & obſervantiæ futuræ habeatur. Ad id, quod Catholici reſtitutiones in cauſis gravaminum, ſecundum Calendas Januarias anni 1624. decretas affirmative tantum, non etiam negative deberi contendant, reſpondeti poſſe illud tralatitium, *regulam affirmative poſitam continere in ſe negativam*, & contra, *regulam negative poſitam includere contrarium illius, quod per regulam negatum eſt*. Poſſe etiam ex actis & Protocollis demonſtrari, inter pacis tractatus Civitates mixtas inter alia pro maximo gravamine id etiam allegaſſe, quod ordines quidam Religioſi iniquitate temporum & violentia inimicorum ſibi obtruſi quondam fuerint. Hinc ſe liberari petiiſſe ab incommodo hoc, & maxime oneroſo hominum genere; idque tanto ſucceſſu actum fuiſſe, ut inter conceptas pacis formulas hæc conditio de ejiciendis Civitate illis ordinibus expreſſis verbis adjecta reperiatur. Neque auſos tum refragari Catholicos, omnium animis ad reſtituendum ſtatum anni 1624. intentis; igitur hoc ſaltem poſtulaſſe, invidiæ vitandæ cauſa, & ut honori quorundam parcatur, ne aliqui nominibus ſuis notentur. Quare tandem placuiſſe, ut art. 5. §. 29 omnes his verbis comprehendantur, *cum Clero intra prædictum terminum non introducto*, quo ſe etiam ſequentia manifeſto referant. *Vel alias intuitu religionis in politicis quocunq; modo aggravata ſint*. Conqueſtos enim imprimis eſſe Proteſtantes in mixtis Civitatibus, quod ſuis rebus novorum Ordinum receptu valde incommodetur. Atque ex hoc apparere, vim facere Catholicos legi, dum eam intuitu præcipue Civitatum mixtarum olim latam nunc callide ad Civitates unius religionis trahere velint. Poſſe enim Teſtes advocari ſine diſcrimine omnes illos, qui conficiendæ paci operam dederunt, de hac reſtrictione illo tempore ne cogitatum quidem fuiſſe. Ex adverſo Catholicos nullo loco Inſtrumenti pacis probaturos, poteſtatem ſibi factam eſſe introducendi ordines religioſos, qui anno 1624. in loco non fuerant. Itaque ſufficere Proteſtantibus generalem regulam reſtitutionis, nec allegatione legis ſpecialis opus eſſe. Habere enim fundatam intentionem, qui regulæ generali innititur, donec probetur contrarium. Denique a jurisdictione Eccleſiaſtica non valere conſequentiam ad poteſtatem introducendi novos ordines. Illam enim verſari primario in jure inter Eccleſiaſticos vel in cauſis Eccleſiaſticis dicendo, ſuisque

que adeo terminis contineri. Et quæ plura tam Legatus ille non infacunde diſſeruit.

Saxo Altenburgicus, non eſſe tergiverſandū, ait, ſed Catholicis libere & coram dicendū, Evangelicos inter tractatus pacis non modo in genere reſtitutionem ablatorum; Sed & ſæpius in ſpecie ejectionem novorum ordinum petiiſſe. Huic eorum poſtulato ita etiam eſſe ſatisfactum, ut omiſſo nomine eorum, quos hoc vel illo loco excluſos cupiebant, generalem regulam, certumque ſtatum temporis obtinuerint, ſecundum quem omnia ubique examinanda, & pro re nata reſtituenda eſſent. Iniquum itaque eſſe, de quibus rebus illi parcendo Catholicorum pudori comiter remiſerint, ne ſcilicet opus fuerit indicatione ſingulorum ordinum, quos manere in Civitatibus, & quos inde migrare volebant, ut nunc hæc eorum ingenuitas & candor fraudulentæ interpretationis præmio donetur, Deinde Proteſtantium jus prohibendi, ne novi ordines In Civitatibus mixtis recipiantur, fundari, non modo jure communi, ſed & ex lege Societatis. Tertio injuriam Proteſtantibus admiſſu Jeſuitarum, factam vel hoc ſolo probari, quod contra eorum voluntates obtruſi eis Kauffbairæ ſint, qua re ſtatum Civitatis in Eccleſiaſticis aliquo modo mutatum fuiſſe neminem forte negaturum.

Megapolitanus cenſuit. Ubi de mente Paciſcentium quæritur, attendendum ad ea præcipue eſſe, quæ in Tractatibus pacis hinc inde fuerint agitata. Jam vero conſtare, Proteſtantes eo tempore, tam in cauſis gravaminum religionis, quam in puncto amneſtiæ plenam reſtitutionem omnium conſtanter deſideraſſe, quæ medio bello ablata ipſis ſunt. Hoc ipſas quidem Tabulas pacis etiam teſtari, art. 5. §. 1. verb. *quæ vero de nonnullis &c.* Sed longe clarius id ipſum doceri quærelis Proteſtantium anno 1645. die 10. Decemb libello exhibitis, & deinde toto actionis tempore ſæpius repetitis, quæque ſuper his ab utraque parte diu diſceptata fuere. Quod enim ad reſtitutionem ex capite gravaminum religionis attinet, non id ſolum egere Proteſtantes, ut omnia certum in ſtatum reſtituerentur, juribus cuique ſalvis, quod in amneſtia factum. Sed deſideria illorum principaliter eo colllimaſſe, ut controverſiis & dubiis quæſtionibus ſuper ſenſu religioſæ pacis a longo tempore motis, & acerrimis partium ſtudiis ſubinde tractatis finis imponeretur, non levi quadam & palliativa vel temporaria cura, ſed compoſitione perpetua, quæ omnis recidivæ expers eſſet. Sicuti enim iſtæ querelæ maxima cauſa belli Civilis fuerint, Edicto Ferdinandeo concitatæ magis quam ſanatæ. Ita Proteſtantes, cum de pace agi ceptum eſſet, ſine diſſimulatione & ambagibus Catholicos non celavere, pacem duraturam fruſtra ſperari, ni remedio extraordinario & turbatis rebus apto cauſa & origo horum malorum, quibus reſpublica hactenus laboravit,

Digitized by Google

tuerit, ſed quid factum ſit, vel de facto contigerit. A poſſe enim ad eſſe non valere conſequentiam, nec actioni pro obtinenda reſtitutione locum dari, niſi turbatio vel deſtitutio contra factum poſſeſſionis, vel obſervantiæ exercitiumque dicti anni præceſſerit. Paciſcentes enim probe prævidisſe, difficiliorem, longeq; impeditiorem fore quæſtionem de eo, quo quisque jure eſt potior; ideoque vitandæ omnis rixæ cauſa, & ad reſtitutiones promovendas placuiſſe, ut poſſeſſio cujusque pro unico ſoloque fundamento reſtitutionis & obſervantiæ futuræ habeatur. Ad id, quod Catholici reſtitutiones in cauſis gravaminum, ſecundum Calendas Januarias anni 1624. decretas affirmative tantum, non etiam negative deberi contendant, reſponderi poſſe illud tralatitium, *regulam affirmative poſitam continere in ſe negativam*, & contra, *regulam negative poſitam includere contrarium illius, quod per regulam negatum eſt.* Poſſe etiam ex actis & Protocollis demonſtrari, inter pacis tractatus Civitates mixtas inter alia pro maximo gravamine id etiam allegaſſe, quod ordines quidam Religioſi iniquitate temporum & violentia inimicorum ſibi obtruſi quondam fuerint. Hinc ſe liberari petiiſſe ab incommodo hoc, & maxime oneroſo hominum genere; idque tanto ſucceſſu actum fuiſſe, ut inter conceptas pacis formulas hæc conditio de ejiciendis Civitate illis ordinibus expreſſis verbis adjecta reperiatur. Neque auſos tum refragari Catholicos, omnium animis ad reſtituendum ſtatum anni 1624. intentis; igitur hoc ſaltem poſtulaſſe, invidiæ vitandæ cauſa, & ut honori quorundam parcatur, ne aliqui nominibus ſuis notentur. Quare tandem placuiſſe, ut art. 5. §. 29 omnes his verbis comprehendantur, *cum Clero intra prædictum terminum non introducto*, quo ſe etiam ſequentia manifeſto referant, *Vel alias intuitu religionis in politicis quocunq; modo aggravata ſint.* Conqueſtos enim imprimis eſſe Proteſtantes in mixtis Civitatibus, quod ſeſe rebus novorum Ordinum receptu valde incommodetur. Atque ex hoc apparere, vim facere Catholicos legi, dum eam intuitu præcipue Civitatum mixtarum olim latam nunc callide ad Civitates unius religionis trahere velint. Poſſe enim Teſtes advocari ſine diſcrimine omnes illos, qui conficiendæ paci operam dederunt, de hac reſtrictione illo tempore ne cogitatum quidem fuiſſe. Ex adverſo Catholicos nullo loco Inſtrumenti pacis probaturos, poteſtatem ſibi factam eſſe introducendi ordines religioſos, qui anno 1624. in loco non fuerant. Itaque ſufficere Proteſtantibus generalem regulam reſtitutionis, nec allegatione legis ſpecialis opus eſſe. Habere enim fundatam intentionem, qui regulæ generali innititur, donec probetur contrarium. Denique a jurisdictione Eccleſiaſtica non valere conſequentiam ad poteſtatem introducendi novos ordines. Illam enim verſari primario in jure inter Eccleſiaſticos vel in cauſis Eccleſiaſticis dicendo, ſuisque

Digitized by Google

quæ adeo terminis contineri. Et quæ plura tam Legatus ille non infacunde diſſeruit.

Saxo Altenburgicus, non eſſe tergiverſandũ, ait, ſed Catholicis libere & coram dicendũ, Evangelicos inter tractatus pacis non modo in genere reſtitutionem ablatorum; Sed & ſæpius in ſpecie ejectionem novorum ordinum petiiſſe. Huic eorum poſtulato ita etiam eſſe ſatisfactum, ut omiſſo nomine eorum, quos hoc vel illo loco excluſos cupiebant, generalem regulam, certumque ſtatum temporis obtinuerint, ſecundum quem omnia ubique examinanda, & pro re nata reſtituenda eſſent. Iniquum itaque eſſe, de quibus rebus illi parcendo Catholicorum pudori comiter remiſerint, ne ſcilicet opus fuerit indicatione ſingulorum ordinum, quos manere in Civitatibus, & quos inde migrare volebant, ut nunc hæc eorum ingenuitas & candor fraudulentæ interpretationis præmio donetur. Deinde Proteſtantium jus prohibendi, ne novi ordines in Civitatibus mixtis recipiantur, fundari, non modo jure communi, ſed & ex lege Societatis. Tertio injuriam Proteſtantibus admiſſu Jeſuitarum, factam vel hoc ſolo probari, quod contra eorum voluntates obtruſi eis Kauffbairæ ſint, qua re ſtatum Civitatis in Eccleſiaſticis aliquo modo mutatum fuiſſe neminem forte negaturum.

Megapolitanus cenſuit. Ubi de mente Paciſcentium quæritur, attendendum ad ea præcipue eſſe, quæ in Tractatibus pacis hinc inde fuerint agitata. Jam vero conſtare, Proteſtantes eo tempore, tam in cauſis gravaminum religionis, quam in puncto amneſtiæ plenam reſtitutionem omnium conſtanter deſideraſſe, quæ medio bello ablata ipſis ſunt. Hoc ipſas quidem Tabulas pacis etiam teſtari, art. 5. §. 1. verb. *quæ vero de nonnullis &c.* Sed longe clarius id ipſum doceri querelis Proteſtantium anno 1645. die 10. Decemb. libello exhibitis, & deinde toto actionis tempore ſæpius repetitis, quæque ſuper his ab utraque parte diu diſceptata fuere. Quod enim ad reſtitutionem ex capite gravaminum religionis attinet, non id ſolum egere Proteſtantes, ut omnia certum in ſtatum reſtituerentur, juribus cuique ſalvis, quod in amneſtia factum. Sed deſideria illorum principaliter eo collimaſſe, ut controverſiis & dubiis quæſtionibus ſuper ſenſu religioſæ pacis a longo tempore motis, & acerrimis partium ſtudiis ſubinde tractatis finis imponeretur, non levi quadam & palliativa vel temporaria cura, ſed compoſitione perpetua, quæ omnis recidivæ expers eſſet. Sicuti enim iſtæ querelæ maxima cauſa belli Civilis fuerint, Edicto Ferdinandeo concitatæ magis quam ſanatæ. Ita Proteſtantes, cum de pace agi ceptum eſſet, ſine diſſimulatione & ambagibus Catholicos non celavere, pacem duraturam fruſtra ſperari, ni remedio extraordinario & turbatis rebus apto cauſa & origo horum malorum, quibus reſpublica hactenus laboravit,

ravit, tolleretur; Scilicet non eum animum eſſe Proteſtantibus, incerto velut ſalo fluctuari, & de religione ſua bonisque Eccleſiaſticis perpetuo in periculo naufragii eſſe, malle ſtrenuum potius bellum, quam ſuperficiariam & inſidioſam pacem. Itaque repudiatis quadraginta & mox centum annis quos Catholici retinendis bonis Eccleſiaſticis offerebant, non aliam rationem reducendæ pacis ſuperfuiſſe, quam ut relinquerentur Proteſtantibus manſuro jure, quæ certo anno dieque in poteſtate habuiſſe fidem facere poſſint, non attento, jure an injuria poſſederint, cum unica ratio finiendæ litis hæc inventa probataque ſit, ſimpliciter in Eccleſiaſticis omnia eum in ſtatum reſtitui, aut ſemel reſtituta relinqui, quo uſu obſervantia & exercitio anno 1624. Calend. Januariis fuiſſe comperiuntur. Atque hoc pacto omnes & ſingulas inter Catholicos & Proteſtantes hucusque ventilatas quæſtiones perpetua quaſi litura abolitas & oblivioni traditas fuiſſe. Ex hac generali regula, quæ fundamenti loco in controverſiis dubiisque decidendis eſſe debeat, judicandum de cauſa Catholicorum Kauffbairæ agentium eſſe, ſtatu Civitatis illius probe expenſo, uti illo anno Calend. Januariis ſe habuit. Fuiſſe autem Civitatem ex utraque religione mixtam, neque illo tempore Patres Societatis ibi receptos utrinque convenire. Hunc igitur ſtatum poſt annum 24. turbatum, jam eſſe reſtituendum, jubendosque Jeſuitas, ut alio migrent, qui anno demum 27. irrepſerint, nidosque ſibi temporum injuria, & Proteſtantibus invitis ſtruxerint. Habuiſſe autem Proteſtantes illo tempore jus prohibendi, ne ſibi illi homines obtrudantur, ex natura Civitatis mixtæ intelligi. In qua, ne id genus novitates & mutationes ſine publica Magiſtratus autoritate ſtabiliri poſſint, rationem ipſam dictare. Neque aliam fuiſſe mentem paciſcentium, qui dum omnia ad ſæpe dictum ſtatum referunt, non potuerint aliud non voluiſſe, quam ut ea, quæ poſtea in contrarium vi obtenta fuerint, reſcindantur; atque hoc ipſum poſt difficilem & implicatam actionem tandem placuiſſe acta abunde teſtari. Neque ſuſpicari de bonis & prudentibus viris fas eſſe, cum unicus ſcopus pacis fuerit, omnes controverſias & lites ex certo quodam ſtatu temporis tollere atque in futurum præſcindere, voluiſſe eos materiem illam & fomitem contentionum in mixtis Civitatibus olim frequentiſſimam ex æmulatione utriusque partis, ſine cura & remedio habere, adeoque hanc quidam circa rem animo egiſſe a ſcopo Principali plane alieno vel diverſo. Denique non poſſe Catholicos ferri cum hoc aſſerto, quaſi eis ante pacem Weſtphalicam ex pace religioſa in Civitatibus mixtis integrum liberumque fuerit, pro ratione commodoque ſuæ religionis novare, quicquid libuerit, & quadrata velut mutare rotundis. Perpetuas enim a Proteſtantibus contra hanc uſurpatam licentiam interpoſitas exceptiones &

Digitized by Google

& querelas, de contradictione illorum & facto prohibendi, ſatis teſtari; quo certe effectum ſit, ut altera pars de vera & legitima poſſeſſione gloriari non poſſit.

Denique Noribergenſis hæc fuit ſententia. Ex variis pacis formulis, quæ inter tractandum propoſitæ ſint, apparere, quo pacto Proteſtantes contra novos illos Ordines, qui poſt annum 1624. tam in Civitates mixtas, quam illas, qui unius ſunt religionis, recepti demum fuere, proſpiciendum ſibi eſſe exiſtimarint, pluribus ſane & ſpecialibus cautelis ejus rei cauſa in medium allatis quas a Catholicis rejectas, vel ob contradictiones eorum omiſſas etiam & neglectas in Tabulis pacis fuiſſe, eo minus eſſe veriſimile, quo magis in promptu ſit, teſtantibus actis fidem facere, conſultius fuiſſe viſum, dictarum Civitatum poſtulata, quæ prolixa nimis & numeroſa erant, regulæ generali compendii cauſa ſubjicere, data fide, omnia & ſingula capita præcedentibus & ſequentibus regulis atque declarationibus comprehenſa intelligi, quarum vi abolitæ prohibitæque intelligi debeant omnes mutationes, quæ interea contra ſtatum anni 1624. irrepſerint. Atque hoc medium Proteſtantes eo lubentius eſſe amplexos, quod ex una parte Catholici teſtati ſint, non alio conſilio hoc ſe poſtulare, quam ut honori famæque novorum ordinum ea re aliquantum conſuleretur; ex altera vero Proteſtantes crediderint, abunde ſibi certo ſtatu rerum cautum eſſe, neque opus ſe habere, ut de ſingulis nominatim ſtatui curent, cum lex univerſalis uno complexu de omnibus jam definierit.

Hæc illa die acta. Sed tertia Idus Junias repetita denuo conſultatio eſt, relatumque de ratione tractandi hoc negotium, ad molliendam Catholicorum duritiem.

Ibi cenſuit Brandenburgicus Electoralis, ab Inſtrumento Pacis, Receſſu Executionis Noribergenſi, & Edictis Cæſareis recedi non poſſe. In dicto Receſſu Executionis, §vo, und ſolle geſchehen, juberi Commiſſarios in caſibus propoſitis ad cognitionem facti poſſeſſionis ante omnia attendere, & ſecundum illud reſtitutiones atque executiones decernere. Ex quo intelligi, paciſcentes, cum de Statu anni 1624 convenere, non reſpexiſſe ad eam poſſeſſionem, quam unus alterve retinere animo forte voluerit: neque etiam ad id, quod illo tempore quis poſſidere potuiſſet: ſed quod reipſa & de facto tum eſt poſſeſſum. His principiis ſi inſtitiſſent Proteſtantes, neque proximis Comitiis ſe circumveniri à Catholicis & ſupplantari paſſi fuiſſent, res eorum melius ſe hoc in Conventu habituras fuiſſe, Quippe in congreſſu Noribergenſi cauſas reſtituendorum certas in Claſſes fuiſſe diſtributas, quas intra tres terminos abſolvi omnes oportuiſſet, aliis tribus menſibus ad reliquorum executionem deſtinatis. Sed hoc mox fuiſſe neglectum atque Proteſtan-

ſtantes in Comitiis Ratisbonenſibus eo peſſime ſibi conſuluiſſe; quod nulla Claſſium deſignationis ratione habita Catholicis de alternatione caſuum liberaliter nimis conceſſerint. Præterea hoc etiam Ratisbonæ fuiſſe peccatum, quod in Receſſu illo, §. Den Zweyten Punct, &c. Proteſtantes mentionem pacis religioſæ admiſerint, cum Noribergæ jam conveniſſet, ut omnium cauſæ ad normam Inſtrumenti pacis Edictorumque Cæſareorum, ipſumque illum Receſſum Noribergensem judicarentur. Quo primo errore Proteſtantium Catholicos jam adeo abuti, ut cum Receſſus Imperii ultimo loco pacis religioſæ mentionem faciat, Hi nunc illam ſuis in deliberationibus pro fundamento & norma principali cauſis judicandis ubique habeant laudentque. Quod vero ad quatuor illas quæſtiones dubias attinet, non conſultum videri, ut Proteſtantes ſuper iis mentem ſuam amplius explicent, poſtquam id abunde factum ſit in tribus illis cauſis, quæ hactenus in diſceptationem venerint. Satis enim in cauſa Hildeſienſi declaraſſe, quid de Civitatibus Municipalibus ſentiant. Civitatum vero mixtarum conditionem hoc ipſo caſu, & altero, qui proxime præceſſerit, Hagenoenſi, ad nauſeam excuſſam eſſe. Qua occaſione dictum etiam fuerit, quid juris ſit in re communi inter Condominos ſuper exercitio religionis cuique propriæ, quæ ſi non ſufficiant ad convincendos Catholicos de manifeſta malitia, nihil ſuperfore, quibus convinci poſſint, præter arma. Quartam vero quæſtionem nondum veniſſe in diſputationem, quare eam moveri a tempore alienum videri, nec alii rei bono futurum, quam litibus ſerendis, etſi Proteſtantes ne hic quidem in diſceptatione de jure redituum pertimeſcendos Catholicos habeant, cum pace Weſtphalica art. 5. §. 25. & §. 47. verb. *reditus etiam &c.* ſatis clare habeatur, ut ejus generis reditibus illi perpetuo fruantur, qui anno 624. in poſſeſſione percipiendorum fuere.

Saxo Altenburgicus his adſtipulatus eſt, negans, mandatum ſe habere, ut agere cum Catholicis de quatuor hisce quæſtionibus poſſit; quin ſibi imperatum eſſe, ne hoc fieri pateretur. Interea nihilominus haud abs re fore, ſi Proteſtantes inter ſe hac ſuper re conſilia ſua conferrent, pro majori jurium ſuorum ſtabilimento, & ne Catholici ſe imparatos inveniant, quando ipſis viſum provocatione certare.

Brunſvico - Zellenſis dixit, has quæſtiones eſſe velut Rhodum, ubi ſaltu opus, neque inter Proteſtantes & Catholicos ulla in cauſa facile conventum iri, his in medio relictis, neque deciſis.

Noribergenſis optavit, ut de quatuor quæſtionibus, a Catholicis in Comitiis Ratisbonenſibus propoſitis inter utramque partem tranſigi poſſet, namque experientia compertum eſſe, in

cauſis

cauſis reſtituendorum nihil omnino, aut ſane valde parum profici poſſe, quamdiu de illis dubiis non conſtat, quæ in omnibus fere caſibus occurrant, ſententiasque Deputatorum diverſas in partes inclinent. Cum ex adverſo, hac offenſa ſublata, plurimæ cauſæ facilem & expeditam dijudicationem ſint habituræ.

Saxo denique Electoralis ita cenſuit, Quandoquidem hoc tempore non de impediendo vel turbando exercitio religionis Evangelicæ, ejusque libertate circumſcribenda agatur, quibus rebus olim Majores noſtri ex calumnia religioſæ pacis ſæpius inquietati fuere; Sed Catholici nunc quæſtionibus quibusdam vel dubiis in medium allatis non tam nocere nobis vel præjudicare, quam libertati ſuæ religionis quibusdam locis conſulere intendant, matura ſane deliberatione dignum eſſe, quid factu ſit opus? & num præſtet ſpem omnem de cauſis reſtituendorum abſolvendis ob dubia illa nondum remota abjicere: vel quovis modo eo allaborare, ut via aliqua aperiatur ad obtinendum hunc ſcopum, ſive illud colloquiis, ſive transactionibus, ſive quacunque alia ratione, prout ſingulorum caſuum conditio poſtulare videbitur, tentari placeat. Neque enim Catholicos contra pacem Weſtphalicam excipere, vel ejus fundamentum, habitam ſcilicet anno 1624. poſſeſſionem, ſive factum poſſeſſionis impugnare. Sed eandem cum Proteſtantibus regulam faciendarum reſtitutionum ponere. Ac proinde in eo ſaltem in diverſum ire, quod velint illis tantum hanc regulam prodeſſe, qui actu ſeu de facto aliquid poſſederunt, non vero ad ſtatum locorum etiam extendere: adeoque factum poſſeſſionis Catholicorum opinione opponi juri, quod alius forte habere in re poterat, & quo nunc eum lex privet: id quod ſancte nunc etiam ſervatum, omnesque reſtitutiones ſecundum hoc nudum factum poſſeſſionis decretum iri promittant. At longe aliud eſſe cum de ſtatu loci quæritur, de quo forte anno 1624. paulo aliter comparatum fuerat, quamvis Proteſtantium eo tempore nihil interfuiſſet, an hoc vel illo modo ſe res habuerit. Itaque ſub hac regula non videri caſus comprehendi, quoties factum poſſeſſionis Proteſtantium non læditur, ſed quando Catholici in cauſis ſibi ſuæque religioni propriis nunc mutari quædam paulo aliter velint, quam olim conſuetudo & uſus tulerat, ſine omni Proteſtantium tamen incommodo & injuria. Veluti inſtitutione ſimultanei, uti vocant, vel novorum ordinum allectione, quibus opus habere ſibi perſuadent pro expeditiore animarum cura. Prope invidiam enim eſſe, hæc eis negare, quæ nulla Proteſtantium injuria, nullove damno petantur. Atque hanc inſimulationem tum maxime eſſe vitandam, quando non omnino certum eſt, an pax Weſtphalica id genus quæſtiones definierit, an vero judicandum de illis ſit ex pace religioſa, quæ ſtatibus libertatem omnimodam dederit, de religionis cujusque commodis ſtatuendi. Neminem

minem enim eſſe, quem lateat, multa in Tabulis pacis ob diverſa partium ſtudia occultataque conſilia ambiguis & ſuſpenſis verbis deſcribi debuiſſe, quæ duplici jam ſenſu laborent, non omnino nulla paciſcentium culpa, quos cum tædium cepiſſet diuturnæ & longe difficillimæ actionis, in cauſis præcipue ad religionem ſpectantibus, neque etiam certantium res ferrent, redintegrari bellum quod omnium opes viresque fere conſumpſerat, omnes tandem utcunque ſibi tranſigendum potius exiſtimaſſe, quam incertas fortunæ vices porro experiri. Præcipue cum Gallis Suecisque de emolumentis eorum compendiisque ſatisfactum jam ex voto fuiſſet; Quin præſenſiſſe eodem tempore Paciſcentes, certamina multis de rebus non ceſſatura. Itaque ne ob id genus dubia relicta bellum recrudeſceret, non modo interdictum omnibus in genere eſſe, ne jus ſuum vi armisque perſequantur, verum etiam prudenter de agendi ratione ſtatutum, art. 5. §. 50. ſi dubii quid ex cauſis pacem religioſam aut Weſtphalicam tangentibus reſultet, de quibꝰ noluere inter partes aliter tranſigi quam in Comitiis vel aliis Imperii conventibus, amicabili compoſitione: id quod deinde Comitiis Ratisbonenſibus, §. Den zweyten Punct ꝛc repeti denuo atque confirmari. Quibus probe conſideratis ſe, (Saxonem puta Electoralem) utique cenſere, multis modis conſultius præſtantiusque fore, ut de mediis æquis atque idoneis circumſpiciant Deputati, quam ut hunc conventum nullo facto operæ pretio ſolvi permittant, irritatisque nunc etiam plus, quam ſatis eſt, animis frena quaſi laxent ad licentiam conſulendi ſibi ſine modo & ordine, prout cujusque res forte ferant. Interea rem altioris eſſe indaginis, dignamque omnino, quæ ſubacto, omnique affectu vacuo, judicio probe verſetur, quando conſultatio inſtituitur de quatuor illis dubiis, quæ hactenus exequendæ paci tantopere impedimento fuerunt, an ſcilicet expediat conciliationem eorum una opera tentari. Sibi ſane experientia edocto, videri, niſi hoc perpetuum offendiculum removeatur, fruſtra de reſtituendorum cauſis agi, ſive continuari hunc conventum placuerit, ſive ſoluto eo Litigantes negotia ſua ad ſumma Imperii Tribunalia deferre oporteat. Utrisque enim regulam deeſſe, legemque certam, quam in ferendis ſententiis ſequi tuto liceat; Atque hæc eſſe, quæ pro natura hujus negotii dicenda, ſibi exiſtimarit. Percupere autem ſe etiam aliorum judicia audire, neque repugnaturum, ſi ſatius videbitur nihil movere, ſed omnia in incerto relinqui. Sin vero operi manum admovendam forte placuerit, neceſſe fore, ut Deputati inter ſe amice colloquantur, periculumque faciant, quid expectandum a Catholicis ſit. Sic enim brevi cogitata eorum manifeſtatum, certoque cognitum iri, bona fide nobiſcum agant, an vero animos obfirmarint ludificandis Proteſtantibus cauſisque reſtituendorum perpetuis Cavillis protrahendis:

Secun-

Digitized by Google

Secundum quæ deinceps Proteſtantes conſilia ſua longe melius recturos.

Poſthæc non invenio, de quatuor illis dubiis quæſtionibus componendis actum porro fuiſſe, negotiis aliis ſub inde exortis, quæ Deputatorum curam occupabant. Una tamen alteraque de liberatione adhuc tentata ratio eſt, quo pacto, quave meliore conditione cauſa Civitatis Kauffbairæ finiri poſſit. Hic repetio, ſpem de Jeſuitis exilio damnandis protinus abjectam fere omnem fuiſſe, animis in id maxime intentis, quomodo ſtatus Civitatis componi ſaltem in politicis poſſit: Hinc primo inter Proteſtantes ipſos diverſæ quæſtiones ſunt agitatæ

1. De Sigillo Civitatis, quod Senatus Catholicis commodare nolebat ad expediendas res, quæ non univerſæ Civitati communes, ſed ſibi, Catholicis inquam, peculiares ſunt; cum interea pars Civitatis Proteſtantium eo ſuis in rebus utantur. Hic viſum eſt, utramque partem curare poſſe, ut in ejusmodi negotiis ad obſignandas literas aliave documenta proprium quisque ſigillum habeat.

2. De Deputatis ad Comitia aliosque Imperii conventus ablegandis, an ſcilicet in Civitatibus mixtis major unius religionis pars arbitrium perſonarum ablegandarum adeo in poteſtate ſua habeat, ut parti alteri cedendum numero ſit, etſi in electione conſtet non fuiſſe habitam rationem ſuæ religionis. Verbi gratia, Civitas Kauffbaira, Proteſtantium ſuffragiis conſiſa in Comitiis præteritis mandata dederat alii Civitati religioni Evangelicæ unice addictæ, Catholicis Civibus reclamantibus, &c, ut res Civitatis communes Civitati committerentur, ex duabus religionibus mixtæ, poſtulantibus. Hic viſum eſt Proteſtantibus, libertatem votorum non ſic poſſe coërceri, ut quæ major pars in cauſis religionem non concernentibus decreverit, reliquis numero victis irrita facere aut reformare liceat.

3. De Syndico Civitatis quæſitum, num ille communibus Civitatis ſumptibus conductus uni parti ſuæ religionis adverſus alteram patrocinio ſuo poſſit adeſſe? Quod rurſus eandem ob rationem affirmatum, quia Syndicus ille eſt conſors litis, qui etiam ſine mandato admittitur. Neque vero Catholicos ipſi propterea negare ſtipendia poſſe, modo conſtet, eum in reliquis negotiis officia ſua ad communem Civitatis utilitatem ita præſtitiſſe ut nihil ſit, quod alius in ſua diligentia fideque deſideret.

4. Denique an Proteſtantium Eccleſiarum Scholarumque Miniſtri, ſi eos anno 1624. univerſus ſenatus, ex Evangelicis & Catholicis compoſitus judicaverit, hoc etiam tempore coram eodem ſenatu in jus vocari poſſint, & reſpondere teneantur, ex quo Proteſtantes interea proprium ſibi conſiſtorium inſtituere? Altenburgenſis hoc affirmavit, quia unicum ſolumque fundamentum futuræ obſervantiæ eſſe debeat ſtatus anni 1624. Neque tamen ideo

ideo ſequi, tollendum rurſus illud conſiſtorium eſſe, quod anno 1624. ibi incognitum adhuc erat. Quamvis enim cauſæ, de quibus dicto anno univerſus Senatus jus dixit, illi relinquendæ ſint, nec avocari vel transferri ad Tribunal aliud poſſint. Reliqua tamen negotia Eccleſiaſtica, de quibus illo tempore in Senatu judicatum non eſt, penes Proteſtantium curationem manere, cum Catholicis ex ſolo *ſtatu eorum negativo* jus vel poſſeſſio quæri non potuerit. Quod ſane hunc Legatum dixiſſe mirum eſt, tantopere eorum immemorem, quæ paulo ante omnes Deputati Proteſtantes adverſus Catholicos, eodem argumento pro Jeſuitarum defenſione utentes, præfracte negaverant, hac inter alia poſitione: *regulam affirmative poſitam continere in ſe etiam negativam*, & vice verſa, *regulam negative poſitam includere contrarium illius, quod per regulam negatum eſt.* Unde Trevirenſis Nonis Novembribus in Collegio Electorali inconſtantiam eorum multa quidem cum modeſtia, ſed evidenti ratione retorquendi Proteſtantium argumentum arguit. Catholici, inquit, negant, quod Proteſtantibus Kauffbairæ facultas ſit, inſtituendi Conſiſtorii; ratio, quod in ejus uſu & poſſesſione anno 1624. non fuerint. Enim vero hic Proteſtantes excipere, ſe, licet actu conſiſtorium hoc anno non habuerint, fuiſſe tamen illo tempore in reali poſſesſione juris illud inſtituendi, cum id comprehenſum ſit jure publici exercitii & regiminis Eccleſiaſtici, ſeu Poteſtatis Epiſcopalis. At hoc ſane argumentum, ſi Kauffbairæ pro Evangelicis Civibus militat, ait Trevirenſis, tum vero æque pro Catholicis valiturum, quoties ſe Proteſtantes ad nudum ſtatum habitumque loci velint adigere; Quamvis enim Catholici Jeſuitis anno 1624. ad commoditatem exercitii publici ſuæ religionis uſi non ſint, fuiſſe tamen in poſſesſione reali introducendi patres, idque ex illa libertate ordinandi ornandique ſacra ſua, quam pax religioſa cuique parti luculentis verbis indulget. Quod igitur eis anno 1624. ſine cujusquam prohibitione vel injuria ſuo jure ſtatuere licuit, de eo ſi poſt illum annum quocunque tempore deinde ſtatuere, id utique ex habita poſſesſione recte factum videri, atque ipſa pace Weſtphalica defendi &c. Non video, qui Proteſtantibus in parato ſit, huic argumento objicere, ut non ſimul ipſi cauſam, ex qua pro Conſiſtorio obtinendo egere, vulnerent.

Ultima deliberatio, quæ in cauſa Civitatis Kauffbairæ inter utriusque religionis Deputatos inſtituta fuit, habita eſt pridie Calendas Novembris, & continuata Nonis Novembribus, ubi denuo de Carolina ordinatione multa & varia dicta fuere. Catholici urgebant denuo jus prærogativæ, ex hac Carolina ſibi debitum, cui fraudi non ſit, quod anno 1624. Senatus cæteraque officia Civilia majori ex parte Proteſtantium in manibus fuerint; Hoc ipſum enim ſecundum antiquam obſervan-

ſervan-

Digitized by Google

ſervantiam & intentionem dictæ Carolinæ factum, cum eo tempore Catholicorum copia non daretur, qui apti ad Senatorias dignitates muniaque publica eſſent, adeoque ex ipſa lege Carolina hanc inopiam ſurrogatione Proteſtantium ſuppleri debuiſſe. Sed ex eo non ſequi, Carolinam dicto anno in legendo Senatu creandisque Magiſtratibus non obtinuiſſe, vel jus prærogativæ Catholicis ex illa quæſitum abrogatum eſſe. Nam ut modo dictum, oportuit tum Proteſtantes eligi adoptarique ob penuriam Catholicorum, quorum numerus vix ad viginti familias adſcendebat. Qua conſideratione motos ſane fuiſſe anno 1649. Commiſſarios, ut hanc omnem rem ad Comitia proxima & Statuum univerſorum cognitionem referendam exiſtimaverint, teſtantibus actis, ſuper executione confectis. Neque tamen Catholicos Cives hac prærogativa ſua pertinaciter inſiſtere velle, ſed petere ſaltem æqualitatem, ut pari ſint numero in Senatu & publicis officiis: aut denique ſi hoc impetrare non poſſint, ut unus ſaltem ex Conſulibus ſuæ religionis ſit, ne omnis poteſtas Civitatis revera apud Proteſtantes maneat.

Sed regeſſere denuo adhæc Evangelici, Conſtitutioni Carolinæ, Carolo Imperatore latæ, poſt illa tempora, multis modis derogatum fuiſſe. Mox enim Ferdinandum I. anno 1564. declaraſſe, ut in legendo Senatu officiisque publicis Civium Auguſt. Confesſioni addictorum cum Catholicis par ratio per omnia habenda ſit, nullo religionis diſcrimine. Deinde docuiſſe experientiam, a temporibus fere religioſæ pacis Kauffbairæ Senatum maxima ſui parte ſemper ex Proteſtantibus compoſitum fuiſſe, muniaque civilia ab iisdem obita, quod documento ſit vim Carolinæ diu non duraſſe. Præterea jubere Inſtrumentum pacis, ut omnia a Proteſtantibus anno 1624. poſſeſſa, ſi deinde intuitu religionis turbati vel dejecti fuerint, in illum ſtatum, qualis dicto anno erat, reſtituantur, idque pleniſſime; neque curare legem, jure an injuria dejectus quis turbatusque fuerit, ſed habitam poſſeſſionem, ut ſolum unicumque fundamentum reſtitutionis & futuræ obſervantiæ, unice reſpici. Fuiſſe autem Proteſtantes illis Calendis Januariis in Senatu & officiis eo numero, quo nuper per Executores reſtituti ſint, id quidem in confeſſo etiam apud Catholicos eſſe. Iſta ſi obſerventur porro, Proteſtantes non fore impedimento, quo minus in cæteris Carolinæ vis ſua & auctoritas conſtet. Quod ad propoſita media de pari numero utriusq; religionis, vel unius ſaltem Conſulis Catholici creatione attinet, poſſe hæc, uti contraria paci Weſtphalicæ, Civitati non obtrudi, quod ſi vero Civibus Proteſtantibus placuerit, ſuper his cum Catholicis tranſigere, Deputatos Evangelicos non modo impedimento non fore; verum etiam officiis ſuis amicabilem compoſitionem promoturos. Interea æquum eſſe, ut Catholici ad omnes

de publico conſultationes convocentur, audianturque ſuffragiis ſuis, ſalvo tamen ſemper potioris partis jure. Quod ſi autem illi ſua ſponte ſenatum relinquere velint, ſeque ſeparent a Conſultationibus, Proteſtantes & jure Communitatis & ex Reſcripto quodam Cæſareo, anno 1624. die 27. Febr. edito curandarum rerum & adminiſtrandi publici facultatem, adeoque jubendi vetandiq; merito retinere, cum ſint majori numero, & poteſtate ordinaria agant.

Poſthæc paucis adhuc actum fuit de Præfectura Noſocomii, Spitalmeiſter Amt: & Prætura ſeu Vicariatu temporali. Interims-Stadthalterey. Primum officium Catholici eam ob cauſam repetebant, quod id Proteſtantibus neque occaſione belli, neque intuitu religionis vel Eccleſiaſticorum ablatum fuerit. Ut adeo ad cauſas reſtituendorum referri hic caſus nullo modo poſſit. Ad hæc allegabant poſſeſſionem anno 1624. habitam, quamquam occaſio juris exercendi defuerit, quod ſibi præjudicio eſſe non poſſit, cum nemo citra ſuum factum & culpam jure ſuo privandus ſit, & ipſi Proteſtantes ſuum fundamentum principale ſuper habitam ejusmodi poſſeſſionem collocent. Quo loco renovata a Catholicis mentio poſtulati Proteſtantium de Conſiſtorio, dixitque Colonienſis: aus den Augſpurg. Confeſſ. Verwandten behaupteten Conſiſtorio und dazu angeführten rationibus ſehe man, daß es eben dieſes ſey, was vormahls ex parte Catholicorum pro firmiſſimo argumento aus dem Religions-Frieden gebrauchet worden. Woraus dann folge, daß der Religions-Friede in dergleichen reſtitutionen nicht bey Seite zu ſetzen, noch alles materialiter & Phyſice auf den bloſſen ſtatum de anno 1624. könne gerichtet werden.

Hæc fere ſunt, quæ Proteſtantes inter & Catholicos jactata diſceptataque fuere in duabus illis cauſis Hagenoenſi, ſcilicet, & Kauffbeurana, quæ in pleriſque, ex quibus reſtitutio petitur, ſibi ſimiles, hoc uno maxime contrariæ fuerunt, quod cum illic Proteſtantes reſtitutionem peterent; hic Catholici, atque ambo ſæpe iisdem argumentis pro fundanda quisque ſua intentione uterentur, nihilominus una pars alteram confutare & refellere maſcule ſciverit, quoties ea, quæ ante probaverant, in cauſa diverſa adverſariis commoda, ſuis vero rationibus aliena fore obſervaſſent. Unde cum voluptate, an mœrore potius legere eſt, quo fervore, quibusve ſtudiis utrique, ut ſuæ quisq; religioni gratificetur, abrepti & velut captivati fuerint, nullo fere reſpectu juris, quod dum ſua in re unusquisque ſibi ſtatuit, eodem tamen uti alterum in ſua nolebat, veluti hoc eis negotium datum fuiſſet, non ut jus æquum inter partes ſine perſonarum rerumque affectu dicerent, ſed ut ſibi in omnibus data opera adverſarentur, ſeque mutuis certaminibus laceſſerent atque fatigarent: id quod in promptu foret ſingulis in articulis eorum, quæ acta ſunt, demonſtrare, niſi religio nobis

eſſet,

Digitized by Google

eſſet, famam & conſcientiam virorum, cætera egregiorum ſuggillare. Sed cauſa omnis offenſionis hæc maxime erat, quod inter Deputatos conveniri non poſſet, quæ dicenda ſint ad ſenſum pacis Weſtphalicæ *poſſeſſio realis*. Quod item *factum poſſeſſionis*. Proteſtantes enim naturalem rei vel loci ſtatum habitumque venditabant poſſeſſionem, ita ut mutari deinde nihil poſſet, quod anno dieque illa fatali aliter ſe in Eccleſiaſticis habuiſſe compertum erat. Catholicis ex adverſo deſiderantibus; ut, qui nunc impedimento eſſe velit, quo minus res poſt annum 1624. mutata in ſtatu illo manere poſſit, cujus ſcilicet reſtitutionem in ſtatum priorem ex formula pacis petit, eum docere oporteat, non modo ſui interfuiſſe, mutationem non fore factam; Verum etiam ſe illo tempore fuiſſe in poſſeſſione prohibendi illam mutationem. Verbi gratia, ut exemplo utamur jam ſupra propoſito. Fuit in Civitate, ex utraque religione mixta Templum, ſive Evangelicis, ſive Catholicis ſine controverſia proprium, in quo Calendis Januariis 1624. ſacra facta non ſunt, cum tamen fieri ab iis, quorum erat proprium, absque dubio potuiſſent. Hic Proteſtantibus viſum eſt, ſtatum loci unice inſpiciendum, templumque cultu & religione vacuum deſertumque in poſterum perpetuo ſic relinquendum eſſe, ut nullo jure reſtitui cultus divinus ibi poſſit, niſi ex nova partium conventione. Enimvero negant Catholici, hanc pacis interpretationem ferendam eſſe, cum ex ſtatu accidentali alicujus loci vel rei nemo ſua poſſeſſione exturbetur, vel hæc alii quæratur, cujus nullum factum intervenit: Nam ad merum etiam vel nudum factum poſſeſſionis utique ſaltem *facto* aliquo opus eſſe, quo poſſeſſio alterius tentata & interverſa ſit. Sed jure an injuria id fieri potuerit, nihil referre, cum factum poſſeſſionis tollat quidem quæſtionem de poſſeſſione juſta vel injuſta, ſed ſimplicem loci aut rei ſtatum vel conditionem non comprehendat, quæ cum poſſeſſione nihil omnino commune habeat, neque enim, qui re ſua aliquo tempore uſus non eſt, cum poſtea eam, interea ab alio, nec corpore nec facto occupatam, repetat, atque de facto apprehendat, prohiberi poſſeſſione ex eo poſſe, quod negligentior in uſu fuerit, quando nemo alius eſt, qui docere poſſit, ſe aliquo ſaltem facto de illius negligentia ſuum compendium feciſſe. Nam ſi quis alterum in uſu rei ſuæ ex facto quodam poſſeſſionis impedire velit, eum non ſatisfacere judici, ſi probet, alterum re ſua olim hoc modo non fuiſſe uſum. Quid enim hæc circumſtantia, quæ meræ eſt facultatis, ad factum poſſeſſionis? Sed hoc doceri oportere, fuiſſe ſe vel alium in poſſeſſione prohibendi, quam facto aliquo ſibi comparaverit, libertati alterius in uſu rei ſuæ contrario. Igitur non ſtatum loci, ſed factum hominis requiri, & hoc eſſe velut conditionem facti poſſeſſionis, quo dato de juſtitia vel injuſtitia ejus facti non amplius quæri, cum *nu-*

Digitized by Google

dum ſufficiat. Neque opus eſſe, factum illud anno 1624. intervenilſe, modo quis hoc anno ejus facti reſpectu libero uſu rei ſuæ impediri ſe paſſus fuerit: hoc enim eſſe illud quod jam *factum poſſesſionis*, ſeu accuratius loquendo poſſeſſionem facti impedientis ſeu prohibentis dicimus. Eandem eſſe rationem vocabulorum, *uſus*, *obſervantia*, *exercitium*: Hæc enim non tam referri ad actus meræ facultatis eorum, quorum res vel jura propria ſunt, quam ad interventionem illorum, qui facto quodam libertati meæ adverſanti effecere, ut ad uſum, obſervantiam atque exercitium provocare illis liceat. Ad *uſum* enim & *obſervantiam* neceſſario requiri actus & facta, neque auditum unquam fuiſſe, hoc ſolo, quod ego re mea non hoc ſed illo modo uſus ſim, præſcribi libertati, aliter utendi, niſi contradictum mihi ab alio ſit, ac propterea ego prohibitus fuerim uſu libero. Et hæc utique fundari non modo in dictamine rectæ rationis: verum etiam in juris communis regulis, quæ ad omnem juris præſcriptionem factum aliquod prohibentis requirant. Utiq; non ignorari, ex non uſu alterius etiam mihi jus præſcriptione quæri poſſe: Sed hanc unam eſſe conditionem in eo, contra quem præſcribitur. Interea in me etiam ſi præſcribere velim, requiri alteram, ſcilicet, ut ſi res corporalis ſit, poſſeſſione uſuque nitar. Sin incorporalis, tum mihi certe contradictione ſaltem & prohibitione eſt opus. Exempli cauſa ſit fundus aliquis, quem Dominus centum annos incultum dereliquit. Si hoc fundo alius interea non eſt uſus, Dominus autem poſt centum illos annos ad culturam ejus redierit, prohibere ſane eum uſu rei ſuæ nemo poterit, cum adſit nemo, qui uſu ſe potiorem poſſit probare. Sed longe abſurdius hoc fore, ſi vellemus Dominum fruitione prohibere, quando nemo eſt alius, qui rem ſibi vindicat, ſed eam velit perpetuo ſine cura eſſe, veluti rem nullius. Ita fac etiam me in re alterius ſervitutem habere, qua uſus non ſim longo tempore; Hic concedi quidem, non uſu amitti ſervitutem, quamquam in Servitutibus urbanis ſolus non uſus etiam non ſufficiat, ſed opus ſit, ut Dominus rei libertatem uſus præſcripſerit. Enim vero hac præſcriptione non niſi Dominum rei ſervientis gaviſurum. Iſte ſi non obſtat, ſed frui alterum ſervitute patiatur, cui eſt conſtituta, alios, quorum nullum factum extat, cur eorum interſit, intercedere, uſuque mihi interdicere non poſſe. Eodem pacto comparatum eſſe de illis rebus, quæ ad inſtruendum ornandumque cultum divinum unius in Civitate partis ſpectant, ſi alterius partis nihil interſit, quo minus iſta paulo aliter adornentur, quam anno 1624. fuere; Pacem enim religioſam plenam libertatem dediſſe Statibus utriusq; religionis, ut pro lubitu ſtatuere de rebus poſſint, quibus ad ſacra promovenda, ad curam animarum, ad cultus Majeſtatem, denique ad ceremonias & ritus Eccleſiaſticos opus ſe habere exiſtimaverint,

Digitized by Google

rint. In hac poſſeſſione libertatis fuiſſe omnes Status, quibus eo tempore per alios impedimentum non eſt creatum: creari autem impedimentum ſive ipſarum rerum occupatione, ſive contradictione & prohibitione, hoc pacto, ut in poteſtate poſſidentis non fuerit facultas exercendæ per omnia ſuæ libertatis. Tum demum enim ex ſtatu quodam ſeu uſu prohibentem jus ex pace habiturum. Quod ſi vero nihil ejusmodi impedimenti intervenit, ſed is, cujus res eſt propria, illa re anno 1624. eo ſaltem modo uſus non eſt, de quo forte poſthæc ſtatuit, cum ſi dicto anno idem ſtatuere voluiſſet, nemo fuiſſet, qui id prohibiturus foret, non videri ſane cur nunc in uſu libero arctandus ſit. In ſuo enim ipſum regno eſſe, nec æquitatem ferre, ut ab aliis, qui ſibi in id genus negotiis plane ſunt extranei, leges accipiat. Itaque diſtinctionem illam inter magnam & parvam mutationem hic locum non habere, ubi nullum prorſus ſit alterius partis judicium, ſive in magnis, ſive parvis in rebus: Imo hac ipſa diſtinctione Proteſtantes cauſam ſuam perdere; Nam ſi Inſtrumentum Pacis parvis ejusmodi, quas vocant, mutationibus non obſtet, verbi gratia. Si in Templis altaria augeri numero fas ſit, miſſasque legi plures quam anno vigeſimo quarto ſolitum erat: Idem illud ſane non magis obſtiturum, quando ad cultus divini ornamentum & dignitatem poſt illum annum vocati receptique Ordines religioſi ſint, quos vocare etiam anno 24. ſine ulla contradictione partis adverſæ licuiſſet. Nam Miſſarum utique celebrationem, Altariumque apparatus non minimam partem cultus Catholici facere, neque inter res parvas numerari poſſe. &c.

Hæc a Catholicis dicta propugnataque video tanta argumentorumque vi fiduciaque, ut, ſi fatendum, quod res eſt, Proteſtantes mihi reſponſionibus ſuis non usque quaque ſatisfecerint: Præſertim cum animadvertam, ipſos ſibi per omnia non conſtare, ſed ſæpe iisdem rationibus & argumentis, quæ in parte adverſa ferre nolunt, pro ſe tum certare, quando ſuarum partium cauſas agunt. Id quod luculenter apparuit illa quæſtione de Conſiſtorio Kauffbairæ in Civitate inſtituendo, quale Proteſtantes anno 1624. ibi non habuere. Dicunt enim, fuiſſe ſe in poſſeſſione inſtituendi ejusmodi Conſiſtorii, quam ſolo non uſu perdere non potuerint, ſi nullum Catholicorum factum in contrarium poſſit allegari. Neque etiam referre Catholicorum, habeant Conſiſtorium vel non habeant, cum illud cauſis ſuis Eccleſiaſticis, quæ alias ad Catholicos non pertinent, unice deſtinatum ſit, ut ordine compoſitiore, magisque ex dignitate omnia agantur. Quippe nominis magis quam rei cauſam verti. Proteſtantes enim Cives non poſſe impediri, quo minus Eccleſiaſtica ſua negotia ſeparatim a Catholicis tractent: perinde itaque fore, ſi hæc peculiari novoque ex ſuis Collegio, ſive Magiſtratui commiſerint, qui Conſiſtorium vocetur: an more antiquo de cauſis ejusmodi cognoſcant. Recte ſa-

ne & ex ordine hæc dicta videntur; Sed hoc aſſequi ego nulla ratione poſſum, quo pacto fiat, ut Proteſtantes jus ſibi aut libertatem eſſe velint creandi novi Magiſtratus Eccleſiaſtici ? & ſimul interdicant Catholicis facultate ſtatuendi de Jeſuitis recipiendis, quibus tamen Hi opus ſibi eſſe credunt, ad animarum ſuarum ſalutem. Nam ſi Status anni 1624. hanc novitatem circa Jeſuitas damnat, damnabit profecto illam etiam circa conſiſtorium, cum par ubique ſit ratio, & pars utraque iisdem argumentis negotio pervincendo uſa inveniatur, niſi forte quod non crediderim, impermiſſum alteri parti velint, quod permiſſum juſtumque ſibi eſſe arbitrantur.

Quemadmodum vero hoc juris Capite procul dubio Catholici ſuperiores mea quidem ſententia fuere; ita mihi perſpecta res eſt, eosdem in Cauſa Civitatis Hagenoënſis manifeſta calumnia circumduxiſſe Proteſtantes, quos ſuo religionis exercitio, ſuoque templo & ſcholis obtentu pacis Gallos inter & Domum Auſtriacam initæ prohibere ſunt conati. Nam ſive mandata inſpicias, quæ ab Imperatore & Imperio Deputati habuere ad cauſas cognoſcendas: ſive ipſius negotii naturam, nihil omnino occurrit, quo malam eorum fidem & malitioſam tergiverſationem contegas. Juſſi erant Deputati cauſas judicare ad normam & ductum pacis Osnabrugenſis cum Succis factæ, Quid igitur de pace Gallica ſolliciti fuere, quæ ad eos nihil pertinuit ? Deinde Hagenoa Civitas non abdicata Imperio fuit, & in Gallos translata: Sed manſit in noſtra ditione, quibusdam ſaltem juribus Gallo ceſſis. Iisdem igitur etiam legibus uti debuit, ut proinde mirum videatur, Catholicos ſtulto religionis Zelo tela Gallis ſuppeditaſſe ampliandæ in urbem ipſam poteſtatis ſuæ atque dominationis. Tertio indigniſſima res erat Germana virtute atque candore, non intercedentibus Gallis, quorum tamen Miniſter & Legatus in conventu verſabatur turpiſſima prævaricatione non modo illorum advocatum non rogatos agere: Verum etiam ipſos ſimul velut dato ſigno concitare velle miſcendis rebus. Denique ſi vel maxime Tabulas pacis Gallicæ adhibere volueris, huic uti dirimendæ, nihilo magis protectiſſe videberis, Scilicet conventum in illis non modo disertis verbis eſt, ut compoſitio de controverſiis circa bona Eccleſiaſtica & libertatem exercitii religionis inter Imperatorem & ſtatus inita, atque Inſtrumento pacis Succicæ inſerta pace etiam Gallica *firmetur atque ſtabiliatur eodem plane modo, ac ſi de verbo ad verbum huic inſerta legeretur.* Verum etiam oſtenſus ſimul præſcriptusque eſt modus, quomodo ſcilicet Gallus conſervare ibi religionem Catholicam debeat; nimirum 1 *Quemadmodum ſub Auſtriacis Principibus conſervata fuit.* & 2. *ut omnes, quæ durante hoc bello novitates irrepſerunt, removeat.* Quid nunc Catholicis hac in lege præſidii, quæ illas ſaltem novitates tollere jubet, quas

quas præteritum bellum invexerat, cum arma Suecorum per Alſatiam rerum potirentur: religionem vero Proteſtantium non abolet. Hanc enim Auſtriaci quoque diu toleraverant. Quin etiam pacta, inter Cives diverſarum religionum pro cujusque partis libero exercitio inita plus una vice auctoritate ſua firmavere, ſtabiliendæ tranquillitatis publicæ cauſa. Sit itaque Gallus obligatus ad conſervandam Catholicam religionem: at certe primo obligatus etiam eſt eadem lege ad ſervandam conventionem de compoſitione gravaminum religionis. Deinde non eſt obligatus ultra eum modum, quem tenuiſſe Auſtriacos conſtat, ſub quibus utraque religio publica fide ſtabilita & libere exercita fuit. Utique enim licet quidem Gallis Hagenoæ optimo maximo jure religionem Catholicam ad præſcriptum modum conſervare. Sed illi ipſi ſimul pati debent, ut Proteſtantium res in eum quoque ſtatum reſtituantur, quo anno 1624 fuere. Neque enim inter hæc pugna. Sed conciliante lege conveniunt potius. Unde profecto mirum non eſt, puduiſſe Catholicos ipſos in privatis ſermonibus tricarum ſuarum, & urgente conſcientia ſingulos coram amicis damnaſſe, quæ conſpiratione quadam in publico confeſſu propugnare coacti fuere, prævaricantium multitudine pudorem ſingulorum levante. Hactenus de cauſis Eccleſiaſticis.

Jam quod ad Ordinem Senatorium muniaque Magiſtratuum & officia reliqua in Civitate utraque attinet, iis in rebus non magis dubito, quin utrinque etiam nimiis partium ſtudiis peccatum ſit. De quo ut rectius ſtatuatur, non modo ſeparandæ cauſæ harum Civitatū erunt, quia utrobique par ratio eſſe in omnibus non videtur: Verum etiam accurate ſtatuendum, quid quantumve unusquisque anno 1624. in Senatu & gerendis Magiſtratibus actu poſſediſſe dici revera poſſit.

Cauſæ diverſitas in eo maxime conſiſtit, quod non inveniam Conſtitutioni Carolinæ, qua Catholici in cauſa Civitatis Kauffbairæ tantopere gloriati ſunt, Hagenoæ etiam locum fuiſſe. Nulla enim ejus tota actione fit mentio. Reſpiciendum itaque hoc caſu ad pacta & transactiones inter ipſos Cives initas. Deinde etiam diverſiſſimam cauſam facit, quod Hagenoæ Senatus & Magiſtratus intuitu religionis non fuerint mutati Catholicis æque ac Proteſtantibus rebellionis cauſa loco motis: cum Kauffbairæ demum poſt annum 1624. odio religionis inter victricia Cæſareanorum arma Proteſtantes Senatu & Civitate pulſos conſtet.

Altera eſt inſpectio de habita anno 1624 poſſeſſione. Ubi præcipua quæſtio quid revera illo tempore unusquisque poſſedit? Multum enim intereſt inter *poſſeſſionem eligibilitatis*, ſi loqui ita liceat, cum minimum dicto anno Cives ex utraque religione apti nati fuerint, ut legi in Senatum, & ad honores officiaque publica promoveri poſſint: & *eligendi* neceſſitatem, ut neceſſarium ſit,

ex

Digitized by Google

ex utraque parte aliquos definito numero deſtinari. Ex primo poſſeſſionis modo peti ſolum reſtitutio in aptitudinem illam poteſt, integro de cœtero eorum arbitrio, penes quos jus eligendi eſt, velint ex una parte vel utraque novos Senatores, novosque Magiſtratus deſignare. Alter vero poſſeſſionis modus neceſſitatem facit, ut amborum rationem haberi oporteat. Sed hic rurſus plurimum refert, certo & definito numero cuique parti in Senatu & Magiſtratibus loca ſua debeantur, an vero incerto & indefinito. Illum ſine conſenſu univerſæ Civitatis nec minui nec augeri fas eſt. Hic vero ex libertate eligentium mutationem pati poteſt. Aliquando contingit etiam, ut in Senatum atque Magiſtratus alternis vicibus ſuccedatur, ſurrogato ſemper in Proteſtantis locum Catholico, & vice verſa.

Quæ cum ita ſe habeant, ad diverſos utique poſſeſſionis modos diligenter advertendum erit, quoties de habita anno 1624. poſſeſſione agitur. Sane de perſonis, ſive individuis, quæ in Senatu vel Magiſtratu olim fuere, antequam occaſione motuum Bohemicorum aut belli Germanici pellerentur, res controverſia caret. Horum enim quotquot facta pace ſuperſtites adhuc erant, peti reſtitutio ex amneſtia in ſacris & profanis tam quoad ditiones quam dignitates & jura ex formula pacis utique poterat. Sed an defunctis illis alii ejusdem religionis vel legendi in Senatum, vel ad gerendos in Civitate Magiſtratus illos, quos Deceſſores geſſerant, vocandi ſint, majorem dubitationem habet. Neque hic ſatis eſt demonſtraſſe, qui ſtatus Civitatis anno 1624. fuit, niſi ſimul oſtendatur, hunc ſtatum eo tempore ex jure ſeu poſſesſione utriusque partis fuiſſe neceſſarium, non vero accidentalem. Itaque certisſima regula poſſesſionis cujusque probandæ hæc eſt, ſi doceatur, anno illo decretorio in Civitate hunc ſtatum, ſive ex pacto, ſive uſu fuiſſe, ut illi qui anno 1624. Senatoria dignitate vel honoribus publicis ornatus eſt, deinde vero injuria belli aut inimicorum conſpiratione in exilio forte obiit, oportuiſſet alium ſive ex ſua ſeu diverſæ religionis, & huic deceſſuro interim alium per vices ſubſtitui, ſi dicto anno & nondũ turbatis Civitatis rebus vita functi fuiſſent: Nam ſi electus ipſe liberis ſuffragiis eſt, & ſaltem ſors ita tulit, ut ex ſua religione aſſumptus ſit, cum alius etiam ex alia aſſumi potuiſſet, non video, qua ratione illi cives, qui cum iſto nunc unius ſunt religionis, posſesſionem aliam laudare posſint quam *eligibilitatis*, ſeu aptitudinem poſſe eligi. Unde ſi verum fuiſſet, hoc Catholicorum aſſertum, Hagenoæ nunquam ſive legibus ſive conſuetudine obtinuiſſe necesſitatem eligendi juxta Senatores Magiſtratusq; Catholicos alios etiam ex Proteſtantibus, ſive pari, ſive impari numero, ſed liberrimam ſemper electionem ibi viguiſſe, ex privilegio quodam a Rege Wenceslao Civitati conceſſo utique mihi haud levi argumento pugnaſſe viderentur. Niſi forte excipere placeat, libertatem eligendi, qualis anno 1624.

1624. in uſu erat, non reſtitui, niſi ante omnia Senatus eodem numero ex utraque religione reſtituatur, quandoquidem nunc ex Catholicis totus compoſitus Proteſtantibus nihil relinquat, quod pro ſuis impoſterum ſperent. Cui tamen exceptioni Catholici rurſus oppoſuere, ſe ab omni tempore ſummum arbitrium tam in legendo Senatu quam conſtituendis Magiſtratibus habuiſſe, nec Proteſtantes unquam æquo jure ſecum fuiſſe, quos ipſi, Catholici inquam, numero & auctoritate ſuperiores ſemper vicerint. Verũ igitur eſſe, ut Proteſtantes nunc etiam a ſe uti ante hac, expectent, quicquid hoc in negotio deſiderant, quamquam iis, qui poſt hæc forte aſſumendi in Senatũ erant, denegare jus ſuffragii nolint, modo in decernendo plurium ſuffragiis ſtetur, uti olim ſtatũ fuerit: Contra hæc cauſæ Proteſtantium nihil valde adjumenti ex natura & conditione civitatum mixtarum accedit. Præterquam enim quod negant Catholici Hagenoam inter Civitates mixtas referri poſſe aut relatam unquam fuiſſe, de illis ipſis mixtis Civitatibus art. 5. §. 29. aliud ſtatutum non eſt, quam ut in eum ſtatum, in quo Calendis Januariis tam in ſacris quam in profanis fuerunt, ad exemplum reliquorum ſtatuum reponantur. Quo res ad dubia ſuperiora velut per circulum revolvitur.

Interea quoniam Proteſtantes ad tranſactiones & pacta provocarunt, quibus Hagenoæ communi conſenſu Civitatis religio Evangelica non ſtabilita modo eſt, ſed & in ordine Senatorio, atque Magiſtratibus & officiis obeundis inter utriusque religionis cives certa quædam proportio ex decreto publico & contracta obligatione ſancita perhibetur: ad hæc pacta eorumque tenorem ante omnia reſpiciendum erit, ſi conſtare velimus, quæ cujusque partis anno 1624. ſit poſſeſſio ſeu factum poſſeſſionis: Nam ſi iſtis conventionibus non permiſſum modo eſt legi in Senatum Proteſtantes: Verum etiam, ut definito numero & ordine legantur, conventum atq; imperatum: tum vero hæc poſſeſſio non ſolum eſt eligibilitatis, ſed & debiti atque neceſſitatis, quamvis per hanc libertati electionis nihil decedat, cum exerceri iſta in toto numero Civium Proteſtantium poſſit: Sicuti eadem ratione liberam Electionem dicimus Catholicorum, cum ex cœtu Catholico quidam idonei leguntur.

Igitur cum de poſſeſſione unius vel alterius partis agitur, prima conſideratio eſſe debet, num nihil in legibus hac de re ſit expreſſum. Harum enim ratio ante omnia merito habenda eſt. Atque hanc ob rem, quæ Tabulis pacis de Auguſta Vindelicorum, Dunckelſpühla, Biberaco & Ravenſpurgo conventa leguntur, ſervanda ſtricte ſunt, ſine ullo reſpectu ad habitam vel non habitam poſſeſſionem. Has enim quatuor Civitates dum pax Weſtphalica ſuis ſpecialibus inſtitutis ordinat, eas regulis generalibus eximit quatenus hic forte contrariæ ſunt. Deinde ſi per legem publicam nihil eſt proditum, videndum, quid Civitatis Pacta & Statuta ferant; Tertio quid mos ſeu conſuetudo anno vigeſimo quarto adhuc rata, validaque, quod tempus præci-

ſe ſanctio publica definiendis cujusque poſſeſſionibus, juribus, q; ex poſſeſſione oriundis pro *unico & ſolo fundamento* reſtitutionis & obſervantiæ futuræ eſſe voluit. Ad hujus rei ſummam non parum confert longū tempus, frequentia actuū celebratum. Sicuti enim nudus & fortuitus loci ſtatus, ſive numero perſonarum, ſive rerum conditione habituque æſtimare illum velis, nec poſſeſſionem, nec factum poſſeſſionis probat, ſi res anno 1624 aliter ſine cujusquam injuria ſe habere potuiſſet. Ita ex adverſo ſufficit, facultatem ex pacto, vel diuturno ſaltem uſu atque obſervantia eo tempore adfuiſſe, nemine ſcilicet impedituro vel prohibituro, quamquam caſu quodam fortuito defuerit occaſio, quo minus actu ſeu facto jure illo uſi ſimus.

Ad eundem fere modum judicandum de cauſa eſt, quoties de extraneis quæritur, qui Hagenoæ Jus Civitatis ambiunt. Catholici enim ajebant, habere Magiſtratum Civitatis eam circa rem privilegia ſua & libertatem, quibus ex æquo & bono uſurus ſit, quamvis ſibi ab aliis legem dici nolit. Sed reſpondebant, Proteſtantes, fuiſſe non ſolum anno 1624. Hagenoæ Cives Proteſtantes Catholicis numero ſuperiores; Verum etiam in Civitatem receptos eſſe omnes ſine reſpectu religionis, quos Reſpublica dignos habuit, qui hoc jure donarentur. Enimvero nunc omni poteſtate ad Catholicos delata, ſi horum arbitrio ſtandum ſit, perpetuum videri Proteſtantibus exilium indictum, etſi Urbs bellis exhauſta civibus egeat. Nunquam enim defore Catholicis quod cauſentur, cur petentibus Jus Civitatis negandum ſit. Tanto minus autem hoc ferendum eſſe, quod pace Weſtphalica art. 5. §. 35. prohibitum inveniatur, ne quisquam ullibi ob religionem deſpicatui habeatur, aut a Mercatorum, Opificum, tribuumque Communione, *aliisve juribus aut commerciis* arceatur. Atque hoc ipſum niti generali illo fundamento de exacta mutuaque æqualitate inter utriusque religionis Status & ſingulos ſervanda, de quo art. 5. §. 1 Cautum fuerit, ut quod uni parti juſtum eſt, alteri quoque juſtum eſſe debeat, ſine omni fraude & invidia &c.

Hæc ſane utcunq; habeant ſpeciem æqui & recti, penitus tamen inſpecta non videntur omni difficultate carere. Neque enim verſamur nunc in illo caſu, quando in urbe aliqua Civibus Proteſtantibus par eſt cum Catholicis & æquale jus in dando jure Civitatis. Sed ubi hujus rei arbitrium Magiſtratus Catholicus ſemper habuit, & ſi anno 24. plures Cives Proteſtantes in Civitate vixerint, inter Catholicos tunc ſine diſcrimine recepti. Quod ſi enim poſthæc ille Magiſtratus aliquando parcior in hoc jure diſpenſando, aut ſaltem minori in Proteſtantes favore eſſe velit, quæritur, qua formula pacis compellari ad communicandam Civitatem poſſit. Civium enim Proteſtantium, qui forte ibi adhuc ſunt, nulla habetur ratio, cum ſupponitur, rerum ſummam penes Catholicos eſſe. Exteri petere quidem jus Civitatis poſſunt; Sed repulſam paſſi non habent de quo conquerantur. Quamvis

enim

Digitized by Google

enim anno 1624. exteri nonnulli jure Civitatis donati fuerint, non eſt tamen, cur poſſeſſionem allegent, cum beneficium Civitatis ſit, libere & ex occaſione datum, prout unus alterve dignum ſe aliquando hoc honore meritis ſuis forte exhibuit, nulla gentis nominisque prærogativa, ut in vaga adeo libertate nemo unus inveniatur, qui cauſam vel factum poſſeſſionis, quare alteri prælatus fuerit, jactare poſſit. Quamquam & illud veriſſimum, ſi qui adhuc Cives occaſione motuum Bohemicorum & belli Germanici urbe pulſis ſuperſtites facta pace fuerint, eos utique ex amneſtia generali in omnia ſacra & profana reſtituendos eſſe: quia iſtorum longe alia ratio quam peregrinorum, quibus in Civitate locus nullus unquam fuit in quem reſtitui poſſent.

Quemadmodum igitur in cauſa Hagenoenſi quoad Politica Catholicos fortaſſis potiore jure fuiſſe quis dixerit, in Eccleſiaſticis autem captioſa & maligna pacis interpretatione reſtitutionem Proteſtantium cum ſumma horum injuria fruſtratos eſſe. Ita ſane ex adverſo in cauſa Kauffbeirana Proteſtantes Catholicis, quod ad Jeſuitas attinet, litem non neceſſariam moviſſe videntur: ratione vero politicorum iisdem argumentis poſtulata Catholicorum dimidiam ſuorum partem in ſenatum & ad officia civica petentium, rectiſſime retudere. Neque juvare hos valde potuit toties jactata ordinatio Carolina, cum jam ab immemoriali fere tempore, ſed imprimis anno 1624 deſitum fuerit, ad hujus Conſtitutionis formulam legere Senatum & Magiſtratus creare, quod ipſo facto ſatis cognoſcitur, quum dicto anno, quin etiam longe ante Proteſtantes ubiq; in dignitatibus honoribusq; Civitatis Catholicos numero longe vicerint, quod fieri non potuiſſet, ſuperſtite & ſalva Carolina. Neque præjudicio eſt, quod in aliis quibusdam Civitatibus mixtis Weſtphalica pax omnia, quoad fieri potuit, ad aliquam æqualitatem in adminiſtrandis publicis rebus reduxerit. Ubi enim hoc factum æquum eſt, ut legi ſtetur, Reliqua ſub generali pacis diſpoſitione relicta ſunt. Nam Hagenoa etiam mixta Civitas ſine controverſia eſt, quicquid etiam Catholici in contrarium ſint cavillati. Neque ipſi tamen juſtum cenſuere, ut diviſio Senatus & Magiſtratuum inter partes æquis portionibus fiat. Quare ſatis utique Proteſtantes Kauffbairæ in eo conceſſere, quod receperint, tot numero Senatores Catholicos in Senatu perpetuo manſuros, quot anno 1624. hac dignitate veſtitos fuiſſe probari poſſit. Poterant enim excipere, ſicuti iſtos eo tempore libera electione aſſumptos conſtet, ita defunctis his alios aptitudine ſua, *poſſe eligi*, quam ſolam anno 1624. cives ex utraque religione poſſederint, contentos eſſe debere, ac proinde ipſam dignitatem Senatoriam a libera electione expectare, qua in re pluribus ſuffragiis, utcunque cadant, & quibuscunque faveant, ſtandum ſit. Quam diſputandi rationem cur Proteſtantes a Catholicis in Caſu Hagenoenſi non probe didicerint eaque in præſenti cauſa jure retorſionis uſi ſint, mihi certe mirum videretur,

retur, niſi ſcirem, ipſos per hoc bonam fidem adverſariis probare voluiſſe, ut hos magis tricarum ſuarum pudeat; qua in re ego candorem illorum atque ſinceritatem tantopere laudo, ut vellem eos præterea aliquid de jure ſuo ſtricto remiſiſſe, & civium concordiæ dediſſe, quando Catholici ſub finem actionis pro omni conditione tandem poſtularint, ut ſibi unum ſaltem Conſulem in Senatu ſua ex religione habere liceat. Nam ſi hoc ipſis conceſſum fuiſſet, poterat ſaltem hæc lis per Deputatos finiri, quæ poſthæc Proteſtantibus multas ſane moleſtias creavit, dum Cives Catholici favore Aulæ Cæſareæ confiſi in hoc usq; tempus Proteſtantes variis Mandatis & Commisſionibus, a Judicio aulico decretis, vexare & terrere non deſiſtant, cum aliqua ſuggillatione directorum Circuli Suevici, quos dum Cæſar ſuſpicatur, ne officium ſuum facerent ad mandatorum tenorem, non dubitavit transferre ad alios mandata ſua, iisque de cauſa cognoſcenda poteſtatem facere: Hac deteriori Proteſtantium Conditione, quod aſtu Aulici Judicii Commiſſario Catholico ſemper adjungi is ex Proteſtantibus & delegari Judex ſolitus eſt, qui minori ſtatu & auctoritate dignitatem alterius ex officio comiter colerere & velut reſpectare tenetur, quæ res in ejusmodi cauſis libere voci plurimum nocet. Neque ego Deputatorum Proteſtantium in Conventu Francofurtano excuſationem probo quod Partibus transacturis impedimento eſſe nolint; decernere vero rem cum Catholicis Sententia Judicis eum ad modum non poſſint: Juſſi enim ſunt Deputati a Statibus, & in mandatis expreſſe habebant, receſſu Imperii de anno 1654. §. den Zweyten Punct &c. Viam monſtrante, ut in omnibus cauſis de compoſitione amicabili ante omnia laborent; Neque dubium eſt, ſi auctoritatem ſuam apud Proteſtantes Cives interpoſuiſſent, indicatis moleſtiis & vexis, quas deinceps habituri ſint, ſi hæc cauſa inenodabilis relinquatur, quin componi res potuiſſet. Ut nunc taceam Proteſtantes hac transactione procurata parvo damno magnam gratiam apud Catholicos inire potuiſſe, futuros forte, in cæteris tractabiliores, cum æquitate & facilitate Proteſtantium moti indignum generoſo animo forte judicaſſent, officioſitate & ſtudiis pacificis vinci. Sed hæc occaſione ſemel elapſa jam incuſari magis quam ſanari poſſunt. Nobis hoc loco viſum eſt Specimini noſtro III. metam ponere, & Lectorem de quarto mox ſecuturo certiorem facere.

Digitized by Google

MEDITATIONVM
AD
INTSRVMENTVM PACIS
CÆSAREO-SVECICVM
SPECIMEN QVARTVM.

ANNO M DCC VIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

MEDITATIONUM
AD
INSTRUMENTUM PACIS
CÆSAREO-SVECICUM
SPECIMEN QVARTUM.

ARTICULUS V.

§. 30. XII.

QVantum deinde a) ad Comites, Barones, Nobiles, Vaſallos, Civitates, Fundationes, Monaſteria, Commendas, Communitates & ſubditos b) Statibus Imperii immediatis ſive Eccleſiaſti-

Jus reformandi exercitium religionis;

a) *Quantum deinde.*) Nova hic velut Epocha videtur incipere. In duo enim ſumma capita hic articulus dividitur. Uno de cauſa religionis & Eccleſiaſticorum inter ipſos Status hucusq; transactû fuit, altero vero ſtatuitur quid Domino Territoriali in Subditos liceat diverſa ſacra amplexos. Jus reformandi vulgariter appellatur, quod plures ſub ſe partes continet. Non modo enim regendis ſubditorum conſcientiis incumbit: Verum etiam ad res ſacras & Eccleſiaſticas, templa inquam, Scholas, Xenodochia, Noſocomia, Orphanotrophia, Monaſteria, reditus atq; penſiones & ſimilia extenditur, ut ſequentia oſtendent. Itaque cum ait lex, *quantum deinde*, adverbio hoc *deinde* indicatur ordo rerum tractandarum, quomodo Paciſcentes jam uno capite abſoluto tranſitum ſibi ad alterum parant.

b) *Ad Comites, Barones, Nobiles, Vaſallos, Fundationes, Monaſteria, Commendas, Communitates & ſubditos*) An ſuf-

dum ſufficiat. Neque opus eſſe, factum illud anno 1614. interveniſſe, modo quis hoc anno ejus facti reſpectu libero uſu rei ſuæ impediri ſe paſſus fuerit: hoc enim eſſe illud quod jam *factum poſſeſſionis*, ſeu accuratius loquendo poſſeſſionem facti impedientis ſeu prohibentis dicimus. Eandem eſſe rationem vocabulorum, *uſus*, *obſervantia*, *exercitium*: Hæc enim non tam referri ad actus meræ facultatis eorum, quorum res vel jura propria ſunt, quam ad interventionem illorum, qui facto quodam libertati meæ adverſanti efficere, ut ad uſum, obſervantiam atque exercitium provocare illis liceat. Ad *uſum* enim & *obſervantiam* neceſſario requiri actus & facta, neque auditum unquam fuiſſe, hoc ſolo, quod ego re mea non hoc ſed illo modo uſus ſim, præſcribi libertati, aliter utendi, niſi contradictum mihi ab alio ſit, ac propterea ego prohibitus fuerim uſu libero. Et hæc utique fundari non modo in dictamine rectæ rationis: verum etiam in juris communis regulis, quæ ad omnem juris præſcriptionem factum aliquod prohibentis requirant. Utiq; non ignorari, ex non uſu alterius etiam mihi jus præſcriptione quæri poſſe: Sed hanc unam eſſe conditionem in eo, contra quem præſcribitur. Interea in me etiam ſi præſcribere velim, requiri alteram, ſcilicet, ut ſi res corporalis ſit, poſſeſſione uſuque nitar. Sin incorporalis, tum mihi certe contradictione ſaltem & prohibitione eſt opus. Exempli cauſa ſit fundus aliquis, quem Dominus centum annos incultum dereliquit. Si hoc fundo alius interea non eſt uſus, Dominus autem poſt centum illos annos ad culturam ejus redierit, prohibere ſane eum uſu rei ſuæ nemo poterit, cum adſit nemo, qui uſu ſe potiorem poſſit probare. Sed longe abſurdius hoc fore, ſi vellemus Dominum fruitione prohibere, quando nemo eſt alius, qui rem ſibi vindicat, ſed eam velit perpetuo ſine cura eſſe, veluti rem nullius. Ita fac etiam me in re alterius ſervitutem habere, qua uſus non ſim longo tempore; Hic concedi quidem, non uſu amitti ſervitutem, quamquam in Servitutibus urbanis ſolus non uſus etiam non ſufficiat, ſed opus ſit, ut Dominus rei libertatem uſus præſcripſerit. Enim vero hac præſcriptione non niſi Dominum rei ſervientis gaviſurum. Iſte ſi non obſtat, ſed frui alterum ſervitute patiatur, cui eſt conſtituta, alios, quorum nullum factum extat, cur eorum interſit, intercedere, uſuque mihi interdicere non poſſe. Eodem pacto comparatum eſſe de illis rebus, quæ ad inſtruendum ornandumque cultum divinum unius in Civitate partis ſpectant, ſi alterius partis nihil interſit, quo minus iſta paulo aliter adornentur, quam anno 1624. fuere; Pacem enim religioſam plenam libertatem dediſſe Statibus utriusq; religionis, ut pro lubitu ſtatuere de rebus poſſint, quibus ad ſacra promovenda, ad curam animarum, ad cultus Majeſtatem, denique ad ceremonias & ritus Eccleſiaſticos opus ſe habere exiſtimaverint,

rint. In hac poſſeſſione libertatis fuiſſe omnes Status, quibus eo tempore per alios impedimentum non eſt creatum: creari autem impedimentum ſive ipſarum rerum occupatione, ſive contradictione & prohibitione, hoc pacto, ut in poteſtate poſſidentis non fuerit facultas exercendæ per omnia ſuæ libertatis. Tum demum enim ex ſtatu quodam ſeu uſu prohibentem jus ex pace habiturum. Quod ſi vero nihil ejusmodi impedimenti intervenit, ſed is, cujus res eſt propria, illa re anno 1624. eo ſaltem modo uſus non eſt, de quo forte poſthæc ſtatuit, cum ſi dicto anno idem ſtatuere voluiſſet, nemo fuiſſet, qui id prohibiturus foret, non videri ſane cur nunc in uſu libero arctandus ſit. In ſuo enim ipſum regno eſſe, nec æquitatem ferre, ut ab aliis, qui ſibi in id genus negotiis plane ſunt extranei, leges accipiat. Itaque diſtinctionem illam inter magnam & parvam mutationem hic locum non habere, ubi nullum prorſus ſit alterius partis judicium, ſive in magnis, ſive parvis in rebus; Imo hac ipſa diſtinctione Proteſtantes cauſam ſuam perdere; Nam ſi Inſtrumentum Pacis parvis ejusmodi, quas vocant, mutationibus non obſtet, verbi gratia. Si in Templis altaria augeri numero fas ſit, miſſasque legi plures quam anno vigeſimo quarto ſolitum erat: Idem illud ſane non magis obſtiturum, quando ad cultus divini ornamentum & dignitatem poſt illum annum vocati receptique Ordines religioſi ſint, quos vocare etiam anno 24. ſine ulla contradictione partis adverſæ licuiſſet. Nam Miſſarum utique celebrationem, Altariumque apparatus non minimam partem cultus Catholici facere, neque inter res parvas numerari poſſe. &c.

Hæc a Catholicis dicta propugnataque video tanta argumentorumque vi fiduciaque, ut, ſi fatendum, quod res eſt, Proteſtantes mihi reſponſionibus ſuis non usque quaque ſatisfecerint: Præſertim cum animadvertam, ipſos ſibi per omnia non conſtare, ſed ſæpe iisdem rationibus & argumentis, quæ in parte adverſa ferre nolunt, pro ſe tum certare, quando ſuarum partium cauſas agunt. Id quod luculenter apparuit illa quæſtione de Conſiſtorio Kauffbairæ in Civitate inſtituendo, quale Proteſtantes anno 1624. ibi non habuere. Dicunt enim, fuiſſe ſe in poſſeſſione inſtituendi ejusmodi Conſiſtorii, quam ſolo non uſu perdere non potuerint, ſi nullum Catholicorum factum in contrarium poſſit allegari. Neque etiam referre Catholicorum, habeant Conſiſtorium vel non habeant, cum illud cauſis ſuis Eccleſiaſticis, quæ alias ad Catholicos non pertinent, unice deſtinatum ſit, ut ordine compoſitiore, magisque ex dignitate omnia agantur, Quippe nominis magis quam rei cauſam verti. Proteſtantes enim Cives non poſſe impediri, quo minus Eccleſiaſtica ſua negotia ſeparatim a Catholicis tractent: perinde itaque fore, ſi hæc peculiari novoque ex ſuis Collegio, ſive Magiſtratui commiſerint, qui Conſiſtorium vocetur: an more antiquo de cauſis ejusmodi cognoſcant. Recte ſa-

ne & ex ordine hæc dicta videntur; Sed hoc aſſequi ego nulla ratione poſſum, quo pacto fiat, ut Proteſtantes jus ſibi aut libertatem eſſe velint creandi novi Magiſtratus Eccleſiaſtici ? & ſimul interdicant Catholicis facultate ſtatuendi de Jeſuitis recipiendis, quibus tamen Hi opus ſibi eſſe credunt, ad animarum ſuarum ſalutem. Nam ſi Status anni 1624. hanc novitatem circa Jeſuitas damnat, damnabit profecto illam etiam circa conſiſtorium, cum par ubique ſit ratio, & pars utraque iisdem argumentis negotio pervincendo uſa inveniatur, niſi forte quod non crediderim, impermiſſum alteri parti velint, quod permiſſum juſtumque ſibi eſſe arbitrantur.

Quemadmodum vero hoc juris Capite procul dubio Catholici ſuperiores mea quidem ſententia fuere; ita mihi perſpecta res eſt, eosdem in Cauſa Civitatis Hagenoënſis manifeſta calumnia circumduxiſſe Proteſtantes, quos ſuo religionis exercitio, ſuoque templo & ſcholis obtentu pacis Gallos inter & Domum Auſtriacam initæ prohibere ſunt conati. Nam ſive mandata inſpicias, quæ ab Imperatore & Imperio Deputati habuere ad cauſas cognoſcendas : ſive ipſius negotii naturam, nihil omnino occurrit, quo malam eorum fidem & malitioſam tergiverſationem contegas. Juſſi erant Deputati cauſas judicare ad normam & ductum pacis Osnabrugenſis cum Suecis factæ, Quid igitur de pace Gallica ſolliciti fuere, quæ ad eos nihil pertinuit ? Deinde Hagenoa Civitas non abdicata Imperio fuit, & in Gallos translata: Sed manſit in noſtra ditione, quibusdam ſaltem juribus Gallo ceſſis. Iisdem igitur etiam legibus uti debuit, ut proinde mirum videatur, Catholicos ſtulto religionis Zelo tela Gallis ſuppeditaſſe ampliandæ in urbem ipſam poteſtatis ſuæ atque dominationis. Tertio indigniſſima res erat Germana virtute atque candore, non intercedentibus Gallis, quorum tamen Miniſter & Legatus in conventu verſabatur turpiſſima prævacuatione non modo illorum advocatum non rogatos agere : Verum etiam ipſos ſimul velut dato ſigno concitare velle miſcendis rebus. Denique ſi vel maxime Tabulas pacis Gallicæ adhibere volueris, hac uti dirimendæ, nihilo magis profecisse videberis, Scilicet conventum in illis non modo disertis verbis eſt, ut compoſitio de controverſiis circa bona Eccleſiaſtica & libertatem exercitii religionis inter Imperatorem & ſtatus inita, atque Inſtrumento pacis Suecicæ inſerta pace etiam Gallica *firmetur atque ſtabiliatur eodem plane modo, ac ſi de verbo ad verbum huic inſerta legeretur.* Verum etiam oſtenſus ſimul præſcriptusque eſt modus, quomodo ſcilicet Gallus conſervare ibi religionem Catholicam debeat: nimirum 1 *Quemadmodum ſub Auſtriacis Principibus conſervata fuit.* & 2. *ut omnes, quæ durante hoc bello novitates irrepſerunt, removeat.* Quid nunc Catholicis hac in lege præſidii, quæ iſtas ſaltem novitates tollere jubet, quas

quas præteritum bellum invexerat, cum arma Suecorum per Alſatiam ferum potirentur: religionem vero Proteſtantium non abolet. Hanc enim Auſtriaci quoque diu toleraverant. Quin etiam pacta, inter Cives diverſarum religionum pro cujusque partis libero exercitio inita plus una vice auctoritate ſua firmavere, ſtabiliendæ tranquillitatis publicæ cauſa. Sit itaque Gallus obligatus ad conſervandam Catholicam religionem: at certe primo obligatus etiam eſt eadem lege ad ſervandam conventionem de compoſitione gravaminum religionis. Deinde non eſt obligatus ultra eum modum, quem tenuiſſe Auſtriacos conſtat, ſub quibus utraque religio publica fide ſtabilita & libere exercita fuit. Utique enim licet quidem Gallis Hagenoæ optimo maximo jure religionem Catholicam ad præſcriptum modum conſervare. Sed illi ipſi ſimul pati debent, ut Proteſtantium res in eum quoque ſtatum reſtituantur, quo anno 1624 fuere. Neque enim inter hæc pugna. Sed conciliante lege conveniunt potius. Unde profecto mirum non eſt, puduiſſe Catholicos ipſos in privatis ſermonibus tricarum ſuarum, & urgente conſcientia ſingulos coram amicis damnaſſe, quæ conſpiratione quadam in publico conſeſſu propugnare coacti fuere, prævaricantium multitudine pudorem ſingulorum levante. Hactenus de cauſis Eccleſiaſticis.

Jam quod ad Ordinem Senatorium muniaque Magiſtratuum & officia religionum? qua in Civitate utraque attinet, iis in rebus non magis dubito, quin utrinque etiam nimiis partium ſtudiis peccatum ſit. De quo ut rectius ſtatuatur, non modo ſeparandæ cauſæ harum Civitatū erunt, quia utrobique par ratio eſſe in omnibus non videtur: Verum etiam accurate ſtatuendum, quid quantumve unusquisque anno 1624. in Senatu & gerendis Magiſtratibus actu poſſediſſe dici revera poſſit.

Cauſæ diverſitas in eo maxime conſiſtit, quod non inveniam Conſtitutioni Carolinæ, qua Catholici in cauſa Civitatis Kauffbairæ tantopere gloriati ſunt, Hagenoæ etiam locum fuiſſe. Nulla enim ejus tota actione fit mentio. Reſpiciendum itaque hoc caſu ad pacta & transactiones inter ipſos Cives initas. Deinde etiam diverſiſſimam cauſam facit, quod Hagenoæ Senatus & Magiſtratus intuitu religionis non fuerint mutati Catholicis æque ac Proteſtantibus rebellionis cauſa loco motis: cum Kauffbairæ demum poſt annum 1624. odio religionis inter victricia Cæſareanorum arma Proteſtantes Senatu & Civitate pulſos conſtet.

Altera eſt inſpectio de habita anno 1624 poſſeſſione. Ubi præcipua quæſtio quid revera illo tempore unusquisque poſſedit? Multum enim intereſt inter *poſſeſſionem eligibilitatis*, ſi loqui ita licet, cum nimirum dicto anno Cives ex utraque religione apti nati fuerint, ut legi in Senatum, & ad honores officiaque publica promoveri poſſint: & *eligendi* neceſſitatem, ut neceſſarium ſit,

ex

ex utraque parte aliquos definito numero deſtinari. Ex primo poſſeſſionis modo peti ſolum reſtitutio in aptitudinem illam poteſt, integro de cœtero eorum arbitrio, penes quos jus eligendi eſt, velint ex una parte vel utraque novos Senatores, novosque Magiſtratus deſignare. Alter vero poſſeſſionis modus neceſſitatem facit, ut amborum rationem haberi oporteat. Sed hic rurſus plurimum refert, certo & definito numero cuique parti in Senatu & Magiſtratibus loca ſua debeantur, an vero incerto & indefinito. Illum ſine conſenſu univerſæ Civitatis nec minui nec augeri fas eſt. Hic vero ex libertate eligentium mutationem pati poteſt. Aliquando contingit etiam, ut in Senatum atque Magiſtratus alternis vicibus ſuccedatur, ſurrogato ſemper in Proteſtantis locum Catholico, & vice verſa.

Quæ cum ita ſe habeant, ad diverſos utique poſſeſſionis modos diligenter advertendum erit, quoties de habita anno 1624. poſſeſſione agitur. Sane de perſonis, ſive individuis, quæ in Senatu vel Magiſtratu olim fuere, antequam occaſione motuum Bohemicorum aut belli Germanici pellerentur, res controverſia caret. Horum enim quotquot facta pace ſuperſtites adhuc erant, peti reſtitutio ex amneſtia in ſacris & profanis tam quoad ditiones quam dignitates & jura ex formula pacis utique poterat. Sed an defunctis illis alii ejusdem religionis vel legendi in Senatum, vel ad gerendos in Civitate Magiſtratus illos, quos Deceſſores geſſerant, vocandi ſint, majorem dubitationem habet. Neque hic ſatis eſt demonſtraſſe, qui ſtatus Civitatis anno 1624. fuit, niſi ſimul oſtendatur, hunc ſtatum eo tempore ex jure ſeu poſſesſione utriusque partis fuiſſe neceſſarium, non vero accidentalem. Itaque certisſima regula poſſesſionis cujusque probandæ hæc eſt, ſi doceatur, anno illo decretorio in Civitate hunc ſtatum, ſive ex pacto, ſive uſu fuisſe, ut illi qui anno 1624. Senatoria dignitate vel honoribus publicis ornatus eſt, deinde vero injuria belli aut inimicorum conſpiratione in exilio forte obiit, oportuiſſet alium ſive ex ſua ſeu diverſæ religionis, & huic deceſſuro interim alium per vices ſubſtitui, ſi dicto anno & nondũ turbatis Civitatis rebus vita functi fuiſſent: Nam ſi electus ipſe liberis ſuffragiis eſt, & ſaltem ſors ita tulit, ut ex ſua religione aſſumptus ſit, cum alius etiam ex alia aſſumi potuiſſet, non video, qua ratione illi cives, qui cum iſto nunc unius ſunt religionis, posſesſionem aliam laudare posſint quam *eligibilitatis*, ſeu aptitudinem poſſe eligi. Unde ſi verum fuiſſet, hoc Catholicorum aſſertum, Hagenoæ nunquam ſive legibus ſive conſuetudine obtinuiſſe necesſitatem eligendi juxta Senatores Magiſtratusq; Catholicos alios etiam ex Proteſtantibus, ſive pari, ſive impari numero, ſed liberrimam ſemper electionem ibi viguiſſe, ex privilegio quodam a Rege Wenceslao Civitati conceſſo utique mihi haud levi argumento pugnaſſe viderentur. Niſi forte excipere placeat, libertatem eligendi, qualis anno

1624.

Digitized by Google

1624. in uſu erat, non reſtitui, niſi ante omnia Senatus eodem numero ex utraque religione reſtituatur, quandoquidem nunc ex Catholicis totus compoſitus Proteſtantibus nihil relinquat, quod pro ſuis impoſterum ſperent. Cui tamen exceptioni Catholici rurſus oppoſuere, ſe ab omni tempore ſummum arbitrium tam in legendo Senatu quam conſtituendis Magiſtratibus habuiſſe, nec Proteſtantes unquam æquo jure ſecum fuiſſe, quos ipſi, Catholici inquam, numero & auctoritate ſuperiores ſemper vicerint. Verũ igitur eſſe, ut Proteſtantes nunc etiam a ſe uti ante hac, expectent, quicquid hoc in negotio deſiderant, quamquam iis, qui poſt hæc forte aſſumendi in Senatũ erant, denegare jus ſuffragii nolint, modo in decernendo plurium ſuffragiis ſtetur, uti olim ſtatũ fuerit: Contra hæc cauſæ Proteſtantium nihil valde adjumenti ex natura & conditione civitatum mixtarum accedit. Præterquam enim quod negant Catholici Hagenoam inter Civitates mixtas referri poſſe aut relatam unquam fuiſſe, de illis ipſis mixtis Civitatibus art. 5. §. 29. aliud ſtatutum non eſt, quam ut in eum ſtatum, in quo Calendis Januariis tam in ſacris quam in profanis fuerunt, ad exemplum reliquorum ſtatuum reponantur. Quo res ad dubia ſuperiora velut per circulum revolvitur.

Interea quoniam Proteſtantes ad transactiones & pacta provocarunt, quibus Hagenoæ communi conſenſu Civitatis religio Evangelica non ſtabilita modo eſt, ſed & in ordine Senatorio, atque Magiſtratibus & officiis obeundis inter utriusque religionis cives certa quædam proportio ex decreto publico & contracta obligatione ſancita perhibetur: ad hæc pacta eorumque tenorem ante omnia reſpiciendum erit, ſi conſtare velimus, quæ cujusque partis anno 1624. ſit poſſeſſio ſeu factum poſſeſſionis: Nam ſi iſtis conventionibus non permiſſum modo eſt legi in Senatum Proteſtantes: Verum etiam, ut definito numero & ordine legantur, conventum atq; imperatum: tum vero hæc poſſeſſio non ſolum eſt e[l]igibilitatis, ſed & debiti atque neceſſitatis, quamvis per hanc libertati electionis nihil decedat, cum exerceri iſta in toto numero Civium Proteſtantium poſſit: Sicuti eadem ratione liberam Electionem dicimus Catholicorum, cum ex cœtu Catholico quidam idonei leguntur.

Igitur cum de poſſeſſione unius vel alterius partis agitur, prima conſideratio eſſe debet, num nihil in legibus hac de re ſit expreſſum. Harum enim ratio ante omnia merito habenda eſt. Atque hanc ob rem, quæ Tabulis pacis de Auguſta Vindelicorum, Dunckelſpühla, Biberaco & Ravenſpurgo conventa leguntur, ſervanda ſtricte ſunt, ſine ullo reſpectu ad habitam vel non habitam poſſeſſionem. Has enim quatuor Civitates dum pax Weſtphalica ſuis ſpecialibus inſtitutis ordinat, eas regulis generalibus eximit quatenus hic forte contrariæ ſunt. Deinde ſi per legem publicam nihil eſt proditum, videndum, quid Civitatis Pacta & Statuta ferant; Tertio quid mos ſeu conſuetudo anno vigeſimo quarto adhuc rata, validaque, quod tempus præci-

ſe ſanctio publica definiendis cujusque poſſeſſionibus, juribusq; ex poſſeſſione oriundis pro *unico & ſolo fundamento* reſtitutionis & obſervantiæ futuræ eſſe voluit. Ad hujus rei ſummam non parum confert longū tempus, frequentia actuū celebratum. Sicuti enim nudus & fortuitus loci ſtatus, ſive numero perſonarum, ſive rerum conditione habituque æſtimare illum velis, nec poſſeſſionem, nec factum poſſeſſionis probat, ſi res anno 1624 aliter ſine cujusquam injuria ſe habere potuiſſet. Ita ex adverſo ſufficit, facultatem ex pacto, vel diuturno ſaltem uſu atque obſervantia eo tempore adfuiſſe, nemine ſcilicet impedituro vel prohibituro, quamquam caſu quodam fortuito defuerit occaſio, quo minus actu ſeu facto jure illo uſi ſimus.

Ad eundem fere modum judicandum de cauſa eſt, quoties de extraneis quæritur, qui Hagenoæ Jus Civitatis ambiunt. Catholici enim ajebant, habere Magiſtratum Civitatis eam circa rem privilegia ſua & libertatem, quibus ex æquo & bono uſurus ſit, quamvis ſibi ab aliis legem dici nolit. Sed reſpondebant, Proteſtantes, fuiſſe non ſolum anno 1624. Hagenoæ Cives Proteſtantes Catholicis numero ſuperiores; Verum etiam in Civitatem receptos eſſe omnes ſine reſpectu religionis, quos Reſpublica dignos habuit, qui hoc jure donarentur. Enimvero nunc omni poteſtate ad Catholicos delata, ſi horum arbitrio ſtandum ſit, perpetuum videri Proteſtantibus exilium indictum, etſi Urbs bellis exhauſta civibus egeat. Nunquam enim defore Catholicis quod cauſentur, cur petentibus Jus Civitatis negandum ſit. Tanto minus autem hoc ferendum eſſe, quod pace Weſtphalica art. 5. §. 35. prohibitum inveniatur, ne quisquam ullibi ob religionem deſpicatui habeatur, aut a Mercatorum, Opificum, tribuumque Communione, *aliisve juribus aut commerciis* arceatur. Atque hoc ipſum niti generali illo fundamento de exacta mutuaque æqualitate inter utriusque religionis Status & ſingulos ſervanda, de quo art. 5. §. 1. Cautum fuerit, ut quod uni parti juſtum eſt, alteri quoque juſtum eſſe debeat, ſine omni fraude & invidia &c.

Hæc ſane utcunq; habeant ſpeciem æqui & recti, penitius tamen inſpecta non videntur omni difficultate carere. Neque enim verſamur nunc in illo caſu, quando in urbe aliqua Civibus Proteſtantibus par eſt cum Catholicis & æquale jus in dando jure Civitatis. Sed ubi hujus rei arbitrium Magiſtratus Catholicus ſemper habuit, & ſi anno 24. plures Cives Proteſtantes in Civitate vixerint, inter Catholicos tunc ſine diſcrimine recepti. Quodſi enim poſthæc ille Magiſtratus aliquando parcior in hoc jure diſpenſando, aut ſaltem minori in Proteſtantes favore eſſe velit, quæritur, qua formula pacis compellari ad communicandam Civitatem poſſit. Civium enim Proteſtantium, qui forte ibi adhuc ſunt, nulla habetur ratio, cum ſupponitur, rerum ſummam penes Catholicos eſſe. Exteri petere quidem jus Civitatis poſſunt; Sed repulſam paſſi non habent de quo conquerantur. Quamvis enim

enim anno 1624. exteri nonnulli jure Civitatis donati fuerint, non eſt tamen, cur poſſeſſionem allegent, cum beneficium Civitatis ſit, libere & ex occaſione datum, prout unus alterve dignum ſe aliquando hoc honore meritis ſuis forte exhibuit, nulla gentis nominisque prærogativa, ut in vaga adeo libertate nemo unus inveniatur, qui cauſam vel factum poſſeſſionis, quare alteri prælatus fuerit, jactare poſſit. Quamquam & illud veriſſimum, ſi qui adhuc Cives occaſione motuum Bohemicorum & belli Germanici urbe pulſis ſuperſtites facta pace fuerint, eos utique ex amneſtia generali in omnia ſacra & profana reſtituendos eſſe: quia iſtorum longe alia ratio quam peregrinorum, quibus in Civitate locus nullus unquam fuit in quem reſtitui poſſent.

Quemadmodum igitur in cauſa Hagenoenſi quoad Politica Catholicos fortaſſis potiore jure fuiſſe quis dixerit, in Eccleſiaſticis autem captioſa & maligna pacis interpretatione reſtitutionem Proteſtantium cum ſumma horum injuria fruſtratos eſſe. Ita ſane ex adverſo in cauſa Kauffbeirana Proteſtantes Catholicis, quod ad Jeſuitas attinet, litem non neceſſariam moviſſe videntur: ratione vero politicorum iisdem argumentis poſtulata Catholicorum dimidiam ſuorum partem in ſenatum & ad officia civica petentium, rectiſſime retudere. Neque juvare hos valde potuit toties jactata ordinatio Carolina, cum jam ab immemoriali fere tempore, ſed imprimis anno 1624 deſitum fuerit, ad hujus Conſtitutionis formulam legere Senatum & Magiſtratus creare, quod ipſo facto ſatis cognoſcitur, quum dicto anno, quin etiam longe ante Proteſtantes ubiq; in dignitatibus honoribusq; Civitatis Catholicos numero longe vicerint, quod fieri non potuiſſet, ſuperſtite & ſalva Carolina. Neque præjudicio eſt, quod in aliis quibusdam Civitatibus mixtis Weſtphalica pax omnia, quoad fieri potuit, ad aliquam æqualitatem in adminiſtrandis publicis rebus reduxerit. Ubi enim hoc factum æquum eſt, ut legi ſtetur, Reliqua ſub generali pacis diſpoſitione relicta ſunt. Nam Hagenoa etiam mixta Civitas ſine controverſia eſt, quicquid etiam Catholici in contrarium ſint cavillati. Neque ipſi tamen juſtum cenſuere, ut diviſio Senatus & Magiſtratuum inter partes æquis portionibus fiat. Quare ſatis utique Proteſtantes Kauffbairæ in eo conceſſere, quod receperint, tot numero Senatores Catholicos in Senatu perpetuo manſuros, quot anno 1624. hac dignitate veſtitos fuiſſe probari poſſit. Poterant enim excipere, ſicuti iſtos eo tempore libera electione aſſumptos conſtet, ita defunctis his alios aptitudine ſua, *poſſe eligi*, quam ſolam anno 1624. cives ex utraque religione poſſederint, contentos eſſe debere, ac proinde ipſam dignitatem Senatoriam a libera electione expectare, qua in re pluribus ſuffragiis, utcunque cadant, & quibuscunque faveant, ſtandum ſit. Quam diſputandi rationem cur Proteſtantes a Catholicis in Caſu Hagenoenſi non probe didicerint eaque in præſenti cauſa jure retorſionis uſi ſint, mihi certe mirum videretur,

retur, niſi ſcirem, ipſos per hoc bonam fidem adverſariis probare voluiſſe, ut hos magis tricarum ſuarum pudeat; qua in re ego candorem illorum atque ſinceritatem tantopere laudo, ut vellem eos præterea aliquid de jure ſuo ſtricto remiſiſſe, & civium concordiæ dediſſe, quando Catholici ſub finem actionis pro omni conditione tandem poſtularint, ut ſibi unum ſaltem Conſulem in Senatu ſua ex religione habere liceat. Nam ſi hoc ipſis conceſſum fuiſſet, poterat ſaltem hæc lis per Deputatos finiri, quæ poſthæc Proteſtantibus multas ſane moleſtias creavit, dum Cives Catholici favore Aulæ Cæſareæ confiſi in hoc usq; tempus Proteſtantes variis Mandatis & Commisſionibus, a Judicio aulico decretis, vexare & terrere non deſiſtant, cum aliqua ſuggillatione directorum Circuli Suevici, quos dum Cæſar ſuſpicatur, ne officium ſuum facerent ad mandatorum tenorem, non dubitavit transferre ad alios mandata ſua, iisque de cauſa cognoſcenda poteſtatem facere: Hac deteriori Proteſtantium Conditione, quod aſtu Aulici Judicii Commiſſario Catholico ſemper adjungi is ex Proteſtantibus & delegari Judex ſolitus eſt, qui minori ſtatu & auctoritate dignitatem alterius ex officio comiter colerere & velut reſpectare tenetur, quæ res in ejusmodi cauſis libere voci plurimum nocet. Neque ego Deputatorum Proteſtantium in Conventu Francofurtano excuſationem probo quod Partibus transacturis impedimento eſſe nolint; decernere vero rem cum Catholicis Sententia Judicis eum ad modum non poſſint: Juſſi enim ſunt Deputati a Statibus, & in mandatis expreſſe habebant, receſſu Imperii de anno 1654. §. den Zwenten Punct &c. Viam monſtrante, ut in omnibus cauſis de compoſitione amicabili ante omnia laborent; Neque dubium eſt, ſi auctoritatem ſuam apud Proteſtantes Cives interpoſuiſſent, indicatis moleſtiis & vexis, quas deinceps habituri ſint, ſi hæc cauſa inenodabilis relinquatur, quin componi res potuiſſet. Ut nunc taceam Proteſtantes hac transactione procurata parvo damno magnam gratiam apud Catholicos inire potuiſſe, futuros forte, in cæteris tractabiliores, cum æquitate & facilitate Proteſtantium moti indignum generoſo animo forte judicaſſent, officioſitate & ſtudiis pacificis vinci. Sed hæc occaſione ſemel elapſa jam incuſari magis quam ſanari poſſunt. Nobis hoc loco viſum eſt Specimini noſtro III. metam ponere, & Lectorem de quarto mox ſecuturo certiorem facere.

MEDITATIONVM
AD
INTSRVMENTVM
PACIS
CÆSAREO-SVECICVM
SPECIMEN QVARTVM.

ANNO M DCC VIII.

Digitized by Google

MEDITATIONUM

AD

INSTRUMENTUM PACIS

CÆSAREO-SVECICUM

SPECIMEN QVARTUM.

ARTICULUS V.

§. 30. XII.

QVantum deinde a) ad Comites, Barones, Nobiles, Vaſallos, Civitates, Fundationes, Monaſteria, Commendas, Communitates & ſubditos b) Statibus Imperii immediatis ſive Eccleſiaſti- *Jus reformandi exercitium religionis;*

a) *Quantum deinde.*) Nova hic velut Epocha videtur incipere. In duo enim ſumma capita hic articulus dividitur. Uno de cauſa religionis & Eccleſiaſticorum inter ipſos Status hucusq; transactũ fuit, altero vero ſtatuitur quid Domino Territoriali in Subditos liceat diverſa ſacra amplexos. Jus reformandi vulgariter appellatur, quod plures ſub ſe partes continet. Non modo enim regendis ſubditorum conſcientiis incumbit: Verum etiam ad res ſacras & Eccleſiaſticas, templa inquam, Scholas, Xenodochia, Noſocomia, Orphanotrophia, Monaſteria, reditus atq; penſiones & ſimilia extenditur, ut ſequentia oſtendent. Itaque cum ait lex, *quantum deinde*, adverbio hoc *deinde* indicatur ordo rerum tractandarum, quomodo Paciſcentes jam uno capite abſoluto tranſitum ſibi ad alterum parant.

b) *Ad Comites, Barones, Nobiles, Vaſallos, Fundationes, Monaſteria, Commendas, Communitates & ſubditos.*) An ſuf-

ſiaſticis ſive ſecularibus c) ſubjectos, pertinet; d) Cum ejusmodi Statibus immediatis cum jure Territorii & ſuperioritatis e) ex communi

ſufficiens hæc ſit enumeratio partium, viderint alii. Poſſent addi ex art. 3. §. 1. *cives & incolæ*, ex art. 5. §. 15. *Prælati*, ex art. 5. §. 21. *Abbates: Præpoſiti*. ex §. 23. *Capitulares* & *canonici*. ex §. 25. *Collegia, Ballivia*. ex §. 26. *Sodalitia mediata. Eccleſiæ c llegiatæ, Hoſpitalia* &c. Poſſent omnia uno nomine *Subditorum* ſeu *ſubjectionis* includi. Lex enim includit nullo diſcrimine, quotquot Statibus Imperii immediate ſubjecti ſunt.

c) *Statibus Imperii immediatis, ſive Eccleſiaſticis, ſive ſecularibus*) Igitur jus reformandi Statibus ſecularibus non minus, quam Eccleſiaſticis hic adſcribitur: quod edici neceſſe fuit adverſus Cleri Romani importunas jactationes, qui ſibi unis hoc munus demandatum eſſe nugantur, Principibus ſaltem in ſubſidium adhibitis, ut miniſterio fungantur exequendi decreta ſua. Quod intolerabile prorſus eſt in hoc hominum genere, qui ſumptis ſemel animis, nec ſuperbiæ ſuæ nec ſevitiæ modum ſciunt. Hoc imprimis conſilio, ut omnes ſub imperium ſuum redigant, nec quisquam ad ſuperciliosa Cleri mandata vel mutire auſit, ni propediem falſis delationibus compingi, in carceres & robora; & poſt longum captivitatis ſqualorem de vita & fortunis ſuis periclitari malit.

d) *Subjectos pertinet*) Tam Eccleſiaſticos ſcilicet, quam ſeculares. Nam Eccleſiaſtici etiam Statibus immediatis ſubjecti pari cum cæteris conditione ſunt, nec fori exceptionem habent. Subjectos tamen oportet eſſe Superioritati Territoriali. Qui enim alia ex cauſa, veluti jure feudi, Patronatus, filialitatis, aut etiam ob jurisdictionem criminalem aliquo modo dependere à Statibus videntur, in eos jure reformandi uti nemo poteſt. *art. 5. §. 42. & 44.*

e) *Cum ejusmodi Statibus immediatis, cum jure Territorii & ſuperioritatis*) Jus Territorii & ſuperioritatis quid ſit? & qua ratione illud cum a ſummo Imperio, tum jurisdictione & imperiis Magiſtratuum differat? alibi Scriptores operoſius ſæpe explicant, quam clare ſatis & diſtincte. Itaque haud inutilem omnino operam me collocaturum ſpero, ſi hac occaſione in rem ipſam, variis commentatorum opinionibus obſcuratam magis quam expeditam, brevi quidem, at pro dignitate argumenti idoneo diſcurſu inquiram. Sed ne vitio mihi detur, quod contra inſtitutum meum, quo hactenus uſus ſum, prolixiori diſſertatione vel excurſu ex arrepta occaſiuncula ordinem rerum tractandarum cum tædio lectorum interrumpam, quare Burgoldenſis ſe in Commentario ſuo ad Inſtrumentum Pacis maxime incommodum fecit; itaq; conſultius viſum eſt, quam jam ſub manibus habemus, explicationem continuato ſtudio urgere, atq; demum

Digitized by Google

ni per totum Imperium hactenus uſitata praxi, f) etiam jus reforman-
di

demum hoc ſpecimine quarto Meditationum noſtrarum ad finem perducto veluti Mantiſſæ loco adjicere curas noſtras de Superioritate Territoriali, quas lectoribus non ingratas fore confido.

Ejusmodi Statibus immediatis) Nobilitatis immediatæ hic non fit mentio, quod alibi factum. Credo tamen non videri propterea excluſam; ſuffragante imprimis uſu, qui ſæpe optimus eſt interpretationis Magiſter, ſi tacito omnium partium conſenſu firmetur. Quamquam alias in omnibus Superioritatis territorialis privilegiis à Statibus immediatis ad immediatam Nobilitatem non valeat conſequentia.

f) *Ex communi per totum Imperium hactenus uſitata praxi)* Obſerva hic Titulum, quo jus reformandi competere Statibus dicitur. Neque enim ait lex, hoc ipſis competere ex jure territorii & ſuperioritatis: ſed *cum jure Territorii & ſuperioritatis ex communi per totum Imperium hactenus uſitata praxi.* Neque exiſtimandum eſt, hæc fortuito caſu ſic poſita fuiſſe, nihilque inter hæc intereſſe. Multum enim diuq; Catholicos inter & Proteſtantes, non modo in Conventu Osnabrugenſi: verum etiam longe ante hæc tempora, & ab initio ſtatim reformationis diſputatum fuit num jus reformandi pars ſit Superioritatis Territorialis: an vero ex alio jurium genere. Illis hoc ipſum ſuo Clero vindicantibus: His vero manibus pedibusq; contra nitentibus, ne expungi illud paterentur albo jurium civilis poteſtatis, cujus obtentu hactenus omne ſuum reformationis opus aggredi & defendere ſtuduere. Inde hoc verbum ubique fere auditum. *Ejus eſſe religionem*, id eſt, arbitrium de religione ejusque publico exercitio ſtatuendi, *cujus eſt regio.* Quæ ſententia etſi ſumma ratione nitatur: jus enim ſummi Imperii circa Eccleſiaſtica æque ac politica occupatur, quatenus publicæ rei ſtatus & tranquillitas hanc ſibi curam poſtulat Catholici tamen ſui Cleri præſtigiis circumventi, ſicuti non audebant hanc rem ſui juris facere. Ita conſentire noluere, ut eam Proteſtantes lege publica ex eo titulo haberent, quo ipſos abſtinere ſe ſuperſtitio juſſerat. Interea cum ſemel placuiſſet, ut jus reformandi certis legibus eorum in poteſtate ſit, qui ſuperioritate territoriali ſunt ornati, utrique medio titulo opus erat, quem utrique proprium ſibi facere potuiſſent. Itaque melius viſum, ut *communis praxis* diceretur, per totum imperium hactenus uſitata. Hoc enim facti magis quam juris eſt nomen, & poterant ſaltem Eccleſiaſtici, quibus Romanæ ſedis authoritas conſervanda fuit, praxin etiam pro *uſurpatione* interpretari, quæ ſæpe cum invidia conjuncta eſt. Hinc ſtudioſe non *praxis* modo vocatur: ſed & *Communis praxis*, quaſi morem dixiſſes, qui longe lateque invaluit quidem, ſed prave &

cum

Digitized by Google

cum Ordinis Eccleſiaſtici injuria. Id quod magis etiam indigitatur adverbio illo *haſtenus*, quod indicare videtur, olim quidem diverſum rectius obtinuiſſe, ſed ab aliquo tempore obrepſiſſe hanc praxin pravo uſu. Quod autem additum fuerit, *per totum Imperium*, hoc eo Conſilio factum arbitror, quia Catholici nolebant Proteſtantes hac in re melioris conditionis eſſe, poſtquam eam praxi ſemel adſcripſerant. Quamvis enim Clero Catholico moleſtus in ulcere ſit unguis, ſi Principes ſeculares curam religionis ſibi arrogant: quoties tamen inter ipſos Comitia aguntur de Proteſtantium capitibus, facile temporibus nonnihil indulgent, hac ſpe ſuſtentati, fore, ut verſis rebus deinceps ſuā in rem uti obſequio ſuo poſſint. Nam utiq; ſi datur optio, potius ipſis eſt ſacra Pontificia cum Proteſtantium exterminio reſtitui Principis ſecularis autoritate, quam ex intempeſtiva aliqua æmulatione & vanitate imperandi ſibi impedimentum creari in proferendis cultus Pontificii pomeriis.

Atque hinc fruſtra oppido ſunt, qui ſolos Status Proteſtantes jure reformandi uti poſſe exiſtimant: Catholicos autem ſeculares ab eo excludunt. Hæc enim longe aliter hoc noſtro articulo ſunt definita. Per totum enim Imperium communis hæc praxis hactenus uſitata eſſe dicitur, ut nimirum Statibus Imperii immediatis ſive Eccleſiaſticis, ſive ſecularibus cum jure Territorii ex hac praxi jus etiam reformandi competat. Nec valde movebuntur Catholici religione, etiamſi dixeris illis, non poſſe eos integra Cleri ſui authoritate hoc negotium ſuum facere, quod ſecundum domeſtica hujus religionis principia plane alieni eſt fori. Statim enim objicient uſitatam praxin, nihilque ſua referre dicent, ſi hæc agere per legem liceat, in gratiis Cleri Catholici ipſa agantur, aut volente eo. Quod ſi porro opponitur, hac ratione videri Principem conſtitui Vicarium Cleri, quod prorſus ferendum non ſit, cum omnis juriſdictio Eccleſiaſtica in Proteſtantes ſit ſuſpenſa. Quia enim Catholicus Princeps ex ſui Status conditione, ſecundum principia Pontificia, ad res ſacras tractandas inidoneus eſt, atque adeo in gerendis id genus negotiis operas ſaltem ſuas & miniſterium confert pro exequendis Cleri decretis & deſtinatis, Clerus ipſe autem qua Clerus, omni juriſdictione & poteſtate in Proteſtantes per religioſam & Weſtphalicam pacem ſit ſpoliatus, ideoque de jure reformandi Catholicorum ſua natura ſic eſſe comparatum, ut nullo pacto ſtationem aliquam hac in lege habere poſſit: Iſti continuo excipient, in tanta legis perſpicuitate non eſſe locum ſubtilibus illis & argutis ratiunculis: quibus ſi agere liberet, adverſarii ſuis facile armis confici poſſent. Fac enim Eccleſiaſticam Cleri poteſtatem contra Proteſtantes ſuſpenſam vel abolitam eſſe: ſane ſtatim reviviſcet ſupremum Principis jus circa ſacra, quod hactenus Eccleſiaſtici Ordinis ambitu & importunitate ſuppreſſum erat: & ideo,

cum

di exercitium Religionis competat, g) ac dudum in Pace Religionis talium

cum res in naturalem ſuum ſtatum redierit, quo fuit, antequam Clerus ſe erigeret & venditaret, non opus eſſe jure vicario: ſed Principem ſuo jure ſacrorum curam gerere, cum nemo ſit, qui impediat, amoto ſemel Clero Pontificio. Neque etiam obliviſcentur Catholici ejus regulæ, quæ art. 5. §. 1. eſt tradita, de mutua & exacta æqualitate inter utriusque religionis Status *omnes & ſingulos*, ut quod uni parti juſtum eſt, alteri quoque ſit juſtum. Quæ argumenta mihi ſane tanti videntur eſſe ponderis, ut non intelligam, quibus rationibus facile refelli poſſint.

g) *Jus etiam reformandi Exercitium religionis competat*) Fundamentum, cui hoc jus reformandi innititur, eſt jus territorii ſeu ſuperioritatis. Titulus autem quo competit, eſt communis per totum Imperium hactenus uſitata praxis. Differunt enim hæc duo ut conditio ſine qua non competit jus, & cauſa ex qua competit. Nemo enim qui ſublimi jure territorii præditus non eſt, jus reformandi habet, ſed non habet illud ex jure territorii, ſed cum jure territorii ex praxi. Hinc quæritur ſtatim de Nobilibus immediatis, an ipſis competat jus reformandi. Certe hic eorum nulla ſit mentio, ſed ſaltem Statuum. Plurimi etiam Juris publici Sciptores, iique graviſſimi huic Ordini Equeſtri ſuperioritatem territorialem abjudicant, cum nemo tam eximii juris toti Imperio capax eſſe poſſit, qui Status non eſt, atque adeo in republica adminiſtranda jus liberi ſuffragii habet. Enim vero cum hæc quæſtio, an Ordini Equeſtri jus territorii competat, problematica adhuc ſit, & in partem utramvis ventiletur. Interea autem art. 5. §. 28. conventum ſit, ut libera & immediata Imperii Nobilitas, omniaque & ſingula ejus membra ex pace religioſa & Weſtphalica *in juribus religionem concernentibus & beneficiis inde promanantibus idem jus habeat*, quod Statibus competit in quo ſub quocunque prætextu impediri aut turbari non debet; mihi ſane longe veriſimilius ſit, Paciſcentes Ordinem iſtum à jure reformandi noluiſſe excluſum.

reformandi exercitium religionis) Cur vero exercitium religionis, & non potius ipſam religionem? Non arbitror inter hoc quoad ſenſum poſſe, cum multum intereſſe. Reformato enim exercitio religionis cultuque publico, ipſam etiam religionem reformari exiſtimamus, cum exercitium ſit quaſi anima ejus vel ſpiritus, quem omnes ex præſcriptis formulis trahunt: Satis inepte quidem & incommode ad genium veræ religionis, quæ ſentiendi libertate omnis conſtat, à coactione externa immunis. Sed his nunc moribus vivitur, ut Principes neſcio quo zelo ſubditis imponere neceſſita-

Digitized by Google

talium Statuum ſubditis, h) ſi à Religione Domini territorii diſſentiant, beneficium emigrandi conceſſum, i) inſuper majoris concordiæ

ceſſitatem credendi velint, quo efficitur, ut dum hi vultu, qui maxime fervit, aſſentiuntur, Purpuræ ſuæ cultores aliquot habeant, non Dei. Quare ex cogitari nihil poteſt, quod religioni magis obſit, cum internos motus compeſcere & ſupprimere paulatim aſſueſiunt, ne Principi diſpliceant, vel malum ſibi accerſant. Hinc lacrymæ illæ toto fere orbe chriſtiano, dum omnes formulis noſtris & libris ſymbolicis attendimus, neglecto ſpiritu, qui intus ſæpe monet, & ad altiora nos atque puriora ſtimulat, cui auſcultare adeo periculoſum, ut protinus invidioſis Enthuſiaſtarum probroſisque aliis nominibus eos non hactenus modo, qui vel tantillum ad motus internos ſe componunt, verum etiam contumeliis pœnisq; ſubjiciamus. Cujus rei non aliam ego cauſam video, quam ſuperbiam hominum, quos pudet eorum, qui novo melioris vitæ genere exprobrare ſibi vitia ſua moresque inconditos videntur: unde mox ſuccedit odium, & cum ipſi vincere corruptam ſuam naturam neſciant, id ſaltem agunt, ut amoliantur importunos monitores, quorum virtutes & exempla vel tacentibus ipſis moleſta ſunt, improbis & induratis.

h) *ac dudum in pace religionis talium Statuum ſubditis)* Hæc conſtitutio extat Receſſu Imperii de anno 1555. §vo Wo aber unſere ꝛc.

i) *ſi à religione Domini territorii diſſentiant, beneficium emigrandi conceſſum)* Itaque ſubditi, qui aliam à Domino territorii religionem profitentur, ex pace religioſa contra jus reformandi non aliud ſcutum vel præſidium habent, quam beneficium emigrandi. Ut proinde illi mihi valde videantur errare, qui ex hac ipſa pace Dominis Territorii neceſſitatem etiam imponunt tolerandi ſubditos, quibus concedere debeant libertatem exercitii religionis ſuæ. Nam in pace religioſa ejusmodi nihil habetur. Quod enim initio ejus de ſecuritate, tranquillitate & concordia non inter Status modo ipſos: ſed & ſubditos eorum religionis intuitu ſtabilienda præfatur Legiſlator, id ſane huic rei aſſerendæ non ſufficit, cum lex ipſa ſit inſpicienda, quibus ſcilicet mediis hanc tranquillitatem & concordiam voluerit firmare. Jam vero quod attinet ad ſecuritatem religionis ſubditorum, non niſi duo ibi ſtatuuntur, primo ut tolerare eos poſſit Dominus, ſi velit. Deinde, ſi nolit, ut emigrandi habeant poteſtatem, non obſtante ullo nexu, quo dominis ſuis devincti ſunt. Hinc *beneficium emigrandi* vocatur, quo iis frui non eſt datum, qui pace religioſa non comprehenduntur, teſtantibus ſeveriſſimis edictis in Anabaptiſtas propoſitis & capitalibus ſuppliciis munitis. Atqui ſenſere hoc propediem ipſi Proteſtantes Status, neq; de-

Digitized by Google

deſtiterunt ſollicitare Ferdinandum Regem, donec decreto ſuo, ſeu declaratione Pacis vigeſimaquarta Septembris, atque adeo unam diem ante publicatum Imperii Receſſum edita ſubditis etiam eorumque libertati religionis pinguius proſpexiſſet, qua cautum fuit, ne mediati ſubditi Catholicorum à Dominis Territorii mutare religionem ſuam, vel abjurare cogi poſſint, ſed ut ſuis ſacris & conſcientiis imperturbati tamdiu relinquantur, dum de religionis unione per amica & chriſtiana remedia transactum non fuerit. Præbuit hæc res occaſionem diutinæ litis inter Catholicos & Proteſtantes Status, dum illi huic Decreto, inſciis ſe & inconſultis facto, ſumma obſtinatione reclamarent. Hi vero ab Imperatoribus qui Ferdinando ſucceſſiſſent, ejus confirmationem haud minore conſtantia peterent: nec componi deinde controverſia poterat, antequam Pace Weſtphalica media illa via placuiſſet, de qua mox §vo 31. & ſequentibus agetur. Num decretum illud ſeu declaratio Ferdinandi Regis illo tempore facta vim legis habuerit, vel non habuerit? aliena eſt ab hoc loco diſceptatio. Interea id ex tota actione, quæ tot annos Catholicos inter & Proteſtantes ea ſuper re ſummis certaminibus inſtituta atque continuata eſt, pateſcit, ſubditis mediatis in pace religioſa adverſus Dominorum jus reformationis non ſatis fuiſſe auxilii, neque omnibus ſine diſcrimine libertatem religionis datam eo ſenſu, quem nunc quidam in pace religioſa ſe inveniſſe arbitrantur. De hac enim ſi conſtitiſſet, utique non fuiſſet opus, ut de ipſa declaratione multum litigarent, niſi hæc amplius quid & diverſum contineret. Omnes enim fatebantur, pace religionis ſtandum eſſe. At Catholici ſummopere repugnabant Declarationi Ferdinandeæ: Oportuit igitur in hac nonnihil fuiſſe, quod eos ultra argumentum pacis religioſæ tam male habebat: alias non tam ſuper Declaratione illa, quam ipſa pace diſceptatum fuiſſet. Quid multis verbis opus? illa ipſa Clauſula decreto inſerta, & quæ alteri derogat, qua pax religioſa munita fuit, ſatis oſtendit, contra pacem religioſam hæc eſſe decreta. Et revera ſic res habet, ut pace aliorum dixerim: docet enim nos tota actio, ſuper pace religioſa eo tempore inſtituta, ſummopere poſtulaſſe tum Proteſtantes, atque vehementiſſime inſtitiſſe, ut Civitatibus Hanſeaticis, Nobilitati mediatæ cæteriſque Statuum ſubditis de libertate religionis ſuæ caveatur ſpeciali articulo. Sed repugnantibus Catholicis ipſoque Rege Ferdinando, impetrari nihil potuit, donec ſub finem actionis tandem hoc Decreto ſeu Declaratione ipſis ſatisfactum fuit, quo tamen non alii, quam Eccleſiaſticorum Statuum ſubditi comprehendi videntur. Num vero inſciis Catholicis & clam illos decretum ejusmodi quid fuerit: vel conſciis & rem totam fidei Ferdinandi permittentibus jam non vacat diſceptare: Sane hoc poſtremum Ferdinandus diſerte teſtatur, cui ut fidem habeamus, nihil quod obſtet video. Quamquam ſuſpicione utique haud careat, quod

quod perhibent, in Archivo Moguntino hujus rei geſtæ nulla omnino indicia reperiri. Præſertim cum ipſi etiam Proteſtantes diu poſt mortem Ferdinandi ſub Maximiliano Imperatore demum Decretum iſtud produxerint, ejusque confirmationem petierint, irrito quamvis ſemper conatu ob conſtantem Catholicorũ contradictionem, quibus nullo pacto perſuaderi potuit, ut paterentur religioſæ paci hoc in negotio, quod eos adeo prope tangebat, derogari.

Hoc etiam diſceptatum vidi, an religioſa pace beneficium emigrandi illis tantum Statuum ſubditis conceſſum ſit, qui tempore confectæ pacis jam aliam religionem, & à religione Domini Territorii diverſam profitebantur? an vero ad eos etiam pertineat, qui poſtea quocunque tempore mutare religionem velint? Sane enim pax religioſa §vo Wo aber unſere ꝛc. haud perſpicue ſatis loquitur, dum præſentis tantum profeſſionis videtur meminiſſe. Enim vero cum ea ſit verborum illorum latitudo, ut ſine ullo incommodo ad futuram etiam mutationem trahi poſſint & præterea conſcientiæ libertas inter maxime favorabilia merito referenda ſit, nos nihil dubitamus, poſteriori ſententiæ ſuffragium noſtrum dare: accedente imprimis uſu & experientia, quæ nos docuit, legem hoc ſenſu ſemper acceptam, neque ſubditis migrare ob religionem volentibus ullo tempore impedimentum creatum fuiſſe. Niſi forte ex temporis occaſione aliqui hoc tentaverint fiducia potentiæ, & manifeſtis cavillis uſi contra paciſcentium intentionem, nemine alio factum laudare auſo, quamvis nonnulli partium ſtudio, in occulto lætarentur & plauderent.

Eſt denique valde impedita quæſtio de Hominibus propriis (Leibeigenen) quo pacto eis pace religioſa beneficium emigrandi ſit conceſſum. Hoc enim ſane pax, uno illo §vo Wo aber unſere ꝛc. quod paulo ante conceſſerat, ut nimirum his integrum ſit emigrandi jus, & libera vendendi bona facultatesque ſuas poteſtas, dato æquo pro redimenda ſervitute perſonali pretio. gegen ziemlichen billichen Abtrag der Leibeigenſchafft, ſtatim in ſequentibus adimere rurſus videtur, ubi Dominorum territorii arbitrio relinquitur, manumittere illos homines proprios velint, aut nolint. Doch ſoll den Obrigkeiten an ihren Gerechtigkeiten und Herkommen, der Leibeigenen halben, dieſelben ledig zu zehlen, oder nicht, hiedurch nichts abgebrochen oder benommen ſeyn. Qua enim ratione hæc clauſula cum ſuperiore conceſſione, daß Ihnen ſolcher Abzug gegen ziemlichen billigen Abtrag der Leibeigenſchafft unverhindert männiglichs zugelaſſen und bewilliget ſeyn ſolte, ſimul ſtare poſſit, non adeo facilis dictu res eſt. Et utique nonnunquam ſubditis migraturis eam ob cauſam moleſtias fuiſſe creatas, indicant acta Weſtphalicæ pacis Proteſtantibus inter gravamina religionis hoc etiam caput referentibus. Unde mox Paciſcentibus art. 5. §. 37. placuit edicere, ne ſpontaneam ſuſcipientibus emigrationem *ſervitutis prætextu*

Digitized by Google

diæ inter Status conſervandæ cauſa, cautum fuerit, k) quod nemo alienos ſubditos ad ſuam Religionem pertrahere, l) eave cauſa in defenſionem aut protectionem ſuſcipere, illisve ulla ratione patrocinari debeat, m) conuentum eſt, hoc idem porrò quoque n) ab utriusque Religionis

prætextu impedimentum inferatur. Quo pacto ſublata illa clauſula, libertati emigrandi adverſa, nec integrum amplius eſt Dominis, ex cauſa ſervitutis ſubditorum conſcientiis negata manumiſſione vim inferre.

k) *Inſuper majoris concordiæ inter Status conſervandæ cauſa cautum fuerit,* Extat hæc etiam lex in pace religioſa §. 0 Es ſolle auch kein Stand, qui ſum ſuperiorem. Wo aber unſere 2c. præceſſerat. Meliore ſane ordine, quam hic res collocantur. Primo enim interdicendum erat, nequis alterius ſubditos ad ſuam religionem ſollicitet, vel eam ob cauſam in defenſionem aut protectionem ſuſcipiat. Deinde vero demum, ne quis ſubditis ſuis emigrare ob religionem volentibus ſit impedimento. Illud exterorum zelo male temperato ponit obicem. Hoc Dominos territorii coërcet, ne cogere ſubditos poſſint, ut in religione aliena adverſus conſcientias ſuas vivere teneantur.

l) *quod nemo alienos ſubditos ad ſuam religionem pertrahere*) in ipſa lege habetur, es ſoll kein Stand den andern, noch deſſelben Unterthanen zu ſeiner Religion bringen abpracticiren. Quemadmodum & ſequentia quæ hic leguntur, illic ita habentur. Oder wieder Ihre Obrigkeit in Schutz und Schirm nehmen, noch vertheidigen, in keinen weg.

m) *Eave cauſa in defenſionem aut protectionem ſuſcipere, illisve ulla ratione patrocinari debeat*) In pace religioſa additur exceptio, Doch ſoll hiemit denjenigen, ſo hiebevor von alters Schutz und Schirmherrn angenehmen gehabt, hiedurch nichts benommen, und dieſelbige nicht gemeinet ſeyn. Quo adhuc obtinere arbitror, niſi quatenus huic licentiæ quærendæ protectionis poſterioribus capitulationibus derogatum eſt: de quo legi poſſunt Capitulationes Ferdinandi IV. art. 6. & Leopoldi I. art. 8. & quæ ad iſta loca notavit Limneus in additionibus ad jus publicum.

n) *Conventum eſt, hoc idem porro quoque* &c.) Eſt igitur Regula generalis hoc loco tradita, Statibus Immediatis utriusque religionis cum jure territorii & ſuperioritatis ex communi per totum Imperium hactenus uſitata praxi, etiam jus reformandi exercitium religionis competere, nullique Statui immediato jus, quod ipſi ratione territorii & ſuperioritatis in negotio religionis competit, impedire oportere. Quid autem ſit jus reformandi, & quæ ejus partes, Scriptores alibi prolixius tradunt. In univerſum conſiſtit in inſtituenda, ornanda,

omni ratione fiunt, vel cœco hominum impetu, quos ſi ſuis judiciis, ſuisque affectibus, prout eos natura regit, relinquis, haudquaquam inanibus illis & ludicris certaminibus occuparentur, cum alia, quæ agerent, habeant. Sed uti mare tranquillum venti inflant, atque momento impetuoſum turbidumque reddunt: quamvis non in abditis maris lateant, ſed ſupra id vehantur alienis ex oris allati. Ita quos diverſæ in ſpiritualibus rebus opiniones ad ſimultates & iras movent, eos indubie credendum eſt non tam ſua ſponte, vel ipſis controverſiis agitari ad tantam inſaniam: quam Impoſtorum quorundam pravis & ſeditioſis flatibus, quorum intereſt, receptas ſemel opiniones tueri, quod ſuper eas dignitas eorum, vitæque humanæ commoditates aliæ ſuperſtructæ ſint, quorum omnium ingens periculum facturi eſſent, ſi arcana dominationis illius libertate ſentiendi ingenuis tentare integrum eſſet. Scilicet ut nihil celemus, in cauſa eſt ambitio atque avaritia Cleri, quod orbem hæc peſtis, hoc malum invaſit ac veluti merſit. Scilicet iſti homines, ſibi piarum fraudum artisque hiſtrionicæ peſſime conſcii, dum famæ ventrique mirifice timent, ſi omnibus liceret de ſui ordinis majeſtate rebusque geſtis ſententiam ferre, in omnes ſtatim exitiali ira accenduntur, quos ſuſpicantur vel odorari ſaltem impoſturas ſuas, aut detrahere larvam conari perſonatis ſudictis. Sicuti enim omnis ſui ordinis dignitas & amplitudo opinionibus Hominum conſtat, quibus commotis totius operis ſtructuram, tot ſeculis incredibili vafritie dolisque verſutiſſimis exædificatam ſtatim collabi neceſſe eſt: Ita mirum non eſt, cum Clerus ſtatum in ſtatu reipublicæ formare ſemel ceperit, perduellionis vel læſæ majeſtatis divinæ humanæque continuo eum non minus poſtulari à Clero, qui ejus ordinis ſecuritatem & famam tentare incipit, quam ſi in civilem majeſtatem peccaviſſet. Interea invidioſiſſimæ actioni quærendus color fuit, quo perſecutionis rigor & pœnarum aſperitates verbis lenirentur. Craſſum nimis & improvidum fuiſſet, cauſam propriam hic agere, quod Civitates & qui imperium ibi habent, ſine ullius odio faciunt. Itaque omnia flagitia ſua devotione quadam zeloque divino tegunt, cujus honorem atque majeſtatem à ſe vindicari cupiunt credi. Quam in rem dum ſua ex parte ſpecioſa nomina invenere, Officii ſacroſanctæ inquiſitionis, congregationis de propaganda fide, & ſimilium, ex altera miſeros ſibique ſuſpectos aut inviſos onerant nominibus in vulgus odioſis, quos Hæreticos appellant, Sectarios, Enthuſiaſtas, Fanaticos, Neſtorianos, Arianos, Montaniſtas, & quicquid atrocitate ſignificationis exoſum populo, intenſæ ſævitiæ, quam iſti ſui cauſa unice exercent, invidiam mollire poteſt. Sic enim perſuaſum eſt non plebi modo, ſed illis etiam, qui plus ſapere ſibi videntur, in hæreticum nullas pœnas ſatis graves atque atroces ſtatui poſſe. Ignis, rota, laqueus, ferrum, aqua, ſupplicia ſunt uſu

& legibus jam diu receptâ ac veluti conſecrata id genus criminibus, apud Pontificios imprimis, qui nec modum nec metum crudelitatis ſuæ habent. Profecto enim illud in Hiſpania Luſitaniaque Tribunal Inquiſitionis quovis tauro Phalaridis acerbius, ſive perſecutionis injuſtitiam ſpectes, ſive ſqualorem carceris, ſive denique ſuppliciorum inhumanitatem & ludibria, ipſo in actu executionis, quem iſti *actum fidei* appellant, adhibita, & cum miſeris ac jam jam perituris variis modis inſtituta, quos habitu, picturis, pompa, alioque apparatu ignominioſo turbatos vexatosque ne in ultimis quidem ſinunt tranquille mori. Sed hæc ſcena præcipue à Clero agitur. Iſte vero cum ad crudelitates ſuas exercendas auxilio Principis opus habeat, illi etiam pars quædam hujus fabulæ committenda fuit. Quamquam autem ex Romanæ curiæ inſtitutis Princeps hoc in opere non niſi ſubſidiarias & adminiſtratorias partes obeat, exequendo id, quod Clerus decrevit. Hoc tamen ejus officium jure quodam denotandum fuit, quod olim appellabant adſiſtentiam Secularis brachii. Hodie vero imitatione Proteſtantium etiam Jus reformandi vocatur. Hoc ſi Principes uterentur ad conſervationem libertatemque ejus religionis, cui ipſi ſunt addicti, fortaſſis nihil eſſet, quod in hoc conſilio quisquam reprehenderet. Sed aliorum ſacra iisdem in locis publica fide ſtabilita turbare, vel privatorum conſcientias cogere velle ad credendum id, quod ipſis aliter videtur vel ad ritus ceremoniasque ſuſcipiendas, quæ horrori ipſis vel execrationi ſunt, utcunque ex errore id fuerit, res eſt non magis à ratione quam ipſa humanitate aliena. Nam ſi errant illi infelices, docendi ſunt leniter & manſuete, erroresque iis eximendi ratione & argumentis, quibus armis unice intellectus humanus expugnare ſe patitur. Sin vero perſuaderi eis veritas non poteſt, ſive nebulis præjudiciorum, ſeu vitio educationis: ſeu denique ipſius rei abſtruſis myſteriis, quæ ſola vis divina aperit, teneantur eorum oculi mentis, quid ſævire in illos placet, quorum in poteſtate non eſt, his ſe malis, quæ non vident, ad aliorum placitum liberare? quamdiu enim meliora non edocentur in partem pietatis & officii ſui numerant, erroris defenſione conſtantiam ſuam Deo probare. Abſurdum eſt, eos pertinaciæ & erroris voluntarii reos facere, quo plerumque crimine apud imprudentes & plebem invidia ipſis creatur. Error enim voluntarius manifeſta contradictione implicat: quamprimum enim ego erroris convictus ſum, illum non poſſum non exuere, uti non poſſum non videre apertis & recte ſe habentibus oculis præſente lumine & objecto. Fieri quidem poteſt, ut reſpectu aliarum rerum diſſimulem me eſſe convictum: Sed malitia hoc eſt, non pertinax error; Enimvero ſuſpicione improbitatis ejus naturæ ii minime laborant, quorum non modo nihil intereſt ut agant perſonam errantium. Verum etiam qui ob id ipſum ſummis periculis & miſeriis conflictantur, atque de vita

de vita fortuniſque ſuis diſcrimen ſubeunt. Hos enim hac una cauſa, ut videantur pertinaces, affirmare moveri ad tolerandas contumelias, cruciatus, carcerum fœtorem, atque id genus infinita alia mala; denique ad mortem ipſam ſumma conſtantia & inter laudes Deo recitatas perferendam, id vero ſi non inſania, certe calumnia eſt plus quam Archiva. Illis potiori jure hæc dica ſcribi poteſt, qui ſive ut pericula vitent, ſive honores divitiaſque conſequantur, aliorum ſacris ſe leviter accommodant. Hos enim contra animi ſui ſententiam lucelli præſentis dulcedine fabulam agere, ſumma cum ratione credimus: quamquam ſi recte loqui volumus, iſti callidi & ſecuri veritatem magis oppugnant, quam errorem pertinaciter defendunt. Nam error ipſis imputari non poteſt quem nequiter ſimulant, cum in conſcientia certi ſint contrarii. Videmus ſane, hanc agendi rationem Clerum adverſus illos obſervare, quos nulla à Secta ſua defectio hæreticorum invidia nondum oneravit. Ita Judæi, Turcæ, quin ipſi Orientalis Eccleſiæ Chriſtiani medio in Papatu tolerantur, dum interea adverſus Evangelicos ſumma ſeveritate inquiritur; quicquid diſcriminis prætexunt, cur illi pro his melius habeantur, certum eſt, quadam ſtatus ratione hoc omne negotium regi. Nam quod ad Judæos Turcaſque attinet, cum hi gentes ſint, & connubiis & toto genere religionis à populo Chriſtiano diſtinctæ, & præterea apud nos nec honorum nec munerum civilium participes, nullum à contactu eorum commercioque quod Mercatura unice fere conſtat, metuendum periculum, imprimis cum ſevere interdictum ſit Judæis, ne quem ex Chriſtianis forte transfugam ſacris ſuis initiari patiantur. Orientalis autem Eccleſiæ Chriſtiani ipſa inter nos raritate omnem metum eximunt, quem præterea Pontificii hoc etiam leviorem fecere, quod eos communem ſecum fidem habere profiteantur, eamque ob cauſam Schismaticorum loco habeant, non hæreticis adnumerent. At ſane ab Evangelicis eorum regno longe majus imminet diſcrimen, neque dememinere, quantopere olim & Romæ & in toto orbe Pontificio eam ob cauſam tumultuatum trepidatumque ſit. Illi enim eodem principio cognoſcendæ veritatis innixi, ſed meliori fide ſtudioque in Scripturæ ſacræ interpretatione verſantes dum fraudes & ſcelera corruptiſſimi ordinis detegere coguntur, ut ſuis dictis tanto majorem autoritatem concilient, non potuere non deteſtabile odium incurrere ejus generis hominum, quos honorum, famæque, ſed ante omnia opum atque divitiarum avidiſſimos tot præterita damna perpetuo admonent, quanti eorum interſit, ne ſapere homines & intelligere incipiant, quid à favis fuci diſtent. Adeoque ut omnis occaſio populo præſcindatur inſtruendi ſe ſacris in rebus, non modo homines in concionibus ſecretiſque confeſſionibus à deſiderio etiam exercendi ingenii dehortantur avertuntque, uſum imprimis & lectionem ſacrorum Bibliorum ob neſcio quæ imaginaria pericula

gionis Statibus o) obſervari, p) nullique ſtatui immediato q) jus, quod ipſi

ricula diſſuadentes prohibentesque. Verum etiam armant Principes atque incendunt in eos, qui paulo curioſiores ſatisfacere ſibi ſuisque conſcientiis hujus ſtudii cultura audent, ut quos vafra conſilia & monita Cleri non movent, ut ab incepto deſiſtant, ſaltem metus & gravitas pœnarum deterreat à propoſito. Tot triſtibus & luctuoſis exemplis ante oculos verſantibus monentibusque, quam inexorabilis ſit legum ſeveritas contra eos, qui hoc quidem in genere libertatis moliri vel meditari nova videntur. Atque ſane hujus rei ſtrenua procuratio præcipua pars eſt *Juris reformandi*, ut novantes diſſentientesque à publica religione vel abigamus ſtatim, vel acerbis ſuppliciis coërceamus, nulla omnino ſentiendi libertate ſubditis conceſſa, niſi quantum hoc ipſæ leges indulgent, quocum prohibitio omnis religionis, cui Imperans non eſt addictus, conjuncta eſt. Duo alia ejus juris ſumma capita breviter in eo conſiſtunt, primo ut religio Imperantis ubique publice ſtabiliatur, & ſola regnet; deinde vero, ut quicquid promovendæ ejus exornandæque cauſa leges civiles, & opes publicæ conferre poſſint, Imperans ſedula opera curet & indefeſſa pietate, quod nomen honeſtum callidi illi cupiditatibus ſuis apud imprudentes obtendunt, quamvis veræ illi & ingenuæ pietati teſte experientia nihil magis obſit, quam opes nimiæ in Clerum collatæ, cultusque divini illa Majeſtas, quæ rerum externarum ſplendore & ſumptuoſo paratu excitatur: quod ille venerabilis ſenex recte intellexit, qui affirmare auſus eſt, religionem Chriſtianam nunquam ſe melius habuiſſe, quam eo tempore, quo Calices lignei in Eccleſia fuerint, & Sacerdotes aurei. Nam ex quo illi aurei fieri ceperint, hos propediem ligneos factos eſſe. Qua ſententia indicare voluit, opes in Clerum congeſtas mutare probitatem & mores, ſuccedanea avaritia, ambitione & luxu, quibus rebus excogitari nihil poteſt, quod pietati magis noceat. Cum Hominum mentes atque cogitationes à cœleſtibus ad terreſtria & ſordida, ſæpe etiam impia & nefaria divitiarum honorisque dulcedine trahantur.

o) *ab utriusque religionis Statibus*) i. e. a Statibus religionis Catholicæ & Evangelicæ. Sub hac autem reformatos etiam comprehendi docebit ſequens articulus ſeptimus. Atque hoc ex loco iterum patet, quoties Proteſtantes Catholicis opponuntur, eorum religionem pro una reputari, non diſtinguendam, niſi cum inter ipſos Proteſtantes res domeſtica agitur, & cum nihil refert Catholicorum, ut ejusmodi negotiis ſe immiſceant.

p) *obſervari*) Obſervare eſt, ut Valla expoſuit, rem animo & oculis diligenter cuſtodire, in modum ſpeculatoris, quare ſi huic verbo *obſervari*, integram ſuam vim tribuimus, Statuum jus refor-

Digitized by Google

ipſi ratione territorii & ſuperioritatis in negotio Religionis competerit, r) impediri oportere s).

§. 31. Hoc tamen non obſtante a) Statuum Catholicorum Land- Anni 1624. pars quæcunque Juris patronatus.

reformandi efficaci & emphatica ſignificatione aſſertum ipſis eſt.

q) *nulliqne Statui Immediato*) Neque etiam nobilibus immediatis, per ea, quæ ſupra dicta fuere, quamquam enim illis de jure territorii & ſuperioritatis a quibusdam quæſtio Status moveatur, in eo tamen omnes conveniunt, habere eos jus quoddam ſimile & analogum, cujus eadem vis in ſubditos, quamquam in negotiis cum Exteris parem autoritatem non obtineant. Cum nec omnibus Statibus ſine diſtinctione hac in re eadem dignitas & pondus inſit, quæ augmentum ſemper habent ab opibus & potentia.

r) *jus, quod ipſi ratione territorii & ſuperioritatis in negotio religionis competit*) Hæc verba *ratione territorii & ſuperioritatis*, idem valent, ac ſi lex dixiſſet, quod paulo ante dixerat: cum jure territorii & ſuperioritatis.

s) *impediri oportere*) Errant itaque, & hoc loco refutantur, qui putant, jus reformandi non obſtare conſcientiarum libertati, nec ſubditis impedimento eſſe poſſe, quo minus religioni ſuæ ex animi ſententia vacent. Dominus enim Territorii in exercitio juris reformandi impediri non debet, prout illud ex communi per totum Imperium hactenus uſitata praxi habuit. quæ autem ſi illa praxis communis, hactenus experientia comprobatum eſt, cum Evangelici Status non ſegnius quam Catholici ſuis in ditionibus coërceant & expellant, qui alieno a receptis ſacris ſenſu eul uque ſatisfacere ſuis conſcientiis volunt, in quantum per leges publicas hujus juris licentiæ modus non eſt poſitus,

§. 31.

a) *Hoc tamen non obſtante* &c.) Superiori §vo regula de Jure reformandi eſt tradita: Hic exceptio a regula, ſeu limitatio notabilis proponitur. Nimirum hoc non obſtante, quod de jure reformandi exercitium religionis, Statibus Imperii immediatis cum jure territorii & ſuperioritatis ex communi per totum Imperium hactenus uſitata praxi competente, neque ullo modo impediendo, ſancitum eſt, ſervandum nihilominus eſſe, quod ſequitur. Sunt quidam ſcrupuloſi & nimis ſubtiles rerum æſtimatores, qui non exceptionem hoc loco, ſed novam regulam proponi contendunt, opinantes, hac ratione Evangelicorum res meliori conditione fore. Sed præterquam quod non ſatis intelligam, quid commodi præcipui ex hac diſtinctione nobis obventurum ſit, vereor profecto, ut propoſitum tenere queant, Sic enim verba initialia hujus paragraphi cum ſuperiori connectuntur, ut facile appareat, hic excipi quædam a regula de jure reformandi deſcripta.

Digitized by Google

Neque tamen ideo, quia hic exceptio continetur, res ſubditorum infirmiori ſunt loco, in quamtum iis paciſcentes proſpectum noluere. Una enim eademque lege & regulæ & exceptioni ſua vis & autoritas conſtat, ut qui una legis partu frui cupiunt, alteram ſervare integram iis debeant, quibus eadem ex lege emolumentum quoddam vel ſecuritas provenit. Ita non eſt impediendus in jure reformandi Dominus territorii. Sic expreſſe lex jubet. At ſubditi etiam relinquendi ſunt in exercitio ſuæ religionis libero, atque poſſeſſione templorum omniumque jurium, quatenus ea anno 1624. poſſederunt. Quando vero hic animus illis eſt, qui in exceptione novam regulam quærunt, ut pinguiori ſint conditione, quod ea ratione ſe conſecuturos forte ſperant, ſi a jure reformandi ſubditos Catholicorum ſacris Evangelicis addictos penitus eximunt, non eſt ſane exiſtimandum, Status Catholicos adeo obeſi naris fore, ut nominis mutatione hæc artificia non odorentur. Nimirum hæc Scena diverſis ex partibus diverſe adornatur. Catholici exceptione ſua ad poſſeſſionem reſpiciunt, qualis ea anno 1624. ab unoquoque habita eſt: Illi, qui novam regulam cudunt, ad conditionem ſtatumque locorum attendi ſimpliciter volunt, quem negant mutari poſſe, etiamſi de habita poſſeſſione Evangelici docere nihil valde poſſint. Ita, exempli gratia, cum anno 1624. quodam in oppido vacuum ab omni exercitio religionis templum ſacellumque fuerit, Proteſtantes mallent locum illum hoc in ſtatu perpetuo relinqui, ut rei conditio maneat, qualis anno 1624. fuit. At Catholici reſpondent, cum probari non poſſit, Proteſtantes dicto anno templum illud vel ſacellum ſuos ad uſus poſſediſſe, rem ad curam Domini Territorii pertinere, qui jure reformandi de ea decernere pro arbitrio poſſit, neque peccari in legem, etſi vacua id genus loca ſacris Catholicis adaptentur, in quibus Proteſtantibus nullum jus poſſeſſione quæſitum eſt. Pari ratione jacuere reditus, penſiones, decimæ, anno 1624. a nulla parte exactæ: id quod per belli viciſſitudines evenire facile potuit. Catholici hæc jura ſibi vindicabunt, quia probare Evangelici non poſſunt, ea dicto tempore ſibi exſoluta, vel ſe in poſſeſſione ſaltem fuiſſe prohibendi, ne a ſe exigerentur. At Proteſtantes non tam de facto aliquo poſſeſſionis, quam de eo quod non factum eſt, ſolliciti, extincta potius iſta jura neque amplius cuiquam debita affirmant, quam ut patiantur Catholicos ea ſibi vindicare poſſe. Enimvero ſi hæc lis hac ex lege noſtra dirimenda eſt, vereor ſane, ut proteſtantes cauſa vincant. Neque enim illis lex aliud indulget, quam ut exercitium religionis retineant, *quatenus* illud dicto anno habuiſſe probare poterint. Et ſecundo, ut relinquantur in poſſeſſione omnium templorum, fundationum, Monaſteriorum & jurium, dicto tempore *in poteſtate eorum conſtitutorum*. Quod ergo ad ea loca attinet, ubi nullum exercitium habuerunt: itemque ad ea jura, quæ in pote-

Digitized by Google

Landſaſſi, Vaſalli & ſubditi b) cujuscunque generis, c) qui ſive publi-

poteſtate eorum conſtituta non ſunt, quid eſt, quod prætendant, cur Domino Territorii Catholico impedimento ſint, quo minus illis in rebus jure reformandi utatur? Nihil profecto. Et ſi verum dicere fas eſt, noverunt optime Proteſtantes Status, & Exemplis præclare comprobant, quantum ſibi jure reformandi liceat, ex quo compendium ſuum hac quidem in re facere ſibi poſſe videntur.

b) *Statuum Catholicorum Landſaſſi, Vaſalli & Subditi*) De Statuum Catholicorum ſubditis mediatis, ſacris Proteſtantium addictis, primo loco agitur. His enim imprimis proſpiciendum fuit, cum longe major eorum numerus inter Catholicos ſit, quam ſubditi Pontificiam Eccleſiam ſectantes in Territoriis Proteſtantium inveniuntur. Cauſa procul dubio hæc eſt, quod initio Reformationis ſubditi ante alios Tyrannidis pontificiæ, prout illo tempore immane quantum graſſabatur, pertæſi facto quaſi agmine ad ſacra Proteſtantium tranſibant, rati, ſe hoc modo non modo conſcientiis ſuis, verum etiam libertati & rei familiari rectius conſulturos. Alia Statuum ratio fuit, ex quibus multi diverſis reſpectibus in officio à Clero continebantur. Nam quod ad Status Eccleſiaſticos attinet, Conſideratio dignitatis & opum pleroſque morabatur, territos exemplis aliorum, quibus mutandæ religionis conſilium peſſime ceſſit. Præterea ſubibat animum cura jactandæ auctoritatis & imperii, quod rerum ſpiritualium nomine in reliquos Civitatis ordines maximum exercebant; ſummo quidem cordatiorum dolore, ſed qui mutare non audebant metu plebis, quam utcunque indigna ſervitute preſſam ſic tamen callidi iſti vulpina & fœda ſuperſtitione faſcinavere, ut ipſi vincula & compedes, quibus conſtringebantur, non ſentirent ex quo ipſa ratio cœco ad omnia obſequio dementata fuit. Ex alia parte Status politici numeroſa domo aucti, quam pro dignitate alere res non ferebant, amore ſuorum illis ſacris facile adhærebant, in quibus educati robuſto jam præjudicio conſulere ſibi familiæque ſuæ optime poterant, cum ſi vel maxime mutare voluiſſent, uno veluti ictu ſpes decollaret provehendæ domus ad maxima ſacerdotia aliasque inſignes dignitates, quæ ab Eccleſiaſticis honoribus errore hominum dependent. Iſta omnia non ita impenſe curabant de plebe homines, quos Cleri impotentia & avaritia quotidie vexatos ſi quis de impoſtura & hypocriſi docuiſſet, erectis animis velut è carcere prorumpebant ad avitæ libertatis vindicias. Neque obſtabat ſollicitudo propinquorum, qui opificiis aut culturæ agrorum dediti ubique facile inveniebant, quibus vitam tolerarent. Quod ſi alii artibus aut ſtudiis liberalioribus operam dare decreviſſent, apud Proteſtantes conditionem

 ſuam

ſuam meliorem etiam facere poterant, cum illi promovendis ejuſmodi ſcientiis atque diſciplinis nec opibus parcerent, nec favore in eruditos, haud ignari iisdem mediis religionem ſuam conſervandam eſſe, quibus à fermento pontificio repurgata fuit. Cum ex adverſo Clerus Romanus id unice agebat, ut humaniores literas extinctum rurſus perditumque iret, quibus ſuis rebus tantum detrimentum eſt illatum. Atque ex eo profecto eſt, quod ad hunc usque diem Proteſtantium ſcholæ Academicæ pro illis Catholicorum in omni doctrinarum genere floreant, his ipſis fatentibus, juventutem ſuam Magiſtris Proteſtantibus erudiendam commendari oportere, ſi proficere eam in ſtudiis ingenuis atque nobilioribus velint. Cum in Jeſuitarum contubernio Declamatorculi ſaltem evadant, aut Poetaſtri inſulſi, vel ſi multum etiam præſtent, tumidi futilibus quæſtiunculis diſputatores, de cætero ad omne civilis vitæ genus morumque honeſtatem inepti, quod plerumque fraude magis Patrum iſtorum, quam ignorantia vel inhabilitate fit, qui ſedulo non cavent, ne, quos in Societate ſua retinere non poſſunt, cultiores doctioresque dimittant, quam rationibus ſuis conducit. Ex his cauſam conſtare arbitror cur Catholicorum Statuum Provinciæ repletæ ſtatim poſt reformationem Proteſtantibus ſubditis ſint, in Proteſtantium vero ditionibus imminutus Catholicorum numerus. Scilicet lux cœleſtis animis affulgens diſcuſſit tenebras, libertas depulſo metu cupiditatem primo attulit noſcendæ veritatis, & mox amorem accendit ſequendæ. Denique jugum illud intolerabile, quod plebis cervicibus Cleri dominatio faſtusque impoſuerat, excuſſiſſe non jucundum modo erat, & rebus noſtris apprime commodum, verum etiam pium opus & laudabile videbatur, ex quo conſcientia homines ad id officii ſibi præſtandi compellebat. Quemadmodum vero hæc ipſa à ſacris Romanis tam frequens & quotidiana fere ſubditorum defectio urebat ſummopere Catholicos Status, quorum res hanc mutationem non ferebant: ita non poterant non turbæ & motus eam ob cauſam in provinciis excitari, ſuffl[a]nte ante alios Clero, & ne ſerperet malum, quod ſibi ex eo imminebat, totis viribus obnitente. Hinc Status una ex parte coërcere ſubditos, eamque licentiam mutandæ religionis variis ſuppliciis deprimere. Ex altera item alii ſubditorum male habitorum protectionem ſuſcipere, eosque contra vim conſcientiis illatam tueri, quod ad officium ſuum pertinere exiſtimarint, ne eadem ſecum ſacra amplexos deſerant, & inimicorum arbitrio exponi patiantur, reputantes animo, ad injuriam ſuam pertinere contumelias, quos miſeri conſcientiæ cauſa perferre cogantur, noxio certe exemplo & in ipſos primo quoque tempore, cum occaſio erit, tranſituro. Atque ſane eam ob rem ſæpius in imperio tumultuatum: Sæpius arma ſumpta, neque pax religioſa, quæ anno 1555. condita eſt, malo illi ſatis mederi viſa, cum ſubditos qui

poſt-

publicum ſive privatum Auguſtanæ Confeſſionis Exercitium d) Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto, quacunque anni parte

poſt iſtam pacem mutandæ religionis conſilium capere voluere, Dominorum ſuorum arbitratui relinquat, ſoli emigrationis beneficio dato, ſi alienæ voluntati nolint ſtare. Erat autem pax illa hoc etiam difficilior ſervatu, quod interea immenſa multitudo hominum per omnem Germaniam ad ſacra Proteſtantium tranſitum fecerat, quos iniquiſſimum viſum eſt cogere ad religionem contra animi ſententiam ejurandam, cui ſacramentum dixerant ſalutis ſuæ cauſa. Igitur Weſtphalica pace temperamentum eſt adhibitum, ut quam religionem quisque anno 1624. publice vel privatim profeſſus eſt, ejus in exercitio eodem modo relinquatur. Quod deinde ad ſubditos etiam Proteſtantium Statuum, Romano cultu imbutos translatum, ſi quos forte contigit in Territoriis Evangelicorum inveniri, de quibus mox.

c) *cujuscunque generis*) Lege igitur inter ſubditos non diſtinguente, neque noſtrum eſt diſtinguere, nam & ſubditos ſubditorum comprehendi indubium eſt. Sive Statum immediatum reſpicias, cujus medio alio ſunt ſubditi, ſive mediatum illum, qui ſubditos habet. Hic enim jure reformandi non utitur. Ille ſubditis cujuscunque generis exercitium ſuæ religionis ad obſervantiam anni vigeſimi quarti indulgere tenetur. Equidem memini, voluiſſe aliquos de iis ſubditis dubitare, qui feudo quocunque modo vacuo ad Dominum directum revertuntur, proprietate cum utili dominio conſolidata, quod imprimis eo caſu obtinere putant, quando Dominus directus dato pretio à Vaſallo utile dominium redemerit, argumento eorum, quæ ſupra §vo 27. de reluitione pignerum ſunt tradita. Sed falli eos, neque paciſcentium mentem fuiſſe, ut quæ de pignoribus ex ſpeciali ratione ſtatuere, de feudis reverſis ſimul intellecta voluerint, eodem loco à nobis multis & perſpicuis argumentis comprobatum eſt. Quæſitum etiam memini de incolis, qui domicilium fixum non habent, quos ſubditos parvi temporis vocant. Vereor ut iſtos lex juvet, cum proprie non ſint ſubditi, etſi quamdiu in loco manent, imperio Magiſtratus parent, & pro incolatu ſolita onera ferunt. Quamquam vix caſum fore arbitror, quo id genus incolæ publicum religionis à religione dominante diverſæ exercitium ſtabilire poſſe videntur, nec Domino Territorii, nec veris ſubditis id facile toleraturis. Præterea cum illi quocunque tempore juberi poſſint, ut migrent, neque manſionis jus habeant contra Magiſtratus voluntatem, vel hoc ipſo ex capite eis exercitium religionis irritum ſit, cum nemo ſuperſit, qui in abeuntium locum ſuccedat.

d) *qui ſive publicum, ſive privatum*

Auguſt. Confeſſ. exercitium) Hoc loco jam occurrit nobis vexatiſſima quæſtio de publico & privato religionis exercitio, quale unumquodque horum ſit, quove charactere unum ab altero diſtinguatur. Publicum religionis exercitium variis modis dici poteſt. 1. a cauſa ſeu ſubjecto, cum authoritate Magiſtratus publica eſt inſtitutum. 2. a loco, quando in loco publico fit. 3. a forma, cum publicis ceremoniis peragitur, veluti pulſu campanarum, apertis templorum foribus, ſtatis horis, cantu manifeſto & ſonantibus organis: concionibus ex ſuggeſtu: precibus & litaniis palam recitatis, confeſſione auriculari: Sacramentorum adminiſtratione, ritibusque aliis, liberis a reſpectu vel metu aliorum; quo refero etiam publicas illas ſolennitates, cum in nuptiis celebrandis adminiſtrandoque baptiſmate feſtivo ordine & Comitatu ad templum itur, rediturque. Tum funerum pompas & deductiones, ut & exequiarum & ſepulturæ publicos honores. Denique cum Sacramentum Euchariſtiæ per Civitatem in conſpectu populi portare ad ægrotos licet. Quod nunc viaticum vocant, adornato itineri in alterum mundum comparatum: Et ſi qui alii ſunt publici actus religionis exercendæ cauſa inſtituti, quos una ſecta plures paucioresque præ alia habet. Neque tamen exiſtimandum eſt, concurrere iſta omnia oportere, ut exercitium publicum audiat. Quibus enim locis quædam ſeu lege, ſeu pacto, ſeu conſuetudine imminuta ſunt aut reſtricta, manentibus reliquis, in quibus forma publici exercitii retineri poteſt, rei ipſi nihil ex eo decedit, cum, ut in ſcholis dicitur, magis & minus non mutent ſpeciem. De autoritate publica, cujus auſpiciis exercitium publicum inſtituitur, id modo habendum, intelligi hoc etiam publica autoritate inſtitutum, quod longo tempore toleratum aut diſſimulatum eſt, continuata ad annum usque 1624 poſſeſſione. Quod ſi præterea Dominus territorii aliquando ab adverſa parte turbatis tranquillitatis publicæ cauſa auxilium tulerit, probatio eo fortior erit. Denique ſi pacta interceſſerunt, per ea de ipſo etiam conſenſu conſtabit. Neque ſemper opus eſt, ut propoſitis edictis fides fiat conceſſi publici exercitii. Forma privati exercitii fere a loco & modo dependet, quod enim in privatis ædibus inſtituitur, nec extra ædes illas in publico conſpiciendum ſe ſacris ceremoniis præbere poteſt: item quod illas ipſas intra ædes ſine ſtrepitu & oſtentatione clam alios & velut in occulto peragitur, ad naturam cultus ſeu exercitii privati pertinet. Sed quid dicendum, ſi liberum eſt alios etiam, qui non ſunt ex familia, ad ſacra admittere, januis ædium ejus rei cauſa apertis? reſpondeo, non videri propterea exercitium publicum dici poſſe, niſi aliud acceſſerit, quod formam publici habeat. Quo imprimis pertinet jus ædis ſacræ vel ſacelli habendi, item pulſus campanarum, & ſimilia. De cætero nihil intereſt, in ædibus propriis vel alienis, ei rei deſtinatis res divina peragatur: neque magis, an quis

quis per ſuos aut vicinos verbi divini Miniſtros id fieri curet. Præterea hoc etiam ad formam privati exercicii pertinere arbitror, ſi quis alios nullos, præter familiam ſuam ad audiendas conciones, ſacraque alia peragenda cogere autoritate poteſt. Eoque magis privatum erit, quo magis coarctata eſt libertas exercitii, ſive cum remotiori a publico ædium parte locus ſacris eſt deſtinatus, quem mutare non licet: Sive cum nulli, qui non eſt ex familia, accedere ad cultum divinum concelebrandum permittitur. Ut breviter dicam, omne fere diſcrimen hic facit 1. natura ſeu conditio loci, quo ſacra fiunt, & 2. actionis celebritas. Quanquam uti in actibus ejusmodi plerumque evenit, ob confinia rerum agendarum nomina etiam facile confundantur fallantque. Id certum eſt, ad neutrum genus exercitii religionis, de quo hoc loco ſermo, pertinere temporale illud & tranſitorium, quod publici Miniſtri in aulis Principum domi ſuæ, ex privilegio juris gentium habent, quodque abitu Miniſtri ſtatim ceſſat. Quamvis enim conſtet, anno forte 1624. in loco quodam ejusmodi ſacra peracta fuiſſe, omnesque ejus ditionis ſubditos, qui eadem ſacra profitentur, ad divinæ rei communionem admiſſos, non eſt tamen, cur ſubditi illi poſt Miniſtri diſceſſum allegare poſſint, ut jus conſequantur continuandæ actionis. Neque enim dici poteſt ipſos ſubditos fuiſſe in poſſeſſione exercitii religionis ſuæ, ſed tantum uſos eſſe alieno beneficio, idque ex occaſione plane accidentali. Etſi paci Weſtphalicæ conſentaneum videatur, ut quibus ſubditis anno 1624. facultas fuit, iſta ſacra frequentandi, ne illis poſthæc, quoties uſus fert, iſta libertas accidatur, imprimis quando non obſtante Superioris prohibitione nihilominus illam dicto anno uſurparint. Ex quo & illud ſequitur, ſi cui communitati alio in loco celebrandorum ſacrorum anno 1624. poteſtas facta eſt, ubi deinde ſacra mutant, ut non ſuperſit exercitium religionis, quod ante erat. Hominibus ejus loci ad aliena ſacra converſis, vix eſſe, ut alteri Communitati jus ſuperſtes ſit rei divinæ faciendæ, cujus participes ſaltem mediante alia communitate fuere, quæ non amplius hoc nomine ſupereſt. Et dubito ſane, etiamſi illi ſuis ſumptibus reſtaurare ſacra vellent, an audiri eos neceſſe ſit, ſi Dominus Territorii nolit. Id quod tamen citra præjudicium dictum a me ſit, ſi qui ſunt, qui contrariam opinionem fulcire idoneis argumentis poſſunt. Denique uno verbo hoc monendum adhuc exiſtimo, *publicum* in hac lege noſtra non eo ſenſu accipi, uti in jure Romano *publicum* vocabant, cujus uſus omnibus patebat, proprietas ad populum ſpectat. Rei enim divinæ hæc eſt natura, ut in privato etiam exercitio nemo ab uſu ejus prohibeatur, qui accedere vult, ſuæque conſcientiæ conſultum cupit. Ubi ex adverſo nec populus nec ſinguli religionem ſibi propriam ſeu in patrimonio habere recte dicuntur, quæ quo communior eſt omnibus gentibus, hoc veriorem

Digitized by Google

riorem diviniorem que vulgo exiſtimant. Cum veræ religionis character inter alias proprietates ſtatuatur, ut ſit Catholica, id eſt, univerſalis; non particularis ſeu privata.

Exercitium) inter alia de re militari dicitur, cum exercitantur milites in armis, ut ordines ſervent, ut ambulare celeriter & æqualiter diſcant militari gradu, ut miſſile & deſtinato jactu & magnis viribus jaciant. Ut norint tractare ſcutum, & obliquis ictibus venientia tela deflectere, ne locum deſerant, ne ordines turbent, neve ſtationes deſerant, ut vigilias diligenter obeant, ut teſſeras probe teneant noſcendis hoſtibus. Denique ut quæcunque evenire in acie atque præliis poſſunt, omnia campeſtri meditatione prænoſcant. Habent hæc omnia magnam ſimilitudinem cum iis, quibus in religione Homines à Ducibus ſuis exercentur. Primo commendatur ſevere & ingenti cum ſupercilio teſſera ſeu verbum illud militare, quo partes ſe invicem noſcunt & diſtinguunt. Viſo alio ignaro nobis, ſtatim acclamatur, quis adſit? reſpondetur, Pontificius, Lutheranus, Reformatus. Hæc nota eſt militaris, hoc ſignum, quod ſi forte congruit, amplectimur amice ut fratres & commilitones, ſinimusque eos absque contumelia & maleficio præterire. Sin diſcordat, ſtatim conclamatur ad arma, inſtruiturque acies velut hoſte obvio. Deinde exercemur ſedulo, quæ cum ad defenſionem noſtram, tum ad damnum hoſti inferendum neceſſaria maxime & accommodata ſunt. Ubi tamen inter gregarios milites & ductores Ordinum diverſa exercitationis ratio. Illi noſcere hoſtem ex voce, & odio plusquam vatiniano contra eum probe pugnare diſcunt. Hi non modo regunt ordines militari diſciplina, ne deſerant partes aut transfugiant, verum etiam pugnant ante Ordines gladiatorum more, ſuisque exemplo ſunt, quomodo ſtare in acie & excipere hoſtem oporteat, emiſſis confertim telis, quæ etſi ſcopum non feriant, ſemper tamen proſunt, modo collato pede non recedamus. Neque tela unquam deficient, dum lingua ſupereſt & ſcribax manus. Hæc enim officinæ ſunt inexhauſtæ, ubi cuduntur arma. Cauſa belli ſunt opiniones, de quibus digladiantur, cum ſuam quisque ad ultimum usque ſpiritum tuetur, eo ſecurius, quod nemo ſe utcunque proſtratum protritumque victum fateatur; Confeſtim enim reſumunt animos, & vehementiori quam antea impetu irruunt: Sequuntur gregarii plauduntque manibus, & quando ſatis diu certatum eſt, unusquisque ſuos Duces velut reportata victoria Imperatores ſalutat. Hæc eſt perpetua ſerra contentionis, quam trahunt, ut Hi victores ſe credant & proclamant, qui pertinacius opinati ſunt. Qui de virtutibus & vitæ ſanctimonia cum alio congrediatur, nemo eſt, ita omne exercitium religionis, ſeu uti hoc loco dicitur, confeſſionis Auguſtanæ in eo conſiſtit, ut diverſa ab aliis liceat ſentire. Confitemur enim omnes quid ſentiamus, pauci faciunt, quod officii

Digitized by Google

parte, e) ſive certo pacto aut privilegio f) ſive longo uſu, ſive ſola deni-

officii ſui eſt, in credendis toti occupamur, quæ agenda ſunt, nemo curat, quod militem ſtrenuum non decet, qui affectu magis manuque, quam lingua profeſſoria virtutem ſuam comprobare debet.

e) *anno 1624. quacunque anni parte)* Hucusque toto hoc articulo, cum de termino reſtitutionis ſermo erat, Calendas, ſeu primam diem Januarii anni 1624. poſitam ubique invenimus, à cujus ſtatu fata omnium reſtituendorum pependere. Nunc vero hoc §vo 31. quæcunque anni vigeſimi quarti pars reſtitutioni data eſt, ut ſi poſt Calendas illas alia anni parte pinguior Conditio Reſtituendi fuit, ipſi ex hoc etiam tempore ſubveniatur. Exiſtimarunt fere omnes interpretes Inſtrumenti Pacis hæc ſibi invicem contradicere, adeoque antinomiæ, uti ipſis viſum tollendæ, varia excogitarunt. Receptiſſima hactenus ſententia fuit, quæ inter bona Eccleſiaſtica & exercitium religionis diſtingui voluit: illorum reſtitutione ad Calendas Januarias retracta, huic vero, exercitio, quæcunque anni pars data. Atque juvari hæc diſtinctio videtur ſupra §. 23. hujus articuli 5. ubi poſtquam numerus Canonicorum in Fundationibus immediatis mixtis die prima Januarii determinatus fuiſſet, cum deinde ad exercitium religionis eſt deventum, totius anni ſimpliciter fit mentio, his verbis velut adverſativis. *Exercitium vero religionis, in mixtis Epiſcopatibus ita reſtituatur & permaneat, ubi & quatenus id anno 1624. palam receptum permiſſumque fuit.* Sed utcunque hæc plauſibilia videantur, turbant tamen §vo noſtro 31. ſequentia. *Nec minus maneant in poſſeſſione omnium dicto tempore in poteſtate eorundem conſtitutorum templorum, fundationum, Monaſteriorum, Hoſpitalium &c.* Quæ res, cum ſine dubio ad bona Eccleſiaſtica pertineant, nihilominus tamen judicandæ ſunt in cauſa reſtitutionum faciendarum ex quacunque anni 1624. parte. Itaque magis placet diſtinctio inter *Status immediatos* & *mediatos eorundem ſubditos.* Illis manifeſta lege art. 5. §. 2. deſignatus eſt Terminus à quo reſtitutionis dies prima Januarii anni 1624. id quod perpetuo tenore per omnia capita, quibus de Statibus immediatis agitur, ſervatur. Neque inter exercitium religionis & bona Eccleſiaſtica diſtinctionem à lege factam facile dixeris, ſi animum ad ea attendas, quæ §. 29. de Civitatibus liberis ſunt tradita, ubi expreſſe ſtatuitur, exercitium Catholicæ religionis, quod in Civitatibus Imperialibus Auguſtanæ Confeſſioni addictis anno 1624. viguit, in eo ſtatu relinquendum eſſe, qui fuit die prima Januarii anno 1624. & paulo poſt de Civitatibus mixtis id placuit, ut ſi quæ pars unius religionis ab altera *propter religionem vel bona Eccleſiaſtica* (ecce utrumque) ante vel poſt pacem religioſam judicialiter vel extrajudicialiter

liter aggravata fuerit, in eum ſtatum reponatur, in quo Calendis Januariis fuit. Adhuc fere luculentius §vo 26. de exercitio religionis publico edicitur, ut *idem maneat, quod quovis in loco dicto anno DIEQVE uſitatum fuit, abſque unius vel alterius partis impedimento.* Quæ ſane loca me movent, ut §vo etiam 23. hanc diem, cujus ibi quoque paucis lineis antea mentio facta, repetitam & intellectam arbitrer, etiamſi in allegato verſiculo nomine non expreſſa amplius ſit.

quacunque anni parte) Quid ſi utriusque religionis ſubditi alii poſt alios ſucceſſive, aliqua anni vigeſimi quarti parte in poſſeſſione exercitii & templorum fuerint? Extitit caſus Hagenoæ occaſione Templi Diſcalceatorum, de quo jam ſupra actum eſt. Nimirum habuere in Templo illo Proteſtantes exercitium ſuæ religionis à Calendis Januariis usque ad Menſem Octobrem. Deinde vero expulſi ſunt prævalida Catholicorum factione, qui in locum ſucceſſere occupato templo, & ad ſua ſacra impenſo. Sic ambo aliqua anni parte exercitium habuere. Æquiſſimum eſt, commune templum utrisque facere, ut ſtatis horis uti eo ad religionis ſuæ exercitium poſſint. Proteſtantes quidem Deputati in Conventu Francofurtenſi anno 1655. habito cenſuere, cum reſtituendi illi ſint, quos anno 1624. dejectos conſtat: eorum, qui dejecere atque adeo reſtitutionem facere debent, rationem haberi non poſſe: Sed vereor, ut hanc interpretationem lex admittat, quæ ad factum exercitii habitæque poſſeſſionis unice reſpicit, *non attento*, quo jure, quave injuria quis poſſideat. Certum autem erat, anno vigeſimo quarto Hagenoæ non Proteſtantes modo; verum etiam Catholicos Templum Diſcalceatorum per vices poſſediſſe, illos ſcilicet ab initio ad octobrem usque. Hos reliqua illius anni parte. Neque nocere Catholicis poteſt, quod deinde non dejecti iterum ſint, lex enim non eis tantum ſubvenit, qui habitam anno 1624. poſſeſſionem amiſere, ſed & illos defendit, quos ad pacem usque manſiſſe in poſſeſſione certum eſt. Illi nimirum reſtituendi ſunt. Hi retinent poſſeſſionem ab omni deinceps turbatione tuti. Hinc non alia hujus difficultatis, cum eodem anno duo in poſſeſſione Templi alterne concurrere, expediendæ ratio, quam ut in poſſeſſione relinquantur rei velut communis. Niſi dicere quis vellet, cum lex unumquemque retinere exercitium religionis jubeat in poſterum, QVATENUS illud dicto anno cum annexis habuit, utramque partem tanto tempore anni vindicare templum ſibi ad uſum ſacrorum ſuorum in ſolidum poſſe, quanto tum poſſedit. Ut ſcilicet in noſtro caſu Proteſtantes ab initio cujusque anni usque ad Octobrem Catholicos excludant, & Hi viciſſim illos ab Octobri usque ad finem. Quod etſi legis rigori maxime congruum videatur, ob incommoda tamen utrique parti inde naſcitura æquitate temperandum exiſtimaverim, ut jugi exercitio frui utrique ea ratione poſſint, qua neuter

ter

Digitized by Google

ter alteri impedimento vel offendiculo eſt. Quod ſtatis diebus horiſque & diviſo ordine, quo ſuccedere unus alteri debet, commodiſſime fieri crediderim. Sed de his inter partes amice tranſigendum erit.

f) *Sive certo pacto aut privilegio*) Differunt tamen pacta à privilegiis: quod enim religionis Exercitium Subditi ex pacto habuere, de eo ſecuri magis fuiſſe videntur, quam ſi quæ ſibi jure privilegii vindicabant. Longe facilius enim eſt, privilegia ex quacunque cauſa revocare cum ſint beneficia gratiæ Superioris debita. At quæ ex pacto hinc inde inito petuntur, negari non poſſunt, niſi quid interea acciderit, quod tollendo pacto vel abrogando cauſam præbet. Poteſt autem pacto exercitium religionis conſtitutum fuiſſe ex variis cauſis. Aliquando Status Catholicus augeſcente Proteſtantium numero ſuis in terris quietis publicæ ratione petentibus promittit, liberum eis fore & ſine ulla moleſtia religionis ſuæ uſum. Aliquando Catholicus Princeps in Proteſtantis locum ſuccedens verba dat, juramento ſæpe interpoſito, in ſacris mutatum nihil iri, neque impedimento ſuis ſe fore, quo minus recepto more & ex animi ſententia publice privatimque vacare religioni liceat. In cujus vicem ſubditi obedientiæ fideique præſtationem recipiunt. Aliquando inter Principem & Subditos ob ſacra aliena res ad manus & turbas venit, quibus iterum compoſitis, plerumque fit, ut ſubditi conſcientiarum libertatem impetrent, cujus gratia arma ſumpſere. Nonnunquam etiam parata pecunia, qua forte Dominus opus habet, redimunt ejus rei facultatem, & ne quis eos vexare deinceps invidia mutatæ religionis audeat. Hæc & ſimilia ex pacto ſunt. Privilegium appellatur quaſi lex priva ſeu ſingularis, quæ aliquid quibusdam privatis ex ratione ſingulari conceditur. Sic exempli gratia eſt lex univerſalis certo in loco, per quam Catholicæ tantum religioni uſus ſacrorum ſuorum liber eſt: reliquæ omnes damnantur exilio. Accidit autem ut ſubditi quidam hactenus clam & privatim religioni Proteſtantium dediti Principi ſuo egregiam operam domi militiæque navaſſent, quorumque fide atque virtute ille motus exercitium ipſis concedit religionis nuper inter ſe receptæ; Hæc conceſſio privilegium dicitur, ſi nullum pactum, nulla conditio præceſſerit. Et quidem ſi hæredibus etiam datum, reale eſt privilegium, ſervandum ſemper, donec ex eorum numero ſupereſt, qui frui illo poteſt. Sin vero in perſonas tantum collatum, cum ipſis intercidit. Quin revocari utrumque poteſt, quoties illi, qui acquiſivere, hoc ſe beneficio indignos fecerunt. Hodie vero ex Tabulis pacis Weſtphalicæ perpetuum factum eſt & irrevocabile, atque ſubditi peccantes aliis multis ſunt plectendi, cum ingratitudinis cauſa auferri nequeant, quæ ad jus publicum pertinent, & ubi ne mutentur, omnium intereſt, qui pacis conſortes ſunt.

 g) *Sive*

denique obſervantia dicti anni g) habuerunt, h) retineant id etiam impo-

g) *Sive longo uſu, ſive ſola denique obſervantia dicti anni*) Diſtinguitur hic longus uſus ab obſervantia. Et recte quidem. Equidem nolim contendere, longum uſum & longam obſervantiam idem fere ſignificare: Sed hoc loco *obſervantia* ad annum vigeſimum quartum reſpicit: longus uſus amplior eſt, & retro computatur. Si paciſcentes tantum conveniſſent de longo uſu, metuendum fuiſſet, ne de unius anni, vel ſaltem partis ejus uſu exceptio ſupereſſet. At ſola obſervantia anni vigeſimi quarti, imo cujuscunque ejus partis omnem ſollicitudinem tollit, remque ad nudum factum poſſeſſionis reducit, quæ mens & ſcopus paciſcentium in cauſis religionis toto hoc noſtro articulo fuit.

h) *Habuerunt*) Simpliciſſima voce *Habuerunt*, lex utitur, ut omnem juris quæſtionem excludat. *Habuiſſe* enim ſufficit, quod facti eſt, & probatu omnium facillimum. Quo titulo, quave ex cauſa habeant, non licet diſputare.

i) *retineant id etiam impoſterum*) Hoc verbo *retineant*, etiam reſtitutio comprehenditur, ſi forte poſt annum vigeſimum quartum turbati in exercitio religionis impeditique usque ad pacem fuerint. Id quod ſtatim §vo ſequenti 32. ſingulari & expreſſa conventione placuit, ne in captandis verbis calumniæ ſit locus. Hic otioſam quæſtionem movere nonnulli videntur de Statibus, ſi habitarent in locis aliorum Statuum vel non Statuum. Ego ſane vix intelligo, quid iſti curioſi percontatores ſibi velint. Nam de locis eorum, qui non ſunt Status, abſurda protinus & inutilis eſt quæſtio, cum iſtis jus reformandi non competat. Quod ſi vero Status in locis aliorum Statuum habitent, idque non Hoſpitii, ſed domicilii jure, ex juris noſtri publici prudentia referre naturaliter videtur, an illud domicilium ſit in Territorio alieno, & ſimul de territorio: an vero in territorio ſolum. Hoc ultimo caſu licent ei omnia, quæ in ſuo facere poteſt per Weſtphalicam pacem. At priori non video, quid obſtet, cur non aliorum Landſaſſiorum conditione ſit. Neque enim illud abſonum eſt aut ſine exemplo, ut Status aliquis immediatus reſpectu quarundam rerum vel bonorum perſonam ſubditi alterius agat, quamquam ſi is eminenti loco & dignitate ſit, honori perſonæ ejus & ex civilitate id forte tribuendum erit, ne impediatur quamdiu præſens eſt, quominus libertatem & exercitium religionis ſuæ privatim habeat, etſi conſtet, anno vigeſimo quarto ipſum facultate iſta non fuiſſe uſum. Quia vix eſt, ut in conſcientiæ domusque ſuæ uſum prohiberi hac commoditate poſſet, cum id genus domus & habitationis inſtar Palatiorum ſint, in quibus privata ſacella haberi poſſe communis opinio fert. Abſente vero Principe aut Statu domeſticis ejus, qui ibi habitant, non permittendum cenſue

cenſuerim, ut ſacra fieri curent, quæ dicto anno non fuere peracta. Perſonale enim eſt privilegium, cujus utilitas ad alios non redundat, niſi intermedio reſpectu ejus, cui datum creditur, neque hic repræſentatio locum habet, ubi perſona ipſa eſt opus. Adhuc tamen moneo, me de illis ædibus & habitationibus loqui, qui non modo alieno in loco ſunt, verum etiam alterius jurisdictioni patent. Nam ſi immediati juris fuerint, vix erit, quod legem in ſuo quis ſibi ab alio dici patietur. Verbi gratia, in civitate Imperiali Weiſſenburgi ad Noricum, habent Principes Onoldini Monaſterium, mœnibus quidem Civitatis incluſum, de cætero vero liberum, nec ullo modo ejus jurisdictioni ſubjectum, in quo ſingulis ſeptimanis haberi conciones, tum etiam ſtatis temporibus cœnam Dominicam celebrari more Lutheranorum uſus fert. Quin Baptizare etiam Infantes in Monaſterio illo natos licet, quanquam huic ultimo actui contradicat Civitas. Fac jam Onoldinos Principes ad Romana ſacra tranſire. Quæſtio ſtatim erit, quid de ſacris in Monaſterio illo habendis ſit ſtatuendum, & num Principi liceat abrogare Lutherana, atque Pontificia eorum loco ſubſtituere. Hic ante omnia tenendum eſt, ſolere illo loco nunc ſacra Lutherana fieri ad ſolum uſum eorum, qui in Monaſterio illo Principis nomine ejusque juſſu habitant, ipſa enim Civitas Weiſſenburgum ſedulo cavet, ne cives ſui audiendis concionibus aliisque ſacris actibus interſint, quanquam pulſare campanulam & aperire fores ad homines convocandos liceat. Jam ſi fingimus caſum, quo Princeps religionem mutavit, procul dubio in poteſtate ejus erit, Officiales, quos ibi adminiſtrationis cauſa habet, ſuo arbitratu conſtituere, adeoque Pontificiæ etiam religioni addictos. Hoc cum fieret, nemo amplius eſſet, in cujus gratiam ſacra Lutherana celebrari poſſent, ni vacuis ſcamnis & ſubſelliis haberi orationes placeret. Itaque aut ceſſabunt ſacra, aut in uſum Hominum, qui nunc ibi ſunt, erunt adornanda. Princeps ipſe, ſi adeſt, quin hac ſua in domo, ſuoque ſacello operari ſacris ex conſcientiæ ſuæ dictamine poſſit, nemo dubitat. At illi jam ſunt loco Principis, cui miniſtrant, ejusdemque cum eo religionis. Præterea nemo usquam eſt neque ex ſubditis Principis neque ex Civitate, cujus interſit, ut ſacra hoc loco fiant Lutherana. Uti enim dixi, ad ſolum unicumque uſum Principis ejusque Domeſticorum illo loco degentium inſtituuntur; quid eſt igitur, cur mutata eorum religione, quorum gratia comparata illa ſacra fuere, non liceat accommodare cultum divinum ad captum utentium? aut quæ hæc non eſſet invidia, malle omnia potius ſacra exilio damnata, quam Catholicis ſua relinquere eo in loco, quo Proteſtantium nullo modo intereſt, ſint ibi, vel non ſint. Quod ſi Civitas Weiſſenburgum, vel Subditi Principis circum habitantes anno vigeſimo quarto in poſſeſſione fuiſſent juris poſtulandi, ut ſuos ad uſus in Monaſterii illius ſacello ſacra Luthe-

impoſterum i) unà cum annexis k) quatenus illa l) dicto anno exe-cu-

rana haberentur, utique relinquenda ea illis perpetua eſſent ad eum modum, quo dicto anno ſunt uſi. Sed nihil quicquam horum eſt. Imo Civitas ægre iſta ſemper tulit, maluiſſetque abrogata. Subditi vero Principis non frequentant jure parochiali, cum ſuis in pagis ſua propria habeant; quis igitur intercedere poteſt, quominus Princeps ſua in domo atque in gratiam domeſticorum ſuorum de religionis exercitio decernere non poſſit ex conſcientiæ dictamine?

k) *una cum annexis*) Annexum rei eſt, ſine quo res illa commode tractari & expediri nequit. Ita annexa exercitii religionis ſunt, quæ inſtruendis promovendiſque ſacris notabili commoditate inſerviunt. Exempla mox ſequuntur, inſtitutio Conſiſtoriorum & Miniſteriorum, jus Patronatus, & ſimilia. Quid enim exercitium habuiſſe juvat, ſi annexis privemur, ad actus ſacros explicandos neceſſariis? Sunt enim velut inſtrumenta Fundi aut domus, à quibus fundus domuſque inſtructa dicitur.

l) *quatenus illa*) Hæc eſt inſignis limitatio ex adverbio, *quatenus*, quod modum ſeu menſuram uſus ſive exercitii religionis explicat. Neque enim qui ſubditi anno 1624. ſuæ religionis exercitium aliquod habuere, eo deinceps pro arbitrio & ſine modo uti poſſunt: Sed eatenus ſaltem, quatenus dicto anno exercuere. Quod ſi diverſis anni partibus diverſimode etiam exer-cuiſſe religionem ſuam conſtet, in... ciendum mea quidem ſententia e... num intercedente vel prohibente ſubd... to alterius religionis mutatum quid... uſu ſit, quatenus is antea obtinuerat. ... vero fortuito mutatio contigerit, ... ſubditi ſua ſponte remiſerint aliquid ... intenderint, nemine impediente. Pri... ri caſu ultima anni pars demonſtrab... quatenus exercuerint. Qui enim pr... hibuere vel interceſſere, & quoru... contradictionibus ceſſum eſt, illi ipſi ja... aliquam anni partem pro ſuo exercit... allegare poſſunt. Sin nullius inter... ſubditi diverſæ religionis, quid illi h... buerint vel non habuerint eam an... partem attendendam eſſe dixerim, q... pinguiſſima conditione fuere. Neq... referre puto, ſi Dominus Territorii m... dum exercitio religionis, quod liberi... antea erat, ſtatuerit. Quia enim, e... plane prohibuiſſet, ſubditi aliqua an... parte religione ſua uſi reſtituendi f... rent, utique prodeſſe Domino Territ... rii non poteſt, ſi acciderit aliquo mo... exercitii libertatem, id enim etiam a... emptum vel interverſum cenſetur, q... deterior uſus eſt factus: cujus reſtitu... contra jus reformandi peti ex hoc ca... te poteſt. Aliud forſan eſſet, ſi ſubc... ipſi nullius vi, imperio aut metu, ... motu proprio & ſpontaneo aliquid n... taſſent, vel omnino religionis exerci... deſtitiſſent. Si enim volenti non ... injuria, neque reſtitutionem pet... poſſu...

Digitized by Google

poſſunt, quibus nulla de turbatione vel dejectione actio eſt. Enim vero ne hac quidem explicatione res de vi adverbii *quatenus* ab omni difficultate eſt evoluta. Cum ſæpe poſthac extiterint caſus, quibus ſignificationem ejus vel utraque pars vindicare ſibi, vel alterutra contra intentionem alterius ſive extendere eam ſive reſtringere pro commodis ſuis allaborarint. Ita diſputatum eſt inter Epiſcopum Hildeſienſem & Proteſtantes ſubditos ejus, de Conſiſtorio, *quatenus* illud eis ad normam anni 24. reſtituendum ſit. Nimirum Nobiles aliique ſubditi Hildeſienſes Aug. Confeſſioni addicti inter motus Germaniæ, quorum occaſione à Ducibus Brunſuicenſibus Epiſcopatus Hildeſienſis occupatus fuerat, apud Conſiſtorium Ducis Guelferbutani cauſas ſuas Eccleſiaſticas, quæque eo negotia pertinent, ventilandas inſtituere, quod Conſiſtorium compoſitum erat præter Eccleſiaſticas perſonas in eo admiſſas Inſpectore vel Directore Cancellario Brunſuicenſi, duobus Conſiliariis aulicis, uno Secretario, unove Scriba ſeu Amanuenſi. Atque hic ſtatus illius Conſiſtorii anno 1624. ſine ulla controverſia fuit. Sed poſt pacem Weſtphalicam, quæ inter alia etiam reſtitutionem illius Epiſcopatus decreverat, lis ſtatim de Conſiſtorio inter Epiſcopum ejusque ſubditos eſt orta. Contendebant enim ſubditi, cum anno 1624. Conſiſtorium ſuum ſolis Auguſtanæ Confeſſioni addictis perſonis fuiſſet compoſitum, ſibi jam Catholicos obtrudi non poſſe. Ex adverſo Epiſcopus Hildeſienſis de perſonis Eccleſiaſticis concedebat; quod vero ad Politicos attinet, Directorem nimirum & aſſeſſores, nec non Secretarium atque Scribam; rem ſui arbitrii eſſe affirmabat, neque Catholicos eo munere religionis cauſa arcendos, modo illis ſevere mandetur, ut nullo ſacrorum reſpectu ſententiam ſemper dicant, cujus rei cauſa juramento etiam ſint obſtringendi. Hic urgentibus ſubditis contra Principis intentionem verbum noſtrum *quatenus*, ex Inſtrumento Pacis, ille reſpondebat, hanc vocem eo loco ſignificare non *quemadmodum* vel *prout illud*, ſed *ſi* wo fern/ oder ſo fern. Ut quidem hac ratione Weſtphalica pax ſubditis Conſiſtorium concedat, ſi dicto anno aliquod habuerint: at quæſtionem, quomodo illud inſtituendum ſit, non expediat, ſed rem iſtam omnem arbitrio Principis relinquat. Sed uti hæc interpretatio manifeſtum eſt Scripturæ publicæ cavillum, cum nullo uſpiam autore vox *quatenus* hoc ſenſu aut ſignificatione poſita demonſtrari poſſit. Ita ex ipſa hujus vocabuli genuina vi, quæ idem ſemper ſignificat, ac *in quantum* vel *ad quem modum* aut *quomodo*, hoc viciſſim fluit, Principem Hildeſienſem adigi ex formula Tabularum pacis non potuiſſe, ut daret Subditis ſuis ſua in ditione Conſiſtorii habendi facultatem, quam anno vigeſimo quarto extra ditionem Hildeſianam alieno in Territorio vicini Principis auxilio & favore obtinuere. Ut adeo ſubditis aut eo recurrendum fuerit, quo Epiſcopus eos prohibere non potuiſſet: aut tranſigendum

cum Principe ſuo, ut permitteret domi habere, quod ſine ejus conſenſu foras quærendum ipſis fuiſſet. Id quod etiam factum Mediantibus Delegatis Moguntino & Brunſuicenſi anno 1651. 24ta Martii, ſcripta in hanc ſententiam conventione, ſubditi Hildeſienſes habeant quatuor Aſſeſſores ſuæ religionis, binos ex Eccleſiaſtico & binos ex politico ordine, itemve unum Secretarium unumve ſcribam, à Principe tamen ſemper poſt præſentationem debite factam eligendos. Jus dirigendi hunc Conſesſum ſive Senatum Eccleſiaſticum ſit quidem penes primarium Aſſeſſorem Eccleſiaſticum Auguſtanæ Confeſſionis, adjuncto in conſilium aſſeſſore Politico. Sed Cancellarium Principis, etſi Catholicæ religionis Miniſtrum nemo prohibeat, quo minus vice Principis, quoties ipſi libuerit, intereſſe Senatui liberrime poſſit, ubi etiam primum locum & ſesſionem obtineat, nec non primo voto cum jure decidendi gaudeat in cauſis, quæ conſcientiam Proteſtantium non lædunt, ita tamen, ne diſſenſus ejus cauſarum deliberationes vel expeditiones impediat, attento ſemper in ejusmodi rebus decernendis atque exequendis votorum majori numero. Atque hac ratione inter Epiſcopum ejusque Ordines provinciales cœteroſque ſubditos ſuper Conſiſtorio æquis conditionibus tranſactum fuit, cum ſi abs eo fuiſſet, nec ſubditi in ditione Hildeſienſi inſtituere Conſiſtorium, nec Princeps eos ab uſu Conſiſtorii Guelferbütani prohibere potuiſſet. Pactum ſuper hac re in ſcripturam redactum legi ad longum poteſt in Vindiciis Hildeſienſibus anno 1696. editis, part. 1. pag. 84. & ſeqq. Scripto quidem non ex omni parte inepto vel contemnendo, ſed ob ſtudia partium, affectusque in Catholicos factioni obnoxio. Meretur tamen commendari ob adjuncta quædam documenta & Scripturas, inter quos nominatum illud pactum ſeu Receſſus Conſiſtorii, uti vocant, eminet, ex quo Lector attentus intelliget, quam ſollicite omnibus fere in articulis illud noſtrum *quatenus* paciſcentibus cordi fuerit.

Porro dividitur Epiſcopatus Hildeſienſis in majorem & minorem. Uſum Conſiſtorii major ſaltem Epiſcopatus anno 1624. habuit. Minor in Eccleſiaſticis ſub jurisdictione Officialis Hildeſienſis fuit. Quare niſi Receſſu Conſiſtoriali aliud placuiſſet, utrique ſuo foro relinquendi fuiſſent ex eodem dictamine pacis, quod cujusque jus eo definit & metitur, quatenus anno 24. eo unusquisque eſt uſus. Denique illud *quatenus* hoc etiam ſibi vult, ut quo loco nulla anni vigeſimi quarti parte exercitium ſuæ religionis ſubditi habuerunt, ne ejus reſtitutionem poſtulare: multo minus autoritate propria inſtituere poſſint, etſi forſan locus ille ad hominem Nobilem ex Ordinibus Provincialibus ſpectaret. Vix enim immediatæ Nobilitati jus reformandi competit, nedum ut Nobiles mediati id ſibi vendicare queant. Hinc ſi verum eſt, quod Vindiciæ Hildeſienſes dicunt, anno 1624. in pago *Heiſſum* Epiſcopatus Hildeſienſis

Digitized by Google

cuerunt, m) aut exercita fuiſſe, probare poterunt. n) Cujusmodi anne-

deſienſis nec templum nec ſacellum fuiſſe: Sed demum anno 1643. à quodam Catholico Præpoſito ædiculam ſacram ibi ad rem divinam curandam exædificatam eſſe, ego quidem nullus dubito, quin Proteſtantes per injuriam manus injicere ſacello illo tentarint, ubi dicto anno ne quidem per rerum naturam ſacra ſua facere potuere, Caſum hunc vide in dictis Vindiciis part. 1. pag. 23. 25. & 123. atque ipſe de rei juſtitia judica. Neque enim hoc attentionem meretur, ſi Proteſtantes ante annum 1624. in ſacello illo nondum deſtructo exercitium ſuum habuere: quia in his rebus ad nudum uſum ſeu factum poſſeſſionis reſpicitur, ut non uſus etiam facti noceat, quando de re ſic eſt comparatum, ut quis ea uti illo tempore non potuerit, cum forte deſtructa aut collapſa eſſet. Hoc enim tranquillitatis publicæ cauſa placuit, ut juris inſpectioni hic nullus ſit locus, ſed illud unice quæratur, an quis religionem de facto exercuerit & quatenus.

m) *illa dicto anno exercuerunt*) illa, id eſt, tam religionem, quam annexa. Quanquam enim ad annexa hoc pronomen demonſtrativum *illa* videatur maxime referri, non eſt tamen dubium, quin etiam ipſum religionis exercitium includat, quod eatenus ſaltem debetur, quatenus anno vigeſimo quarto habitum eſt. Fac enim eſſe in oppido quodam duo templa, in uno Proteſtantes exercuiſſe religionem: alterum ab omni divino cultu vacuum & deſertum jacuiſſe. Non licet ſane Eis, poſthæc ex formula pacis utrumque templum ſuis ſacris adaptare, etſi anno vigeſimo quarto nullum omnino illo in loco religionis Catholicæ exercitium fuiſſet: neque enim pax Weſtphalica ſinit quemquam ſubditorum pinguiori conditione in cauſa religionis eſſe, quam anno ſæpius laudato unusquisque fuit. Quid autem de templo illo, ſive ſacello deſerto ſtatuendum ſit, & num perpetuo vacuum jacere debeat, vel à Domino Territorii ad uſum ſuæ religionis occupari poſſit, paulo poſt explicabitur.

n) *aut exercita fuiſſe probare poterunt*) In dubio igitur onus probationis ad ſubditos ſpectat; niſi forte tempore concluſæ pacis fuerint in poſſeſſione. Tum enim Territorii Dominus exercitio religionis ſubditos ex formula pacis prohibiturus vel templum vindicaturus ſuam etiam intentionem probare debet, & oſtendere, poſt annum demum vigeſimum quartum cepiſſe ſubditos exercere religionem ſuam, cum in poſſeſſione conſtituti præſumantur ſemper fuiſſe, donec ab alio probetur, quo tempore initium fecerint ſui exercitii. Quamquam enim qui negat alium in poſſeſſione certo tempore fuiſſe, probationis neceſſitatem in illum rejiciat, qui ex hac poſſeſſione ſibi aliquid deberi dicit: aliud tamen eſt, ſi retinuerim poſſeſſio-

Digitized by Google

annexa habentur inſtitutio Conſiſtoriorum, o) Miniſteriorum,

poſſeſſionem, qua me alius ſpoliare hac ex cauſa parat, quod neget, me illo anno vel die poſſediſſe, cujus poſſeſſionem lex publica quodam privilegio vel jure munit. Quemadmodum enim hæc omnis poſſeſſionis eſt prærogativa, ut qui negat me poſſidere, cum tamen poſſideam, id probandum ſibi contra me noverit, ita non meliori conditione eſt, qui me certo quodam tempore, quod jam præteriit, poſſediſſe negat, cum eo tempore, quando rem repetit, ego in ejus poſſeſſione ſum conſtitutus. Neque illum quicquam juvat vulgare illud dictum, negativæ non eſſe probationem. Præterquam enim quod hujus regulæ vim generalem infringant illi ipſi variis ſuis limitationibus & circumſcriptionibus, qui eam ponunt. Ita in univerſum eſt verum, hac niti Eum non poſſe, qui ex negativa contra poſſeſſorem agit, niſi forte ex ipſa cauſa habeat ſingulare privilegium rejiciendæ probationis onus in poſſeſſorem. Ita qui negat rem meam eſſe, quam manu teneo, non efficit ſtatim, ut ſibi eam cedere tenear, niſi dominium vel poſſeſſionem probem. Sed ipſi incumbet dominii probatio. Ego vel ipſa poſſeſſione ſum tutus. Nam actori ſemper incumbit probatio, etiamſi ex negativa agat: quam utique æque ac affirmativam variis modis poteſt & debet probare. Qui enim me negat certo quodam præterito tempore poſſediſſe, probare id poterit ſi fidem faciat, ſe illo tempore in ſolidum in poſſeſſione fuiſſe, quo ipſo poſſeſſio mea refutabitur, niſi contrarium docuerim. Licebit interea mihi quoque Judici fidem de poſſeſſione mea facere, ſi voluero, mihique expediat, id quod retundendæ actoris intentioni, meæque cauſæ ſublevandæ apprime erit utile. Sed iſta conſilii magis erunt quam neceſſitatis, cum propterea cauſa non cadam, ſi alter id quod affirmat, non probet: Nam etiam qui negat aliquid eſſe, ſi actor eſt, utique affirmat id non eſſe, quod eſſe negat, cum ex adverſo reus, qui affirmat eſſe, negat non eſſe. Quo reſpectu regula, quod affirmanti incumbat probatio, nullum prorſus detrimentum ſentit. Equidem id, quod plane non eſt, ex natura rei probari non poteſt, quod ſit: cum non entis nullæ ſint affectiones. At qui negat rem non eſſe, de qua controvertitur ſit vel non ſit, probare utique debet, cur neget, quod non ſit, adductis pro negativa ſua rationibus, quæ affirmativæ utique reſpondent. Atque ex his conſtare arbitror, quam infirmo ſtet fundamento regula illa, ſi univerſim accipiatur, negativæ non dari probationem. Quo glaucomate Cauſidici illi & Rabulæ imperitis ſæpe fumum offundunt maximo cauſarum præjudicio.

o) *Cujusmodi annexa habentur inſtitutio Conſiſtoriorum*) referuntur hic exempla quædam annexorum Exercitio religio

religionis. Sed ſaltem ut exempla communiora. Neque enim hanc ſufficientem omnium partium enumerationem eſſe oſtendunt ſequentia verba, *aliaque ſimilia jura*. Quatenus ſcilicet iſta annexa ſunt exercitio, ut uſui ejus & libertati inſerviunt, & ſine quibus exerceri religio aut omnino non poteſt, aut non ita commode, prout dignitas ejus & indoles poſtulat.

Inſtitutio Conſiſtoriorum) primum Exemplum eſt Inſtitutio Conſiſtoriorum. In quibusdam Exemplaribus legitur inſtitutio Conſiliorum: ſed procul dubio mendoſe. Quare hoc ipſum accuratiores editiones emendarunt. Quanquam enim *Conſilium* in lato ſuo ſenſu etiam Conſiſtorium comprehendere poſſit. Tamen ubi lex de Conſiſtoriis in ſpecie ſtatuere voluit, non eſt veriſimile, vaga & generali voce hanc rem deſignaturam eſſe, quando propius loqui potuit.

Cæterum quod jus Conſiſtorii habendi attinet, ea de re multijugas quæſtiones agitatas eſſe meminimus. Eſt autem Conſiſtorium, ut craſſe deſcribam, Collegium ſeu Corpus ex perſonis idoneis Eccleſiaſtici & politici Ordinis compoſitum, ut auſpiciis Principis vel Civitatis de perſonis & cauſis Eccleſiaſticis cognitionem habeat, aliaque negotia procuret, ad religionem vel ſacra ſpectantia. Apud nonnullos audit *Senatus Eccleſiaſticus*, voce paulo latiniore. Perſonæ quibus conſtat, plerumque ſunt ex utroque ordine Civitatis, Eccleſiaſtico & politico, quibus præeſt unus Directoris vel Præſidis nomine. Hoc munus alibi Conſiliario Principis cuipiam demandant: alibi ſupremo ſacrorum Antiſtiti. Indubie tamen priori modo melius conſultum erit Conſiſtorio. Vix enim res unquam bene geruntur, ubi penes Eccleſiaſticum Ordinem autoritas dirigendi Senatus eſt, quem plerumque vitia ſua popularia, ſuperſtitio, avaritia, ſuperbia, invidia & id genus alia, in transverſum agunt. Hic quæſitum nonnunquam eſt, an Conſiſtorium poſſit ex mere politicis perſonis formari? Hoc recte Mevius affirmavit in Deciſon. part. 4. deciſ. 1. & 3. Sunt enim id genus Judicia natura ſua plane Politica. Quanquam ubi de Controverſiis Theologicis, vel ordinanda religione, itemque caſibus conſcientiæ agitur, in conſilium advocare Theologos, pietate & modeſtia commendabiles aliquo modo expedire videatur: modo ne illis nimium indulgeatur in judicandis decernendisque cauſis: conſilio enim ſæpe non ſunt ſpernendi. At vix unquam recte quid & ex ordine faciunt, quando autoritatem ſuam cum imperio vel Magiſtratu conjunctam vident.

Cœterum de poteſtate Conſiſtoriorum & juribus hic multa commentari ſupervacaneum ducimus: cum ex formula pacis inſpiciendum ſit, quatenus unusquisque eo uſus eſt anno illo decretorio. Aliqua tamen tetigiſſe, de quibus diſceptatur, non abs re erit. Ac primo Conſiſtoria non propriam ſed delegatorum jurisdictionem exercere

Digitized by Google

vulgata eſt opinio: cujus diſtinctionis ego hodie non magnam ſupereſſe utilitatem arbitror, cum jura Romana propriam Magiſtratus jurisdictionem a delegata non ita diſtinguant, ac ſi illa ſumma eſſet poteſtas: hæc vero ab iſta dependens. Sed jurisdictio propria dicebatur, quam quis lege, vel Senatusconſulto, aut principum conſtitutione exercebat. Cum mandata eſſet, nudum jurisdictionis propriæ exercitium, mandatum alii a Magiſtratu ordinario. Sane quidem is, qui propriam jurisdictionem habet dicitur illam habere *ſuo jure*. Sed hoc *ſuo jure* hic non ſignificat jure ſummo vel abſoluto, ſed jure Magiſtratus, quem vel lex vel populus vel Princeps alicui mandavit. Cum igitur noſtris moribus Principes & Status ſuis in territoriis non pro Magiſtratibus ſed ſummis poteſtatibus reputentur, atque idem dicantur poſſe, quod Imperator in Imperio; Iſti vero Conſiſtoriis certam jurisdictionis Eccleſiaſticæ ſpeciem demandent, mihi ſane ad ſenſum Romani juris magis videntur Conſiſtoria propriam quam delegatam habere jurisdictionem. A Principe enim vel Domino territorii ſupremo eam habent: non à Magiſtratu alio ordinario, quem idem Princeps jurisdictionem ſuo jure, id eſt jure Magiſtratus habere voluit. Neque obſtat, Conſiſtoria nonnulla cauſas graviores, ut Miniſtrorum remotionem, diſpenſationes in negotiis quibusdam Eccleſiaſticis, & alia, ſine ſpeciali Principis interventu vel approbatione expedire non poſſe. Nam qui mandare jurisdictionem potuit, excipere utique cauſas quasdam potuit, quas jurisdictione comprehenſas nolebat. Quod non impedit, quo minus jurisdictio ordinaria ſit. Cum ejus characterem ſeu naturam non tam cauſarum magnitudine metiamur, quam eo, an à Principe vel populo ſit mandata. Nam etiam apud Romanos unus Magiſtratus præ alio majorem ampl ioremque poteſtatem habebat, cum interea omnes illi nihilominus jurisdictionem ordinariam ſuoque jure habuiſſe dicebantur. Interea quandoquidem hodie jurisdictio etiam Principibus & Statibus tribuitur, eosque eam *ſuo jure* habere prædicamus, & quam nos jurisdictionem propriam vocamus, idem ſibi velit, ac ſi in Dominio vel Patrimonio Principis, velut jus quoddam reale eſſe affirmemus, delegata utique ea jurisdictio non incommode, quamvis longe alio ſenſu, appellari poteſt, quam Princeps jure territorii aliis Magiſtratibus à ſe creatis demandat, vel delegat.

Ex quibus facilis quoque eſt dijudicatio illius quæſtionis, an princeps cum ſuo Conſiſtorio concurrentem habeat jurisdictionem? Nam procul dubio non concurrentem ſaltem, ſed longe majorem etiam atque ſuperiorem habet, quibus locis id ipſum non ſpecialibus pactis vel lege imperii circumſcriptum eſt.

Quod tamen ad perſonas cauſasve nullo reſpectu ad conſuetudines hujus vel alius loci habito, attinet, videntur Conſiſtoriorum jurisdictioni non alia con-

Digitized by Google

congruere, quam quæ mere ſunt Eccleſiaſtica. De poteſtate prædicandi verbum divinum & uſu clavium in præſentia nihil dicam, ſunt enim hæc ex altiori inſtituto, quam ut humanis legibus ſubjici poſſint: quamvis aliquam de abuſibus iſtorum cognitionem Conſiſtoriis negare non auſim, cum interſit reipublicæ diligenter attendere, an omnia ad præſcriptum receptorum publicè ſacrórum fiant. Eodem refero curationem Sacramentorum, uti ex uſu Eccleſiæ vocantur. In ſacra enim Scriptura hoc nomen non occurrit. Quæ autem legis dioeceſanæ & jurisdictionis ſunt, item quæ ad ſtatum ac dignitatem perſonarum pertinent, Ea in Conſiſtoriis plerumque majori autoritate tractari ſolent, ſemper tamen Principis auſpiciis. Nempe jus Epiſcopale communi ſententia, ubivis fere recepta, in quatuor partes dividitur. Unam vocant poteſtatem ordinis, quo referuntur, quæ jam vocavimus poteſtatem prædicandi verbum publice & adminiſtrandi Sacramenta licentiam cum clavium uſu. Alteram lex dioeceſana abſolvit, cui adſcribitur debita Epiſcopo & Conſiſtoriis ab omnibus ejus dioeceſeos incolis obedientia & reverentia, nec non adminiſtratio & gubernatio rerum atque bonorum Eccleſiaſticorum. Item Viſitatio, cura ſcholarum, viduarum, pupillorum: decimarum cenſuumque perceptio. Tertia pars conſiſtit in audientia Epiſcopali, deciſione cauſarum, ſuſpenſione ab officio, remotione, degradatione cum aliis poenis & cenſuris canonicis; ac denique in diſpenſationibus. Denique quarta complectitur Titulos, privilegia, dignitates, immunitates & prærogativas graduum, quibus Clerici cum inter ſe ipſi, tum inter Laicos diſtinguuntur & eminent. Quamvis enim ex Inſtituto divino ſacro Ordini alia poteſtas non competat, quam quæ *Ordinis* ſpecialiter appellatur. Reliqua omnia Eorum procurationi, qui cum ſummo imperio ſunt, relicta ſunt: id tamen non impedit, quominus Principes & Civitates hanc partem ſuæ jurisdictionis in honorem ſacri Ordinis certis Magiſtratibus, ex utroque Ordine, ſacro ſcilicet & politico, conſtitutis, demandare poſſint, ne Clerici cogantur de perſonis ſuis & prærogativis coram quovis Judice litigare. Quod exiſtimationi eorum officeret, cum tamen omnis eorum auctoritas & honos apud populum habitu & titulis à vulgo diſtinctis conſtet, quibus reverentia quædam eis eſt concilianda, quos humilitate, pietate donisque cœteris Spiritus S. quæ hunc ordinem ornare ante alios deberent, plerumque carere videmus. Sane quoad perſonas Clericorum actionesque perſonales, itemque quoad negotia mere Eccleſiaſtica res indubia eſt. Quod autem ad actiones reales ſpectat, contra Clericos intentandas in eo tam Catholici quam proteſtantes conſentiunt, in foro politico has inſtituendas eſſe; ex adverſo actionum mixtarum vel ipſum nomen nos monet, ad utrumque forum has trahi poſſe ac proinde jurisdictioni Eccleſiaſticæ non eſſe proprias. Sed

Digitized by Google

quid de cauſis matrimonialibus dicendum: Certe non deſunt ex Proteſtantibus, qui illas etiam ad forum politicum vocant. Alii inter cauſas mixti fori referunt. Neque dubium eſt, ſi Principi placuerit, de iis Judicem quemvis cognoſcere poſſe, cum partim ad promiſſa ſeu contractus pertineant: partim vero ad delicta, occaſione harum rerum commiſſa. Quicquid ſit, quoniam pudoris & verecundiæ intereſt, ne cauſæ Matrimoniales quovis in foro ventilentur, cum ſæpe in iis disceptandis ejusmodi circumſtantiæ occurrant, quibus audiendis cognoſcendisque Viri graves & ſupercilioſi requiruntur, ex quorum numero præcipue reputantur eſſe barbatuli illi & ſtolati, qui Curios vultu inceſſuque optime ſimulare diuturno exercitio novere. Itaque plerisque in locis obtinet ex decreto Principis, ut Conſiſtoria his cauſis decidendis operam dent, ne rei ipſius ſanctimonia & caſtitas indiſcreta Judicum quorumvis curioſitate aut laſcivia profanetur. Enimvero de his facile Dominus Territorii decernet, quando ipſe cum ſubditis ſuis unam religionem profitetur. Cum vero Iſte aliam: aliam autem ſubditi ſectantur, difficilior expeditu res eſt, ob ſuſpiciones & odia, quibus ſibi mutuo incommodi ſunt, & infeſti: unde fit, ut neutra pars alteri ſatis fidat: Cum inde Dominus Territorii flabris ſuis ſuſcitatus ſacra ſubditorum turbare ſubinde, vel libertatem eorum accidere ſoleat: Subditi vero hinc paſtorum ſuorum intemperie, & ſeditioſis ſæpe vocibus majorem quam par eſt, ſibi licentiam depoſcant non ſine manifeſto inobedientiæ crimine. Accidere quidem hoc poteſt omnibus in cauſis. Sed res nunquam vehementiore certamine agitatur, quam cum quæſtio eſt, quo foro de paſtorum delictis pœnisque ſtatuendum ſit. Exemplum ejus rei illuſtre eſt in Hildeſienſi Epiſcopatu, ubi maxima Nobilium populique pars ſacris Lutheranis eſt addicta, cum Dominus Territorii, Epiſcopus, Romanarum ſit partium. Turpia multa & pudenda objecta ſæpe fuere Paſtoribus quibusdam Lutheranis. Nec inficiari poterant omnia illa etiam, qui honori famæque ſuorum conſultum cupiebant. Itaque conſtabat quidem, rem animadverſione dignam eſſe: Sed ſtatim diſceptabatur quo Judice cognitio habenda. Princeps contendebat, ſibi integrum eſſe de cauſa cognoſcere, pœnasque dictare. Subditi Lutherani rem ad Conſiſtorium ablegabant, ſuſpecto Principe ob ſacra aliena. Neque ex regula, *quatenus* dirimi ſatis lis poterat, cum Hildeſienſes Lutherani anno 1624. proprium Conſiſtorium nondum habuere: Enimvero quoniam in Receſſu anno 1651. poſt pacem Weſtphalicam inter Epiſcopum & Subditos conciliantibus Moguntinis & Brunſuicenſibus Subdelegatis confecto cautum fuerit, ut coram novo iſto Conſiſtorio non illa modo tractentur, quæ ſunt Ordinis & jurisdictionis Eccleſiaſticæ, veluti examinatio, ordinatio, inſpectio, viſitatio, ſuſpenſio & remotio, cæteraque eo de jure pertinentia. Verum

etiam

Digitized by Google

rum, p) tàm Scholaſticorum quàm Eccleſiaſticorum, q) Jus Patronatus

etiam reliquæ omnes hujus juriſdictionis partes, ſecundum exemplum Conſiſtorii Brunſuicenſis, quod norma unica Conſiſtorii Hildeſienſis eſſe debeat: prout nimirum anno 1624. ibi ſingulas partes in uſu & obſervantia fuiſſe conſtiterit. Ego ſane nullam rationem video, quomodo poſthæc transactio illa Catholicis & Proteſtantibus auctoribus inita à ſucceſſore Epiſcopo vel Capitulo irrita fieri poſſit, hoc ſolum colore, quod Capitulum non conſenſerit, vel transactioni interfuerit. Cum utique Weſtphalica pax non modo id genus transactiones inter Dominum Territorii & ejus ſubditos permittat, quæ Statui anni 1624. congruunt. Verum etiam ſi aliter mutuo conſenſu conventum fuiſſet. De cœtero ſententia ſcriptorum in genere non eſt rejicienda, ſed vera & proba, ad Territorii Dominum ejusque juriſdictionem ſpectare, cum de criminibus delictisque Eccleſiaſtici Ordinis quæſtio habenda, & in facinoroſos animadvertendum eſt, ſi hanc rem fidei Conſiſtorii ſui commiſſam noluerit: modo lex publica non obſtet, aut privilegium vel pactum, quo forum neceſſarium conſtitutum eſt. Ut proinde autor Vindiciarum Hildeſienſium non opus habuiſſet tam operoſe illa probare, quæ nemo in dubium vocat. Neque enim ad cauſam ſuam juvandam quicquam conducunt, cum non modo inſpiciendum ſit, quod abſolutè rectum eſt; ſed etiam quam formam ſpecialem leges vel conventiones negotio dederunt.

Denique id etiam quæſitum eſt, ſi ex formula pacis ſtatuque anni vigeſimi quarti ſubditis Conſiſtorium debeatur, cujus ære impenſisque illud ſuſtentandum ſit, quæ proprie eſt inſpectio de ſalariis præſtandis. Procul dubio hæc etiam cauſa á ſtatu anni vigeſimi quarti dependet, quomodo ſcilicet eo tempore res de ſalariis ſe habuerit. Nam ſi tum hæc Princeps Conſiſtorio ex ærario vel aliunde præbuiſſet: ad ſolutionem erit porro adſtrictus. Sin vero ex publico nihil erogatum eſt, ſubditorum erit impenſis propriis conſervare, quæ in eorum utilitatem unice vergunt, cum in univerſum ſit verum, niſi aliquid ſingulariter obſtet, Sumptus & ſalaria ab his præſtanda eſſe, qui commodum percipiunt ex iis, quorum intuitu ſalaria dantur. Hunc in uſum præcipuè ſportulæ multæque pecuniariæ deſtinantur, quæ ſi non ſufficiunt alendis perſonis, quibus Conſiſtorium compoſitum eſt, reliqua à ſubditis conferenda ſunt, ſive ex fundo hæc certo ſint, ſeu annua collatione, pro cujusque facultatum habitu.

p) *Miniſteriorum*) Differunt miniſteria à miniſtris, uti differunt collegium à ſingulis Collegii partibus. Sunt itaque miniſteria corpora collecta ex miniſtris verbi divini, ſeu Paſtoribus; quæ

denique obſervantia dicti anni g) habuerunt, h) retineant id etiam impo-

g) *Sive longo uſu, ſive ſola denique obſervantia dicti anni*) Diſtinguitur hic longus uſus ab obſervantia. Et recte quidem. Equidem nolim contendere, longum uſum & longam obſervantiam idem fere ſignificare: Sed hoc loco *obſervantia* ad annum vigeſimum quartum reſpicit: longus uſus amplior eſt, & retro computatur. Si paciſcentes tantum conveniſſent de longo uſu, metuendum fuiſſet, ne de unius anni, vel ſaltem partis ejus uſu exceptio ſupereſſet. At ſola obſervantia anni vigeſimi quarti, imo cujuscunque ejus partis omnem ſollicitudinem tollit, remque ad nudum factum poſſeſſionis reducit, quæ mens & ſcopus paciſcentium in cauſis religionis toto hoc noſtro articulo fuit.

h) *Habuerunt*) Simpliciſſima voce *Habuerunt*, lex utitur, ut omnem juris quæſtionem excludat. *Habuiſſe* enim ſufficit, quod facti eſt, & probatu omnium faciliimum. Quo titulo, quave ex cauſa habeant, non licet diſputare.

i) *retineant id etiam impoſterum*) Hoc verbo *retineant*, etiam reſtitutio comprehenditur, ſi forte poſt annum vigeſimum quartum turbati in exercitio religionis impeditique usque ad pacem fuerint. Id quod ſtatim §vo ſequenti 32. ſingulari & expreſſa conventione placuit, ne in captandis verbis calumniæ ſit locus. Hic otioſam quæſtionem movere nonnulli videntur de Statibus, ſi habitarent in locis aliorum Statuum vel non Statuum. Ego ſane vix intelligo, quid iſti curioſi percontatores ſibi velint. Nam de locis eorum, qui non ſunt Status, abſurda protinus & inutilis eſt quæſtio, cum iſtis jus reformandi non competat. Quod ſi vero Status in locis aliorum Statuum habitent, idque non Hoſpitii, ſed domicilii jure, ex juris noſtri publici prudentia referre naturaliter videtur, an illud domicilium ſit in Territorio alieno, & ſimul de territorio: an vero in territorio ſolum. Hoc ultimo caſu licent ei omnia, quæ in ſuo facere poteſt per Weſtphalicam pacem. At priori non video, quid obſtet, cur non aliorum Landſaſſiorum conditione ſit. Neque enim illud abſonum eſt aut ſine exemplo, ut Status aliquis immediatus reſpectu quarundam rerum vel bonorum perſonam ſubditi alterius agat, quamquam ſi is eminenti loco & dignitate ſit, honori perſonæ ejus & ex civilitate id forte tribuendum erit, ne impediatur quamdiu præſens eſt, quominus libertatem & exercitium religionis ſuæ privatim habeat, etſi conſtet, anno vigeſimo quarto ipſum facultate iſta non fuiſſe uſum. Quia vix eſt, ut in conſcientiæ domusque ſuæ uſum prohiberi hac commoditate poſſet, cum id genus domus & habitationis inſtar Palatiorum ſint, in quibus privata ſacella haberi poſſe communis opinio fert. Abſente vero Principe aut Statu domeſticis ejus, qui ibi habitant, non permittendum cenſue-

Digitized by Google

cenſuerim, ut ſacra fieri curent, quæ dicto anno non fuere peracta. Perſonale enim eſt privilegium, cujus utilitas ad alios non redundat, niſi intermedio reſpectu ejus, cui datum creditur, neque hic repræſentatio locum habet, ubi perſona ipſa eſt opus. Adhuc tamen moneo, me de illis ædibus & habitationibus loqui, qui non modo alieno in loco ſunt, verum etiam alterius jurisdictioni parent. Nam ſi immediati juris fuerint, vix erit, quod legem in ſuo quis ſibi ab alio dici patietur. Verbi gratia, in civitate Imperiali Weiſſenburgi ad Noricum, habent Principes Onoldini Monaſterium, mœnibus quidem Civitatis incluſum, de cætero vero liberum, nec ullo modo ejus jurisdictioni ſubjectum, in quo ſingulis ſeptimanis haberi conciones, tum etiam ſtatis temporibus cœnam Dominicam celebrari more Lutheranorum uſus fert. Quin Baptizare etiam Infantes in Monaſterio illo natos licet, quanquam huic ultimo actui contradicat Civitas. Fac jam Onoldinos Principes ad Romana ſacra tranſire. Quæſtio ſtatim erit, quid de ſacris in Monaſterio illo habendis ſit ſtatuendum, & num Principi liceat abrogare Lutherana, atque Pontificia eorum loco ſubſtituere. Hic ante omnia tenendum eſt, ſolere illo loco nunc ſacra Lutherana fieri ad ſolum uſum eorum, qui in Monaſterio illo Principis nomine ejusque juſſu habitant, ipſa enim Civitas Weiſſenburgum ſedulo cavet, ne cives ſui audiendis concionibus aliisque ſacris actibus interſint, quanquam pulſare campanulam & aperire fores ad homines convocandos liceat. Jam ſi fingimus caſum, quo Princeps religionem mutavit, procul dubio in poteſtate ejus erit, Officiales, quos ibi adminiſtrationis cauſa habet, ſuo arbitratu conſtituere, adeoque Pontificiæ etiam religioni addictos. Hoc cum fieret, nemo amplius eſſet, in cujus gratiam ſacra Lutherana celebrari poſſent, ni vacuis ſcamnis & ſubſelliis haberi orationes placeret. Itaque aut ceſſabunt ſacra, aut in uſum Hominum, qui nunc ibi ſunt, erunt adornanda; Princeps ipſe, ſi adeſt, quin hac ſua in domo, ſuoque ſacello operari ſacris ex conſcientiæ ſuæ dictamine poſſit, nemo dubitat. At illi jam ſunt loco Principis, cui miniſtrant, ejusdemque cum eo religionis. Præterea nemo usquam eſt neque ex ſubditis Principis neque ex Civitate, cujus interſit, ut ſacra hoc loco fiant Lutherana. Uti enim dixi, ad ſolum unicumque uſum Principis ejusque Domeſticorum illo loco degentium inſtituuntur; quid eſt igitur, cur mutata eorum religione, quorum gratia comparata illa ſacra fuere, non liceat accommodare cultum divinum ad captum utentium? aut quæ hæc non eſſet invidia, malle omnia potius ſacra exilio damnata, quam Catholicis ſua relinquere eo in loco, quo Proteſtantium nullo modo intereſt, ſint ibi, vel non ſint. Quod ſi Civitas Weiſſenburgum, vel Subditi Principis circum habitantes anno vigeſimo quarto in poſſeſſione fuiſſent juris poſtulandi, ut ſuos ad uſus in Monaſterii illius ſacello ſacra Luthe-

Digitized by Google

impoſterum i) unà cum annexis k) quatenus illa l) dicto anno exercue-

rana haberentur, utique relinquenda ea illis perpetua eſſent ad eum modum, quo dicto anno ſunt uſi. Sed nihil quicquam horum eſt. Imo Civitas ægre iſta ſemper tulit, maluiſſetque abrogata, Subditi vero Principis non frequentant jure parochiali, cum ſuis in pagis ſua propria habeant; quis igitur intercedere poteſt, quominus Princeps ſua in domo atque in gratiam domeſticorum ſuorum de religionis exercitio decernere non poſſit ex conſcientiæ dictamine?

k) *una cum annexis*) Annexum rei eſt, ſine quo res illa commode tractari & expediri nequit. Ita annexa exercitii religionis ſunt, quæ inſtruendis promovendisque ſacris notabili commoditate inſerviunt. Exempla mox ſequuntur, inſtitutio Conſiſtoriorum & Miniſteriorum, jus Patronatus, & ſimilia. Quid enim exercitium habuiſſe juvat, ſi annexis privemur, ad actus ſacros explicandos neceſſariis? Sunt enim velut inſtrumenta Fundi aut domus, à quibus fundus domusque inſtructa dicitur.

l) *quatenus illa*) Hæc eſt inſignis limitatio ex adverbio, *quatenus*, quod modum ſeu menſuram uſus ſive exercitii religionis explicat. Neque enim qui ſubditi anno 1624. ſuæ religionis exercitium aliquod habuere, eo deinceps pro arbitrio & ſine modo uti poſſunt: Sed eatenus ſaltem, quatenus dicto anno exercuere. Quod ſi diverſis anni partibus diverſimode etiam exercuiſſe religionem ſuam conſtet, inſpiciendum mea quidem ſententia erit, num intercedente vel prohibente ſubdito alterius religionis mutatum: quid in uſu ſit, quatenus is antea obtinuerat. An vero fortuito mutatio contigerit, vel ſubditi ſua ſponte remiſerint aliquid vel intenderint, nemine impediente. Priori caſu ultima anni pars demonſtrabit, quatenus exercuerint. Qui enim prohibuere vel interceſſere, & quorum contradictionibus ceſſum eſt, illi ipſi jam aliquam anni partem pro ſuo exercitio allegare poſſunt. Sin nullius intereſt ſubditi diverſæ religionis, quid illi habuerint vel non habuerint eam anni partem attendendam eſſe dixerim, qua pinguiſſima conditione fuere. Neque referre puto, ſi Dominus Territorii modum exercitio religionis, quod liberius antea erat, ſtatuerit. Quia enim, etſi plane prohibuiſſet, ſubditi aliqua anni parte religione ſua uſi reſtituendi forent, utique prodeſſe Domino Territorii non poteſt, ſi acciderit aliquo modo exercitii libertatem, id enim etiam ademptum vel interverſum cenſetur, quo deterior uſus eſt factus: cujus reſtitutio contra jus reformandi peti ex hoc capite poteſt. Aliud forſan eſſet, ſi ſubditi ipſi nullius vi, imperio aut metu, ſed motu proprio & ſpontaneo aliquid mutaſſent, vel omnino religionis exercitio deſtitiſſent. Si enim volenti non fit injuria, neque reſtitutionem petere poſſunt,

Digitized by Google

poſſunt, quibus nulla de turbatione vel dejectione actio eſt. Enim vero ne hac quidem explicatione res de vi adverbii *quatenus* ab omni difficultate eſt evoluta. Cum ſæpe poſthac extiterint caſus, quibus ſignificationem ejus vel utraque pars vindicare ſibi, vel alterutra contra intentionem alterius ſive extendere eam ſive reſtringere pro commodis ſuis allaborarint. Ita diſputatum eſt inter Epiſcopum Hildeſienſem & Proteſtantes ſubditos ejus, de Conſiſtorio, *quatenus* illud eis ad normam anni 24. reſtituendum ſit. Nimirum Nobiles aliique ſubditi Hildeſienſes Aug. Confeſſioni addicti inter motus Germaniæ, quorum occaſione à Ducibus Brunſuicenſibus Epiſcopatus Hildeſienſis occupatus fuerat, apud Conſiſtorium Ducis Guelferbutani cauſas ſuas Eccleſiaſticas, quæque eo negotia pertinent, ventilandas inſtituere, quod Conſiſtorium compoſitum erat præter Eccleſiaſticas perſonas in eo admiſſas Inſpectore vel Directore Cancellario Brunſuicenſi, duobus Conſiliariis aulicis, uno Secretario, unove Scriba ſeu Amanuenſi. Atque hic ſtatus illius Conſiſtorii anno 1624. ſine ulla controverſia fuit. Sed poſt pacem Weſtphalicam, quæ inter alia etiam reſtitutionem illius Epiſcopatus decreverat, lis ſtatim de Conſiſtorio inter Epiſcopum ejusque ſubditos eſt orta. Contendebant enim ſubditi, cum anno 1624. Conſiſtorium ſuum ſolis Auguſtanæ Confeſſioni addictis perſonis fuiſſet compoſitum, ſibi jam Catholicos obtrudi non poſſe. Ex adverſo Epiſcopus Hildeſienſis de perſonis Eccleſiaſticis concedebat; quod vero ad Politicos attinet, Directorem nimirum & aſſeſſores, nec non Secretarium atque Scribam; rem ſui arbitrii eſſe affirmabat, neque Catholicos eo munere religionis cauſa arcendos, modo illis ſevere mandetur, ut nullo ſacrorum reſpectu ſententiam ſemper dicant, cujus rei cauſa juramento etiam ſint obſtringendi. Hic urgentibus ſubditis contra Principis intentionem verbum noſtrum *quatenus*, ex Inſtrumento Pacis, ille reſpondebat, hanc vocem eo loco ſignificare non *quemadmodum* vel *prout illud*, ſed *ſi* wo fern/ oder ſo fern. Ut quidem hac ratione Weſtphalica pax ſubditis Conſiſtorium concedat, ſi dicto anno aliquod habuerint: at quæſtionem, quomodo illud inſtituendum ſit, non expediat, ſed rem iſtam omnem arbitrio Principis relinquat. Sed uti hæc interpretatio manifeſtum eſt Scripturæ publicæ cavillum, cum nullo uſpiam autore vox *quatenus* hoc ſenſu aut ſignificatione poſita demonſtrari poſſit. Ita ex ipſa hujus vocabuli genuina vi, quæ idem ſemper ſignificat, ac *in quantum* vel *ad quem modum* aut *quomodo*, hoc viciſſim fluit, Principem Hildeſienſem adigi ex formula Tabularum pacis non potuiſſe, ut daret Subditis ſuis ſua in ditione Conſiſtorii habendi facultatem, quam anno vigeſimo quarto extra ditionem Hildeſianam alieno in Territorio vicini Principis auxilio & favore obtinuere. Ut adeo ſubditis aut eo recurrendum fuerit, quo Epiſcopus eos prohibere non potuiſſet: aut tranſigendum

cum

cum Principe ſuo, ut permitteret domi habere, quod ſine ejus conſenſu foras quærendum ipſis fuiſſet. Id quod etiam factum Mediantibus Delegatis Moguntino & Brunſuicenſi anno 1651. 24ta Martii, ſcripta in hanc ſententiam conventione, ſubditi Hildeſienſes habeant quatuor Aſſeſſores ſuæ religionis, binos ex Eccleſiaſtico & binos ex politico ordine, itemve unum Secretarium unumve ſcribam, à Principe tamen ſemper poſt præſentationem debite factam eligendos. Jus dirigendi hunc Conſeſſum ſive Senatum Eccleſiaſticum ſit quidem penes primarium Aſſeſſorem Eccleſiaſticum Auguſtanæ Confeſſionis, adjuncto in conſilium aſſeſſore Politico. Sed Cancellarium Principis, etſi Catholicæ religionis Miniſtrum nemo prohibeat, quo minus vice Principis, quoties ipſi libuerit, intereſſe Senatui liberrime poſſit, ubi etiam primum locum & ſeſſionem obtineat, nec non primo voto cum jure decidendi gaudeat in cauſis, quæ conſcientiam Proteſtantium non lædunt, ita tamen, ne diſſenſus ejus cauſarum deliberationes vel expeditiones impediat, attento ſemper in ejusmodi rebus decernendis atque exequendis votorum majori numero. Atque hac ratione inter Epiſcopum ejusque Ordines provinciales cœteroſque ſubditos ſuper Conſiſtorio æquis conditionibus transactum fuit, cum ſi abs eo fuiſſet, nec ſubditi in ditione Hildeſienſi inſtituere Conſiſtorium, nec Princeps eos ab uſu Conſiſtorii Guelferbütani prohibere potuiſſet. Pactum ſuper hac re in ſcripturam redactum legi ad longum poteſt in Vindiciis Hildeſienſibus anno 1696. editis, part. 1. pag. 84. & ſeqq. Scripto quidem non ex omni parte inepto vel contemnendo, ſed ob ſtudia partium, affectusque in Catholicos factioni obnoxio. Meretur tamen commendari ob adjuncta quædam documenta & Scripturas, inter quos nominatum illud pactum ſeu Receſſus Conſiſtorii, uti vocant, eminet, ex quo Lector attentus intelliget, quam ſollicite omnibus fere in articulis illud noſtrum *quatenus* paciſcentibus cordi fuerit.

Porro dividitur Epiſcopatus Hildeſienſis in majorem & minorem. Uſum Conſiſtorii major ſaltem Epiſcopatus anno 1624. habuit. Minor in Eccleſiaſticis ſub jurisdictione Officialis Hildeſienſis fuit. Quare niſi Receſſu Conſiſtoriali aliud placuiſſet, utrique ſuo foro relinquendi fuiſſent ex eodem dictamine pacis, quod cujusque jus eo definit & metitur, quatenus anno 24. eo unusquisque eſt uſus. Denique illud *quatenus* hoc etiam ſibi vult, ut quo loco nulla anni vigeſimi quarti parte exercitium ſuæ religionis ſubditi habuerunt, ne ejus reſtitutionem poſtulare: multo minus autoritate propria inſtituere poſſint, etſi forſan locus ille ad hominem Nobilem ex Ordinibus Provincialibus ſpectaret. Vix enim immediatæ Nobilitati jus reformandi competit, nedum ut Nobiles mediati id ſibi vendicare queant. Hinc ſi verum eſt, quod Vindiciæ Hildeſienſes dicunt, anno 1624. in pago *Heiſſum* Epiſcopatus Hildeſienſis

Digitized by Google

cuerunt, m) aut exercita fuiſſe, probare poterunt. n) Cujusmodi anne-

deſienſis nec templum nec ſacellum fuiſſe: Sed demum anno 1643. à quodam Catholico Præpoſito ædiculam ſacram ibi ad rem divinam curandam exædificatam eſſe, ego quidem nullus dubito, quin Proteſtantes per injuriam manus injicere ſacello illo tentarint, ubi dicto anno ne quidem per rerum naturam ſacra ſua facere potuere. Caſum hunc vide in dictis Vindiciis part. 1. pag. 23. 25. & 123. atque ipſe de rei juſtitia judica. Neque enim hoc attentionem meretur, ſi Proteſtantes ante annum 1624. in ſacello illo nondum deſtructo exercitium ſuum habuere: quia in his rebus ad nudum uſum ſeu factum poſſeſſionis reſpicitur, ut non uſus etiam facti noceat, quando de re ſic eſt comparatum, ut quis ea uti illo tempore non potuerit, cum forte deſtructa aut collapſa eſſet. Hoc enim tranquillitatis publicæ cauſa placuit, ut juris inſpectioni hic nullus ſit locus, ſed illud unice quæratur, an quis religionem de facto exercuerit & quatenus.

m) *illa dicto anno exercuerunt*) illa, id eſt, tam religionem, quam annexa. Quanquam enim ad annexa hoc pronomen demonſtrativum *illa* videatur maxime referri, non eſt tamen dubium, quin etiam ipſum religionis exercitium includat, quod eatenus ſaltem debetur, quatenus anno vigeſimo quarto habitum eſt. Fac enim eſſe in oppido quodam duo templa, in uno Proteſtantes exercuiſſe religionem: alterum ab omni divino cultu vacuum & deſertum jacuiſſe. Non licet ſane Eis, poſthæc ex formula pacis utrumque templum ſuis ſacris adaptare, etſi anno vigeſimo quarto nullum omnino illo in loco religionis Catholicæ exercitium fuiſſet: neque enim pax Weſtphalica ſinit quemquam ſubditorum pinguiori conditione in cauſa religionis eſſe, quam anno ſæpius laudato unusquisque fuit. Quid autem de templo illo, ſive ſacello deſerto ſtatuendum ſit, & num perpetuo vacuum jacere debeat, vel à Domino Territorii ad uſum ſuæ religionis occupari poſſit, paulo poſt explicabitur.

n) *aut exercita fuiſſe probare poterunt*) In dubio igitur onus probationis ad ſubditos ſpectat; niſi forte tempore concluſæ pacis fuerint in poſſeſſione. Tum enim Territorii Dominus exercitio religionis ſubditos ex formula pacis prohibiturus vel templum vindicaturus ſuam etiam intentionem probare debet, & oſtendere, poſt annum demum vigeſimum quartum cepiſſe ſubditos exercere religionem ſuam, cum in poſſeſſione conſtitui præſumantur ſemper fuiſſe, donec ab alio probetur, quo tempore initium fecerint ſui exercitii. Quamquam enim qui negat alium in poſſeſſione certo tempore fuiſſe, probationis neceſſitatem in illum rejiciat, qui ex hac poſſeſſione ſibi aliquid deberi dicit: aliud tamen eſt, ſi retinuerim poſſeſſio-

Digitized by Google

annexa habentur inſtitutio Conſiſtoriorum, o) Miniſteriorum,

poſſeſſionem, qua me alius ſpoliare hac ex cauſa parat, quod neget, me illo anno vel die poſſediſſe, cujus poſſeſſionem lex publica quodam privilegio vel jure munit. Quemadmodum enim hæc omnis poſſeſſionis eſt prærogativa, ut qui negat me poſſidere, cum tamen poſſideam, id probandum ſibi contra me noverit, ita non meliori conditione eſt, qui me certo quodam tempore, quod jam præteriit, poſſediſſe negat, cum eo tempore, quando rem repetit, ego in ejus poſſeſſione ſum conſtitutus. Neque illum quicquam juvat vulgare illud dictum, negativæ non eſſe probationem. Præterquam enim quod hujus regulæ vim generalem infringant illi ipſi variis ſuis limitationibus & circumſcriptionibus, qui eam ponunt. Ita in univerſum eſt verum, hac niti Eum non poſſe, qui ex negativa contra poſſeſſorem agit, niſi forte ex ipſa cauſa habeat ſingulare privilegium rejiciendæ probationis onus in poſſeſſorem. Ita qui negat rem meam eſſe, quam manu teneo, non efficit ſtatim, ut ſibi eam cedere teneat, niſi dominium vel poſſeſſionem probem. Sed ipſi incumbet dominii probatio. Ego vel ipſa poſſeſſione ſum tutus. Nam actori ſemper incumbit probatio, etiamſi ex negativa agat: quam utique æque ac affirmativam variis modis poteſt & debet probare. Qui enim me negat certo quodam præterito tempore poſſediſſe, probare id poterit ſi fidem faciat, ſe illo tempore in ſolidum in poſſeſſione fuiſſe, quo ipſo poſſeſſio mea refutabitur, niſi contrarium docuerim. Licebit interea mihi quoque Judici fidem de poſſeſſione mea facere, ſi voluero, mihique expediat, id quod retundendæ actoris intentioni, meæque cauſæ ſublevandæ apprime erit utile. Sed iſta conſilii magis erunt quam neceſſitatis, cum propterea cauſa non cadam, ſi alter id quod affirmat, non probet: Nam etiam qui negat aliquid eſſe, ſi actor eſt, utique affirmat id non eſſe, quod eſſe negat, cum ex adverſo reus, qui affirmat eſſe, negat non eſſe. Quo reſpectu regula, quod affirmanti incumbat probatio, nullum prorſus detrimentum ſentit. Equidem id, quod plane non eſt, ex natura rei probari non poteſt, quod ſit: cum non entis nullæ ſint affectiones. At qui negat rem non eſſe, de qua controvertitur ſit vel non ſit, probare utique debet, cur neget, quod non ſit, adductis pro negativa ſua rationibus, quæ affirmativæ utique reſpondent. Atque ex his conſtare arbitror, quam infirmo ſtet fundamento regula illa, ſi univerſim accipiatur, negativæ non dari probationem. Quo glaucomate Cauſidici illi & Rabulæ imperitis ſæpe fumum offundunt maximo cauſarum præjudicio.

o) *Cujusmodi annexa habentur inſtitutio Conſiſtoriorum)* referuntur hic exempla quædam annexorum Exercitio

religio

religionis. Sed ſaltem ut exempla communiora. Neque enim hanc ſufficientem omnium partium enumerationem eſſe oſtendunt ſequentia verba, *aliaque ſimilia jura*. Quatenus ſcilicet iſta annexa ſunt exercitio, ut uſui ejus & libertati inſerviunt, & ſine quibus exerceri religio aut omnino non poteſt, aut non ita commode, prout dignitas ejus & indoles poſtulat.

Inſtitutio Conſiſtoriorum) primum Exemplum eſt Inſtitutio Conſiſtoriorum. In quibusdam Exemplaribus legitur inſtitutio Conſiliorum: ſed procul dubio mendoſe. Quare hoc ipſum accuratiores editiones emendarunt. Quanquam enim *Conſilium* in lato ſuo ſenſu etiam Conſiſtorium comprehendere poſſit. Tamen ubi lex de Conſiſtoriis in ſpecie ſtatuere voluit, non eſt veriſimile, vaga & generali voce hanc rem deſignaturam eſſe, quando propius loqui potuit.

Cœterum quod jus Conſiſtorii habendi attinet, ea de re multijugas quæſtiones agitatas eſſe meminimus. Eſt autem Conſiſtorium, ut craſſe deſcribam, Collegium ſeu Corpus ex perſonis idoneis Eccleſiaſtici & politici Ordinis compoſitum, ut auſpiciis Principis vel Civitatis de perſonis & cauſis Eccleſiaſticis cognitionem habeat, aliaque negotia procuret, ad religionem vel ſacra ſpectantia. Apud nonnullos audit *Senatus Eccleſiaſticus*, voce paulo latiniore. Perſonæ quibus conſtat, plerumque ſunt ex utroque ordine Civitatis, Eccleſiaſtico & politico, quibus præeſt unus Directoris vel Præſidis nomine. Hoc munus alibi Conſiliario Principis cuipiam demandant: alibi ſupremo ſacrorum Antiſtiti. Indubie tamen priori modo melius conſultum erit Conſiſtorio. Vix enim res unquam bene geruntur, ubi penes Eccleſiaſticum Ordinem autoritas dirigendi Senatus eſt, quem plerumque vitia ſua popularia, ſuperſtitio, avaritia, ſuperbia, invidia & id genus alia, in transverſum agunt. Hic quæſitum nonnunquam eſt, an Conſiſtorium poſſit ex mere politicis perſonis formari? Hoc recte Mevius affirmavit in Deciſon. part. 4. deciſ. 1. & 3. Sunt enim id genus Judicia natura ſua plane Politica. Quanquam ubi de Controverſiis Theologicis, vel ordinanda religione, itemque caſibus conſcientiæ agitur, in conſilium advocare Theologos, pietate & modeſtia commendabiles aliquo modo expedire videatur: modo ne illis nimium indulgeatur in judicandis decernendisque cauſis: conſilio enim ſæpe non ſunt ſpernendi. At vix unquam recte quid & ex ordine faciunt, quando autoritatem ſuam cum imperio vel Magiſtratu conjunctam vident.

Cœterum de poteſtate Conſiſtoriorum & juribus hic multa commentari ſupervacaneum ducimus: cum ex formula pacis inſpiciendum ſit, quatenus unusquisque eo uſus eſt anno illo decretorio. Aliqua tamen tetigiſſe, de quibus diſceptatur, non abs re erit. Ac primo Conſiſtoria non propriam ſed delegatorum jurisdictionem exercere

Digitized by Google

vulgata eſt opinio: cujus diſtinctionis ego hodie non magnam ſupereſſe utilitatem arbitror, cum jura Romana propriam Magiſtratus jurisdictionem a delegata non ita diſtinguant, ac ſi illa ſumma eſſet poteſtas: hæc vero ab iſta dependens. Sed jurisdictio propria dicebatur, quam quis lege, vel Senatusconſulto, aut principum conſtitutione exercebat. Cum mandata eſſet, nudum jurisdictionis propriæ exercitium, mandatum alii a Magiſtratu ordinario. Sane quidem is, qui propriam jurisdictionem habet dicitur illam habere *ſuo jure*. Sed hoc *ſuo jure* hic non ſignificat jure ſummo vel abſoluto, ſed jure Magiſtratus, quem vel lex vel populus vel Princeps alicui mandavit. Cum igitur noſtris moribus Principes & Status ſuis in territoriis non pro Magiſtratibus ſed ſummis poteſtatibus reputentur, atque idem dicantur poſſe, quod Imperator in Imperio; Iſti vero Conſiſtoriis certam jurisdictionis Eccleſiaſticæ ſpeciem demandent, mihi ſane ad ſenſum Romani juris magis videntur Conſiſtoria propriam quam delegatam habere jurisdictionem. A Principe enim vel Domino territorii ſupremo eam habent: non à Magiſtratu alio ordinario, quem idem Princeps jurisdictionem ſuo jure, id eſt jure Magiſtratus habere voluit. Neque obſtat, Conſiſtoria nonnulla cauſas graviores, ut Miniſtrorum remotionem, diſpenſationes in negotiis quibusdam Eccleſiaſticis, & alia, ſine ſpeciali Principis interventu vel approbatione expedire non poſſe. Nam qui mandare jurisdictionem potuit, excipere utique cauſas quasdam potuit, quas jurisdictione comprehenſas nolebat. Quod non impedit, quo minus jurisdictio ordinaria ſit. Cum ejus characterem ſeu naturam non tam cauſarum magnitudine metiamur, quam eo, an à Principe vel populo ſit mandata. Nam etiam apud Romanos unus Magiſtratus præ alio majorem ampl'oremque poteſtatem habebat, cum interea omnes illi nihilominus jurisdictionem ordinariam ſuoque jure habuiſſe dicebantur. Interea quandoquidem hodie jurisdictio etiam Principibus & Statibus tribuitur, eosque eam *ſuo jure* habere prædicamus, & quam nos jurisdictionem propriam vocamus, idem ſibi velit, ac ſi in Dominio vel Patrimonio Principis, velut jus quoddam reale eſſe affirmemus, delegata utique ea jurisdictio non incommode, quamvis longe alio ſenſu, appellari poteſt, quam Princeps jure territorii aliis Magiſtratibus à ſe creatis demandat, vel delegat.

Ex quibus facilis quoque eſt dijudicatio illius quæſtionis, an princeps cum ſuo Conſiſtorio concurrentem habeat jurisdictionem? Nam procul dubio non concurrentem ſaltem, ſed longe majorem etiam atque ſuperiorem habet, quibus locis id ipſum non ſpecialibus pactis vel lege imperii circumſcriptum eſt.

Quod tamen ad perſonas cauſasve nullo reſpectu ad conſuetudines hujus vel alius loci habito, attinet, videntur Conſiſtoriorum jurisdictioni non alia con-

congruere, quam quæ mere ſunt Eccleſiaſtica. De poteſtate prædicandi verbum divinum & uſu clavium in præſentia nihil dicam, ſunt enim hæc ex altiori inſtituto, quam ut humanis legibus ſubjici poſſint: quamvis aliquam de abuſibus iſtorum cognitionem Conſiſtoriis negare non auſim, cum interſit reipublicæ diligenter attendere, an omnia ad præſcriptum receptorum publicè ſacrorum fiant. Eodem refero curationem Sacramentorum, uti ex uſu Eccleſiæ vocantur. In ſacra enim Scriptura hoc nomen non occurrit. Quæ autem legis dioeceſanæ & jurisdictionis ſunt, item quæ ad ſtatum ac dignitatem perſonarum pertinent, Ea in Conſiſtoriis plerumque majori autoritate tractari ſolent, ſemper tamen Principis auſpiciis. Nempe jus Epiſcopale communi ſententia, ubivis fere recepta, in quatuor partes dividitur. Unam vocant poteſtatem ordinis, quo referuntur, quæ jam vocavimus poteſtatem prædicandi verbum publice & adminiſtrandi Sacramenta licentiam cum clavium uſu. Alteram lex dioeceſana abſolvit, cui adſcribitur debita Epiſcopo & Conſiſtoriis ab omnibus ejus dioeceſeos incolis obedientia & reverentia, nec non adminiſtratio & gubernatio rerum atque bonorum Eccleſiaſticorum. Item Viſitatio, cura ſcholarum, viduarum, pupillorum: decimarum cenſuumque perceptio. Tertia pars conſiſtit in audientia Epiſcopali, deciſione cauſarum, ſuſpenſione ab officio, remotione, degradatione cum aliis poenis & cenſuris canonicis; ac denique in diſpenſationibus. Denique quarta complectitur Titulos, privilegia, dignitates, immunitates & prærogativas graduum, quibus Clerici cum inter ſe ipſi, tum inter Laicos diſtinguuntur & eminent. Quamvis enim ex Inſtituto divino ſacro Ordini alia poteſtas non competat, quam quæ *Ordinis* ſpecialiter appellatur. Reliqua omnia Eorum procurationi, qui cum ſummo imperio ſunt, relicta ſunt: id tamen non impedit, quominus Principes & Civitates hanc partem ſuæ jurisdictionis in honorem ſacri Ordinis certis Magiſtratibus, ex utroque Ordine, ſacro ſcilicet & politico, conſtitutis, demandare poſſint, ne Clerici cogantur de perſonis ſuis & prærogativis coram quovis Judice litigare. Quod exiſtimationi eorum officeret, cum tamen omnis eorum auctoritas & honos apud populum habitu & titulis à vulgo diſtinctis conſtet, quibus reverentia quædam eis eſt concilianda, quos humilitate, pietate donisque cœteris Spiritus S. quæ hunc ordinem ornare ante alios deberent, plerumque carere videmus. Sane quoad perſonas Clericorum actionesque perſonales, itemque quoad negotia mere Eccleſiaſtica res indubia eſt. Quod autem ad actiones reales ſpectat, contra Clericos intentandas in eo tam Catholici quam proteſtantes conſentiunt, in foro politico has inſtituendas eſſe; ex adverſo actionum mixtarum vel ipſum nomen nos monet, ad utrumque forum has trahi poſſe ac proinde jurisdictioni Eccleſiaſticæ non eſſe proprias. Sed

 quid

quid de cauſis matrimonialibus dicendum: Certe non deſunt ex Proteſtantibus, qui illas etiam ad forum politicum vocant. Alii inter cauſas mixti fori referunt. Neque dubium eſt, ſi Principi placuerit, de iis Judicem quemvis cognoſcere poſſe, cum partim ad promiſſa ſeu contractus pertineant: partim vero ad delicta, occaſione harum rerum commiſſa. Quicquid ſit, quoniam pudoris & verecundiæ intereſt, ne cauſæ Matrimoniales quovis in foro ventilentur, cum ſæpe in iis diſceptandis eiusmodi circumſtantiæ occurrant, quibus audiendis cognoſcendisque Viri graves & ſuperciliosi requiruntur, ex quorum numero præcipue reputantur eſſe barbatuli illi & ſtolati, qui Curios vultu inceſſuque optime ſimulare diuturno exercitio novere. Itaque plerisque in locis obtinet ex decreto Principis, ut Conſiſtoria his cauſis decidendis operam dent, ne rei ipſius ſanctimonia & caſtitas indiſcreta Judicum quorumvis curioſitate aut laſcivia profanetur. Enimvero de his facile Dominus Territorii decernet, quando ipſe cum ſubditis ſuis unam religionem profitetur. Cum vero Iſte aliam: aliam autem ſubditi ſectantur, difficilior expeditu res eſt, ob ſuſpiciones & odia, quibus ſibi mutuo incommodi ſunt, & infeſti: unde fit, ut neutra pars alteri ſatis fidat: Cum inde Dominus Territorii flabris ſuis ſuſcitatus ſacra ſubditorum turbare ſubinde, vel libertatem eorum accidere ſoleat: Subditi vero hinc paſtorum ſuorum intemperie, & ſeditioſis ſæpe vocibus majorem quam par eſt, ſibi licentiam depoſcant non ſine manifeſto inobedientiæ crimine. Accidere quidem hoc poteſt omnibus in cauſis. Sed res nunquam vehementiore certamine agitatur, quam cum quæſtio eſt, quo foro de paſtorum delictis pœnisque ſtatuendum ſit. Exemplum ejus rei illuſtre eſt in Hildeſienſi Epiſcopatu, ubi maxima Nobilium populique pars ſacris Lutheranis eſt addicta, cum Dominus Territorii, Epiſcopus, Romanarum ſit partium. Turpia multa & pudenda objecta ſæpe fuere Paſtoribus quibusdam Lutheranis. Nec inficiari poterant omnia illa etiam, qui honori famæque ſuorum conſultum cupiebant. Itaque conſtabat quidem, rem animadverſione dignam eſſe: Sed ſtatim diſceptabatur quo Judice cognitio habenda. Princeps contendebat, ſibi integrum eſſe de cauſa cognoſcere, pœnasque dictare. Subditi Lutherani rem ad Conſiſtorium ablegabant, ſuſpecto Principe ob ſacra aliena. Neque ex regula, *quatenus* dirimi ſatis lis poterat, cum Hildeſienſes Lutherani anno 1624. proprium Conſiſtorium nondum habuere: Enimvero quoniam in Receſſu anno 1651. poſt pacem Weſtphalicam inter Epiſcopum & Subditos conciliantibus Moguntinis & Brunſuicenſibus Subdelegatis confecto cautum fuerit, ut coram novo iſto Conſiſtorio non illa modo tractentur, quæ ſunt Ordinis & jurisdictionis Eccleſiaſticæ, veluti examinatio, ordinatio, inſpectio, viſitatio, ſuſpenſio & remotio, cæteraque eo de jure pertinentia. Verum etiam

rum, p) tùm Scholaſticorum quàm Eccleſiaſticorum, q) Jus Patronatus

etiam reliquæ omnes hujus jurisdictionis partes, ſecundum exemplum Conſiſtorii Brunſuicenſis, quod norma unica Conſiſtorii Hildeſienſis eſſe debeat: prout nimirum anno 1624. ibi ſingulas partes in uſu & obſervantia fuiſſe conſtiterit. Ego ſane nullam rationem video, quomodo poſthæc transactio illa Catholicis & Proteſtantibus auctoribus inita à ſucceſſore Epiſcopo vel Capitulo irrita fieri poſſit, hoc ſolum colore, quod Capitulum non conſenſerit, vel transactioni interfuerit. Cum utique Weſtphalica pax non modo id genus transactiones inter Dominum Territorii & ejus ſubditos permittat, quæ Statui anni 1624. congruunt. Verum etiam ſi aliter mutuo conſenſu conventum fuiſſet. De cætero ſententia ſcriptorum in genere non eſt rejicienda, ſed vera & proba, ad Territorii Dominum ejusque jurisdictionem ſpectare, cum de criminibus delictisque Eccleſiaſtici Ordinis quæſtio habenda, & in facinoroſos animadvertendum eſt, ſi hanc rem fidei Conſiſtorii ſui commiſſam noluerit: modo lex publica non obſtet, aut privilegium vel pactum, quo forum neceſſarium conſtitutum eſt. Ut proinde autor Vindiciarum Hildeſienſium non opus habuiſſet tam operoſe illa probare, quæ nemo in dubium vocat. Neque enim ad cauſam ſuam juvandam quicquam conducunt, cum non modo inſpiciendum ſit, quod abſolutè rectum eſt; ſed etiam quam formam ſpecialem leges vel conventiones negotio dederunt.

Denique id etiam quæſitum eſt, ſi ex formula pacis ſtatuque anni vigeſimi quarti ſubditis Conſiſtorium debeatur, cujus ære impenſisque illud ſuſtentandum ſit, quæ proprie eſt inſpectio de ſalariis præſtandis. Procul dubio hæc etiam cauſa à ſtatu anni vigeſimi quarti dependet, quomodo ſcilicet eo tempore res de ſalariis ſe habuerit. Nam ſi tum hæc Princeps Conſiſtorio ex ærario vel aliunde præbuiſſet: ad ſolutionem erit porro adſtrictus. Sin vero ex publico nihil erogatum eſt, ſubditorum erit impenſis propriis conſervare, quæ in eorum utilitatem unice vergunt, cum in univerſum ſit verum, niſi aliquid ſingulariter obſtet, Sumptus & ſalaria ab his præſtanda eſſe, qui commodum percipiunt ex iis, quorum intuitu ſalaria dantur. Hunc in uſum præcipuè ſportulæ multæque pecuniariæ deſtinantur, quæ ſi non ſufficiunt alendis perſonis, quibus Conſiſtorium compoſitum eſt, reliqua à ſubditis conferenda ſunt, ſive ex fundo hæc certo ſint, ſeu annua collatione, pro cujusque facultatum habitu.

p) *Miniſteriorum*) Differunt miniſteria à miniſtris, uti differunt collegium à ſingulis Collegii partibus. Sunt itaque miniſteria corpora collecta ex miniſtris verbi divini, ſeu Paſtoribus; quæ

natus, r) aliaque ſimilia jura, s) nec minus maneant t) in poſſeſſione

quæ formam aliquam ſocietatis ſive Tribus habent, quamvis more ordinario jurisdictione & Imperio careant, cum maxime ſint ſodalitia, quæ perſonis conſtant ejusdem quidem ordinis: Sed gradibus dignitatis diſtinctis: ex quibus deinde nonnullas in Conſiſtoria allici conſuetudo fert. Inter has eminet paſtor loci primarius, quem nonnunquam etiam Superintendentem vocant. Tum Archidiaconi, Diaconi, & quæ ſunt ejus generis nomina alia honorum magis, quam ipſius Miniſterii, in quibus etiam loca pro cujusque conſuetudine & uſu plurimum variant.

q) *tam Scholaſticorum quam Eccleſiaſticorum*) Hæc igitur miniſteria dividuntur hic in Scholaſtica & Eccleſiaſtica. De Eccleſiaſticis jam dictum eſt, in Scholaſticis plerumque ſunt, Rector, Conrector, Cantor, & cæteri Ludimagiſtri inferioris ordinis. Unde patet, quæ hoc loco de miniſteriis ſtatuuntur, applicari ad ea loca non poſſe, ubi in oppidulo aliquo vel pago unus ſaltem eſt Paſtor, unusve Ludimagiſter. Poteſt enim unius appellatione *Miniſtri* venire, at *Miniſterium* conſtituere non poteſt, de quo natura ſua ita comparatum eſt, ut ex pluribus perſonis, ſaltem tribus quatuorve compoſitum eſſe debeat. An etiam duobus? viderint alii: mihi abſurdum adeo non videtur, niſi fortè obſtet vulgatum illud, *tres faciunt Collegium*.

r) *jus Patronatus*) Jus Patronatus eſt facultas eligendi, præſentandi & vocandi Parochum, competens certæ perſonæ ex fundatione vel dotatione Eccleſiæ, ad hoc ut præſentatus conſtituatur ad munus illius Eccleſiæ. De quo cum multi alii ex profeſſo egerint, non opus eſt ut in præſentia prolixi ſimus, videri poſſunt Stephanus, Finkelthaus, Brunnemannus, Schilterus, alii; differt à jure eligendi & vocandi: quod Domino territorii competit, quod hujus jus pars ſit ſuperioritatis Territorialis. Illius vero facultas ex ſpeciali beneficio & permiſſu profluat compenſandæ pietatis cauſa, quam privati in fundandis dotandisque Eccleſiis exercuere, & ut eorum exemplo alii etiam ad id genus liberalitatis devotionisque eò magis provocentur. Neque abnuo primis temporibus, cum res Chriſtiana adhuc incrementa faceret, majorque ſeges in republica eſſet quam meſſores colligendæ ſegeti idonei vel ſufficientes, non omnino nullam fuiſſe ejus inſtituti utilitatem. Poſtquam vero Clerus Tabernas ſuas ubique gentium aperire & univerſam ferè terram ejusmodi mercibus implere cepit, quibus ad exemplum permutationis Dromedis cum Glauco aurea æneis venaretur. Protinus incepit jus Patronatus male audire, & extitere viri docti, qui illud indicto velut bello impugnavere, inter quos Theologum etiam Gisbertum Voëtium nomino. Inter

Digitized by Google

Inter alia premitur crimine Simoniæ, dum Patroni ex hoc jure quæſtum faciunt, eumque plerumque vocant, non qui Eccleſiæ maximè eſt idoneus, ſed qui munus iſtud pluris licitaverit. Aut ſi utique ſibi muneribus & lucello pecuniario temperant, ſaltem pronuba Junone res perficitur, & emeritæ ancillæ, vel virginis aliis officiis commendabilis elocatio præmium eſt collati muneris. Nam ſi viduam defuncti Paſtoris offerunt pro redimenda vexa, tum vero ſe putant rem feciſſe apud Deum hominesque integritatis laude prædicabilem & meritoriam.

s) *Aliaque ſimilia jura*) Mallem hæc numerata etiam fuiſſe: nunc enim ſæpe controvertitur, quænam ſint illa jura ſimilia. Referrem tamen huc jus vocandi Paſtores, quod anno 1624. Communitatibus competebat, ſive illud dicto anno actu exercuerint, ſive in exercitii poſſeſſione fuerint, quo prohibiti ſolummodo ſunt, quod caſus non extiterit, & occaſio utendi juris. Poſthac enim ſubditi in exercitio, quoties opus eſt, impediendi non ſunt. Habet hæc res magnam ſimilitudinem cum jure Patronatus, ac ferè ſub hoc complexa eſſe videtur, adeoque eodem loco cenſeri debet ad eum effectum, ut ſubditis contra pacem injurias feciſſe Dominus Territorii videatur, qui ab ejusmodi vocatione eos prohibet, Paſtoresque illis pro imperio obtrudit optionis libertate ſublata. Quæritur, num etiam ex hac lege de feriis Catholicorum ſit judicandum? Scilicet crebræ fuerunt poſt pacem Weſtphalicam querelæ, ſubditis imperari à Dominis diverſæ religionis, ut feſtos dies agant, quos neque dicto anno eos feriari oportuit, neque ut celebrentur, inſtitutum eorum religionis fert. Sed hoc onus iterum diverſa ratione ſubditis impoſitum. Alibi enim ad dierum celebrationem ipſi adigebantur, juſſis convenire in ſacra æde, & habere conciones & preces, aliaque expedire, quæ diebus feſtis alias fieri ſolent. Alibi vero ab illis id tantum petitur, ut ſacris Catholicorum diebus domi ſe quiete contineant, & ab operibus vacent, nec Catholicis offendiculo ſint, atque ſcandalo ſtrepitu laborum ſuorum. Primum ſi imperatur, id ſine omni dubio paci adverſum eſt habendum: Sic enim libertati conſcientiarum vis fieret, ſi ſubditi celebrare ferias cogerentur, iis diebus, quos ipſi profeſtos habent: Imprimis vero tum, quoties ſanctorum illorum memoriæ recoluntur, eorumque honori ſacra fiunt, quos ſubditi pro ſanctis non reputant, quorum pene infinitus noſtris temporibus eſt numerus, ut ſinguli fere religioſi ordines totos exercitus ex ſuis conſcribant, qui inter ſanctos relati ſunt ob ſtudia & merita, quibus Romanam Curiam vivi devinxerant: Quemadmodum enim Catholici conſcientiis ſuis adverſum judicaturi forent, ſi eos Princeps memoriam Lutheri vel reformationis ab hoc cœptæ omni cultus ſui apparatu celebrare juberet, eamque ob cauſam Deo ſuisque ſanctis gratias agere: Ita ſanè quam moleſtum Evangelicis & con-

Digitized by Google

ſcientiis eorum grave foret, ſi Dominici alicujus, qui perſecutione & ſtrage tot millium miſerorum & innocentum, vel Franciſci, qui ſordido & inepto vitæ genere inter cœlites ſunt numerati, vel denique recentiorum adhuc Minorum, geniales dies feſtos habere, eorumque ſibi gratiam & auxilia expetere cogerentur: In his igitur merito relinquuntur ſuis ſenſibus, neque adigi debent, ut eorum cauſa, quos animo merito execrantur, ferias externe indicant. Alia ratio eſt cum jubentur ſubditi ejusmodi diebus ſaltem ab operibus vacare, ne Catholicorum devotioni impedimentum creent tumultuoſis operis & negotiis. Neque enim video, cujus rei accuſari Princeps poſſit, qui ſuis ſuorumque ſacris hoc pacto incommodari nolit, à ſubditis diverſæ religionis, quos de cætero ſuæ libertati & ritibus permittit. Nam vacationem ab operibus publicis privatisque certis diebus indicere, id omnino ad jura ſummi imperii referri debet: Poſſunt multæ cauſæ eſſe ejusmodi conſilii. Sic clauduntur ſæpe tabernæ, & ab operis ceſſatur cum natales Principis: Cum anniverſarium ſuſcepti Imperii & coronationis; alios que feſtos dies agimus. Solennia etiam Nuptiarum, vel triumphans in urbem adventus poſt reportatam victoriam ocia civibus faciunt. Decretæ item ſupplicationes, aut indicta jejunia placando Numini ab omnibus libenter ſervantur, quid ni igitur edicere Princeps poſſit ceſſationem à laboribus, præcipue ſtridulis illis & inquietis, quoties diem alicujus è ſanctis ſuis publica lætitia & ſolitis ceremoniis tranſigit, etſi nonnulli ſubditorum Divum iſtum, cujus honori celebritas illa inſtituitur, ex ſuorum ſacrorum diſciplina non adeo magni faciant? dummodo nullæ eis imperentur Devotiones contra animi ſui ſenſa. Neque valere exceptionem exiſtimo, anno vigeſimo quarto ſe ob hujus diei celebritatem non fuiſſe coactos ſolitos labores omittere, quid enim hoc ad exercitium religionis vel annexa? Cum aliud ſit feriari, & aliud à laboribus vocare, idque non tam in honorem diei, quam Principis qui hoc imperavit, niſi forte ſubditi probent, ſe tum religionis cauſa in poſſeſſione fuiſſe recuſandi id genus imperii, & laboris contra illud ſuſcipiendi, nam hoc demum caſu ubi ſic de facto poſſeſſionis non parendi contrariis actibus conſtat, excipere ſubditi poterunt, de uſu & obſervantia dicti anni, poſtquam interpoſita teſtatione non modo contradixere, ſed & adverſus Principis decreta tenuere propoſitum. Sine hoc ex nudo ſanè ſtatu loci, niſi aliquid facti acceſſerit, nec jus nec poſſeſſio quæritur. De Calendario idem fere ſentio. Quamquam enim temporum ordinatio ad curas politicas pertineat, ut dies faſti nefaſtique agendis cauſis in republica cognoſcantur, quatenus tamen deſignandis feriis conſtituuntur, deſcribunturque certi dies, in eo aliquod negotium religionis verti videtur, quod Catholici jamdiu ſatis ad ſuum traxere forum: jure injuriave, jam non diſputo. Hinc ſi qua anni vigeſimi

quarti

Digitized by Google

quarti parte ſubditi Proteſtantes Calendario Juliano, etiam adverſus Domini Territorialis voluntatem uſi ſunt, ut in eo relinquantur, hoc lex noſtra jubet. Adeſt enim nudi ſaltem facti poſſeſſio. Sin verò nemo prohibuerit, cogitandum eſt, an nunc cogi poſſint ad Calendarii mutationem, ſi Princeps id neceſſarium duxerit quietis publicæ cauſa, & ad majorem concordiam inter ſubditos ſtabiliendam, ne feriarum duplicatio agriculturæ & negotiationibus præjudicium afferat? Sane ſi Calendarium ad annexa exercitii religionis pertinet, quæ retinere unusquisque poteſt, quatenus illa dicto anno exercuit, ſive certo pacto aut privilegio, ſive longo uſu, ſive ſola denique obſervantia id factum, in eo nemo quisquam à quocunque ulla ratione aut via turbari poteſt ſalve pace. Sed mihi cum aliis magis placet Calendarii cauſam ad rationes politicas referre, cum hoc omne negotium diſtinguendis dirigendisque temporibus conſtet. Aliud enim eſt diem feſtum deſignare, aliud illa die ſacra facere: unaquæque dies in ſe nulla in re ab alia differt. Quod ſi propterea edicto magiſtratus certis diebus certæ devotiones aſſignatæ ſunt, id etiam inter civilia negotia eſt reputandum, quamquam devotiones & ſacra, quas illa die fieri moris eſt, partem religionis faciant. Sed quicquid horum ſit, hodie ſanè hæc omnis diſputatio ceſſat, ex quo vetus Calendarium à Proteſtantibus eſt emendatum. Quamvis enim hi novum Gregorianum apud ſe non receperint: Quia tamen nunc temporum ſupputationes in utroque ita conveniunt, ut aut raro admodum aut nunquam ſanè poſthæc diſcrepantia metuenda ſit, hoc egregio conſilio omnis anſa diſſidiis, quæ ex feriarum diverſis vicibus olim oxorta ſunt, præciſa fuit. Niſi quod hodienum hæc ſuperſit difficultas, qui ſubditis Proteſtantibus imperari à Principe illis diebus poſſit, quos Catholici pro feſtis habent, illi vero profanos æſtimant, quibus exercere labores artesque per conſcientiam liceat?

Ac quoniam in hunc locum incidimus, ubi ſedem ſuam propriè habet vexatiſſima illa controverſia *de jure prohibendi*, quam Catholici poſt pacem Weſtphalicam movere, quoties de ſtatu religionis Proteſtantium quæſtio erat, ad impediendam reſtitutionem per pacem illam decretam: Quo velut clypo pleraque tela adverſariorum excipere & avertere ſunt conati; Itaque non abs re fore puto, de hoc argumento ſententiam noſtram exponere. Quamvis enim ſatis certum ſit, Catholicos ejusmodi effugiis ſæpiſſimè mirabili vaframento tergiverſatos eſſe, Negari nihilominus nequit, eſſe aliquid in hoc genere exceptionis *de jure prohibendi*, quod pro cauſarum qualitate attentionem meretur in ſententia ferenda. Nimirum quando Domini Territoriales in Civitatibus Municipalibus, aliisve ſuæ ditionis locis de religione Catholica, cui addicti ſunt, paulo aliter ſtatuere volebant, quam ut congruere videbatur ſtatui, qualis anno vigeſimo quarto fuerat, adverſati propediem ſunt Proteſtantes, atque

que

que contendêre, ſervandum præciſe illum ſtatum eſſe, neque pacem ferre, ut quicquam mutetur, etſi de cætero eorum nihil intererat, an res ita ſe habeat, vel alio modo: Verbi gratia: Hildeſii in urbe municipali, quæ ad Epiſcopatum cognominis pertinet, fuere anno 1624. in æde quadam Jeſuitæ Tyrones, qui ibi profeſſionem faciebant ex ordinis inſtituto. Hos Epiſcopus Hildeſienſis triennio poſt, anno 1627. alio tranſtulerat, Cappucinis in eorum locum ſurrogatis. Cum igitur anno 1648. pax fieret, ejusque executionem Imperator propoſitis edictis Directoribus Circulorum mandaſſet, de Cappucinis negotium in quæſtionem venit, an manere Hildeſii integra pace poſſint, vel reſtituendi ſint Jeſuitæ, quos anno 1624. ibi vixiſſe conſtabat. Proteſtantes reſtitutionem ſtatus civitatis, qualis dicto anno fuit, urgebant, atque adeo adminiſtrator Magdeburgicus, qui tum munere Directoris in Circulo inferioris Saxoniæ fungebatur, ad implorationem Magiſtratus Hildeſiani migrare Capucinos urbe juſſerat, eosque tandem vi adhibita expulerat, cum ſponte decedere noluiſſent. Sed ſtatim Catholici injuriam ſibi hac executione factam querebantur, negabantque, pacem Weſtphalicam hoc velle, ut ſub calumnia ſtatus anni vigeſimi quarti ſibi facultas de ſua religione pro arbitrio decernendi pereat, quando Proteſtantium nihil refert, quid hac de re ſtatuatur. Nihil quicquam invidere ſe Proteſtantibus, imo bona fide præſtituros omnia, quæ ex pace habent: Sed æquum eſſe, ne illi ſibi in ſuis rebus legem ferant, ubi nihil eſt quod poſtulent ſibi deberi. Fateri ſe ultrò, & in eo convenire omnes, anno vigeſimo quarto Hildeſii non fuiſſe Cappucinos. Enimvero quid hoc ad Proteſtantes? qui docere non poſſunt, ſe illo tempore in juris vel facti poſſeſſione fuiſſe prohibendi, quominus ab Epiſcopo reciperentur, cum illi libuerit. Eſſe quidem domum illam, qua olim Jeſuitæ vixerint, & deinde Cappucini admiſſi fuerint, in urbe: Sed nunquam fuiſſe ſub Magiſtratus ditione, quin pertinere illam abſoluto jure ad Epiſcopum, qui nullo intercedente decernere ſemper apud ſe potuerit, cujus ordinis religioſos habitare ibi velit. Nihil ſane habebant Proteſtantes, quod ad hæc reſponderent, niſi quod ſtatum anni vigeſimi quarti urgebant, quo tempore Hildeſii Cappucinos non fuiſſe compertum erat. Conſtitutum eſt nobis, hunc totum caſum deinde referre, prout cauſa inter partes in conventu Deputationis Francofurti celebrato prolixe, & ſummis ſtudiis eſt ventilata. Nunc ſatis nobis ſit in præſentia conſideraſſe, an quod objecere Catholici ex una parte de facultate libera introducendi ordines religioſos, quam illo tempore Epiſcopus habuit, & in cujus adeo poſſeſſione fuit. Et ex altera, de negata Proteſtantibus poſſeſſione juris vel facti prohibendi, quo minus Epiſcopus hoc jure ſuo uti potuerit, attendi debuerit in hujus rei dijudicatione? Quamquam verò ex iis principiis, quæ in ſuperioribus cum ex literis & ſenſu Inſtrumenti pacis; tum

ex

Digitized by Google

ex mente paciſcentium plus uno loco ſtabilivimus, de hujus quæſtionis judicio ſtatui egregie poſſit: Juvat tamen breviter repetere & firmare, quæ huc facere imprimis videntur. Scilicet quoties ſubditi ex Tabulis pacis contra jus reformandi dominorum ſuorum ſe defendere volunt, plerumque allegare ſolent ſtatum anni vigeſimi quarti ſuperioris ſeculi, quem ſalvum incolumemque perpetuo poſthæc manere debere contendunt, poſtulata reſtitutione eorum, quæ poſt illum annum forte mutata ſunt. Sed excipiunt Catholici, ex nudo loci ſtatu de cauſa cognoſci non poſſe, ſed inſpiciendum eſſe, quid unusquisque illo tempore poſſederit, & exercuerit. Sufficere quidem poſſeſſionem nudi facti, id eſt, non conſiderari, jure quis, an injuria poſſederit. Enimvero poſſeſſionem ſaltem facti probari deberi, nec ſatis eſſe, ſi dixerint, habitum ipſius rei vel loci tum alium fuiſſe, niſi oſtendant ſimul, facto aliquo ſibi jus aut poſſeſſionem eſſe quæſitam intercedendi, ne ſtatus mutetur: Jus pactis fit, aut præſcriptione, poſſeſſio autem requirit factum, quod non modo in eo conſiſtit, ſi contradixerint ſubditi, impediverintque Principem, quo minus novandi avidus tenere propoſitum potuerit. Verum etiam, ſi exercitio, uſu & obſervantia dicto anno ſibi proſpexerint, volente Principe aut nolente id factum fuerit: Itemque vi, clam aut precario, vel honeſtiori modo, nihil intereſſe putant, dummodo exercitium & uſus revera doceatur. Cœtera manere ajunt ſub Principis Imperio, qui jus & facultatem, quam anno vigeſimo quarto habuit, de iis diſponendi, hoc ſolo non amittat, quod occaſio utendi defuerit, vel libere uti noluerit jure ſuo, niſi factum ſubditorum contrarium acceſſerit, quo vel turbare Principem in exercitio ſunt auſi, vel ipſi rem ſuis rationibus accommodarint. Et videntur ſanè hæc argumenta non exiguum pondus habere, ut proinde iſta Catholicorum exceptio de jure prohibendi, cum negant Proteſtantes in ejus poſſeſſione fuiſſe, non omnino de nihilo ſit, quamvis circumſpectè admodum & prudenter hoc in negotio verſari oporteat, ne in alios laqueos impingamus, quos nonnulli nobis tendunt, cum actus meræ facultatis jactant, & hac impoſtura nos ludere conantur. Ajunt nimirum, unumquemque eam in poſſeſſionem reſtituendum eſſe, quam anno vigeſimo quarto quem habuiſſe conſtet. Jam vero certum eſſe, Dominos Territorii ſub id tempus in poſſeſſione fuiſſe juris reformandi, in quantum pax religioſa medio ſeculo decimo ſexto condita non obſtiterit. Ergo in hoc jus ipſos etiam reſtitui debere: nec obſtare, quod dicto anno uſi non ſint jure iſto: nam quæ meræ ſunt facultatis, illa non uſu non amitti: & quæ alia in hanc ſententiam adferri ſolent. Quo ſi nos imprudentes duci patimur, mox ſanè callidis illis cavallis omne præſidium, quod ſubditis ex pace Weſtphalica circumpoſitum eſt, facili negotio expugnabitur, quibus deinde vix quicquam reliqui erit, præter beneficium emigrationis. Sic

igitur hac de re ex ſententia pacis Weſtphalicæ habendum eſt. Cum de jure reformandi, quod dominis Territorii competit, agitur, lex nullios certi temporis vel anni rationem habet, ſed edicit ſimpliciter, *nulli ſtatui immediato jus quod ipſi ratione territorii & ſuperioritatis in negotio religionis competit, impediri oportere.* Dominus igitur Territorialis non opus habet, ut probet poſſeſſionem hujus juris certo anno dieque habitam. Sed hoc ipſo quo eſt Dominus Territorii, etiam *jus reformandi exercitium religionis ex communi per totum Imperium hactenus uſitata praxi habere cenſetur.* At cum de amplitudine & uſu hujus juris eſt quæſtio, diverſa ſubditorum conditio inſigne hic diſcrimen facit. Sunt enim alii, qui anno vigeſimo quarto ſive publicum ſive privatũ ſuæ religionis exercitium habuere: Sunt qui neutrum horum. Illi retinere id etiam in poſterum debent, una cum annexis, quatenus illa dicto anno exercuerunt. His emigrandi libertas certis legibus datur, ſi Dominus patienter eos tolerare noluerit. Cogi enim ad id non poteſt: ſed parendum eſt ſubdito, cum emigrare juſſus fuerit. Et quidem hæc ſatis plana ſunt hactenus ex lege & perſpicua. Sed poſt pacem cum ejus exequendæ negotium ferveret, ut aliis in caſibus, ita etiam hanc circa rem dubia nonnulla ſunt exorta. De caſu Hildeſiano jam facta eſt mentio; in ſuperioribus etiam prolixè expoſuimus, quanta contentio de Jeſuitis fuerit, qui cum in civitate Kauffbaira anno 1624. admiſſi nondum eſſent, receptos triennio poſt executores pacis hanc ob cauſam urbe expulerunt, frementibus valde Catholicis, donec ex Imperatoris mandato per Bavarum reſtituerentur. Quæ res deinde in conventu Frankofurtano ingens fomes diſſenſionum atque ſimultatum inter Catholicos & Proteſtantes fuit. Alibi forte accidit, ut in urbe quadam unum vel plura templa aut ſacella divino cultu omnimode ita vacarint, ut neutra pars anno vigeſimo quarto in illis ſuæ religionis exercitium habuerit, quæ jam Dominus territorii pro ſuo uſu occupare vult, reclamantibus Evangelicis, ſtatumque loci allegantibus, ſecundum quem affirmant, vacua iſta loca inpoſterum etiam manere debere, nec cuique jus eſſe ſuæ religionis exercitium in illis inſtituere. Ut libere dicam & ſine affectibus, quod ſentio, videntur mihi Proteſtantes his quidem in rebus non ſatis ex æquo & bono egiſſe cum Catholicis. Prærerquam enim quod aliquando inveniatur diſceſſiſſe ipſi ab his ſuis principiis, quoties mutata ſcena commodum aliquod diverſam ſuadebat ſententiam: Ego nullo modo comprehendo, qua ratione ſubditi legem Domino ſuo dicere poſſint, ubi nihil eſt, de quo ipſi in religione ſua periclitantur, quatenus hæc eis per pacem eſt confirmata: ultra enim nihil prorſus habent, quod poſtulent, licet eis ſua etiam contra Principem omni libertate & ſecuritate defendere, at quæ eorum propria non ſunt, & ubi nullum titulum, nec juris nec poſſeſſionis novere adferre, cur eorum interſit,

quo

quo minus Princeps rem pro arbitrio ſuo tractet, quæ hæc non invidia eſſet, cum eo hanc ob cauſam litigare, quod ipſe uno altero e anno uſu ejus rei ſibi temperarit, aut quod occaſio non adfuerit exercendi juris. Itaque ego quod ad hanc quæſtionem ſeu controverſiam attinet, in univerſum ſic ſtatuo: Quando ſubditorum nihil intereſt, quid Dominus in locis ſuæ ditionis pro religionis ſuæ utilitate & incrementis edixerit, tum vero ſubditis illis ex pace Weſtphalica contra ejus Imperia nullo juris beneficio vel actione ſuccurri. *Intereſſe* autem id voco, quod probe notari velim, non ſi conſiliis vel rationibus ſubditorum quocunque reſpectu interſit, ne ejusmodi quid fiat, ſed cum jus eis eſt quæſitum, ut contra Dominum actionem violatæ pacis habeant; alias multis modis Princeps religioni ſuæ bene cupere, eamque adjuvare poteſt, quod ſubditis diverſæ religionis ægre facit, ſed quibus tamen eam ob rem nullum legis auxilium ſuppetit. Cum igitur quæritur, quid tandem ſit illud, quod actionem parit ex formula pacis: reſpondet Lex non de nudo ſtatu loci, aut conditione temporis, ſed de exercitio & poſſeſſione ſubditorum, ſic enim ait: *Statuum Catholicorum ſubditi, qui Auguſtanæ Confeſſionis exercitium quacunque parte anni vigeſimi quarti habuerunt, retineant id etiam &c.* item. *Quatenus illa dicto anno exercuerunt.* item. *Nec minus maneant in poſſeſſione omnium dicto tempore in poteſtate eorundem conſtitutorum templorum* &c. Hic ſemper & ubique ad exercitium & poſſeſſionem ſubditorum reſpicitur, ut quicquid illi exercuerunt, & quatenus exercuerunt, retineant; quicquid in poteſtate eorum fuit, in ejus etiam poſſeſſione maneat. Subditi igitur ex ſuo proprio facto, non ex habitu vel ſtatu loci, qualis anno vigeſimo quarto erat, jus & actionem habent. Nam ſi Paciſcentes voluiſſent, ut ſolus ſtatus facultatem agendi daret, non de ſubditorum poſſeſſione & exercitio ſtatuendum fuiſſet, ſed ferri legem oportuiſſet hoc circiter ſenſu. Quocunque loco, quacunque urbe, quocunque pago exercitium Auguſtanæ Confeſſionis vel religionis Catholicæ anno 1624. viguit, & quatenus ibi viguit, conſervari in poſterum ita debet, ut deinceps neutri parti jus ſit, contra ſtatum & habitudinem temporis illius vel loci, quicquam in quacunque re, quod ad religionem ſpectat, mutare, aut novam formam loco dare, vel novis circumſtantiis conditionem ejus ſeu qualitatem aliam facere. Si hoc in lege placuiſſet non ſane poſt conditam pacem tot controverſiæ & diſputationes de vero ejus ſenſu moveri potuiſſent, omni lite ad hoc unum redacta, qui ſtatus & forma loci in cauſa religionis illo tempore fuerit: cujus rei longe facilior probatio fuiſſet, ubi in facto totum negotium conſiſtebat, quam cum in quæſtionem venit, quid ex formula pacis unusquisque proprium habeat, id quod ob verba ſæpe ambigua, nonnunquam etiam ſenſum eorum obſcurum, non multis modo dubiis ſubjacebat,

Digitized by Google

cebat, ſed & aliquando manifeſtis cavillis vel calumniis expoſitum fuit. Enim vero cum paciſcentibus aliud placuerit, ſtandum eo eſt, de quo conventum, neque pœnitentiæ nunc locus datur, ex quo occaſionem amiſimus, qua conditionem noſtram meliorem potuiſſemus facere. Atque id nunc tanto magis, quod formula circa hunc articulum initio à Plenipotentiariis Suecicis concepta, & anno 1647. VII. Nonas Martias Plenipotentiariis Cæſareis exhibita, de reductione omnium in Eccleſiaſticis & Politicis in ſtatum anni 1624. & amovendis ſacerdotibus, Presbyteris, atque religioſis Catholicis, poſt illum annum ſubditis Evangelicis obtruſis, pervinci non potuerit, cum Catholicis ſtatibus viſum fuerit, ante omnia de jure reformandi conſtare debere. Unde factum, ut hæc res duobus articulis comprehenſa fuerit, ex quibus primus de jure reformandi ſtatuit; alter de ſecuritate ſubditorum curam habet, deletis aut prætermiſſis illis verbis, quæ nudum ſtatum anni, vel amovendos ſacerdotes, Presbyteros & religioſos, volebant; quemadmodum & illud Suecis negatum eſt, cum catalogum confici peterent omnium ſubditorum, qui in ditionibus Catholicorum ſtatuum religionem Evangelicam dicto anno ſectati fuiſſent. Fortaſſis non erit extra rem, hic ipſam illam formulam ſubjicere oculis, ut cum hoc noſtro paragrapho conferri poſſit. Ecce tibi igitur illam,

Project
Zu Oſnabrück von den Schwediſchen *Plenipotentiariis*, denen Käyſerl. *Plenipotentiariis* den 9. *Martii anno* 1647. übergeben.

COmites, Barones, Nobiles, Civitates, fundationes, Monaſteria, Commendæ, Communitates & ſubditi, vel certis pactis, vel pure & ſimpliciter Catholico Magiſtratui ſubjecti, qui anno 1624. quacunque anni parte exercitio Auguſtanæ Confeſſionis gaviſi ſunt, aut id retro per pacta, privilegia, jura antiquæ & hereditariæ protectionis, itemque longo uſu acquiſiverunt, & obtinuerunt, retineant id etiam in poſterum, cum annexis, quæ ſunt inſtitutio Conſiſtoriorum, Miniſteriorum tam Scholaſticorum quam Eccleſiaſticorum, jus Patronatus aliaque jura ſupra enumerata. Nec minus maneant ii in poſſeſſione & dominio omnium dicto tempore in poteſtate eorundem conſtitutorum templorum, fundationum, Monaſteriorum, Hoſpitalium, cum omnibus pertinentiis, reditibus & acceſſionibus, usque eo, donec de religione Chriſtiana plenè erit conventum, nec à quocunque ulla via turbentur, deſtituti quovis modo, item religionis cauſa remoti & ejecti, tam verbi divini miniſtri, quam ſcholarum & ſubditi, ſine ulla exceptione in priſtinum ſtatum remittantur, iis obtruſi ſacerdotes, Presbyteri & Religioſi Catholici amoveantur, & omnia in Eccleſia-

cleſiaſticis & Politicis in ſtatum anni 1624, reducantur, maneantque.

Stat itaque firmum & immotum facto noſtro proprio, non qualitate vel habitu loci, aut conditione temporis ex pace nobis actionem vel exceptionem dari. Atque ex hoc principio dependet alia non minoris momenti quæſtio, de coëxercitio, quod vocant. Scilicet num ſtatibus Catholicis in locis ſuæ ditionis, ubi per totum annum vigeſimum quartum ſolum Auguſtanæ Confeſſionis exercitium viguit, nullo Catholicæ religionis uſu, per pacem liceat exercitium ſuæ etiam religionis juxta illam introducere & ſtabilire? Magnis & diverſis ſtudiis partium hoc argumentum ſtatim poſt pacem Weſtphalicam eſt ventilatum. Nos, ne confuſe illud tractemus, exiſtimamus ante omnia diſtinguendos eſſe tres caſus; vel enim de locis, id eſt urbibus pagiſque quæſtio eſt, vel de templis aut ſacellis in quibusdam locis ab omni religionis exercitio dicto tempore vacuis; vel denique de templis ædibusque ſacris, in quibus anno vigeſimo quarto ſubditi Proteſtantes exercitio ſuæ religionis ſoli gaviſi ſunt. Neque enim de his omnibus indiſcretè eadem dici ſententia poteſt.

Quod igitur ad loca ipſa attinet, anno illo decretorio exulabat religio Catholicorum, ſola Proteſtantium relicta, ego ſane cauſam non video, cur ſtatui Catholico ex pace Weſtphalica interdictum ſit poteſtate ejus reſtituendæ, modo Proteſtantes ſubditos ſuos in uſu & exercitio libero ſuæ religionis relinquat, neque aliquid decernat, vel faciat, aut fieri permittat, quo eorum conditio in his rebus deterior reddatur. Quamdiu enim hi ſtatum ſuum & libertatem retinent, in quo eos pax Weſtphalica poſuit, non videntur habere, quod querantur, ſi authoritate Domini juxta illos religio etiam Catholica inſtauretur. Hoc enim Dominus ſuſcipit & exequitur jure territoriali & ſuperioritatis in negotio religionis, in quo impediendus non eſt: Subditi contenti eſſe debent ſuo exercitio & poſſeſſione eorum, quæ anno vigeſimo quarto in eorum poteſtate conſtituta fuere; pax enim ultra nihil eis indulget. Equidem non nego novis acceptis hoſpitibus & inviſis non modo turbas moleſtiasque metui: Imo facile dari poſſe; ſed ego propterea metu & invidia aliorum prohiberi non poſſum, quo minus jure meo utar: Et vitari incommoda facilè poſſunt æquali regimine & adminiſtratione juris. Hinc monenda utraque pars, ut concordiam & pacem colat, prohibendum etiam ſevere, ne quis cum alio de religione diſputet, aut alius alium ob diverſa ſacra & ceremonias contemptui habeat vel exagitet. Imprimis abſtinendum erit à Proteſtantium conſcientiis ſollicitandis, ne cogantur contra animi ſententiam ea magnifacere aut venerari, quæ Catholici pro ſacris & divinis habent, modo externe modeſtiam in his rebus ſervent, neque verbis, vultu aut geſtibus Catholicis offendiculo ſint. Ante omnia verò cavendum eis eſt de omni

Digitized by Google

cultu religioſo illius rei venerabilis, cui Catholici quidem maximo zelo & devotione divinos honores, ut Deo ſuo, habent, ſed quam ex adverſo Proteſtantes hanc ipſam ob cauſam ſumme odio proſequuntur, ac inter alia omnia id quam moleſtiſſime ferunt, ſi quis ab eis eosdem exigere honores voluerit, quos tribui poſſe non reputant ſine manifeſta ſuperſtitione & idololatria. Comperimus enim ob hanc cauſam & coactionem magnos ſæpe tumultus excitatos fuiſſe, cum ſubditis imperatum eſſet, ut quoties hæc pompa occurrit in publico, non ſubſiſtant modo, & detecto capite præterire idolum illud patiantur; verum etiam ut in genua procidant, pectus tundant, aliaque ſigna venerationis exhibeant; quod intolerabile illis planè eſt, qui ex inſtituto ſuæ religionis aliter ſunt animati, & qui credunt ſibi ludibria vel abominationes hujus ſcenæ planius eſſe revelatas. Quare moderatione opus & indulgentia apud delicatas adeo conſcientias, neque Proteſtantibus ea libertas deneganda, quam Judæis Turcisque in ſimilibus caſibus reliquimus, qui diſcerpi ſe potius ſinerent, quam ad ſigna adorationis adigi, cum fortè occurrunt ejusmodi ſpectaculis. In Cæteris non tam facilis eſt ad offenſam occaſio, modo temperet ſibi utraque pars à contemptu & rixa, & præterea ordinis aliqua habeatur ratio, ne alius alium vicinitate templorum, aut tempore, quo ſacra fiunt, quacunque in re turbet. Nam quid de feriis feſtisque diebus, quos utrique non pari æſtimatione habent, fieri poſſit, paulo ante indicavimus. Hæc ſi providè conſtituuntur ſervanturque, atque adeo cuique ſuum pari affectu tribuitur, ſanè non eſt, cur inter ſubditos ſimultates & odia ex cauſa religionis valde metuamus, id quod ipſa nos experientia, optima illa rerum & eventuum Magiſtra egregio docet, cum videamus, omnibus illis locis, ubi conſcientiarum libertas eſt, & homines ſuis ſenſibus in ſacris relinquuntur, refrenata Cleri licentia, quæ hæc ſemper ex zelo male temperato turbare vult, non ſummam modo concordiam inter cives eſſe: verum etiam florere maxime commercia, quoniam unusquisque eum in locum ſe ſuasque facultates libenter confert, quo ſecurior de perſecutione in cauſa religionis vivit.

Veniamus ad templa, quæ quibusdam in locis vel urbibus toto anno vigeſimo quarto ab omni exercitio religioſi cultus vacua fuere. Hoc caſu facile intelligunt ſubditi, reſtitui ſe in ea non poſſe, quæ dicto anno in poteſtate non habuerunt; itaque largiuntur quidem & concedunt, ſibi introducendæ ſuæ religionis facultatem non eſſe, attamen nec Dominum volunt iſta ſui juris facere poſſe, cum non magis ipſe ſuam religionem ibi exercuerit. Sed quod pace eorum dixerim, mihi ingens differentia in hoc eſſe videtur; quæcunque enim ſacra loca in ditione aliqua ſubditi ſibi ex pace Weſtphalica vindicare non poſſunt, illa, cum nullius eſſe nequeant, de hoc enim ne verbum quidem in Tabulis pacis, ad Dominum territorii ſpectare, uſibusque

ejus

ejus patere, quin affirmem, nullus dubito. Et utuntur ſane hoc jure Proteſtantes, quoties facultas eſt, quid lubet igitur Catholicis creare invidiam? Hujus caſus illuſtre præjudicium exhibet nobis Oppidum Höxtera, Municipium Abbatis Corveienſis, variis litibus in hoc cauſarum genere exercita, quas cum dicto Abbate, Domino Territorii poſt pacem Weſtphalicam habuit. Inter alia aſſerebat Abbas, primo eſſe ſibi facultatem introducendi exercitium perpetuum Catholicæ religionis, in omnibus templis locisque quæ à Civibus Auguſtanæ Confeſſionis anno 1624. poſſeſſa non fuerunt. Et ſecundo, eſſe etiam in poteſtate ſua, cujus generis Eccleſiaſticas perſonas, ſive ex religioſis ordinibus, ſeu reliquo Clero Eccleſiis præficere, & ad ſacra facienda adhibere velit, qua in re negabat legem ſibi à ſubditis ſuis dici poſſe, cum jure territorii & Epiſcopali libere uti eatenus poſſit, quatenus exercitio ſubditorum dicto anno habito id fraudi non ſit. Civibus Höxteranis ex adverſo ſtatum oppidi, qualis eodem anno fuit, opponentibus, cum nihil eorum hoc tempore ſub Abbate exercitum aut in poteſtate habitum eſſe conſtet. Ventilata eſt acriter & diligenter expenſa cauſa in judicio delegato, datis à Cæſare Judicibus Moguntino, Fuldenſi, Brunſuicenſi & Oldenburgico. Tandem auditis ſufficienter partibus, & tota cauſa ad regulas inſtrumenti pacis probe exacta, non modo ſententia fertur pro Abbate contra Oppidanos, ſed & hi ſevere increpantur, quod jura Epiſcopalia atque territorialia temere involare, atque regulam cum exceptione confundere auſi fuerint; quia valde notabiles ſunt rationes, quibus judices hanc ſuam ſententiam fulciere, itaque ex actis deſcribi viſum eſt, quæ huc faciunt, ſunt vero, quæ ſequuntur.

Extract des *Receſſes*, ſo bey der Mayntziſchen Fuldiſchen, Braunſchweigiſchen und Oldenburgiſchen *Commiſſion anno* 65. den 19. *Martii* zu Corvey, wegen der Stadt Höxter *publici*ret iſt.

SO viel nun Anfangs den Zuſtand der Religion in der Stadt Höxter betreffen thut/ láſſet man es bey Ihro Fürſtl Gnaden zu Corvey ſelbſt eigenen gethanen Gnädigen Erbiethen bewenden, daß ſie nehmlich die der Augſpurgiſchen Confeſſion zugethane Bürgerſchafft bey allem demjenigen, was ihnen vermöge des Frieden Schluſſes art. 5. §. 12. verſ. Hoc tamen non obſtante, per exceptionem gebühret, ruhiglich uns allein wollen verbleiben laſſen, ſondern auch dabey Fürſt- und mildiglich zu ſchützen verſprechen, geſtalt Ihro Chur- und Fürſtl. Fürſtl. Gnaden Gnaden Unſere Gnädigſt und gnädige Churfürſten und Herren eben ſo wenig gemeinet Ihnen den Höxteriſchen hierunter præjudiciren zu laſſen, ſondern vielmehr die ihnen zukommende von Anno 1624. exercirte Lutheriſche Religion und die Actus deren ſie fähig, und ihnen als Unterthanen in dem allegir-

allegirten verſ. Hoc tamen non obſtante &c. mit Nahmen benennet, und expreſſe bezeichnet werden, hiermit und in Krafft habender Reichs Commiſſion nochmahlen zu beſtätigen, auch wenn noch etwas vorhanden an Kirchen ornamenten, ſo ſie zu prætendiren, müſte ihnen ſolches auch gefolget werden.

Hingegen ſeyn ſie rechtswegen verbunden den Herren Patribus Franciſcanis die von ihnen erbaute Altäre, Orgel, Fenſtern, und andere Ornamenta zu ihrer freywilligen diſpoſition alleine zu laſſen.

Daß ſie aber darinnen nicht begnüget ſeyn, ſondern wie die von ihnen eingeſchickte, alſo genandte dienſtliche Gegen-Anzeig auf die Corveiſche eingegebene gravamina, zu mahlen auch die mit beygelegte Verzeichnüs der Stadt Höxter Recht und Gerechtigkeiten, auch ihre vor dreyen Tagen wiederhohlte Erklährung klärlich ausweiſet, ein eigenes Kirchen-Recht daraus zu erzwingen, ja gar als ein *jus Epiſcopale* zu *allegi*ren, ſich nicht entblöden, und alſo Ihr Fürſtl. Gnaden als ungezweifeltem Domino Territorii vorzugreiffen ſich unterſtehen, das iſt und läufft wieder den klahren, hellen, unwiederſprechlichen Buchſtaben des Inſtrumenti pacis, wieder die Intention und Meynung der Höchſt und Hoher Herren Contrahenten zu Münſter und Oſnabrück, die ſo eigentlich und ſteiff auff die Conſervation und Authorität der Landes-Fürſtl. Hoheit geſehen, den vorigen Paſſauiſchen Vertrag und Religions-Frieden, zumahlen in hoc paſſu wiederhohlet, erneuert, und mit einer gemeinen Regel befeſtiget, denen Mediat Unterthanen durch das gantze Reich derogleichen Einbildung benommen, und ſie allein auff die per exceptionem vergönnete und limitirte actus verwieſen, und alles reſtringiret haben.

Weilen dann die Stadt Höxter die *Regul* und *Exception* hierdurch confundiret, fundamentum fundamentorum antaſtet, und die ſubſtantialia des Frieden-Schluſſes anzugreiffen ſich unterſtehet, ſo müſſen wir vermög empfangener Vollmacht und habender Reichs Commiſſion, auch wegen der Conſequenz und Præjudiz die allen Churfürſten und Ständen des Reichs hierdurch zuwachſen würde, hiemit wohlbedächtlich, und ohne eintziges Abſehen ihnen den Höxteriſchen den „rechten Verſtand des Frieden-„Schluſſes und ihrer gerühmten Ob-„ſervanz de anno 1624. dergeſtalt er-„klähren, daß weder ſie noch eintzige „andere Mediat communen und Unter-„thanen im gantzen Röm. Reich nie-„mahlen ihr Religions-Exercitium *pro-„prio jure* und als *effectus juris Epiſcopalis* gebrauchet oder gebrauchen kön-„nen, ſondern was in und vor anno „1624. geſchehen, entweder ex ſpeciali „pacto, oder wie bey Höxter befindlich „aus Toleranz und Connivenz vergön-„net, nunmehr aber durch den Frieden-„Schluß als eine *exception* beſtätiget, „doch aber dabey ausdrücklich limitiret

ret und auff gewiſſe actus reſtringiret worden, alſo daß ſie die von Höxter weder anno 1624. noch jetzo ſich eines juris Epiſcopalis berühmen, ſondern gleich allen Mediat Unterthanen mit „der befindlichen Exception begnügen, „und in die General-Regel durchaus nicht miſchen, ſondern dieſelbe unangefochten, und eintzig allein bey ihren Lands Fürſten verbleiben laſſen müſſen, geſtalt ſie auch kein ander Recht, als die bloſſe Obſervanz in vorigen Jahren beybringen können, gleich vielen andern Städten und Land-Saſſen, durch das gantze Reich, welche, wann ſie gleichfals durch ihre in vorigen Zeiten vergönnete, und nachgeſehene Ubung der Augſpurgiſchen Confeſſion ein jus Epiſcopale, oder proprium jus, und alſo eine Regel erzwingen wolten, würde den vornehmſten Chur- und Fürſten im gantzen Reich mercklich præjudiciret, und die im jetzigen Inſtrumento pacis confirmirte Regel an meiſten Oertern infringiret, und alſo die Exception mehr als die Regel importiren, welches höchſt und hochgedachte Stände nimmermehr admittiren, und Uns zu äuſſerſter Gefahr gereichen, auch Wir keines weges würden verantworten können, da Uns die von Höxter dieſe ihre vermeinte eingebildete gerechtſam alſo öffentlich ins Geſicht ſtellen, und ungeſcheuet vorgeben dürffen, daß ſie es proprio jure als ein Kirchen-Recht, jurisdictionem Eccleſiaſticam, und gar als Effectus juris Epiſcopalis verſtehen wollen, wann wir darzu ſtillſchwiegen, und ſie in ihrer ungereumten Meynung ſtärcken thäten: Deswegen wir dieſe ihre weitausſehende, dem Frieden-Schluß gerad zu wiederlauffende eingegebene Schrifften hiemit und in ſo weit caſſiren, die im Frieden-Schluß befindliche General-Regel vor dem Landes-Fürſten, und die exception von der Stadt Höxter, als ein unwiederſprechlich von der Käyſerl. Majeſtät, dem gantzen Röm. Reich und allen Intereſſirten ausländiſchen Cronen beliebet, und ſancte beſtätigtes fundament hiemit wiederhohlen, und hierauff ſolide beziehen. Gleichwie wir nun aus dieſem Grund bald Anfangs der Stadt Höxter ihr per exceptionem competirendes Religions Exercitium und andere darinn befindliche und erzehlte actus ohne eintzigen Reſpect beſtätiget, alſo erklähren Wir uns expreſſe mit deutlichen hellen Worten, die der gantzen Welt wohl mögen communiciret werden, daß Ihr Fürſtl. Gnaden zu Corvey, als unge zweiffelten Landes-Fürſten, das in der angezogenen General Regul beſtätigtes Jus Territoriale, und was davon nicht per exceptionem der Höxteriſchen vergönnet, gleich allen andern Landes-Fürſten des Heil. Röm. Reichs ungezweiffelt in dero Stifft Corvey, keinen eintzigen Ort deſſelben ausgenommen, zuſtehen, und gebühren thue. Weilen ſich dann dieſer Zeit eine ziemliche Anzahl von Cathol. Bürgern und Corveyiſchen Dienern in Höxter befinden, welche

um Continuation ihres Catholiſchen Exercitii anhalten thun, und alſo Ihr Fürſtl Gnaden ſattſame Materie haben, ihr vermög juris Territorialis competirendes Exercitium zu appliciren; alſo erkennen wir hiermit Krafft habender Commiſſion, gnädigen Befehls, und reſpective Inſtruction, daß Ihr Fürſtl. Gnaden zu Corvey nicht allein befugt, ſondern auch vermög ihres hohen Lands-Fürſtlichen Ammts verbunden ſeyn, denē Catholiſchen Unterthanen, die es begehren, nach Ihrer Fürſtl. Gnaden Belieben- und Gutbefinden, vorab in dem Chor Stiffts Petri, der Sacriſtey und Kirchhoffs daſelbſt zur Begräbnüß, auch den ledigſtehenden, und von den Hörteriſchen *anno 1624.* nicht beſtelten Kirchen ein Exercitium continuirlich zuverſtatten, ſie dabey zu ſchützen und zu handhaben, und zwar an dieſem Ort um ſo vielmehr zuzuſehen, damit durch einige Verwahrloſung nicht andern Reichs-Ständen præjudiciret, und die Unterthanen den Herrſchafften über den Kopff gezogen/ die ſo heilſamlich und wohlbedächtlich mit ſo groſſen Koſten und Mühe formirte Regul infringiret, und hingegen den Adelichen Land-Saſſen, auch ſo gar Bürgern und Bauern, mehr als ihnen per exceptionem gebühret, zugeſehen, und nachgelaſſen werde.

Wie nun Ihr Chur- und Fürſtl. Gn. Gn. Unſere gnädigſt und gnädige Herren Principalen, auch die des löblichen Weſtphäliſchen Creyſes ausſchreibende Fürſten neben andern hohen Reichs-Ständen Ihr Fürſtl. Gnaden hierbey manuteniren zu helffen ſich erbiethen, als würden hingegen dieſelbe insgeſammt es hoch empfinden, und durchaus nicht zugeben können, wann der Stadt Höxter im geringſten ein mehrers, als ſich per exceptionem gebühret, eingeraumt, und gleich in limine pacis durch eine ſolche geringe Commun die vornehmſte Haupt-Regul des Frieden-Schluſſes angefochten werden ſolte.

Demnach man auch nicht gemeinet der Stadt Höxter Ziel und Maaß zuſetzen, was ſie vor *Prædicanten* Augſpurgiſcher Confeſſion zu ihren *Exercitio* zugebrauchen, und dem Herkommen gemäß zu præſentiren gedencken, ſondern ihnen freygelaſſen wird, graduirte oder andere Perſonen zu adhibiren, ſolche von Helmſtädt, Wittenberg oder andern Lutheriſchen Oertern nach ihren Gefallen zu benennen, alſo auch und zwar um ſo vielweniger haben ſich die von Höxter in des Lan-des-Fürſten General-Regel einzudringen, und Fürſtl. Gnaden vorzuſchreiben, was ſie vor Geiſtliche zu dem Catholiſchen Gottesdienſt adhibiren wollen, ſondern ſtehet Dero frey ihres Ordens-Perſohnen oder ander Religioſes, auch weltliche Clerical Perſohnen und Prieſtern, ohne einige Maaßgebung hierzu zugebrauchen, doch daß den Augſpurgiſchen Religions-Verwandten hierdurch ihre in dem Frieden-Schluß ſpecialiter vergönnete

actus weder directe noch indirecte infringiret, ſondern den Catholiſchen Pfarrherren eingebunden werden möge, daß ſie hierwieder nichts vornehmen, einigen zur Catholiſchen Religion zwingen, ſondern ſie in ihren Religions Exercitio unbetrübet verbleiben laſſen müſſen.

Aus dieſem iſt handgreifflich zu vernehmen, mit was Unfug und ungegründeter Temeritát ſich die von Höxter unterſtanden, die Herren Franciſcaner aus Ihrer Fürſtl. Gnaden zu Corvey eigenen Hauß, welches die Höxteriſchen nimmer occupiret, ſondern Ihre Fürſtl. Gnaden allezeit, auch anno 1624. den Beſitz deſſelben ruhiglich continuiret, herauszutreiben, und noch auff den heutigen Tag vorgeben dürffen, daß ſie ſolche precario darinn, ſo lang ihnen beliebet, dulden thäten, welches wann ihnen gut geheiſſen, und nicht ernſtliche Gegen-Mittel gebraucht werden, würden Ihre Fürſtl. Gnaden als Landes-Herr deterioris conditionis ſeyn, dann unzehlich viel Land-Saſſen, welchen man in ihren eigenen Häuſern Prædicanten verſtattet, und alſo das gantze Werck umgekehret, und allen Obrigkeiten ein ſolcher Eingang gemacht werden, der unleidlich, und dem Faß den Boden gantz ausſtoſſen thäte.

Iſt auch zu verwundern, daß man an Höxteriſcher Seiten einen alten Vertrag, ſo vor drey hundert Jahren auffgerichtet, und die ordines mendicantes allhie ausgeſchloſſen ſeyn ſolten, herumtragen thut, da doch ſolcher Vertrag, wie er jetzo vorgezeigt, nimmer in Obſervanz kommen, und benennte Franciſcaner biß auf die Religions-Aenderung, und geraume Zeit hernach in dieſer Stadt, und zwarn in etlichen Seculis gewohnet haben, wann auch dieſe von Höxter dergleichen von ihren alten Jahren herrührende Verträge in Religions-Sachen, mehr als den Religions-Frieden und jetzigen Inſtrumentum pacis in acht nehmen wollen, würde man es an Fürſtlicher Corveyiſcher Seiten leichtlich acceptiren, dahero wir dann ernannte Patres Franciſcanos in gemelter Behauſung nicht allein beſtättigen, ſondern auch ihre Fürſtl. Gn. zu Corvey gehorſam und gebührlich erſuchen, ſie darinn zu ſchützen, und auff unverhofften Nothfall des hochlöbl. Weſtphäliſchen Crayſes ordentlicher aſſiſtenz ſich zu gebrauchen; Ferners und aus gleicher in dem Frieden-Schluß befindlicher Landes-Fürſtl. Regul, und Principio, ſeyn Ihre Fürſtl. Gn. zu Corvey befugt, und iſt ihrem Landes Fürſtlichem Amt gemäß, daß ſie ihre Catholiſchen Bürger und Unterthanen in Höxter, gleich den Augſpurgiſchen Confeſſions Verwandten ſchützen, ſchirmen, und eine durchgehende parität halten laſſen, auch die Augſpurgiſchen Confeſſions-Verwandten dahin anweiſen, daß ſie ſolche, wie bißhero wiederrechtlich geſchehen, bey dem Einzug nicht beſchweren, vielweniger ſolchen verweigern, mit höheren Einzugs Geldern als die Lutheri-

Lutheriſche, beladen, auch in der Contribution und anderen oneribus keine Partialität verſpüren, ſondern einen Theil wie den andern tractiren thun.

Wie wir dann ferners hiermit erklähren, daß vermög des Frieden-Schluſſes ſie die Catholiſche zu den Bürgermeiſtern und Raths-Standt, auch Gilden und andern ihren Aemtern eben ſo wohl, als die Lutheriſche, und zumahl diejenige, ſo ſchon in Raths-Stand begriffen geweſen, aus alten Geſchlechten herkommen, auch die notorie mehr oder gleich, als etliche Lutheriſche qualificiret, zuzulaſſen, und wegen der Religion durchaus kein Unterſcheid zu machen ſeye. Wir casſiren auch hiermit alle und jede Verboth ſo die Lutheriſche vermeſſentlich angelegt, und den Catholiſchen verbiethen wollen, Begräbnüſſen, Copulationes, Kind-Tauffen und dergleichen, nicht bey Catholiſchen Prieſtern, ſondern Lutheriſchen verrichten zu laſſen, dann es ſoll ein jeglicher Theil bey ſeinen Geiſtlichen ſo wohl das Kinder-Tauffen als Copulationes und Begräbnuſſe, wie auch alle andere H. Sacramenten und deren Gebrauch ſuchen, und darunter von keiner Obrigkeit angefeindet, vielweniger verhindert, auch den Catholiſchen Dienſt-Mägden und Knechten, ſo bey den Augſpurgiſchen Confesſions-Verwandten in Dienſten ſich auffhalten, in Catholiſchen Gottesdienſt und Kirchen zu gehen frey gelaſſen und geſtattet werden.

Es ſoll auch den Catholiſchen Einwohnern freyſtehen, und zugelaſſen werden, nicht allein, wie bißhero *privatim*, ſondern auch eine offene Schul in Höxter anzurichten, und darzu Præceptores nach ihrer eigener guter Gelegenheit zugebrauchen, doch daß hierin alles mit Ihrer Fürſtl. Gn. zu Corvey, als des Landes-Herren gnädigen Beliebung, und Anordnung vollenzogen werde.

In hac Delegatorum Judicum ſententia magna accuratione ſeparatur ab invicem, & declaratur, quæ cujusque partis jura ſint in cauſa religionis; quid Domino Territorii liceat in negotio promovendæ ſuæ religionis: Et quatenus ſubditis ejus alterius religionis contra jus reformandi per pacem Weſtphalicam ſecuritas data atque præſidium circumpoſitum ſit. Nimirium per modum exceptionis, ex privilegio ſpeciali & jure ſingulari, *affirmative*, ut loquuntur, indultum eſt ſubditis, ut templa ſcholasque cum annexis juxta obſervantiam anni 1624. retinere poſſint. Sed hac ex conceſſione nullum eis jus negativum aut privativum quæritur, ut prohibere Principes vel Dominos ſuos Territoriales poſſint, quo minus & ipſi poteſtate ſua utantur, ſubditisque ſuis in religione ſecum conſentientibus de exercitio religionis ſuæ proſpiciant, modo id propriis eorum ſumptibus & impenſis fiat, neque hic paragraphus noſter, *Hoc tamen non obſtante*, ea re ullum detrimentum aut labefactionem ſentiat. Nudus enim ſtatus, ut ſæpe diximus, juri reformandi impedimentum non ponit;

Digitized by Google

ponit; ſed facto aliquo poſſeſſionis ſubditorum opus eſt: Quid enim ſi tota aliqua Civitas vel communitas religionem, quam anno 1624. profeſſa eſt, mutet? Num hominibus illo loco omni exercitio religionis, quam non ita diu amplexi ſunt, ideo interdictum erit, quod dicto anno nullum ejus religionis exercitium ibi fuerit, quamvis nec altera exerceri amplius poſſit, deficientibus, qui eam ſectabantur? Quis vero hæc abſurda dixerit? Morali autem æſtimatione, quæ ratio eſt totius, eadem & partis eſſe videtur, pro rata ſcilicet & ſalva proportione. Nam quod à ſubditis non eſt poſſeſſum, curæ & arbitrio Domini Territorialis relictum eſt, de quo ſtatuere poteſt, etiam contra ſtatum & circumſtantias anni vigeſimi quarti, modo ſubditi illo tempore de poſſeſſione facti docere non poſſint, quod nimirum Dominum ejuſmodi quid tentare auſum ita prohibuerint, ut à propoſito deſiſtere propter illorum interceſſionem & repugnantiam coactus fuerit; nam hoc caſu ex eadem lege jure prohibendi ob habitam facti poſſeſſionem perpetuo gaudere debent. Tantum de locis & templis à poſſeſſione Proteſtantium vacuis.

Superſunt templa & alia ejus generis, quæ Proteſtantes anno vigeſimo quarto in poteſtate habuerunt; cujus caſus iterum duplex conſideratio eſt. Vel enim iſta toto anno ſic poſſeſſa ſunt, ut iis Proteſtantes omnibus diebus, quibus ſacra fieri & haberi conciones moris eſt, & ad omnes actus libere uti potuerint, excluſis penitus Catholicis; vel certo ſaltem tempore anni & certis in rebus uſum eorum habuere. Hoc ultimo caſu quin Domino etiam Territorii reliquo tempore ſuos etiam ad uſus pateant, ego quidem vix dubito. Nam hoc reſpectu pro vacuis reputari poſſunt, ut adeo votum Monaſterienſe, quod *Vindiciæ Hildeſienſes parte II. pag. 101.* exhibent, nihil adeo iniqui complecti videatur, cum ſic argumentantur. Weiln an Corveiſcher Seiten pro notorio angegeben wird, daß in S. Nicolai Kirchen und in der H. Geiſtes Capellen anno 1624. kein beſtellter Pfarrer und Kirchen-Diener geweſen, weniger daſelbſt Exercitium Auguſtanæ Confeſſionis gehalten, ob ſchon an Seiten der von Hörter vorgegeben wird, daß in S. Nicolai Kirchen bißweilen einige Leichen-Predigten gehalten, und auff Apoſtel-Tagen wohl geprediget worden; ſo erfolge aus obgemeldten Wörtern des Inſtrumenti pacis, *quatenus illa exercuerunt, & exercita fuiſſe probare poterunt.* Daß die von Hörter ſich deren nicht weiter als auff ſolche Weiſe zu Leichen-Predigten, und auff der Apoſtel-Täge zu predigen anzunehmen, und fernere diſpoſition Ihren Landes-Fürſten nicht zu hindern hätten. In his omnibus non repugno, quin Catholicorum argumentis ſua vis conſtet.

Enimvero ſi Catholici illud ſuum, quod vulgò vocatur ſimultaneum eo usque velint protendere, ut templa, ſcholas, Hoſpitalia, & id genus ſimilia, quæ Proteſtantes anno 1624. in ſolidum ſua in

in poteſtate habuerunt, nunc communia etiam ſibi facere calumnia juris reformandi concupiſcerent, non dubito ſane, quin ea in re ſibi plus ſint arrogaturi, quam ipſis per Inſtrumentum pacis licet, quod etſi ſtatibus immediatis jus, quod eis jure territorii & ſuperioritatis in negotio religionis competit, à nemine impediri oportere ſtatuat: ſtatim tamen *& hoc non obſtante* ſubditis etiam ita cavet, ut quod hi ſive publicum ſive privatum exercitium ſuæ religionis anno 1624. habuerunt, id cum annexis *inpoſterum* retinere debeant, *quatenus illa dicto anno exercuerunt*. Quod verò ad templa & cœtera attinet, ſtatutum eſt, ut nec minus maneant in poſſeſſione omnium dicto tempore in poteſtate eorum conſtitutorum templorum. Hæc verba *nec minus*, referunt ſe manifeſtò ad illud ſuperius, *quatenus*, nempe ut ſic in poſſeſſione templorum manere poſſint, quatenus illa dicto tempore in poteſtate habuere. Itaque ſi templa in ſolidum & privative Proteſtantium fuere, illi in ſolidum etiam & privative in eorum poſſeſſione manebunt; ſin vero certis ſaltem vicibus temporum in anno ſint uſi, ultra nihil poteſtatis in ea habebunt, quam dicto anno exercuere. Eſt autem luculentiſſimum ſignum poſſeſſionis templorum vel id genus locorum in ſolidum (1.) Si unus pluresve Paſtores expreſſe ad hoc conſtituti deſignato numero ſint, ut iſto in templo ſacra faciant; & (2.) ſi omnibus diebus feſtis conciones illic habitæ, atque actus reliqui ſacri exerciti fuerint. Iſta quando concurrunt, Catholici hac utique lege prohibentur, iisdem in templis ſibi etiam locum aliquem poſtulare, etſi ſpondeant, id ſine ullo incommodo vel turbatione Proteſtantium fore. Neque enim hic inſpicitur quid commodi incommodive Proteſtantes ex Catholicorum communione, quod ad templa illa attinet, ſint habituri: Sed quid præſidii & juris eis tribuat habita poſſeſſio, quominus teneantur Catholicos in communionem admittere, obtentu juris territorialis affectatam. Neque obſtat pax religioſa medio ſeculi decimi ſexti facta, qua introductio exercitii ſimultanei non prohibita eſſe perhibetur: Hac enim pace non amplius utimur, niſi quatenus Weſtphalica mutata non eſt, extat autem mutatio expreſſa & luculenta in hoc noſtro paragrapho, *Hoc tamen non obſtante*, ubi jus territoriale in cauſa religionis mirifice conſtringitur: Equidem non latet me, hanc legem dicto paragrapho comprehenſam quorundam improbis interpretationibus vel cavillis dubiam fieri: ſed vel ideo æquum eſt, ſubditos in poſſeſſione ſua defendi, donec de ſenſu ejus ad præſcriptum Inſtrumenti pacis art. 5. §. 50. inter partes convenerit.

Reliquæ objectiones nullo negotio æque dilui poſſunt. Verum equidem eſt (1.) lege noſtra, *Hoc tamen non obſtante*, ſubditis, *neque jurisdictionem neque jus prohibendi* tribui. At ſatis eſt, tribui illis in perpetuum hoc, quod poſſederunt: Et in tantum, in quantum poſſederunt. Si quod igitur templum

plum in poteſtate in ſolidum habuerunt, eo ipſo Catholici ſatis ſunt excluſi, quos non ſubditi quidem, ſed lex prohibet, ne in illis ſibi vel latum unguem arrogent: Quamobrem ſimile iſtud, quo utuntur, de ſervitute, oppidò hic claudicat, neque enim exercitium religionis Proteſtantium inſtar ſervitutis eſt conſtitutæ in templis Catholicorum, quæ his nihilominus propria manent. Sed ſubditi per pacem hæc ipſa templa ſibi perpetuo quæſita ſic habent, ut nec proprietatem nec uſum eorum Territorii Dominus ſibi vindicare amplius poſſit. Nec melioris eſt notæ altera ſimilitudo de aurifabris, certo numero in civitatem hoc privilegio receptis, ne aliis ſupra iſtum numerum definitum locus eſſe poſſit, Hoc enim non impediri ajunt Civitatem, ne alios fabros, ærarios puta, aut ferrarios poſſit admittere. Eſto enim; at prohibebitur ſaltem civitas, ne fabris illis dare licentiam poſſit, ut in officinis aurifabrorum, quæ his propriæ ſunt, artem ſuam exerceant, de quo hic quæſtio eſt. Secundo, quod de dilectione Chriſtiana & indulgentia vel obſequio officioſo inculcant, ad rem nihil facit, non enim quæritur, an ſubditis interdum conſultum eſſe poſſit, ſe Dominorum ſuorum voluntati in quibusdam rebus accommodare: Sed quid ab eis peti jure poſſit. Neque magis (3tio) in computum venit, cujus partis religio ſit antiquior, vel uti *Vindiciæ Hildeſienſes part. I. pag. 36. & ſeqq.* loquuntur, unde has objectiones maxime deſumpſimus, welche die älteſten Brief-ſe haben. Præterquam enim quod hujus prærogativæ ſub judice lis ſit, cum Proteſtantium religio non novum ſit inventum, ſed quod ea in re ſuſceperunt, reformationis ſaltem vel emendationis nomen mereatur, quo reſpectu in rei veritate amborum una eſt religio Chriſtiana, ſed altera purior: Corruptior altera; quemadmodum una eſt aqua, quæ profluendo admixtis ſordibus turbatur. Nemo ſane eſt, qui non ſtatim animadvertit, vaniſſimas eſſe id genus jactationes illis in rebus, de quibus lex ſine præjudicio antiquitatis ex ſola poſſeſſione certo tempore habita ſtatuit. Quamquam mirum videri id etiam Proteſtantibus poſſit, Catholicos de caritate & officiis tum ſaltem magnifica verba facere, quoties in commodis ſuis aliorum obſequio vel indulgentia procurandis verſantur. Aliam autem longe cantilenam occinunt, cum ſibi viciſſim in gratiam Proteſtantium aliqua in re eſt concedendum. Nam propediem eos capit oblivio omnis caritatis & officiorum, odiaque ſua tam longe protendunt, ut mortuis etiam honeſtam ſepulturam ſuis in cœmiteriis invideant, quos certe apud gentes etiam non Chriſtianas ſola humanitatis conſideratio ſupremo hoc officio & honore non arcuiſſet. Ita etiam quod ad antiquitatem religionis attinet, ſi apud Sinenſes, aliosve Orientalis Indiæ populos agunt, in eo toti ſunt, ut oſtendant, religionem popularem & quæ recepta publice eſt, veritati alterius præjudicium facere non debere. Cur igitur non patiuntur idem jus in ſe ſtatui?

tui? Haud melioris notæ eſt (4to) exceptio de templis Majorum ſuorum pietate exſtructis dotatisque. Poſtquam enim de his ſemel bello fere internecino certatum eſt, nec alia ratio expediundæ Salutis reipublicæ fuit, niſi ut concordia certis legibus pactisve inter partes reduceretur, illis utique poſt pacem ſtandum eſt, neque ex cauſis adeo frivolis fallere fidem decet, niſi tergum nobis de reparando bello pruriat. Denique (5to) nulla valida eſt cauſa, cur Proteſtantes obligentur templa ſua cum Catholicis communia habere, quod hi numero majores in loco vivant. Non enim inſpicitur, quæ pars alteram numero vincat, ſed quæ potior ſit ex formula pacis. Nec quicquam ad rem ille caſus facit, quem ponunt, ſi ſcilicet omnes ſimul ſubditi illo loco mutaſſent religionem. Ita enim ſublato penitus ſubjecto, cui jura iſta competebant, hæc una perire neceſſe eſt. At ex adverſo quoties tot homines ſuperſunt, qui nomen, ſtatum & formam Communitatis retinent, his nihil detrahendum ideo eſt, quod ab æmulis vincantur numero; nec hic regula obtinet, *quod juris eſt in toto, quoad totum, ſive in converſione univerſali quoad omnes Eccleſias, idem juris debet eſſe in parte, quoad partem, ſive in converſione particulari quoad aliquam Eccleſiarum partem.* Quemadmodum enim illi, qui deficiunt à religione mea, pro parte meæ religionis reputari amplius non poſſunt, ita qui diverſam ſectantur, nunquam videri poſſunt pars fuiſſe. Itaque ſi his Dominus Territorii proſpectum cupit, utique non cum injuria damnove alterius partis id curare debet, ſed poteſt ipſis nova templa ædificanda locare: vel collapſa reſtaurare, aut vacua largiri, ſi modo Proteſtantes illa nullo anni vigeſimi quarti tempore in poteſtate habuerint, aut facto prohibuerint quo minus Catholicis in illis locus eſſe poterat, ad quæ ſemper eſt reſpiciendum. Itaque ſi Everodæ in Epiſcopatu Hildeſienſi ſæpe dicto anno 24to ſoli Proteſtantes in poſſeſſione & uſu templi fuerunt, cogi utique à Domino Territorii non poſſunt, ut jam illud cum Catholicis participent, etiamſi hi poſt Weſtphalicam pacem numero ita creverint, ut Proteſtantes etiam ſuperent, quamdiu hi jus & formam Communitatis alicujus conſervare poſſunt. Nec obſtat Catholicos etiam ſubditos ad templi reparationem, atque ſolutionem redituum illi debitorum teneri. Nam hoc iterum ex obligatione eſt, quam eis pax Weſtphalica impoſuit, id quod rationibus vel argumentis ab æquitate vel commoditate aliorum deſumptis mutare non poſſumus. Nam etſi lex dura videatur, ſcripta tamen eſt, & novere ſane Catholici, quando compendium ſuum ex ſtricta pacis interpretatione facere poſſunt, ita nobiscum agere, ut nec æquitatis nec commodorum noſtrorum ullam rationem habeant.

Denique verbo monendum putamus, tractatum eſſe totum hoc argumentum ſummo judicio & ex dignitate in conſilio quodam ſeu reſponſo, quod in ſcriptis apud me habeo, à Viro erudito,

ſione u) omnium dicto tempore x) in poteſtate eorundem conſtituto-

dito, & harum rerum imprimis gnaro. Quoniam igitur ſcriptum iſtud typis nondum vulgatum eſt, in quantum mihi conſtat, itaque ad calcem harum meditationum illud pro more noſtro exhibere nihil dubitamus. Nam quæ veritati conſentanea ſunt, ea profiteri etiam tum licet, quando nobis ea non omni ex parte grata aut accommodata eſſe videantur. Jam poſt hunc excurſum, cujus forte alibi occaſio ſe nobis non obtuliſſet, pergamus in Textus noſtri explicatione.

t) *Nec minus maneant* &c.) *Nec minus*, inquit lex. Illud *nec minus*, refert ſe ad verbum ſuperius, *quatenus*, ut adeo ſenſus hic ſit, nec minus maneant in poſſeſſione omnium templorum &c. quatenus illa dicto tempore in poteſtate ſubditorum conſtituta fuere.

u) *maneant in poſſeſſione*) Manere in poſſeſſione hic duo complectitur: Ut vel maneant ſubditi in poſſeſſione eamque continuent, ſi tempore pacis adhuc illam habuerint: Vel ut in eam reſtituantur, cum forte dejecti fuerunt, de quo caſu paragraphus ſequens ſpecialiter agit. Quid autem hic ſit poſſeſſio, jam in ſuperioribus eſt explicatum; ſcilicet ut omnis poſſeſſio in ſe & naturaliter facti eſt, non juris, i. e. non quæritur, quo quis jure vel titulo poſſideat, ſed an rem detineat animo ſibi habendi: Ita etiam hoc loco nudum factum inſpicitur, uter partium uſum & poteſtatem templorum habuit, non vero, uter de jure habere debuiſſet: Id quod ſequeſtrandis litibus, & ne nova diſcordiarum ſemina in Imperio, jaciantur, ſic placuit, cum longe planior ſit & expeditior judicandi ratio, ubi nudi facti poſſeſſionis requiritur probatio, quam cum de jure vel proprietate diſceptatur, quod difficillimum omnium eſt probandi genus. Quamquam autem alias ad poſſeſſionem requiratur, ut quis rem in poteſtate habeat ſuo non alieno nomine, hæc tamen noſtra in lege adeo ſollicite non expenduntur, ubi ſatis eſt *uſus*, *obſervantia*, *exercitium*, uno verbo, *nudum factum*, Nam eum qui precario in poſſeſſione fuit, ex hac pacis formula ſe tueri poſſe, indubium eſt; unum caſum excipio, quando ſcilicet Creditor rem pignoris nomine poſſidet, de quo jam ſupra paragrapho 27. eſt actum: Nego tamen ab hoc ſpeciali caſu excepto inferri ad ſimiles poſſe, quia firmat potius hæc exceptio regulam in non exceptis.

x) *omnium dicto tempore*) *Omnium*, inquam: Ergo etiam eorum, quæ ſacella fuere ad domeſticos aliorum uſus deſtinata, ſed in quibus ſubditi anno 1624. religionem ſuam exercuere, etſi primo uſum precario vel jure amicitiæ impetraverint; nam quæ initio voluntatis fuere, ea tranquillitatis publicæ cauſa lex effecit, ut ſint neceſſitatis. Aliud eſſet, ſi non inſtitutum à ſe cultum illic habuiſſent ſubditi, ſed facultatem ſaltem frequen-

frequentandi ſacra, quæ Dominus loci ſuos ad uſus domeſticos ibi celebrare conſuevit. Tum enim ſi Dominus ille religionem mutet, & deinde, quod fieri neceſſe eſt, ad novas devotiones accommodet cultum, non percipio, qua ratione illum ſubditi impedire in hoc negotio poſſint: Dominus enim non ſubditi locum vel ſacellum illud in poteſtate habuiſſe videtur, neque enim ſola frequentatione ſacrorum, ſed quando ſacra noſtro nomine, aut ſaltem noſtrûm cauſa fiunt, poſſeſſio quæritur. Inſigne hujus rei exemplum vide ſis in Vindiciis Hildeſienſibus part. 1. p. 20. &c. de ſacello à Nobilibus de Saldern in domo ſeu arce ſua Hennekenrode exædificato, ubi cum iſti Nobiles, velut in prædio ſuo more Proteſtantium ſacra celebrari curaſſent, quia eandem religionem ſectabantur, admiſſis etiam colonis eidem religioni addictis; Poſt pacem vero Weſtphalicam prædium illud Nobili Catholico de Bucholtz vendidiſſent, qui in ritus Romanos cultum divinum converterat, ego quidem exiſtimarim immerito cum illo eam ob cauſam expoſtulatum fuiſſe à Statibus Provincialibus Epiſcopatus Hildeſienſis: Inter templa enim & ſacella, quæ in poteſtate noſtra conſtituta dicuntur, illa etiam comprehendi non eſt veriſimile, quæ ventitare nobis ſaltem licuit, cum ſacrorum curatio ad alium pertinuiſſet. Probant autem Catholici hanc ſuam intentionem argumento haudquaquam ſpernendo, nimirum, quod ſacellum iſtud curæ & viſitationi Superiorum, qui in Epiſcopatu Hildeſienſi omnium paroeciarum & templorum Proteſtantibus propriorum inſpectionem habent, nunquam commiſſum vel ſubjectum fuerit; manifeſto judicio, ſubditos Proteſtantes de poſſeſſione loci, & quod ſacellum anno 1624. in poteſtate eorum conſtitutum fuerit, gloriari non poſſe, cum alias omiſſuri non fuiſſent, quin illud ſub dioeceſi comprehenderent Wildenbergenſi, qua reliqua ejus diſtrictus accurata deſuper edita deſignatione incluſa, & Superintendentis ſpecialis, qui Boekenem & Nette præfectus erat, fidei atque ephoriæ tradita ſunt, adeo ut inter novendecim templa, quæ indiculus ille exhibet, tres in ſpecie reperiantur, ad Nobiles etiam ſpectantia, quorum procuratio dicto Superintendenti cum cœteris commiſſa fuit: Alto interim ſilentio de templo in Hennekenroda, cujus omiſſionis alia non potuerit eſſe cauſa, quam quia illud non habuere pro templo poroeciano, ſed pro ſacello privato & domeſtico, uſibus Domini unice deſtinato, & in quo ſinguli quidem ex pago indulgentia Domini religioni ſuæ vacare potuerunt, univerſitas autem per id nec titulum ſibi, nec poſſeſſionem comparavit, quæ res novo nobis exemplo & documento eſſe poteſt, quantum interſit, ſi religionem ſolo ſtatu & conditione loci metiamur, vel de permanſione ejus ex facto hominum judicium ferimus, in quantum ſcilicet ſubditi ipſi poſſederunt, aut in poteſtate habuerunt. Poſthæc, ex Vindiciis Hildeſienſibus fide Autoris deſcripta, venere in manus noſtras

Digitized by Google

tutorum y) templorum, fundationum, monaſteriorum, hoſpitalium

ſtras *Antivindiciæ Statuum Epiſcopatus Hildeſienſis Evangelicorum*, ubi cum hic caſus longè aliter recenſeatur, ne cuiquam injuriam noſtro judicio faciamus, quæ ibi continentur, huc paucis transferenda eſſe duximus. Scilicet ajunt Anti Vindiciæ, Vindicias Hildeſienſes in hac ſpecie facti ne verbum quidem attuliſſe, quod veritati conſentaneum ſit. Sed rem omnem ita ſe habere: In Vico Hennekenrode fuiſſe ab antiquo templum parochiale; Hoc cum ſucceſſu temporis vetuſtate ruinam minaretur, Nobiles de Salderen à communitate petiiſſe, ut loco ejus pateretur templum novum ædificari, & quidem aliquanto proximius arci vel domui ſuæ, quo ſibi commodior eſſet frequentandi ſacra facultas, atque in id tandem communitatem conſenſiſſe ædemque novam ex lapidibus & macerie veteris illo loco, quo nunc eſt, exſtructam eſſe, reditibus etiam, qui veteri templo debebantur, eo deſtinatis. De cætero vero novum illud ædificium ſic fuiſſe aptatum, ut quidem ex una parte oſtiolum quoddam ſeu foricula verſus Nobilium illorum domum patuerit, per quam iſti intrare commoditatis cauſa poterant. At vero ex altera parte magnam januam fuiſſe apertam, qua communitas uſa ſit, eodem planè jure, eademque facultate uti priori in Templo eis licuerit; Quæ ſi vera ſunt, & hoc novum Templum in locum Veteris communi Dominorum & ſubditorum pactione vel conſenſu ſurrogatum eſt, utique de tota cauſa erit aliter ſentiendum. Neque enim pro privato aut domeſtico ſacello haberi poteſt, quod ſubditos parochiali jure adſcriptos ſemper habuit; Atque adeo poſtea Nobiles de Buchholtz contra Pacem omnino feciſſe videntur, qui occupato templo januaque lateribus obſtructa tandem omnem illum locum circumducto muro arci junxerint, & ſic ſubditos ejus uſu excluſerint. vide pluribus *Anti. Vindicias* pag. 76. & ſeq.

Dicto tempore) i. e. quacunque anni vigeſimi quarti parte.

y) *In poteſtate eorundem conſtitutorum*) Hic Rhodus, hic Saltus, quæritur enim quid ſit in poteſtate conſtitutum eſſe. Neque exhaurire rem videtur ſi dicamus, hoc idem ſibi velle, ac ſi lex ſtatuiſſet, in quibus exercitium ſuæ religionis habuerunt. Etſi non negem hanc formulam loquendi apertiorem minusque captioſam fore, de poteſtate enim diſputare multa dubia & ſcrupuloſa habet; Exercitium ad nudum factum propius accedit; quamvis ne ſic quidem ab omni ambiguitate nos expediverimus, ſi cogitationes noſtræ per caſus ſpeciales, qui evenire poſſunt, paulo diſtinctius evagentur. Illud tamen exiſtimarim apud omnes in confeſſo eſſe, ob hoc ſolum, quod mihi liceat in templo quodam religioni atque devotioni meæ publicè vacare, de me dici non poſſe,

Digitized by Google

poſſe, quod templum illud in poteſtate mea conſtitutum habeam. Uſus enim harũ rerum ex inſtituto cujusvis religionis omnibus, etiam peregrinis & advenis patet, penes quos tamen nulla eſt poſſeſſio, vel proprietas. Deinde ſicuti ea, quæ univerſitatis ſunt propria, à ſingulis poſſideri non videntur, niſi qua ſunt pars Univerſitatis, ita extincto jure Univerſitatis aut in aliud genus transmutato, ſingulorum uſum ſimul perire dixerim. Tertio ſi privatus aliquis habere Templum in ſua poteſtate vult, neceſſe eſt, ut loci ſit Dominus in quo templum eſt ædificatum, aut ut proprietatem ejus alio legitimo titulo quæſiverit. Nam hoc uno, quod cum aliis illo in templo ſacris interfuit, ſtatis diebus celebrari ſolitis, nihil præcipui habet ante peregrinos & finitimos qui eundem in locum devotionis ſuæ cauſa confluere ſolent. Igitur ſumma horum eo redit, nuda uſus facultate non intelligi templum aliquod in poteſtate mea conſtitutum, ſed requiri inſuper aliquid, quo ego id meum vocare poſſim. Vocatur autem res mea non illa modo, cujus in uſu ego prælationem quandam moralem ante alios habeo, verum etiam cujus cura & tractatio peculiari quadam ratione aut reſpectu ad me pertinet. De probatione Dominii ut hic ſolliciti ſimus non eſt opus; Sufficit detentio & poſſeſſio pro meo, ut rem ad formulam pacis in poteſtate mea habuiſſe videar. Propoſitis exemplis magis intelligibilis ero, quid mihi velim.

Primo igitur ſi communitas in oppido quodam aut vico anno vigeſimo quarto in templo uno aut pluribus ad cultum divinum publicum deſtinatis, jure & nomine Univerſitatis exercitio ſuæ religionis uſa eſt, ſeu Evangelica illa fuerit, ſeu Catholica, ea loca ſacra declarat lex, in poteſtate Communitatis illius eſſe conſtituta, nec refert an ex Communitatis collatitiis Facultatibus, vel ærario Principis, aut aliunde faciendis ſacris, miniſtrisque ſuſtentandis ſumptus petantur. Id modo inſpicitur, quorum cauſa & bono principaliter ſacra fiant, nam etſi quidam qui diverſæ ſunt religionis, partem conferant, ex quacunque obligatione, non ideo magis in Communione loci ſunt, quamvis ex eadem univerſitate fuerint, niſi etiam anno vigeſimo quarto rem illam pro parte ſua in poteſtate & poſſeſſione habuerunt: Cum habita illo tempore poſſeſſio unicum, ſolumque fundamentum ſit futuræ obſervantiæ.

Jam ponamus primum caſum, quod tota illa univerſitas vel communitas religioni ſeu Catholicæ ſeu Evangelicæ addicta, mutarit forte religionem, diverſamque ſectari inceperit; quid ſtatuendum? Hic omnes conveniunt, ceſſatura protinus ſacra anno vigeſimo quarto ibi celebrari ſolita, eorumque in locum illa ſucceſſura, quæ ſubditi recens amplexi ſunt, utcunque hæc dicto anno ibi penitus exularint. Cum enim nemo amplius ſuperſit, qui prioribus uti poſſit, nec ſtatus loci per ſe, ſublatis illis, quibus ex pace jus debebatur, prærogativam aliquando tribuat, fieri aliter non poteſt,

poteſt, quin mutatis hominibus ipſa etiam religio in loco illo mutetur.

Secundus caſus eſt, cum pars ſaltem univerſitatis à prioribus ſacris defecerit, ſuperſtite altera parte, quæ in religione ſua perſiſtit; Reſpondemus conſervari in hac parte integra jura, quæ nuper univerſa Communitas habuerat, adeoque quærendum illis, qui mutarunt religionem alibi eſſe, quæ novis ſuis deſideriis ſatisfaciunt: Statim enim hac ipſa defectione excidunt uſu templorum, quod ante pro indiviſo cum reliquis in poteſtate habuerunt. Nec valde intereſt, major an minor pars ſit communitatis, quæ ſic novaturit: Quamdiu enim illi, qui conſtantiam ſervant, nomen & figuram Communitatis alicujus retinere poſſunt, ſimul utique retinent omnia jura, ex pace ſuæ religioni debita: adeo ut etiam defectores conferre ad uſum Sacrorum ea teneantur, ad quæ olim obligati fuere ſecundum anni decimi quarti conſuetudinem. Num vero hic Dominus Territorii illo etiam in loco libertatem ſuorum ſacrorum defectoribus concedere, atque ejus rei gratia extruere templum poſſit, alia eſt quæſtio, cujus ſolutio ex iis, quæ in ſuperioribus ſunt tradita, haud adeo difficilis videtur.

Tertius eſt caſus, ſi nonnulli ex vicinia templo uſi ſunt, in oppido vel pago, ubi jam religio per totum mutavit; Sæpe enim evenire ſolet, ut proximæ Villæ, aliquando etiam integri vici, multitudine habitantium non ita frequentes, ut operæ pretium ſit, ſacra publica apud ſe inſtitui, in vicinis oppidis vicisque exercitio religionis ſuæ utantur: Hic intereſſe exiſtimo, num ſubditi illi partem eſſentialem conſtituerint Communitatis, quæ loca ſacra in poteſtate & poſſeſſione habuit: an vero motu proprio & ex ſola commoditate ibi frequentarint, cum frequentare etiam alibi potuiſſent. Partem autem eſſentialem Communitatis in negotio religionis intelligo quando aliquis cuidam parœciæ ita eſt addictus, ut in functionibus ſacris, veluti Baptiſmo, Communione, Confeſſionibus, Copulationibus, Sepulturis & ſimilibus actibus ſacerdote vel miniſtro ordinario illius loci uti tenetur; Germanicè dicimus in die Stadt, in das Dorff, in die Kirch gepfarret zu ſeyn, qua de re poſt alios multa egregia habet Böhmerus *de Jure Parochial.* Priori caſu ſecundum ſuperius dicta illi vicini etiam retinebunt merito exercitium & templa in locis illis, quæ illorum in poteſtate quondam una conſtituta fuere; Altero vero quando finitimi pars Communitatis non ſunt, adeoque ad locum nulla obligatione contracta, ſuis ſaltem commoditatibus inſerviunt, cum pari libertate alio ſe conferre & ſuæ religioni conſulere poſſent, longè diverſum ſentio: Nam ſicuti illi ipſi his in rebus omnino libere & pro arbitrio ſuo agunt, nec de cætero cum univerſitate loci quicquam commune habeant, ſive commodorum, ſive onerum ratio ineatur, eorum certe referre non poteſt ad effectum aliquem juris conſequendum, quando ipſis ex mutata in loco illo religione commoditas intercipitur ſuæ ibi-

dem exercendæ. Verbi gratia pro exemplo ſit Civitas Ratisbonenſis. Hæc Proteſtantium religioni addicta ubique hinc Bavaria, illinc ultra Danubium Palatinatu clauditur, regionibus omni ex parte Romanæ Eccleſiæ inſtituta plus quam ſatis eſt, amplexis. Interea habitant adhuc in adjacente ditione Neoburgica, & quibusdam Palatinatus ſuperioris locis nonnulli Nobiles, Auguſtanæ Confeſſionis, qui prædia ſua & bona avita ibi ſita habent. Hi cum apud ſe in domo publico privatoque exercitio prohibeantur, neque longe lateque circum ejus aliqua facultas ſit, certis anni temporibus Ratisbonam veniunt, non modo ut conciones ibi feſtis diebus audiant: Verum etiam ut peccata ſua pro more confiteantur, & deinde cœnæ Dominicæ participes fiant. Quidam etiam nuptias in Civitate celebrant, ſeque copulari curant à loci miniſtris. Alii gravidas uxores, & partui proximas eo mittunt, conducto hoſpitio, ut ex Proteſtantibus Paſtoribus ad manus ſit, qui editum partum ſtatim Baptiſmate lavet, eidemque benedicat. Præterea etiam mortuos forte in urbe ibidem ſepeliri nemo prohibet. Agedum cogitemus jam facinus illud, Ratisbonenſes ſcilicet ad unum omnes Magiſtratum & Cives deficere à religione Proteſtantium, ac Catholicam amplecti, quis ſanus dixerit, hos nobiles vindicare ſibi templa & exercitium religionis, imo prohibere poſſe, ne Catholica religio, quam univerſa civitas jam profitetur, ibi inſtituatur? Nihil excogitari abſurdius poſſet, & quod à ratione & mente pacis Weſtphalicæ magis eſſet alienum. Nam ſi quis Ratisbonenſes hodie interrogaret, num putent, templa ſua unà ſecum in poteſtate etiam dictorum Nobilium conſtituta eſſe, quod ipſis eorum uſus pateat, id vero eos propediem negaturos crediderim, qui proprietatem templorum & poſſeſſionem non ex uſu aliquo ſuperficiario & fortuito æſtimant, ſed jure vel potius nexu quodam parochiali, quo primo tota communitas, & deinde ſinguli ex illa, certo loco vel parochiæ ſic adſcripti ſunt, ut unionem quandam moralem, & hac ratione rem, de qua agitur, in poteſtate habere intelligantur. Quanquam enim talis adſcriptio ad certam Parochiam omnem libertatem Chriſtianam non tollat, quominus homines aliis etiam locis devotioni ſuæ operam dare, vel opera aliorum in certis actibus ſacris uti poſſint, licet hæc etiam libertas multis in rebus coarctata ſit, hoc tamen non impedit, quin ſpecialior conjunctio & relatio inter Parochianos & Parochiam ſit, quæ hoc operatur, ut communitas una ex parte uſum rei jure proprietario ſibi aſſerat: Et viciſſim cum ipſa, tum vero imprimis ſinguli ad certas præſtationes atque debita obligentur, quæ Paſtori loci partim ſalarii loco, partim vero titulo *accidentium* ſolvenda ſunt, quorum exigendorum jus actionemque hic adverſus illos habet, cum ab aliis Parochiæ non accenſis nihil omnino peti poſſit ob hujus rei uſum, qui de cœtero omnibus liber eſt: Adeoque ſi quid intuitu ejus,

vel

lium z) cum omnibus pertinentiis, reditibus & acceſſionibus. aa) Et hæc

vel quorundam actuum quibus inſervitur nobis, datur, indebitum eſt, & donationis, gratitudinis, aut alio beneficii nomine venit, quorum pleraque Paſtori ordinario denuo præſtanda ſunt ex condicto, quamvis opera ejus in præſentia non fuerim uſus. Quod in Copulationibus, Baptiſmis, funeribus quotidie evenit.

Jam quartus caſus per modo dicta ſe ipſe definit. Nimirum habuere peregrini omnes, quibus id viſum, in loco quodam libertatem audiendi Conciones & cœnæ Dominicæ facultatem, quo ſtatis anni partibus convenire ſoliti ſunt, ſive ex Provincia vel à longinquo, ubi earum rerum non eſt copia: Et hoc ita toto anno vigeſimo quarto obſervatum; jam vero mutat ille locus Religionem ceſſaturque à ſacris faciendis ex veteri inſtituto. Quid igitur peregrinis fiet? Nemo erit, opinor, qui non ſtatim intelligat, fruſtra ab his reſtitutionem ſacrorum peti, quæ dicto quidem anno ibi viguerunt, ſed quorum cauſa, ut deinceps conſerventur, peregrinis illis ex formula pacis nulla actio datur cum nec illo tempore nec ullo unquam alio vel in poſſeſſione exercitii publici fuiſſe, vel templa & cætera in poteſtate ſua habuiſſe dici poſſint.

Atque ex his non dubito intellectum textus noſtri aliquando plan[illegible]rem fieri, neque obſcurum valde eſſe, quid hic ſignificet, *in poteſtate noſtra eſſe conſtitutum.* Pergamus itaque ad reliqua.

z) *Templorum, fundationum, monaſteriorum, Hoſpitalium*) Hic quatuor ædium publicarum genera enumerantur, ſed ſimilia non excludi certum eſt. Templa ſunt, in quibus ſacra publica fieri concionesque & preces haberi ſolent. Fundationes vocantur, quæ quocunque modo ad pias cauſas legata aut deſtinata ſunt. Monaſteriorum hic alia ratio habetur, quam cum de iis §. 25. ſupra eſt actum, ibi enim poſſeſſio ſtatuum inſpiciebatur annó 1624 Calendis Januariis habita; hic ſubditorum cauſa vertitur, quatenus Monaſterium aliquod dicto anno & quacunque ejus parte in poteſtate habuerunt. Hoſpitalia denique ſunt duorum generum: Vel Domus Hoſpitales, quas Xenodochia appellant; Vel Noſocomia, ubi ægrotorum aut ſenectute confectorum pauperum habetur ratio. Pertinent huc etiam Scholæ, Orphanotrophia, ergaſtula, & id genus ædificia publica, in quibus vel pietatem & liberalitatem erga perſonas miſeratione dignas exercemus, vel coërcendis improbis idonea adhibemus remedia, vel inſtituendæ Juventuti operam damus.

aa) *Cum omnibus pertinentiis reditibus & acceſſionibus*) Nomine pertinentium hic venit, quicquid ad templa, monaſteria, Hoſpitalia & fundationes pertinet, quo imprimis cœmeteria refero quæ

quæ anno vigeſimo quarto Proteſtantes in poteſtate, & quatenus illa habuerunt Quibus ergo Cœmeteriis Proteſtantes & Catholici dicto tempore promiſcue pro mortuis ſuis ſepeliendis uſi ſunt, iis neutra pars deinceps arceri poteſt: Quod ſi diſtinctis & ſeparatis locis uno in Cœmeterio, iiſdem terminis ut ſe contineant, Pax jubet. Atque hæc in confeſſo ſunt. Quid autem habendum, ſi in communi quodam Cœmeterio Catholici ſuper ſepulcra mortuorum ſuorum pro more cruces figere anno 1624. non fuerint ſoliti, an hoc ipſis nihilominus facere per pacem licet, reliquo tempore? Meminimus enim hac de re aliquando diſputatum eſſe, querentibus Proteſtantibus, contra Statum dicti anni hanc crucium erectionem eſſe, & non modo in æmulationem jam tentari: Sed & ſibi ſcandalo fore. Mihi videtur, has minutias non eſſe nimium inſectandas, præcipue ſi anno vigeſimo quarto hac de re nulla Proteſtantes inter & Catholicos controverſia fuerit, nec illi hos ejusmodi quid moliri conantes de facto prohibuerint ut ſic de poſſeſſione facti prohibitionis docere poſſint, alias à me poſſeſſum non ſtatim intelligitur, quod alter omiſit facere, ſed cujus faciendi facultatem habuerat. Sæpe nos in rebus etiam nihili aut plane indifferentibus nimis ſumus ſcrupuloſi; Sicuti enim plerumque actionum moralium qualitas ab hominum intentione dependet, quæ bonas aut malas facit, ita quo opere alii defunctis ſuis pietatis vel memoriæ cauſa quaſi parentare volunt, id mihi nec ſcandalo nec offenſioni eſſe poteſt, ſi modo ipſe purum à ſuperſtitione animum habeam. Et quid tandem eſt, cur nobis allevatio crucium apud mortuorum ſepulcra adeo ægre faciat? Sæpe ſumptuoſa extruimus monumenta variiſque ſignis & imaginibus, aliquando etiam profanis, ea ornamus, pro dormitoriis noſtrorum mortuorum; Cur igitur crucem averſamur, quo in ſigno mors ipſa nobis vincenda eſt. Quod ſi alii nobis neceſſitatem imitandi in hoc genere Ceremoniarum imponere vellent, eſſet forſan non una cauſa recuſandi, nunc cum nos noſtro relinquunt arbitrio, & ſibi ſaltem integrum eſſe volunt ex ſui animi ſententia erga mortuos officio pio defungi, quin hac in re eis aliquid indulgendum ſit, nec conſcientia impedit, nec pax obſtat, ac præterea caritas atque modeſtia omnino ſuadent. Sane enim mihi, quoties cœmeteria ingredior, erectæ ibi ex ſimplici quamvis materia & rudi opere cruces plus excitant devotionis, quam ille magnificus & faſtuoſus Mauſoleorum omnium apparatus, qui multum vanitatis & oſtentationis habet, religionis & fidei nihil aut ſane parum. De cruce quam præferri in funeribus pompæ mos eſt: Item de cantu, oratione funebri, miſſa, aqua luſtrali & reliquis ceremoniis, quibus juſta defunctis facimus, forſan aliud dicendum: Quamquam enim his etiam in rebus obſequium aliquod & indulgentia, quatenus nobis fraudi non eſt, laudabilis ſit; quia tamen hi actus ad exercitium religionis publicum pertinent,

Digitized by Google

nent, & præterea ipſi Catholici ſuo exemplo doceant, quam parce & illiberales adverſus nos ſe gerant; nobis utique vitio verti non poteſt, ſi viciſſim alios facilitate noſtra abuti non patiamur, imprimis cum experientia compertum fuerit, dato uno non ſatiari appetitum, ſed irritari potius ad majora petenda, donec ſumma noſtra cum injuria omnia obtinuerint.

Quod ad *reditus* attinet, quorum hic etiam fit mentio, eorum ſolutio peti ex formula pacis poteſt, à quocunque etiam debeantur, modo ſubditi anno vigeſimo quarto in poſſeſſione percipiendi fuerint. Nam hæc obligatio etiam ad Catholicos pertinet, quos non juvat illa exceptio, qua nonnunquam ſe excuſare voluiſſe inveniuntur, quod iniquum ſit, ſe adigi ad ferenda onera reſpectu ejus loci, ex quo nulla ſibi commoda eveniant, cum uſus templi ſibi denegetur, cui exſolutio facienda eſt. Quanquam enim hæc & id genus alia ſua in theſi magno cum applauſu jactari poſſint, nos tamen alio jure utimur, ex quo ſemel tranquillitatis publicæ cauſa in hanc legem conſentiendum fuit. Eſt præterea hæc obligatio reciproca, nec ſolos Catholicos premit: Sed & Proteſtantes eandem contraxere, ex quo anno vigeſimo quarto hi Catholicis aliquid ad templorum ſuorum commoda debuiſſe atque ſolviſſe convinci poſſunt. Intelligo autem redituum nomine omnes præſtationes, quocunque titulo vel appellatione veniant, ſive parata pecunia conſtent, ſive aliis in rebus, velut decimæ, cenſus, penſiones, veſtigal & cætera, quorum infinitas ſpecies ſacri ordinis avaritia & calliditas, vexandis deplumandisque miſeris excogitavit.

Tandem etiam nominantur *acceſſiones*, quo in genere pertinent omnia *accidentia*, uti vocant: Veluti *jura ſtolæ*, quæ ratione officii præſtiti & pro actibus ſacris, v. g. in mortuis ſepeliendis, infantibus baptizandis, proclamandis & copulandis conjugibus, & ſimilibus Paſtori loci exſolvi mos eſt. Eſt etiam cum pro abſolutione & ſacra cœna adminiſtranda exigitur pretium turpi prorſus & deteſtanda Simonia; Sed his moribus multis locis vivitur. Tractavere totum hoc argumentum ex dignitate alii: Nobis vero in præſentia de eo maxime eſt diſpiciendum, an Parochiani diverſæ religionis hæc etiam jura præſtare Paſtori loci teneantur, cujus opera uti conſcientiæ ſuæ adverſum exiſtimant. Nobis non diſplicet diſtinctio inter actus, quos ex conſenſu & doctrina partium utriusque religionis Paſtor loci, ſive Catholicis ſacris, ſive Evangelicis ſit addictus, valide peragit: Et inter eos, qui ſuæ religionis miniſtrum ad validitatem ſuam requirunt. Ita Baptiſmum adminiſtrare, proclamare ſponſos, eosque matrimonio benedictione ſacerdotali copulare, funerare mortuos, & conciones funebres habere, & quæ alia ejusdem ſunt generis, procul dubio Paſtori loci relinquenda ſunt: Aut ſi utique Parochiani diverſæ religionis alio, qui ſecum eſt, ejusdem Sectæ vel Eccleſiæ uti voluerint, jura ſtolæ non huic,

Digitized by Google

huic, ſed illi nihilominus erunt præſtanda. Quibus vero locis datur aliquid pro abſolutione à peccatis, & Sacræ Cœnæ adminiſtratione, ut & pro confirmatione apud Catholicos, adultioribus conferri ſolita, cum his in rebus Paſtor Proteſtantium ſacris addictus ſubditis Catholicis uſui eſſe, officiumque ſuum facere non poſſit, iniquum utique fuerit, ab eo redimere pretio, quæ hic vendere non ſit aptus; niſi Parochus anno 1624. in poſſeſſione percipiendi hæc jura à Catholicis etiam invitis indubie fuerit, quo caſu ex ſola obſervantia & uſu, ut ei ſuccurratur, ex formula pacis juſtum eſt.

De cætero vero quam differentiam Vindiciæ Hildeſienſes inter Jura ſtolæ, quæ Catholicis & quæ Proteſtantibus debentur, ex jurisdictione Eccleſiaſtica in hos ſuſpenſa, & in illos adhuc integra conſtituere volunt, (*Vind. Hildes. part. 1. p. 133.*) illam ego plane non agnoſco. Rationem diverſitatis in eo conſtituunt, quod jurisdictio quidem Eccleſiaſtica per pacem religioſam & Weſtphalicam contra Auguſtanæ Confeſſionis ſtatus & eorum ſubditos ſuſpenſa ſit: Adverſus Catholicos autem, etiamſi Proteſtantibus ſint ſubjecti, ſuo in vigore ſemper remanſerit: Ex quo ſic argumentantur, ſubditos Catholicos, cum in ſpiritualibus pro ſuperiore neminem, quam Eccleſiaſticum Magiſtratum agnoſcunt, ſolvere illis unicè jura ſtolæ debere, qui curam animarum ſuarum agunt. Ex adverſo Proteſtantes Catholicorum ſtatuum ſubditi, quando nullum exercitium publicum, nec Paſtores proprios eo loco habent, quo vitam agunt, in libertate quidem religionis & conſcientiæ ſuæ relinquendos eſſe; quoad illos vero actus ſacros, quibus eorum conſcientiis & religioni nulla vis infertur, Magiſtratui Eccleſiaſtico Catholico ſubjectos, atque adeo ad præſtationes & jura parochialia obligatos manere; aliam eſſe rationem ſtatuum Evangelicorum: Iſtos enim eorumque ſubditos eſſe quidem à jurisdictione Eccleſiaſtica Cleri Catholici exemptos; Hanc vero jurisdictionem in eos non eſſe collatam, cum ne conferri quidem mandarique eis potuerit, quoniam ex ſtatu ſuo ad illam exercendam ſint inhabiles; nam hujus juris ex divino inſtituto alios non eſſe capaces, quam qui ex ordine ſacro ſunt, Eccleſiæ Romanæ ejusque capiti Sacramento obſtricti. Manſiſſe itaque apud Clerum etiam poſt pacem religioſam jurisdictionem Eccleſiaſticam, quæ ab illo auferri nullo facto humano poſſit; at exercitium ejus reſpectu quorundam, qui à Catholica Eccleſia defecerint, fuiſſe inhibitum, ne contra illos ſe exerat, donec de religionis differentiis amicabili transactione utrique convenerint, ex eo vero nullo modo ſequi: Status Proteſtantes vi hujus ſuſpenſionis in locum Cleri Catholici ſucceſſiſſe, adeoque facultatem habere exercendæ Epiſcopalis jurisdictionis: Et quæ plura ſunt, quæ in dictis Vindiciis allegato loco ſumma confuſione ſtatus controverſiæ & vaniloquentia jactantur, ut lectori incauto nugivenduli illi theatrali verborum

rum pompa, & orationis gravitate ſuum aliquem faciant. Sed ad has impoſturas fraudesque egregie reſpondent *Anti Vindiciæ part. 1. p. 325.* mutari ſtatum Controverſiæ, neque à jurisdictione Eccleſiaſtica ad jura ſtolæ valere conſequentiam, cum hæc *jura ſtolæ*, inquam, non pertineant ad jurisdictionem Eccleſiaſticam: Sed ob præſtationem officii parochialis debeantur ab eo, qui parochiæ eſt adſcriptus. Hunc enim ſi noluerit ob religionis diverſitatem illis in actibus, qui non ſunt mere Eccleſiaſtici, vel ab aliis etiam, quam ſacerdote Catholico valide peraguntur, uti Paſtore loci ordinario, & ad alium ſui cœtus confugiat, nulla neceſſitate cogente, utique ſaltem illi jura ſtolæ detrahere non poſſe, quæ ob ejusmodi officium debentur. Novimus utique, multis locis Status Catholicos ſubditos ſuos Proteſtantes, qui neque publicum exercitium, neque Paſtorem ordinarium habent, edictis multisque eo ſæpe adigere, ut id genus actus à Catholicis Sacerdotibus celebrari cogantur, nec ſinere, ut alio ſe conferre, atque ſuæ religionis Paſtores adhibere poſſent, etiamſi parati eſſent Catholico ſacerdoti, vel ſacrificulo jura ſtolæ perſolvere; Cur igitur quod jus in alios ſtatuunt, ipſo non utuntur? cum Inſtrumentum pacis exactam mutuamque æqualitatem in omnibus adeo commendet, ut quod uni parti juſtum eſt, alteri quoque ſit juſtum, modo res, de qua agitur non ſit contraria formæ reipublicæ aut Inſtrumento pacis. Jam vero de forma Reipublicæ ne verbum quidem attinet dicere: Quid enim ad hanc, ſi à Catholicis ſubditis Parocho loci Evangelico jura ſtolæ ſolvantur? Quod autem ad pacem Weſtphalicam ſpectat, in ea hoc ipſum etiam imperatum ſubditis eſt, cum unusquisque in perceptione jurium parochialium, nullo diſcrimine inter realia & perſonalia facto, eo ſtatu relinquendus ſit, quo anno vigeſimo quarto & quacunque ejus anni parte fuit. Lege itaque inter Catholicos & Proteſtantes non diſtinguente, quis Vindiciis Hildeſienſibus poteſtatem fecit miræ hujus diſtinctionis? De cœtero ſuſpenſio jurisdictionis Eccleſiaſticæ contra Proteſtantes æquipollet ejus abrogationi: Hac enim conditione eſt ſuſpenſa, cujus eventus morali æſtimatione impoſſibilis eſt. Suſpenditur enim *usque ad compoſitionem Chriſtianam* diſſidii religionis. Quid autem ſit compoſitio Chriſtiana, declaratur non modo pace religioſa, §. und damit ſolcher Fried ꝛc. ibi und ſoll die ſtreitige Religion nicht anders denn durch Chriſtliche, freundliche, friedliche Mittel und Wege zum einhelligen Chriſtlichen Verſtand und Vergleichung gebracht werden. Verum etiam ſpecialius adhuc exprimitur hoc noſtro articulo 5to variis locis: Præcipue vero paragrapho 25. & 29. ubi definitio controverſiarum religionis ad amicabilem partium compoſitionem univerſalem reſtringitur, quo excluduntur omnes aliæ viæ, ſive Catholici rem autoritate Cleri, ſive poteſtate & vi Principum Pontifici Romano addicto-

rum

rum conficere voluerint. Abrogata autem jurisdictione vel ita ſuſpenſa ut pro ſuſpenſa perpetuo haberi poſſit, reviviſcit propediem jus Statuum, quod in regimine Eccleſiaſtico tanquam partem ſummæ Poteſtatis, aut ſi mavis, ſuperioritatis territorialis, merito habent. Nam piæ quondam fraudes, quibus majorum noſtrorum ſimplicitati & credulæ ſuperſtitioni obtentu divinæ legis ſceleſte eſt impoſitum, fidem ultra non inveniunt, quam ubi amatores ſunt iſtarum rerum qui fumum ſibi vendere libenter patiuntur. Quam primum igitur Principes Pontifici Romano repudium mittunt, & obſequium renunciant, tum vero illis continuo jus in ſacra recuperatur, meritoque ſuo ridentur illi, qui antiquas nobis fabulas ſuas de duplici poteſtatis, ſive ut nunc loquuntur, jurisdictionis genere recantant, & ſuis limitibus ita diſtinguunt, ut neuter alteri impedimento eſſe vel inhibere Imperium poſſit. Igitur non opus eſt, ut Principibus noſtris, qui Proteſtantium ſacra ſunt amplexi, jus Epiſcopale vel jurisdictionem Eccleſiaſticam operoſe vindicemus; habent illi hanc poteſtatem ſuo jure, quæ ad eos veluti jure poſtliminio rediit, ex quo ſe jugo & dominatui Romanæ Eccleſiæ ſubduxere. Jura enim ſacrorum pars ſunt Imperii Civilis, quæ Princeps exercet ſuo nomine & quatenus eſt Princeps, ad quam nulla delegatione vel mandato ab Idolo illo Romano indiget. Imo vertenda potius eſt cauſa, & ſtatuendum, omnem poteſtatem circa ſacra, quam ſacer ordo à ſummo ad infimum habet, mandatam ei à Principe eſſe, ejusque auſpiciis exerceri. Loquimur autem de iis, quæ ſunt Imperii vel jurisdictionis, quæ ſunt ordinis, uti vocant, & ad ipſum cultum divinum pertinent, ea recte relinquuntur iis, qui ad hæc vocati ordinatique ſunt: Quamvis etiam circa ea Principi non omne arbitrium denegandum ſit, in diebus, horis, ceremoniis atque aliis circumſtantiis externis definiendis, quæ faciendis ſacris ornamenta & commoditates ſuppeditant, uti & in eo, ut diligenter attendat, an Clerus ſuo munere recte fungatur, atque in minus diligentes, vel alio modo officii male adminiſtrati reos debite animadvertat. Ex quibus liquet Autorem Vindiciarum Hildeſienſium Andabatarum more pugnare, cum negat Jurisdictionem Eccleſiaſticam, eo quod contra Auguſtanæ Confeſſionis Status & ſubditos ſuſpenſa eſt, ad Proteſtantes eſſe translatam. Quid translatum ſit, viderint alii, quibus ea res curæ, nobis nulla translatione opus. Si prima veſtigia hujus rei ſcrutamur, & totius negotii naturam, dicendum potius eſt, initio à Principibus in Epiſcopos Jurisdictionem aliquam Eccleſiaſticam perveniſſe. Æquum igitur & rationi congruum, ut hac ſuſpenſa vel abrogata ad Principes poſtliminio quaſi redeat, quod eorum fuit. Argumentum ejus ex Veteri Teſtamento deſumptum meo quidem judicio exploſione & riſu dignius eſt, quam reſponſo, ubi enim legitur, Regibus prohibitum

eſſe,

Digitized by Google

eſſe, ne vel appropinquent ſacris ædibus. Sane enim ea quæ ex Ezechiele cap. 40. allegat autor, inſulſiſſime applicantur, & contra poteſtatem Principum in ſacra nequicquam magis probant, quam pro ea. De cœtero non eſt ignotum, quas in populo Judaico partes in ſacris ordinandis regendisque ab eo tempore reges habuere, cum creati fuerint. Quam ineptum vero illud, Chriſtum regimen Eccleſiæ ſuæ non Tiberio Cæſari crediſſe, ſed Petro, cui jus Clavium & paſcendi gregem datum ſit: Chriſtus enim regimen aliquod Eccleſiæ cum jurisdictione & coërcitione nunquam inſtituit, ſed diſcipulis ſaltem dixit, ut abirent & docerent gentes; quis autem ex doctore unquam Magiſtratum aut judicem fecerit? *De jure Clavium* in ſacris literis nihil legimus. Commenta hæc ſunt imperioſi & ſuperbientis Cleri, qui contra inſtitutum & præceptum Magiſtri ſui more aliorum Principum regnare, & magnificos titulos gratioſorum & clementium Dominorum geſtare vult. Equidem claves cœlorum Petro & cœteris Apoſtolis datæ ſunt: Sed illæ cœlorum claves non reſerunt fores in terris ad Imperia & jurisdictionem, quo nomine *jura clavium* jam venditant illi, qui hiſce vanitatibus tumidi nulla re ſibi magis, quam potentia & divitiis placent, merosque Principatus & Dominationes parturiunt: Quod vero ad officium paſcendi gregem attinet, quam hæc res iterum a poteſtate aliena? Paſcere enim hic erudire eſt rudes divinarum rerum, docere ignaros, ducere devios & errantes. Hæc amore fiunt, monitis, exemplis morumque probitate: Coactio omnis & vis abeſſe debet, quæ propria ſunt jurisdictionis: Qui Conſtantini M. acta & obſervantiam ergo Clerum prædicant, plerumque tacent, quæ idem ille Imperator refrenandis Epiſcoporum affectibus æſtibusque ſæpe adhibuerit remedia, & qua verborum aſperitate eorum otioſas atque frivolas contentiones increparit. Id vero omnium abſurdiſſimum, Conſtantinum M. Numine Divino agitatum illuminatumque jactare, cum hodie gravibus de cauſis autores nonnulli dubitent, an iſte Princeps ullo unquam tempore converſus ad fidem, & vere Chriſtianus factus ſit, cujus rei inveſtigandæ cauſa eas adducunt rationes, quarum illæ, quæ pro negativa pugnant, affirmantibus utique non parum videntur prævalere. Quod ſi verum eſſet, uti eſt admodum veriſimile, quid aliud dicimus, quam cum ex quadam ſtatus ratione, ut Imperium eo melius favore Chriſtianorum tueretur, hoc ſimulato obſequio atque cultu, quo clerum ambitioſum fovit, illuſiſſe callide Epiſcopis, facile hoc diſſimulantibus, modo viciſſim id conſequerentur, quod ut ſibi eveniret, toto animo expetivere: Sive crediderint, Principem bona fide ſecum agere, ſive contraria ſimulatione Hiſtrioniam fecerint, ut ſaltem apud Populum autoritatem ſuam iſtis ludibriis ſtabilirent. Denique reſpondent Vindiciæ Hildeſienſes ad aliam objectionem. Nimirum teſte Hiſtoria Clerus inficiari non poteſt, Cæſares aliosque

Reges ſæpe in rebus Eccleſiaſticis multa decreviſſe. Itaque huic præjudicio avertendo duplici effugio utuntur: Aut enim, inquiunt, ejusmodi decretis & conſtitutionibus opem ſaltem ſuam & auxilium iis rebus accommodavere, quæ à Clero & Conſiliis jam definita erant, ut horum placitis in exequendo ſuccedanea atque miniſtrante Magiſtratus Civilis autoritate vis ſua conſtaret, & efficax præſidium eſſet, aut ſi qui ultra hoſce limites progreſſi ſunt, eos utique effracto antemurali, quod in ſacris & profanis ipſe Deus conſtituerit, irrupiſſe auſu ſacrilego in Sanctuarium Dei atque eo ipſo magno ſe piaculo obſtrinxiſſe, cujus facti temeritatem & ipſi non raro vivi adhuc juſto Dei judicio luerint, & ſucceſſorum pietas, qui ordini ſacro deinde reſtituere, quod ſuum erat, laudabili exemplo damnarit. Atque hoc modo vafri illi & lubrici invento duplici diverticulo, quacunque parte eos prehenderis, facile labi ſe anguillarum more poſſe, confidunt. Sed clariora ſunt adhuc & Scripturæ Sacræ & Hiſtoriarum teſtimonia, quam ut infringi ſe patiantur id genus fallaciis. Paulus enim Apoſtolus, dum omnes homines poteſtatibus ſupereminentibus ſubjectos eſſe jubet, non excipit Clerum; unde recte Chryſoſtomus ad Epiſcopos ſui temporis, ſimillimos iis, qui noſtro vivunt: *Si omnis & Veſtra, quis vos exemit ab univerſalitate.* Atque hoc Pauli loco duo imprimis notanta; Primo vocari Principes ἐξουσίας ὑπερεχούσας, ergo non Clerus, imo ne quidem ipſe Pontifex dignitate & præcellentia ordinem Politicum vincit, ſed hic illum: deinde utitur verbo modi Imperativi ὑποτασσέσθω, ſubjicitor, ſubordinator. Qui fit igitur, ut Eccleſiaſtici nunc huic ſubordinationi ſe ſubducant, & in ſtatu reipublicæ novum ſtatum, eumque ab omni Poteſtate civili abſolutum, forment? Contra expreſſam Apoſtoli ſententiam, & purioris antiquitatis ſuffragia, atque Eccleſiæ primitivæ inſtitutum. Si qui igitur fuere Imperatores aut Principes, qui aſſerere ſibi Majeſtatem ſuam, & Clerum ſuæ conditionis uſu legitimi Imperii commonefacere voluere, eos ſacrilegii vel injuſtæ uſurpationis accuſare indigniſſimum eſt facinus; Quamquam propterea data opportunitate illi clamoſi & tumidi non ceſſabunt res turbare: Malunt enim Phocas habere aut Ludovicos pios, qui eorum ambitioni ſatisfaciant, quam Carolos Magnos, Henricos aut Fridericos, quorum virtute & prudentia id genus homines indicibili vanitate inflati ſæpius exerciti ſunt, & repreſſi. Sed quo tandem delabor? Duxit me ardor vindicandi Principum dignitatem & jura longius, quam initio ſperaveram, cum Vindicias Hildeſienſes hoc loco examinare conſilium cepiſſem. Sed indignitas & deterrima principia turgidi hujus & factioſi Ordinis, quibus ſub ſpecioſis nominibus pietatis & devotionis incautis fraudulenter imponunt, abripuit me paulatim, nihil cogitantem hunc in campum, cujus tantum eſt ſpacium, ut vix integro volumine illud excurrere liceret. Nobis in præſentia

ſufficiant

hæc omnia ſemper & ubique obſerventur bb) eo usque, cc) donec de

ſufficiant, quæ modo dicta ſunt, nunc in viam redeo.

bb) *Et hæc omnia ſemper & ubique obſerventur*) *Hæc omnia*, inquit lex, non modo quæ hoc noſtro 31. paragrapho de ſubditis, ſed & quæ proximo ſuperiori 30. de ſtatuum jure reformandi dicta ſancitaque ſunt. *Obſerventur*, i. e. ſancte, inviolabiliter & ſine dolo malo ſerventur pro lege & Conſtitutione Imperii fundamentali: Serventur autem ab omnibus, cujuscunque conditionis, dignitatis, ordinis aut ſtatus fuerint, nemine excepto. Serventur *ſemper*, i. e. omni tempore, continuo vigore & ſine intervallo, remiſſione, aut laxatione. Serventur *ubique*, per totum Imperium, niſi ſint loca ſpeciali lege excepta, quo pertinent provinciæ Hereditariæ Domus Auſtriacæ, de quibus ſingulariter conventum, uti paulo poſt videbimus.

cc) *Eousque*) Denique ſerventur etiam *eousque*, donec de religione inter partes conventum erit. Eſt igitur lex hæc diverſo reſpectu perpetua, & non eſt perpetua. Perpetua dici poteſt, habita compoſitionis amicabilis ratione, ſi univerſalis eſſe debet; Hanc enim pro impoſſibili in genere morum habere utique licet. Non perpetua autem; ſed temporaria erit, inſpecta conditione, à cujus impletione abrogatio dependet. Eſt vero hæc conditio duplex, una: Si de religione Chriſtiana *univerſaliter* conventum fuerit; altera: Si inter ſtatus immediatos eorumque ſubditos mutuo conſenſu aliter erit conventum. Prima in ſolius Dei eſt manu, cujus unice opus diſſentientium in religione animos & conſcientias conciliare. Quæcunque prudentia humana hic tentat & movet, ſive per concilia ſive per colloquia, ſive denique vi & imperio: infelicem ſemper ſucceſſum habuit, & plerumque tranquillitati reipublicæ caro ſtetit. Neque etiam conſcriptis formulis credendorum concordiæ rectius conſulitur; ut enim taceam iſtos libros, quos vocant ſymbolicos, plerumque factionis eſſe opus, quæ tempore illo potentiorum favore ſubnixa reliquis commenta ſua præſcribit, qua ratione plurimi reſpectu commodorum præſentium contra animi ſententiam aſſentiuntur, id nunquam facturi, ſi libere diſſentire liceret: Illud præterea maximum eſt incommodum, quod nunquam formulæ ſic accurate & perfecte conſcribi poſſint, ut futuro tempore ab omni dubio & diſputatione ſint liberæ. Unde ſtatim commentaria, formulæ formularum & conſenſus repetiti, cura & ſtudio infinito, cum ex una controverſia, autoritate ſuperiorum & factioſis conſiliis utcunque ſopita, ſtatim aliæ ingenioſa curioſitate & ambitu repullulent, majoresque motus plerumque excitent, ac priores fuere. Ex quo æternum eſt cum hoc hydra lernæa certamen. Quid igitur faciendum & quodnam

Digitized by Google

nam optimum conciliandæ religionis medium? Scilicet emendanda primum voluntas, antequam intellectui proſpicimus, & probitate ac moribus prius certandum, quam ſententiis, formulis & opinionibus. Interea unumquemque ſuo ſenſu abundare patiamur, ſi de cætero tranquille vivat, nec quietem publicam laceſſat. Reliqua Deo committenda ſunt, qui purgata voluntate mox lucem affundet, ut quod maximum miraculum, ſententiis quamvis diſcordes, ſpiritu tamen & veritate concordent. Veritas enim Divina humanis conceptibus, etſi diverſis, non alteratur, cum corde & affectibus, non in cerebro & intellectu æſtimari ſe velit, nam contraria etiam ſentientes, ſi bona fide agant, & pura mente ſint, utique poſſunt in veritate ſtare, cum ex adverſo in mendacio, ut divinæ veritati opponitur, verſari recte dicantur, qui conceptum rei alicujus, ut ut verum, intellectu tantum formant, vim autem ipſius veritatis animo non percipiunt, aut guſtant: Hæc igitur eſt optima & certiſſima conciliandarum religionum via, hæc methodus maxime Chriſtiana, ut unusquisque alterum doceat quidem pro ratione officii ſui de veritate, quam ipſe agnoſcit, de cætero autem eum permittat divinæ providentiæ & voluntati, donec placuerit Deo eosdem illi ſenſus inſpirare, quos alius habet. Hoc enim demum eſt lumen, quod primo corda fidelium replet, & cujus deinde ſplendor reflexus intellectum irradiat, Sine iſta ſenſatione ſi quis fuerit, ejus doctrinam omnem mortuam certitudinem dixerim, non aliter ac cœci, qui de coloribus ex aliorum inſtitutione atque relatione more pſittaci diſſerunt, quos ipſi nunquam videre. At valde ego vereor, ut Curia Romana hac ratione compendium ſuum in religionibus conciliandis factura ſit, cujus arcana dominationis in eo conſiſtunt, ut nulli facultas detur, ſacris in rebus pro arbitrio ſentiendi, & ne quis ex plebe ultra Clerum ſapiat, neve patiantur eos, quibus ex meliore luto præcordia finxit Prometheus, monitis ſuis inſtruere ſimpliciores, aut diſtinguere favos à fucis incipiant. Actum enim ſtatim eſt de omni mole & ſtructura Dominatus Pontificii, cui exædificando tot ſecula, tot labores, tot piæ fraudes, ſæpe etiam tot facinora & flagitia ſunt impenſa, quamprimum homines intelligere poſſunt, quid vulpes anſeribus concionetur, aut quas leonina pellis aures tegat. Quam ob rem, cum rationibus Curiæ Romanæ adverſum nihil magis adeo ſit, quam de religionibus componendis agere per media amicabilia, & Chriſtiana, omnis autem violentia prohibita ſit, facile eſt judicare, quæ ſpes huic rei conficiendæ ſuperſit, donec ipſe Deus, veluti ex machina intervenerit, & humanis conſiliis labefactatis atque confuſis, eos ipſos vi ſui luminis ad meliorem mentem redire coëgerit, qui nunc pro hoc ſacrario, tanquam pro aris & focis ad ultimum usque ſpiritum depugnant. Fortaſſis enim

Digitized by Google

de Religione Chriſtiana vel univerſaliter, dd) vel inter Status immediatos, eorumque ſubditos ee) mutuo conſenſu ff) aliter erit con-

tardum nimis erit & anceps exſpectaſſe, donec Proteſtantes omnes ſucceſſi alicujus reſpectu ad vomitum redierint.

dd) *donec de religione Chriſtiana vel univerſaliter*) Hæc igitur una conditio, cujus adimplendæ quam exiguam ſpem habeamus, jam dictum eſt.

Vel univerſaliter) i. e. per totum Imperium: Neque enim hoc *univerſaliter* latius quis facile extendere auſus fuerit, ut de toto orbe, vel ſaltem omni Europa intelligatur. Itaq; ſi in Germania ſaltem noſtra conſenſu univerſali religiones omni ex parte unirentur, re forte in Concilio Nationali, aut aliis idoneis ſubſidiis transacta, conditioni huic ego ſatisfactum dixerim, etſi quibusdam in regionibus extra Imperium Germanicum ſitis, forte Suecia, Dania, Anglia, Helvetia, & Belgio fœderato diviſiones adhuc remaneant.

ee) *Vel inter ſtatus immediatos eorumque ſubditos*) Alter caſus, quo ab hac lege recedere licet, eſt, cùm inter ſtatus eorumque ſubditos mutuo conſenſu aliter erit conventum: Id quod non hoc tantum ſenſu eſt accipiendum, quando ſubditi in gratiam Dominorum ſuorum & ex aliquo obſequio reverentiali de ſuo jure aliquid remittunt. Verum etiam cum Domini territoriales uſum juris reformandi per pacta cum ſubditis poſt Inſtrumentum pacis inita, aliquo modo arctiores intra terminos redigi patiuntur, quam quos ei pax Weſtphalica deſignavit. Atque ex hoc fundamento præcipue eſt, quod in Epiſcopatu Hildeſienſi ſtatus Provinciales Auguſtanæ Confeſſionis Receſſui Conſiſtoriali, de quo anno 1651. cum Epiſcopo ſuo mutuo convenere, firmiter inhæreant, quamvis quædam in eo pacto fuerint, ad quæ præſtanda aut toleranda Epiſcopus ex formula pacis Weſtphalicæ non fuiſſet obligatus. Cui conventioni inepte jam objicitur defectus ex conſenſu Capituli; ut ut enim demus, rem hoc pacto ſe habere, neque Plenipotentiarios Hildeſienſes à Capitulo ſimul mandata habuiſſe, id tamen propterea Receſſum illum non infirmaret, cum legi ſatisfactum ſit, ſi inter ſtatus immediatos & eorum ſubditos fuerit conventum. Eſt autem procul dubio Epiſcopus in ditione Hildeſienſi Status immediatus, & non Capitulum, quod ei ſubjectum eſt, adeoque hoc in ordine ſubditorum loco reputatur, quamvis præterea Anti Vindiciæ ad oculum etiam demonſtrent, mandatum à capitulo vel ex abundanti non debuiſſe, quod non modo ut pars compaciſcens minus principalis & adhæſiva mandato Principis comprehenſum intelligitur, Verum etiam ex quo duo ſuo ex gremio actioni interfuere *vid. Anti Vindic. part. 1. p. 226.* & quid multis verbis opus? Teſtatur ipſa præfatio Receſſus, Capituli etiam

iam

Digitized by Google

iam nomine mandatorios fuiſſe conſtitutos, ita enim ſonant: Zwiſchen der Churfürſtl. Durchl. zu Cölln, als Biſchoffen zu Hildesheim, und Dero Wohl-Ehrwürdigen Thom Capituls daſelbſt zu dieſer Commiſſions-Sachen conſtituirten mandatariis an einen, und dann den Stifft Hildesheimiſchen Augſpurgiſchen Confeſſions Land-Ständen und Unterthanen an andern Theil. Hic ſane expreſſe Epiſcopus & Capitulum in negotio conſtituendi mandatarii conjunguntur, ut mirari merito ſubeat, quid Vindiciis Hildeſienſibus in mentem venerit, ut contra claram adeo literam & Teſtimonium transactionis negare tamen non erubuerint, Mandatarios Epiſcopi à Capitulo una mandatum habuiſſe.

Eorumque ſubditos.) Hic intelliguntur procul dubio ſubditi diverſæ religionis, quid autem dicendum, ſi Dominus & ſudditi, cum mutuo paciſcerentur, unius religionis fuerint? Veluti ſi inter Principem Catholicum, ejusdemqne Catholicos ſubditos, aut viciſſim, inter Proteſtantem Principem & Proteſtantes ejus Subditos convenerit mutuo conſenſu in vim perpetuæ obligationis & obſervantiæ, ne defectio Principis à Sacris receptis poſthæc ullo futuro tempore fraudi ſit ſtatui religionis, prout illa tota regione ſe habuerat, cum pactum fuiſſet. An nihilominus Principi, poſtquam religionem mutavit, integrum erit, uti jure reformandi ea libertate, qualis ex pace Weſtphalica alias ſuppetit. Non loquor de pactis ante pacem Weſtphalicam initis, quod probe notari velim, de illis enim dubitari forte rectius poterit; Sed de pactis poſt illam pacem demum libero mutuoque conſenſu perfectis. Non video ſane quid ſit cauſæ, cur dubitemus de valore & efficacia hujus conventionis. Non modo univerſim unusquisque juri ſuo aut plane renunciare, aut modum ſibi ſtatuere poteſt in facultate utendi. Verum etiam quod in ſpecie ad poteſtatem civilem attinet, eſt hæc omnium gentium communis opinio, ſancte ſervanda eſſe, quæ inter Principem & ſubditos de forma regiminis & uſu Imperii pacta ſunt; Unde diviſio illa poteſtatis in abſolutam & limitatam: Hanc legem jus Territoriale ſibi etiam dictam, quid eſt cur neget? Nihil omnino utique. Quære ex Catholicis, caſumque hunc illis propone, inter Electorem Bavariæ ejusque ſubditos conventum eſſe de religione Catholica in Ducatu conſervanda, prohibitis aliorum ſacris. Deinde Regem Sveciæ tanquam Ducem Bipontinum reliqua omni gente Palatina extincta ſuccedere jure proximo in Ducatum Bavariæ, & rogantibus Bavaris fidem etiam dare pacto illo ſe ſtaturum, & in religione nihil mutatum iri; Nam poſthæc putabunt Bavari, hac promisſione nihil eſſe actum, aut concedent, ſucceſſorem non prohiberi, quominus jus reformandi iis in locis exerceat, prout id art. 30. deſcribitur, & quo alias Catholici Domini plerumque utuntur, quoties Proteſtantes ſubditos habent: Valde ſane vereor, ut hac in re ita libera-

les

Digitized by Google

les ſint futuri: Enim vero quando Princeps aliquis ex numero Proteſtantium forte à ſacris ſuis deficit, & Papæ exoſculatur pedes; tum vero ſtatim mutatur ſcena, & aliter catuli olent, aliter ſues: Etſi ſolenni juramento promisſum ſubditis fuiſſet, in religione nihil quicquam ullo tempore admiſſum iri, quod præjudicio ſacris Proteſtantium eſſe poſſit. Nimirum illi ſunt Vernæ antiquæ Eccleſiæ, quibus omnia licent, nobis advenis & peregrinis jura Civitatis nulla ſunt: Sed hoc modo ubi quæſo mutua illa & exacta æqualitas, quam pax Weſtphalica inter partes utriusque religionis ſine diſtinctione & affectu obſervandam imperavit? Manet itaque firmum ratumque, quæ Princeps ſeu Catholicus ille fuerit, ſeu Proteſtantium ſacris addictus, ſubditis ſuis ejusdem ſecum religionis, in negotio religionis ſupra id, ad quod ex formula pacis jam obligatus eſt, ultra promiſit, præcipue ſi mutata conventio interveniat, id eum præſtare non minus debere, quam ſi ſubditis promiſiſſet diverſæ religionis, etſi poſtea religionem mutarit. Neque enim auditum unquam eſt, mutatione religionis tolli contractas antehac obligationes; quin ſucceſſorem ejus etiam teneri nullus dubito, ſi facta pro ſe & ſucceſſoribus ſtipulatio; Aut realia ſint pacta, & ſucceſſor cauſam aliquam à deceſſore habeat; nam ſi ſuo jure & ex majorum providentia ſucceſſerit, difficilius aliquando erit obligationem transferre, antequam ipſe conſenſerit. Sed & ſi ipſe Princeps cum ſucceſſore, quem vocant, præſumptivo, qui diverſorum eſt ſacrorum, pactus fuerit in rem & ſecuritatem ſubditorum, idem erit, ac ſi pacti ſubditi fuiſſent: His enim quæſitum jus intelligitur facto Domini pro ſubditis negotium quaſi gerentis, ex tacito & præſumpto mandato; Nam & jure communi valet ſtipulatio, ſi quis ei, quem in poteſtate habet, ſtipulatus fuerit, quia vox tua tanquam filii eſt & vox filii tanquam tua *§. 4. Inſtit. de Inutilib. Stipul.* & ſicut Pater & filius pro una perſona habentur *l. f. C. de Impub. & al. ſubſtit.* Ita etiam Princeps & ſubditi iis in rebus, quæ ad communem omnium pertinent utilitatem: Hanc enim procurare ſtabilemque facere Principis eſt officium, qui non ſuo tantum, ſed & ſubditorum nomine recte tranſigit, cum horum voluntates ſuo ſub Imperio habeat; Nam ſi eam ob rationem, quod Dominus & ſubditi una ſunt perſona moralis, hi luere mala publica debent, quorum ille eſt autor, æquum certe juſtumque eſt de commodis etiam participare, quæ facto Principis redundare in eos poſſunt. Huc pertinet conventio Halienſis anno 85. ſuperioris ſeculi Electorem inter Palatinum Carolum, & Ducem Neoburgicum inita de conſervanda in Palatinatu inferiore religione Evangelica, eo caſu, quando Domus Neoburgica poſt fata Caroli improlis, quo cum linea Simmerenſis defectura erat, in Palatinatum ſucceſſerit, à cujus Principibus religioni Romanæ addictiſſimis non ſine cauſa ſacris Evangelicis, & ſubditorum conſcientiis

ſcientiis periculum metuebatur. Quamvis ne hoc quidem pacto ſic averti omne potuerit, quin ſe futuris temporibus malitia Cleri, opportunitates captantis ultra modum & fidem aperuiſſet, qui non erubuit, frivolis & captioſis prætextibus honori & famæ ſui Principis publice illudere.

Denique ſi Princeps ſucceſſor Catholicus ſubditis Proteſtantibus ſive motu proprio, ſive ad preces eorum edictis & literis de religione caverit, hoc quoque perinde erit, ac ſi inter Principem & ſubditos mutuo conſenſu fuiſſet conventum. Nam in hoc genere cauſarum illa etiam, quæ gratis offeruntur, poſtquam acceptata ſunt, in obligationem tranſeunt, & præſtandi neceſſitatem acquirunt. Igitur cum ſubditis Proteſtantibus in Palatinatu Inferiore Principes Catholici ampliſſimis reſcriptis, literis, decretis & edictis non ſub auſpiciis modo initi regiminis: Verum etiam poſtea vicibus repetitis fide Principis in vim juramenti receperint, ſtatum religionis Evangelicæ a libertate, juribus & privilegiis perpetuo manſurum, quo ſubditi gaviſi ſunt ſub Imperio Proteſtantium Electorum. Hæc utique promiſſa eis ſervari oportuiſſet, quæ eis eripi rurſus, niſi ſummo fidei publicæ diſpendio non poterant. Neque enim id genus ordinationes vel Conſtitutiones naturam precarii habent, aut gratuitum beneficium ſapiunt, quod Princeps pro lubitu revocare iterum poſſit. Sed ſunt promiſſa publica & confirmationes eorum, quæ jam ex pace Weſtphalica, atque ſolennibus aliis ſtipulationibus incolis locorum debebantur, peculiaribus ſcriptis adverſus cavillos Novatorum ſtrenue defenderunt.

ff) *Mutuo conſenſu*) Omnis itaque vis & coactio abeſſe debet. Uti enim quod ſubditi à Principe ſuo in tumultu aut concurſatione multitudinis contra voluntatem ejus intentantis minis aliove violentiæ genere extorſerunt, obligationem non contrahit. Ita etiam quod Princeps, ſubditis imperat magis, quam de quo cum illis libero convenit, mutuo conſenſu conventum non intelligitur. Atque cavendum hac quidem in re ſubditis eo impenſius eſt, quo majores atque efficaciores Princeps occaſiones habet imponendæ neceſſitatis. Nam extra caſum ſeditionis, vix ſubditi opportunitatem invenient incutiendi metus: Quæ autem per ſeditionem aguntur, rebus tranquillis ſuppliciis magis quam præmiis digna ſunt. At Principi infinitæ ſuppetunt rationes, quibus voluntates ſubditorum frangere poteſt ut ſuis votis inviti etiam ſatisfacere cogantur; unde proverbium illud, preces Potentiorum armatas eſſe, enatum conſtat.

gg) *Aliter erit conventum*) Aliter ſcil. quam inſtrumento pacis, & hoc imprimis loco, ſtatutum eſt.

hh) *Nec quisquam à quocunque*) i. e. nec Dominus Territorii à ſubditis in regula juris reformandi: Nec ſubditi à Domino territorii in exceptione ab illa regula, uti hic traditur, turbentur. Hos enim ambo res primario tangit, quamvis nolim erroris eos arguere, qui hæc verba

Digitized by Google

conventum, gg) ne quiſquam à quocunque hh) ullâ ratione aut vi ii) turbetur kk). §. 32.

verba *quiſquam à quoquam* univerſalius accipiunt, & quamcunque turbationem à quocunque contra ſenſum hujus legis factam comprehendunt.

ii) *Ullâ ratione aut via*) i. e quocunque jure aut prætextu. Quicquid igitur excogitare, vel rationis vel calumniæ poteſt, quo textui noſtro vis fit, ſive id obtentu juris reformandi, ſive juris Epiſcopalis, ſeu quocunque alio titulo vel colore jactetur, per hæc verba noſtra excluſum eſt.

kk) *Turbetur*) Sive jure, ſive facto; Nam ille etiam qui jure vult experiri, ſi ei ſtatus anni vigeſimi quarti, habitaque illo tempore poſſeſſio ſubditorum obſtat, exceptione litis finitæ repellitur, quod in reſtitutione ex capite amneſtiæ locus eſt, contra quam jura cuique ſalva manent & integra. Cum ex adverſo, qui ex capite gravaminum reſtituuntur, nulla amplius ratione aut via turbari poſſint, ſed ab omni perſecutione perpetuo ſint tuti. Atque ex hoc jam paragrapho & ſuperiori de jure reformandi judicanda eſt cauſa Cappucinorum Hildeſienſium, quos cum anno 1624. in urbe Hildeſiana non fuiſſe conſtitiſſet, poſt pacem circuli inferioris Saxoniæ Director Archi Epiſcopus Magdeburgenſis ad oppidani Magiſtratus poſtulationem expulerat, reclamante Epiſcopo loci, & ut reſtituatur in Conventu Deputatorum Francofurtano anno 1655. ſummis viribus connitente, quâ in re ſtudiis & favore Catholicorum egregie adjuvabatur. Et ſi dicere licet, quod res eſt, Catholici non ſine ratione de facta ſibi injuria queſti ſunt. Audiamus vero ex actis utramque partem, ut tanto rectius judicium de hac re poſſit haberi. Diſceptata eſt iſta controverſia dicto in Conventu omnium prima. En igitur tibi utriusque partis argumenta ſed caſus ſeu ſtatus litis ante omnia probe eſt formandus: Erant nimirum Hildeſii, quod municipium eſt Epiſcopatus cognominis, ante ducentos & amplius annos Religioſi ordinis Sancti Hieronymi, qui cum ſucceſſu temporis ex mala rei familiaris adminiſtratione grande æs alienum contraxiſſent, ut dignitatem ſuam locumque amplius tueri commode non poſſent, Archi Epiſcopus Colonienſis Erneſtus, qui ſimul Epiſcopatui Hildeſienſi præerat, monaſterium eorum ſolutis debitis ſuam in poteſtatem redegerat, atque reditus ejus alendis Tyronibus Jeſuitis, qui vivere illic debuere, impenderat, quo ſtatu res anno 1624. fuere. Sed poſt annos non ita multos, ſcil. 1631. Seminarium illud Jeſuitarum ſublatum rurſus autoritate Epiſcopi, atque Monaſterium Cappucinis datum eſt habitandum, qui toto reliquo belli tempore ibi manſere. Facta pace Hildeſiani petunt ab Epiſcopo, ut Cappucinos migrare juberet, quos anno vigeſimo quarto ibi non fuiſſe conſtabat. Sed repulſam paſſi adeunt mox Archi Epiſcopum

ſcopum Magdeburgenſem, qui circulo Saxonico inferiori munere Directoris præerat, atque ab eo impetrant, ut obtentu exequendæ pacis vi expellerentur, exportatis Monaſterio ſingulis, quia ſua ſponte obtemperare noluerant. Hoc factum Epiſcopus Hildeſianus cum ſuo Clero contra ipſam Weſtphalicam pacem eſſe ait, & primo in Comitiis anno 1653. Ratisbonæ celebratis ad Status Imperii ingentes defert querelas, publicato etiam ſcripto, titulo *Synopſis Fundamentorum &c.* quod eo tempore apud Catholicos magno in pretio fuerat. Sed cum in his Comitiis tandem omnes cauſæ reſtituendorum, ex capite amneſtiæ vel gravaminum, ad Deputatos rejicerentur, qui ſtatim poſt comitia prorogata de iis Francofurti cogrituri erant, itaque habito illo conventu agitata propediem à Deputatis hæc res fuit adeo diverſis partium ſtudiis, ut omnes æqui rerum Judices facile intelligerent, non eſſe, cur ullum ſibi fructum ex hoc inſtituto conventu reſpublica ſperet.

Hic acerrimum Catholicorum telum erat: quod omnes urgebant, Oppidum Hildeſienſe non poſſe habere actionem ex formula pacis, niſi ante omnia probet, in poſſeſſione ſe anno vigeſimo quarto fuiſſe prohibendi Epiſcopum, ne de hoc Monaſterio pro arbitratu ſuo ſtatuere poſſit; Neque enim momentum facere, Jeſuitæ an Cappucini dicto tempore Hildeſii in monaſterio illo vixerint: Sed in eo verſari cardinem rei, an inter Cives & Epiſcopum lis unquam ſuper hoc Monaſterio fuerit, quo minus hic interceſſione & facto illorum turbatus, liberas manus habuerit mutandi ordines; Hoc enim niſi à Civibus demonſtretur, præſumptionem pro Epiſcopo eſſe de poſſeſſione juris Epiſcopalis, cujus vi ejusmodi actus peragi ſolent.

Quamvis nec præſumptione ſit opus, cum manifeſtum ſit Epiſcopum toto anno vigeſimo quarto ſine ullius contradictione vel impedimento de Monaſterio ſuo, & quos ordines ibi verſari velit, potuiſſe diſponere. Nihil omnino igitur habere Cives, cur eorum interſit, quid hac in re Epiſcopus decernat: Nam ſi, quod planum, anno vigeſimo quarto in poſſeſſione non fuerint, arbitrandi, quos Ordines Hildeſii vivere oporteat, utique eos poſthæc ejusmodi poſſeſſione, quæ nulla unquam erat, nec potuiſſe deſtitui, nec propterea nunc reſtitutionem petere poſſe: Enimvero hanc ſolam circumſtantiam, quod dicto anno Hildeſii Cappucini recepti ab Epiſcopo nondum fuiſſent, nihil ad rem facere; tantum enim abeſſe, ut civibus Proteſtantibus factum aliquod poſſeſſionis vel obſervantiam largiatur, aut quod ea re Civitas in ſtatu ſuo religionis, quem habuit, turbata ſit, quin potius id ipſum pro Epiſcopo militet. Nam ſi omnia in ſtatum anni vigeſimi quarti reſtituenda ſunt, utique etiam Epiſcopum in poſſeſſione juris ſui Epiſcopalis & Territorialis eſſe reſtituendum, cum ille dicto tempore eodem plane modo, ſi lubitum fuiſſet, in poſſeſſione fuerit introducendi Cappucinos, quo anno trigeſimo primo erat, cum re ipſa introducebantur.

Prorſus

Prorſus enim non ſequi, Cappucinos illo tempore non eſſe introductos, & receptos, ergo id Epiſcopum facere non potuiſſe. Jura enim incorporalia ad ſui conſervationem non requirere actus continuos, ſed per actus etiam diſcretos & diſcontinuos exerceri poſſe, quibus poſſeſſio tam civilis quam realis continuari intelligatur. Neque in ſuſpenſa jurisdictione Eccleſiaſtica præſidium eſſe Proteſtantibus; Hanc enim ſaltem ſuſpendi contra ipſos Proteſtantes, eorumque ſubditos, at Statibus Eccleſiaſticis ſuis in territoriis & in ſuæ religionis conſortes integram eam atque intactam relinqui. Concludebant igitur Catholici omnes, cum cives Hildeſienſes nihil habeant, cur de ſui ſtatus turbatione in cauſa religionis querantur, eos nec reſtitutione habuiſſe opus, atque executionem contra Epiſcopum à Circulo factam adverſus Pacis formulam eſſe, atque adeo nullam irritamque. Quin Epiſcopum potius nunc in integrum reſtituendum. Hæc fere Deputati Catholici. Quod enim Bavarus præterea jactabat, neceſſe eſſe, ut probent Hildeſienſes deſtitutionem factam intuitu motuum bellicorum, id quidem in genere reſtitutionis verum eſt, quæ ex amneſtia petitur. Altera verò ex capite gravaminum nihil omnino ejusmodi requirit, ſed tota conſiſtit in habita certo tempore poſſeſſione, quæ unicum ejus eſt fundamentum; De cætero turbati vel quocunque modo deſtituti ſine ulla exceptione reſtituendi ſunt. *art. 5. §. 32*

Sed Proteſtantes diverſa omnia cenſebant, quamquam id advertere licuit, eos in hac cauſa defendenda argumentis niti non tam ex hac noſtra lege, quæ cauſæ judicandæ expreſſè data eſt, delumptis, quam ex aliis locis & textibus, qui directo pro diverſis caſibus ſcripti ſunt: Quod ſane indicium erat cauſæ ſi non malæ, certè tamen non omni ex parte probæ vel expeditæ. Ita Saxo initio ſtatim prolixe diſputat, an terminus anni vigeſimi quarti art. 5. §. 2. definitus ad ſubditos etiam mediatos, & non ad immediatos tantum ſtatus pertineat? Irrito prorſus conatu, cum paciſcentium intentionem non ex eo modo perſpicere potuiſſet, quod illo paragrapho 2do ſtatuum immediatorum tantum mentio fiat: Verum etiam ex ipſa terminorum diverſitate: Nam qui terminus dicto paragrapho 2do exprimitur, eſt dies prima Januarii anni 1624. At hoc noſtro in loco Subditis mediatis totus ille annus & quæcunque ejus pars conceditur, quod ſane amplius quid eſt, & pinguius; Reliquæ rationes Saxonis, quas huic rei conficiendæ adfert, levitate ſua & inſufficientia, non tam fulciunt cauſam ſuam, quam affligunt: Et imprimis ridiculum illud eſt, quod de vocabulo *itaque* argutatur, cujusmodi ſane argumentis Catholici ſe profligare non patiuntur.

Nec plus habent roboris, quæ de verbo *reſtitutionis* commentatur, qua voce non vult ſignificari *redditionem poſſeſſionis*, ſed *reſtitutionem ſtatus anni vigeſimi quarti*. Bene ſe res haberet, ſi hoc pacto comparatum eſſet, ſed huic expli-

Digitized by Google

cationi totus noſter articulus quintus reclamat, ubi non ſtatus loci, ſed homines in aliquem ſtatum reſtituuntur, quod ab illo longe diverſum eſt. Quanquam itaque ego hactenus aſſentiar, reſtitutionem ex mente paciſcentium non præſupponere deſtitutionem ſeu dejectionem à poſſeſſione juridica: Saltem tamen à qualicunque poſſeſſione, & quidem reali quem dejectum fuiſſe oportuit, qui reſtitui cupit. Quoniam, uti dixi, non loca in ſtatum aliquem reſtituuntur, ſed homines eum in ſtatum quo anno vigeſimo quarto fuere: Enimvero ejusmodi ſtatus ſine poſſeſſione aliqua ne concipi quidem poteſt; De cætero nihil intereſt, juſta vel injuſta illa poſſesſio fuerit, modo vera fuerit & realis.

Tertio illud etiam non magni momenti fuit, quod dictum, jus impeditivum ſive probibitivum novos ordines introducendi, qui dicto anno in locis non erant, ipſo ſtatu loci, qualis illo tempore fuit, Hildeſienſibus eſſe quæſitum. Quæſo enim, quid illis quæri potuit, quod nunquam habuerunt, vel exercuerunt? Equidem ut ſtatus anni vigeſimi quarti introſpiciatur, æquum eſt: Sed inſpectio illa eo pertinet, ut conſtet, quantum unusquisque illo tempore poſſederit vel exercuerit, quo etiam ſe uſus & obſervantia refert, quæ toto Inſtrumento pacis aliquod factum hominum præſupponunt, non ſimplicem loci conditionem aut hiſtoriam deſcribunt.

Quarto argumentum de Monaſteriis mediatis à paragrapho 26, deſumptum extendi huc non poteſt, cum de alia cauſa ibi tractetur. Quamquam ego hanc conſequentiam quam Proteſtantes inde elicere voluere, plane non comprehendam, ſic enim in voto Brandenburgico lego: Wann Catholici in dieſe ihre mediat Klöſter und Stifftungen welche ſie anno 1624. in der Evangel. Stände Lande beſaſſen, keine andere Orden einführen können, als zu denen Reguln ſie geſtifftet worden, daß ſolches vielweniger in ihren eigenen, der Catholiſchen Lande geſchehen könte. Ego potius iſta inverterem, cum rationi conſentaneum ſit, ut in ſuo unusquisque plus ſemper poſſit, quam in alieno.

Quinto non melioris eſt notæ quod de mixtis Civitatibus argumento paragraphi 29 in medium adducunt. Neque enim, quia ibi ſtatuitur ut Clerus in civitatibus Imperialibus mixtis eo ſtatu maneat, quo anno vigeſimo quarto fuit; Ergo ſequitur à contrario, in municipibus tolerari non deberi ordines religioſos, poſt illum annum introductos. Nam quæ ratio conſequentiæ in rebus adeo diverſis?

Atque hactenus Proteſtantes omnia ſua tela alienis ex pharetris petivere, nunc demum ad paragraphum noſtrum accedunt; Sed parci adeo ſunt hoc loco & invidi, ut quid ſibi velint, vix intelligas. Nam hæc tota res demum in id reſolvitur, paragrapho 32. mentionem fieri deſtitutorum & turbatorum, inter quæ verba hæc ſit differentia ut primum ſignificet realem ablationem vel dejectionem; alterum quascunque moleſtias,

Digitized by Google

§. 32. Turbati aut quocunque modo deſtituti verò a) ſine ulla

ſtias, turbationes aut impedimenta in Eccleſiaſticis. Eſto, ſit ita, non repugno. At quæ hæc moleſtia, quæ turbatio, quod impedimentum mihi in mea religione creatur, Si Dominus Territorii ſua in urbe Municipali ſuoque in Monaſterio, quod ſibi proprium, & in quo cives nihil omnino juris habent, ordines religioſos mutet, aliosque ſubſtituat aliis, cum exploratum ſit & ſine controverſia, quosdam illic eſſe poſſe invitis etiam ſubditis. Fac enim Proteſtantes quodam in loco anno 1624. non fuiſſe uſos Doctoribus Theologiæ, nunc autem eos pro commodo & ornamento ſuæ religionis velle recipere; Quid obſecro dicerent, ſi ab hoc eos Catholici, etiamſi Domini territorii eſſent, prohibere vellent? Hildeſii Jeſuitæ fuerunt, in horum locum Princeps Epiſcopus Cappucinos ſurrogavit. Proteſtantium omnino nihil ex habita aliqua poſſeſſione intereſt, cujus ordinis religioſi illic commorentur. Quid igitur tot clamores excitare, tot negotia faceſſere juvat? Quod ſi vero Hildeſiani privatis ex rationibus ſua intereſſe putarunt, ne Jeſuitæ cum Cappucinis permutentur, hæc ſane conſideratio Principi in uſu ſuorum jurium legem ferre non poteſt, quamvis miraculo ſimilis res eſſe videatur, quod Proteſtantes Hildeſiani pro Jeſuitis tam acriter contenderint, quos eodem tempore Proteſtantes Kauffbayerani equis virisque urbe ſua ejectos cupiebant, uti prolixe in ſuperioribus ad paragraphum 29. expoſitum fuit. Neque erunt valde multi ex Proteſtantibus, qui ſi daretur optio, mallent Jeſuitas ante Cappucinos apud ſe verſari, quando alterutros habere neceſſe eſt. Illi enim non poſſunt non moleſti eſſe nimia ſua curioſitate & novandarum rerum audacia. Hi ſaltem in rebus externis ob adſtrictiores vivendi regulas modeſtiam ſervant, & profeſſione paupertatis coërcent cupiditates, neque fere niſi vocati in conſilium rerum noſtrarum veniunt: De cætero fide probatiore, nec correpti adeo polypragmoſynes impetigine, quæ alteros totos occupat & inſidet.

§vus 32.

a) *Turbati aut quocunque modo deſtituti vero*) Hæc ſane usque ad verba *plenarie reſtituantur*, melius cohæſiſſent ſuperioribus, quorum pars ſunt; Ut novus §vus demum à verbis incepiſſet: *Itemque obſervetur &c.* Sed quia legi aliter viſum, nobis ſequendum eſt. Differunt autem turbati à deſtitutis in eo, quod illi in poſſeſſione rei maneant, aut exercitio religionis, cujus tamen cauſa moleſtias, & impedimenta ab adverſa parte perpetiuntur, ſive contumeliis & injuriis laceſſiti, ſive cum alio facto nobis officiatur, quominus uſus rei nobis ita liber eſt & turbis vacuus, qualem paciſcentes cuique eſſe jubent. Itaque ſi cui uſus etiam in parte aliqua exercitii adimitur, is magis pro deſtituto quam

ulla exceptione b) in eum, quo anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto fuerunt, ſtatum, c) plenariè reſtituantur. d) Idemque obſervetur ratione ſubditorum Catholicorum e) Auguſtanæ Confeſſionis

turbato habendus eſt. Illud autem *quocunque modo*, quod de deſtitutis dicitur, de turbatis etiam intelligendum eſt, ut ſenſus ſit non deſtitutos modo quocunque modo; Verum etiam quocunque modo turbatos reſtituendos eſſe.

b) *Sine ulla exceptione*) Rejiciuntur his verbis omnes exceptiones vel excuſationes, quas prætexere antehac ſolebant Domini territoriales, quibus ſubditorum diverſæ religionis libertas uſurpati exercitii & cœterorum jurium ægre faciebat.

c) *In eum quo anno 1624. fuerunt, ſtatum*) Igitur reſtituuntur ſubditi in eum ſtatum, quo ipſi dicto tempore fuerunt: Non autem reſtituitur ſimpliciter ſtatus loci, uti tunc fuit, ut mutari nulla ratione poſſit. Ex quo iterum liquet falſam eſſe, nec legi congruam eorum interpretationem, qui reſtitutionem intelligunt de ſtatu ſeu conditione cujusque loci, nach dem bloſſen, ſchlechten und euſerlichen Zuſtand jedes Orts. Hoc enim ſi voluiſſent paciſcentes, ipſis utique apertius loquendum fuiſſet. Dubito autem non ſine ratione, an id ipſum admiſſuri Proteſtantes ſtatus fuerint, quando ipſis negotium cum ſubditis ſuis Catholicis eſt.

Quo anno 1624. fuerunt) Hic addi ex ſuperiori paragrapho debet, *vel quacunque ejus parte:* Hæc enim ad eos non minus pertinent, qui reſtituendi ſunt, quam ad eos, qui exercitium retinuere, aut in poſſeſſione manſere.

d) *Plenarie reſtituantur*) *Plenarie* inquit lex, ſcilicet ut nihil omnino habeant, quod in reſtituto exercitio vel poſſeſſione, ſi cum ſtatu anni vigeſimi quarti confertur, deſiderent. Quamvis autem proprie reſtitui dicatur is, qui deſtitutus vel dejectus eſt poſſeſſione alicujus rei: Hic tamen ad turbatos etiam hoc pertinet, hoc ſenſu, ut reſtituti eſſe videantur, quibus liber & imperturbatus uſus ſeu religionis ipſius, ſeu rerum ad exercendam religionem deſtinatarum iterum permittitur. Hoc enim pacto fere comparatum eſt cum omnibus juribus quibus alieno facto non tam dejici poſſumus, quam in eorum exercitio impediri, ut deinde reſtitutio nihil aliud ſit quam obſtaculi poſiti remotio: Quamobrem cogitandum amplius erit, an non commode fieri poſſit, ut turbati univerſim intelligantur de iis, qui in juribus & actibus turbantur. *Deſtituti* vero cum de re aliqua corporali dejiciuntur, veluti Templo, Hoſpitali, Monaſterio &c.

e) *Idemque obſervetur ratione ſubditorum Catholicorum*) Huc usque actum eſt de ſubditis Auguſtanæ Confeſſioni addictis, qui Statibus Catholicis ſubjecti ſunt. Hic igitur ſtatuitur, ut ſubditi Catho-

feſſionis Statuum, ubi dicto Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto uſum & exercitium Catholicæ Religionis publicum aut privatum habuerunt f).

§. 33. Pacta autem, a) Transactiones, Conventiones aut Con-

Catholici idem jus habeant ſub Proteſtantibus Statibus; quod merito ſic placuit mutuæ & exactæ æqualitatis cauſâ, ne illi præ his meliori ſint conditione. Atque ſane Proteſtantes hactenus ſancte hanc legem ſervarunt; Utinam Catholicis etiam Statibus eadem ubique mens & æquitas fuiſſet. Sed querelæ Proteſtantium, quæ à facta ſtatim pace Weſtphalica per Imperium increbuere, & in hunc usque diem in immenſum auctæ ſunt, tum vero imprimis infelix ille exitus Deputationis Francofurtenſis, ubi Proteſtantes nulla omnino in cauſa jus & æquum à Catholicis impetrare potuerunt, ſed indignis modis & cavillis per factioſam conſpirationem eluſi ſunt, ſatis oſtendunt, qui culpam ferat, pacis non bona fide, uti oportuit, executæ, & quæ Proteſtantes deinde expectare debeant, niſi aliquando fortioribus conſiliis huic malo inteſtino remedium adhibeant.

f) *Ubi dicto anno 1624. uſum & exercitium Catholicæ religionis publicum aut privatum habuerunt.*) Quamvis vero hic uſus ſaltem & exercitii Catholicæ religionis mentio fiat, non tamen eſt dubitandum, quin de templis, fundationibus, Monaſteriis & ſimilibus, eorumque pertinentiis, reditibus & acceſſionibus idem plane ſit ſtatuendum, quod lex ſuperiori paragrapho bono Proteſtantium conſtituit. Si tam paucis & generalibus verbis nobis cautum fuiſſet, habuiſſent forte iterum Pontificii Dilligenſes, in quo artem ſuam ſophiſticam exercerent, veluti non ſcriptum vel expreſſum pro omiſſo eſſe reputandum. At nobis bona fides magis cordi eſt; cum enim lex ait, idem obſervetur, hoc non ad exercitium tantum religionis, ſed & ad templa & cætera ſpectat, quatenus in poteſtate Catholicorum conſtituta fuere.

Anno 1624.) Vel quacunque ejus parte, quod iterum ex ſuperiori paragrapho ob rationem exactæ æqualitatis ſervandæ repeti debet.

§. 33.

a) *Pacta autem*) Cohærent hæc cum præcedentibus. Dictum enim fuerat paragrapho proximo turbatos aut quocunque modo deſtitutos ſine ulla exceptione eſſe reſtituendos in ſtatum anni vigeſimi quarti. Cum vero multis locis interea contigiſſet, ut inter immediatos Imperii Status, eorumque Status Provinciales & ſubditos pacta, transacta, conventa aut conceſſa quædam fuerint, quæ à ſtatu & obſervantia dicti anni in multis abiere, itaque huic exceptioni ſpecialius occurrendum eſſe eo magis exiſtimavere Paciſcentes, quo ſpecioſior erat

Conceſſiones, b) quæ inter tales immediatos Imperii Status, eorumque Status provinciales & ſubditos ſupradictos c) de publico vel etiam privato exercitio Religionis d) introducendo, permittendo & conſer-

erat titulus ex mutuo partium conſenſu, quamvis ſæpe horrori Principis aut metu ejus indignationis ſubditis multa diſſimulanda aut indulgenda fuere, in quæ libera prorſus voluntate nunquam conſenſiſſent.

b) *Pacta, tranſactiones, Conventiones, conceſſiones*) Non opus eſſe arbitror, hæc ſollicite inter ſe diſtinguere, cum ad juris privati ſcrupuloſitates magis pertineant. Facile tamen ad hæc quatuor genera, quicquid inter Dominum & ſubditos actum forte placitumque eſt, referri poteſt. Pacta etiam nuda, & quæ jure Civili actionem non producunt, hic veſtit lex. Tranſactiones plerumque ſuper re dubia & litigioſa fiunt. Conventionum generale eſt fundamentum, quod omnes includit ſpecies; Et conceſſiones denique videntur eſſe eorum, quæ Princeps ſubditis ſeu proprio motu, ſeu in honorem pro bene meritis: Seu denique neceſſitate aliqua, modo vis & coactio abſfuerit, indulſerat: Veluti ſi præſenti pecunia aut officiis aliis quædam ſibi commoda aut privilegia in religione compararunt. Hæc omnia non aliter rata & firma ſunt, quam ſi cum obſervantia dicti anni vigeſimi quarti conſpirant; reliqua reſcinduntur, vel ad modum hujus obſervantiæ reducuntur. Quicquid igitur per pacta illa & conventiones Dominus amplius conceſſit, aut ſubditi minus habent, id omne intra juſtos pacis Weſtphalicæ terminos redigi debet, qui cuique jus ſuum circumſcribunt & admetiuntur.

c) *Quæ inter tales immediatos Imperii ſtatus eorumque Status provinciales & ſubditos ſupra dictos*) Subjectum ejuſmodi Pactorum & Conventionum ſunt Status immediati & eorum ſubditi, inter quos hæc facta ſunt: Quamvis alio conſiderandi modo etiam cauſa efficiens poſſint vocari, quoniam originem & ſubſtantiam ſuam ab eorum conſenſu habent. Oportet autem conventiones eſſe initas inter Status & Subditos *ſuos* Verbo: *Eorumque ſubditos.* Quæ igitur pacta ſtatus immediati cum aliis immediatis Statibus, aut Status immediati cum ſubditis aliorum Statuum; Vel ſubditi cum Statibus, qui non ſunt eorum Domini Territoriales, inierunt, hac lege non judicantur.

d) *De publico vel etiam privato exercitio religionis*) Objectum eſt exercitium religionis, ſive publicum ſive privatum id fuerit, intellige autem religionem à religione Domini diverſam; quæ enim eadem eſt, inter Dominum & ſubditos nullis pactis opus habet, cum ubique fere comparatum ſit, ut religio Dominantis non modo publica etiam ſit, & Domi-

Digitized by Google

conſervando e) ante hâc interceſſerunt, initæ & factæ ſunt f) eatenus ratæ & firmæ manento g) quatenus obſervantiæ dicti anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi quarti h) non adverſantur, i) nec ab iisdem

Dominans; Sed & orthodoxa. Nam id humani generis eſt vitium, ut nemo cum autoritate errare velit.

e) *Introducendo, permittendo & conſervando*) Pacta de exercitio religionis *introducendo* ſunt, cum religionem eo loco nondum cognitam aut firmatam introduci patimur. De *permittendo*, cum introductæ clam aut vi manſionem permittimus, data fide de ſecuritate exercitii. De conſervando, cum inſuper Protectionem ejus & defenſionem contra aliorum injurias ſuſcipimus, atque promittimus, eodem honore, dignitate, privilegiis & juribus utramque religionem fore, iis tantummodo prærogativis exceptis, quas lex vel pactum uni ante aliam procuravit.

f) *Ante hac interceſſerunt, initæ aut factæ ſunt*) *Ante hac* i. e. ſive ante annum vigeſimum quartum, ſive poſt illum, ante tamen confectam pacem. De cœtero verba, *interceſſerunt*, *initæ aut factæ ſunt*, pro Synonymis habeo, inter quæ nulla, quoad vim eorum, magna erit differentia, niſi duo priora ad actus tranſactionis, poſtremum ad ejus concluſionem referre velis, quod per me licet, cui volupe non eſt, ejusmodi ſectari minutias, & in vocabulis ſcrupuloſum eſſe, ubi de ſenſu dictionis conſtat.

g) *Eatenus rata & firma manento*) Non itaque in totum abrogantur hæc pacta & conventiones, ſed rata & firma manent, hac lege, ne tamen adverſentur obſervantiæ anni 1624.; Qua parte igitur huic obſervantiæ contraria non ſunt, ſuo in vigore manent, etſi quædam complectantur, de quibus pax Weſtphalica non ſtatuit. Cœterum in eo errat Buckiſch ad hunc §, quod putat, hic omnia & ſingula pacta cum ſubditis, *vel Statuum inter ſe*, inita illibata ſervari, niſi anno vigeſimo quarto contraria. De pactis enim quæ ſtatus inter ſe antehac inivere, hic nihil diſponitur. Nam de quibus Epiſcopus Hildeſienſis, & Duces Brunſvico-Luneburgenſes de exercitio religionis Statuum & ſubditorum Epiſcopatus Hildeſienſis anno 1643. convenere, ea non ad regulam, ſed exceptionem videntur pertinere: Aut dicendum eſt, cum Duces Brunſvicenſes nomine Subditorum Hildeſienſium, eorumque commodo pacti ſint, rem ita eſſe conſiderandam, ac ſi pacti ipſi ſubditi cum Epiſcopo fuiſſent.

h) *Quatenus obſervantiæ dicti anni 1624.*) Allegatur hic quidem obſervantia anni vigeſimi quarti, & paulo poſt additur, quod hæc obſervantia *inſtar regulæ obtineat*. Sed id procul dubio ex ſuperioribus ſic eſt explicandum, ut ſenſu affirmativo intelligatur, quatenus id obſervatum facto hominum eſt, non vero ſenſu negativo, ut pro obſervantia etiam

etiam habeatur quod dicto anno obſervatum non fuit, ad hunc effectum, ne obſervari deinceps diverſum, aut fieri unquam fas ſit Fac enim extare aliquod pactum, inter Dominum & ſubditos, quo his conceditur uſus ad ſuæ religionis exercitium omnium illo loco templorum, ſubditos autem anno vigeſimo quarto certa tantum templa in poteſtate habuiſſe, alia ab omni cultu divino jacuiſſe vacua; Num obſervantiæ id erit, ut poſthæc perpetuo vacent? Non crediderim. Id certum ex ſuperioribus, ſubditos ſibi vindicare non poſſe, quæ in poteſtate ſua non habuerunt. Eſt itaque legis & obſervantiæ, ut ſpectent ad Territorii Dominum, qui illis rebus ſuos ad uſus jam recte utitur quæ anno vigeſimo quarto à nemine privato poſſeſſæ in Patrimonio Principis eſſe cenſentur, cujus ubique eſt omne illud, quod non eſt privatorum. Sed hac de re jam ſæpius aliis occaſionibus eſt actum.

i) *Non adverſantur,*) i. e. Si huic obſervantiæ non ſint contraria. Quid vero dicendum de caſu, quando ejusmodi pacta non ſint contra obſervantiam, ſed præter illam, nam hoc quotidie in omni fere lege evenit, ut multa præter legem eſſe poſſint, quæ non ſunt contra legem; quo omnes actus indifferentes referuntur. Quamquam vero hac noſtra in cauſa id ſpeciale ſit, ut lex noſtra ex ſola poſſeſſione certo tempore habita cujusque jura definiat; quæ jura eſſe definunt, ſi quis infra illud tempus aut ſupra poſſederit, ut hinc adeo non videatur caſus dari poſſe, qui præter legem ſit. Rem tamen paulo attentius conſiderantibus forte diverſum apparebit: Ita enim comparatum eſt, ut juribus noſtris ſæpe naturaliter inſint res quædam, quas exiſtimamus in poteſtate noſtra tum etiam habuiſſe, quando actu non ſunt exercitæ, ſive defuerit occaſio, ſeu illo tempore rationes noſtræ non tulerint, ut de negotio ſuſcipiendo cogitaſſemus. Diſtinxere jam pridem Evangelici etiam in conventu Deputationis Francofurti habito, inter mutationem capitalem, quæ contra ſtatum anni 24, fit, & inter illam, quæ arcem rei non alterat, ſed in ſuperficie ſaltem verſatur. Ita ſi mihi quodam in templo liberum eſt meæ religionis exercitium, ego contra pacem feciſſe non videbor, ſi ornamentis templum vel ceremoniis cultum divinum auxerim, quorum anno vigeſimo quarto nullus adhuc uſus erat. Fac tum calices fuiſſe ſtanneos, altaria pictis linteis tecta, miniſtros verbi veſte profana uſos; Num propterea aureos non habere calices: Altaria ſericis vel auro textili non operire; Sacerdotes togam talarem ſtolamque induere non licet? Ita anno 1624. quatuor forte fuerunt aræ in templo, Subditi adhuc duas ædificare volunt: Prohibere eos hac devotione nemo poterit. Sunt quidem hæc præter obſervantiam dicti temporis, ſed non ſunt contra illam obſervantiam, neque eidem adverſantur. Breviter, quicquid ex natura rei fluit, & cujus impediendi facultatem altera pars anno 1624. ſaltem facto ſibi non arrogavit, id ab altera poſ-

ſeſſum

Digitized by Google

ſeſſum habetur, etiamſi non obſervatum vel exercitum fuerit, modo non ſit pars quædam principalis exercitii religionis, ſed acceſſoria & ceremonialis. Illa ut celebratio miſſæ, circumgeſtatio aut expoſitio venerabilis, concionum habendarum libertas, confeſſio auricularis &c. non ultra poſſeſſa intelliguntur, quam ſunt exercita: Hæc enim ſingula ad ſubſtantiam religionis pertinent, & ejus exercitium publicum conſtituunt, ubi mea multum intereſt, quantum liceat ſubditis diverſæ religionis; At quam panis formam, quod vini genus, quas preces in celebranda miſſa adhibeas; num venerabile ære vel argento incluſum circumgeſtes, num conciones longas aut breves habeas, modo id meis horis fraudi non ſit, num confeſſiones audias in uno ſcamno, aut ſedibus cancellis diſtinctis, id vero ad me nihil pertinet, quomodo anno vigeſimo quarto obſervatum fuerit. Erunt itaque hæc non contra obſervantiam, ſed præter illam, poſſunt enim quædam anno vigeſimo quarto in uſu non fuiſſe, quæ poſtea uſurpata ideo non ſtatim ſunt contra obſervantiam iſtius anni, uti nonnulla eo tempore potuere facta eſſe, quæ exercitii vel obſervantiæ nomen & effectus non habent.

Miſcentur enim non raro res indifferentes, aut quæ meræ facultatis fuere, cum rebus ſacris, & earum exercitio. Exempla quædam recitat Buckiſch ex quodam manuſcripto Schützii, quæ hic ad perſpiciendum melius ſententiam noſtram transſcribere à re non erit alienum:

Es werde offt der Status anni 1624. ad res liberæ facultatis, mere ſecularia, politica & adiaphora cum manifeſta contradictione pacis gezogen, und allegiret, als daß (1) anno 1649 bey damahliger Friedens-Execution in Schwaben und am Rheinſtrom die Stadt Ravensburg ſich nicht geſcheuet zu begehren, daß die Catholiſche daſelbſt ein neues gebauetes Gitter in der Kirche wieder abbrechen, und das alte Wurmſtichige wieder anſchlagen möchten, weiln anno 1624. kein eiſernes, ſondern höltzernes da geweſen ſey. (2) Hätten ein halb Dutzend Evangeliſche Bürger der Catholiſchen Stadt Hagenau begehren dürffen, dem Catholiſchen Magiſtrat daſelbſt anzubefehlen, Sie in den Rath zu nehmen, weiln anno 1624. auch einige Evangeliſche Rathsherren geweſen wären. (3) Hätte die Stadt Speyer begehren dörffen, denen Auguſtinern daſelbſt zu befehlen, daß ſie männiglichen den Gang über ihren Kirchhoff als eine gemeine Straſſe verſtatten ſollen, weiln ſolches anno 1624. niemanden verwehret geweſen ſey. (4) Hätte die Stadt Heilbron eine Commiſſion wieder den Herrn Prälaten zu Käyſersheim anbringen und begehren dörffen, Ihme zu befehlen, daß gleich wie er anno 1624. ſeinen Hoff daſelbſt durch einen weltlichen Schaffner habe adminiſtriren laſſen, alſo auch noch ferner, und durch keinen ſeiner Geiſtlichen (der ſich doch keinen exercitii religionis Catholicæ im geringſten anmaſſe) mehr

dem niſi mutuo conſenſu recedere liceat, k) non attentis, ſed annihilatis omnibus l) Anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi quarti obſervantiæ, m) utpote quæ inſtar regulæ obtineat, n) contrariis latis ſenten-

verwalten laſſen ſolle. Hic unicum illum caſum urbis Hagenoæ excipio, ubi ſenatus anno 1624. publico quodam civitatis pacto ex utraque religione mixtus fuit. Cætera exempla ejus ſane generis ſunt, ut talia ad obſervantiam anni vigeſimi quarti referre, atque exinde jus ſibi aliquod vendicare velle puerile & ridiculum foret. Ut res omnis clarior fiat, inſpiciendum probe eſt, quid pax Weſtphalica ſubditis concedat? Sunt autem hæc duorum generum. Primum, *Exercitium publicum vel privatum ſuæ religionis cum annexis.* & alterum: *Poſſeſſio templorum, fundationum, monaſteriorum, Hoſpitalium &c. cum pertinentiis, reditibus, & acceſſionibus, quæ in poteſtate eorum conſtituta fuere.* De his omnibus pacta & conventiones inter Dominum & ſubditos initæ eatenus tantum valent, quatenus obſervantiæ anni vigeſimi quarti non adverſantur; quæ autem huc referri non poſſunt, etſi aliquam ad exercitium religionis relationem habere videantur, de iis uti actio ex formula hujus legis non datur, ita nec pacta de illis inita præciſe ad nudum ſtatum illius anni, prout unumquodque eo tempore forte erat, exigenda ſunt.

k) *Nec ab iisdem niſi mutuo conſenſu recedere liceat.*) Ab his pactis, quatenus obſervantiæ anni vigeſimi quarti adverſantur, ut recedatur, ipſa lex jubet, reductione ad ſtatum dicti anni in omnibus facta. *arg. art. 5. §. 2.* Quatenus vero ſic reducta ſunt, aut alias cum obſervantia illa non pugnant, ab iis niſi mutuo conſenſu recedere non licet, quod in ſecuritatem ſubditorum eſt ſtatutum, ne Domini Territoriales per decreta aliasve conſtitutiones exercitio religionis ſubditorum, eorumque poſſeſſioni habitæ præjudicium creare auſint.

l) *Non attentis ſed annihilatis omnibus*) Quodſi vero ante pacem quicquam iſtis pactis adverſum jam ſive à Dominis ſive à ſubditis obtentum fuerit, id omne reſcinditur & annihilatur, etiamſi illud à latis ſententiis aut reverſalibus robur ſuum aut valorem mutuetur.

m) *Obſervantiæ anni 1624*) Hic repetendum: *aut cujuscunque ejus partis.*

n) *Utpote quæ inſtar regulæ obtinent.*) Obſervantia dicti anni inſtar regulæ quidem obtinet; Sed eo ſenſu, de quo in ſuperioribus prolixius eſt actum. Hic enim obſervantia anni non eſt nudus ſtatus ſeu conditio loci, prout res eo tempore ibi fuere repertæ; Sed prout à Dominis aut ſubditis tum exercita aut poſſeſſa ſunt, id quod paragraphus 31. luculenter probat, ubi exercitium religionis ſive publicum ſive privatum non menſuratur ex ſtatu loci, ſed ex eo, quatenus ipſi ſubditi religionem exercuerunt,

Digitized by Google

ſententiis, o) reverſalibus, pactis, p) quibuscunque Tranſactionibus q). Et inter illa quæ Epiſcopus Hildeſienſis & Duces Brunſvico-Luneburgenſes de Religione, ejusque Exercitio Statuum & Subditorum Epiſcopatus Hildeſienſis, nonnullis pactis Anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo tertio tranſegerunt r) Excipiantur verò à dicto termino, & Catholicis reſerventur novem Monaſteria in Epiſco- Hildeſienſis Epiſcop. & Epiſcopatus.

runt, aut templa poſſederunt; inter quæ ingens utique eſt differentia.

o) *Contrariis latis ſententiis*) Reî judicatæ ut & transactionum magna alias authoritas & vis; At hic bonum publicum privatis rationibus præfertur.

p) *Reverſalibus pactis)* Sunt reverſales diverſorum generum. Hic procul dubio promiſſa, quæ ſubditi Domino, aut viciſſim hic illis facit, ſe jure ſuo ſive per pacta ſeu alio modo quæſito, non usuros. Nam ſi pactum anterius cum obſervantia anni vigeſimi quarti congruit, reverſales ei fraudi eſſe non poſſunt.

q) *Pactis, quibuscunque transactionibus*, De his jam ſæpius in hoc art. 5. actum fuit:

r) *Et inter illa, quæ Epiſcopus Hildeſienſis, & Duces Brunſuico-Luneburgenſes de religione ejusque exercitio Statuum & Subditorum Epiſcopatus Hildeſ. nonnullis pactis an. 1643. transegerunt*) Regulariter hoc noſtro paragrapho tractatur de pactis, quæ inter Status immediatos eorumq; ſubditos inita ſunt. Speciale igitur eſt, quod Duces Brunſuicenſes cum Epiſcopo Hildeſienſi ad ſecuritatem ſtatuum Provincialium atque Subditorum Auguſtanæ Confeſſioni addictorum, de religione ejusque exercitio ſunt pacti, idque anno 1643. paucis ante pacem factam annis, cujus reî origo & occaſio paulo altius ſed breviter repetenda eſt. Intulerat anno 1519. Epiſcopus Hildeſienſis Johannes, è Domo Saxen-Lauenburgica oriundus, Ducibus Brunſuicenſibus Erico & Henrico, nec non Præſuli Mindenſi bellum, cùm ſuarum virium fiducia, tum imprimis Henrici Luneburgenſis aliorumque fœderibus fretus. Sed mox à Carolo ob violatam pacem publicam proſcribitur, & maxima parte ſuæ ditionis exuitur, quam cum ultra ſeculum Brunſuicenſes tenuiſſent, majoris diœceſeos nomen accepit: appellatione minoris in ea parte manente, quæ Epiſcopis relicta fuit. Sed ſucceſſu temporis ab Epiſcopis lis Brunſuicenſibus in Camera mota, & anno 1629. publicata ſententia, quæ reſtitutionem injungebat. Ab hac ſententia cum Fridericus Ulricus Dux Brunſvicenſis reviſionem petiiſſet, atque etiam impetraſſet, res usque ad annum 1642. pertracta eſt, quo tempore Goslariæ anno 1642. de amicabili compoſitione actum, & anno ſequenti ita transactum eſt, ut Epiſcopo ditiones cum in ſtatum reſtituerentur, quo anno 1519. fuere, de-

 tractis

Epiſcopatu Hildeſienſi ſita, s) quibus Duces Brunſuicenſes certis conditionibus eodem anno ceſſerunt t).

§. 34.

tractis tantum quatuor præfecturis quæ Brunſvicenſibus cedebantur. Actum fuit inter alia de conſervanda religione Evangelica, quæ iis in locis interea ſe ſtabiliverat, dum Brunſvicenſes rerum potirentur. His, ut maneret inviolata, obnitentibus; Epiſcopo vero, qui tum Epiſcopus ſimul Colonienſis erat, ad hanc obligationem immobili, poſt longas & difficiles diſceptationes tandem convenit, ut nobilibus Auguſtanæ Confeſſionis liberum & publicum exercitium indulgeretur ad ſeptuaginta annos, civitatibus vero, pagis & vicis, ad quadraginta, computandos à termino traditionis. Hoc pactum nunc lex Weſtphalica plane tollit, perpetuumque exercitium, ut aliis ſubditis, confirmat. Exhibetur iſte Receſſus, ut vocatur, religionis in Vindiciis Hildeſienſibus part. 2. pag. 43. ubi ad longum legi poſſunt, quæ tum hanc circa rem conventa fuere. Interea illud admittendum plane non eſt, quod iſtæ Vindiciæ Hildeſienſes obtinere velle videntur, à dicta transactione in hoc ſolo receſſum eſſe, quod ad annos ſeptuaginta & quadraginta attinet, reliqua omnia pacem Weſtphalicam ſuo loco reliquiſſe. Nam illud etiam, quod ibidem habetur, de libera poteſtate introducendæ Catholicæ religionis omnibus in locis & templis Proteſtantium, quam ſibi Epiſcopus reſervavit, eatenus eſt intelligendum, quatenus id obſervantiæ anni vigeſimi quarti non adverſatur. Nihil enim præcipui Epiſcopus Hildeſienſis ante alios ſtatus hic propterea obtinuit, quod ejus mentio ſpecialis facta fuerit, ſed nihilo magis communi pacis hac quidem in cauſa diſpoſitioni ſubjacet.

s) *Excipiantur vero à dicto termino, & Catholicis reſerventur novem Monaſteria in Epiſcopatu Hildeſienſi ſita*) Hæc exceptio duplicem habuit effectum; primo ut hæc novem Monaſteria eximerentur à diſpoſitione paragraphi, *quacunque Monaſteria &c.* nec ex formula ejus reſtitutioni ſubjacerent, quæ alias Domui Brunſvicenſi facienda fuiſſe, cum hæc eo anno 1624. indubie poſſediſſet. Et mirum ſane eſt Brunſvicenſes Duces ab hac univerſali lege ſe hactenus excludi paſſos, cum vix ulla alia ſit toto Inſtrumento pacis, quæ pluribus cautelis, & majori circumſpectione fuerit condita; imo univerſaliori definitione omnibus exceptionibus peſſulum obdiderit, ne quis ejusmodi Monaſteria alia titulo vindicare ſibi poſſit, quam ſola poſſeſſione, anno 1624. habita quæ unicum ſolumque reſtitutionis & futuræ obſervantiæ fundamentum eſſe jubetur, rejectis quibusvis exceptionibus, quocunque nomine poterunt excogitare. Quandoquidem igitur alias Duces Brunſuicenſes rerum ſuarum admodum ſint ſatagentes & providi, qui

ſe adeo

Digitized by Google

§. 34. Placuit porro, a) ut illi Catholicorum ſubditi Auguſtanæ Confeſſioni addicti, ut & Catholici Auguſtanæ Confeſſionis Statuum ſubditi, b) qui Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto publicum vel etiam privatum Religionis ſuæ Exercitium nulla anni parte habuerunt, c) nec non, qui poſt pacem publicatam, dein-

ſe adeo facile ab hujus legis præſidio depelli paſſi non fuiſſent, mihi utique nihil ſuccurrit, quo hanc excuſare facilitatem poſſim, quam ut credam, eo tempore, quo lex *quæcunque Monaſteria &c.* perfecta eſt, de Monaſteriis Hildeſienſibus jam tranſactum fuiſſe, etiamſi horum mentio in ſequentibus demum ſit facta. Neque enim ullo modo mihi veriſimile fit, ſi Brunſvicenſes ex pace hoc telum jam paratum habuiſſent, quo ſe à reſtitutionis neceſſitate excuſarent, laturos ipſos fuiſſe, ut poſteriori lege id eis rurſus è manibus extorqueretur, aut ita ſaltem hebeſceret, ne, quod aliis omnibus utile eſt, ſibi ſolis prodeſſet.

Alter effectus hujus exceptionis in eo conſiſtit, ne ſubditi Hildeſienſes, qui anno vigeſimo quarto iis in monaſteriis ſuæ religionis exercitium habuerunt, id retinere deinceps poſſint ex formula paragraphi: *Hoc tamen non obſtante.* Reſervantur enim hæc Monaſteria Catholicis, quo excluſi Proteſtantes intelliguntur.

t) *Quibus Duces Brunſvicenſes certis conditionibus eodem anno ceſſerunt.*) Iſtæ conditiones fuere, ut hæc Monaſteria in alios religioſorum ordines non transferantur, quam ad quos de jure pertinent. Sic enim tranſactio: Daß wir diejenige Cloſter, ſo uns inhalts dieſer tractation eingeraumet werden, mit denen religioſis beſetzen laſſen wollen, welche rechtswegen darzu befugt.

§. 34.

a) *Placuit porro*) Triplex fere conditio eſt ſubditorum in Imperio, qui diverſam à Domino territorii religionem profitentur, habito ad religionem illam reſpectu: Alii enim publicum exercitium anno vigeſimo quarto habuere, alii privatum ſaltem: Alii denique neutrum: i. e. nec publicum nec privatum. De prioribus duobus jam actum eſt, ſequitur ergo quid illis fieri debeat?

b) *Ut illi Catholicorum ſubditi, Auguſtanæ Confeſſioni addicti, ut & Catholici Auguſtanæ Confeſſionis Statuum ſubditi.*) Exæquantur ergo hoc etiam loco ſubditi utriusque religionis, nec quisquam præcipui quid ante alium habet.

c) *Qui anno 1624. publicum vel etiam privatum religionis ſuæ exercitium nulla anni parte habuerunt.*) Quid vero, ſi demum poſt annum illum ſibi aliquod exercitium ſive publicum ſive privatum, ſive pacto aliquo, ſeu ſolo facto compararunt? Iſti eo jure cenſentur ac illi, qui poſt pacem publicam mutarunt religionem.

d) Nec

Digitized by Google

deinceps futuro tempore diverſam à Territorii Domino Religionem profitebuntur, & amplectentur, d) patienter tolerentur, e) & conſcientia

d) *Nec non qui poſt pacem publicatam deinceps futuro tempore diverſam à territorii Domino religionem profitebuntur, & amplectentur.*) Hic jam propria eſt ſedes, ubi lex ſubditis cavet de libertate conſcientiarum & optione religionum. Licet enim etiam poſt pacem publicatam deinceps futuro tempore diverſam à territorii Domino religionem profiteri & amplecti. Nam caſus, cui lex decreto ſuo providet, eo ipſo refertur inter permiſſa, hac conditione & pacto, quo circumſcriptus eſt.

e) *Patienter tolerentur*) Quamdiu nimirum nec ſponte migrare voluerint, nec à Domino territorii juſſi fuerint, ut migrent. Neque enim exiſtimandum eſt, his verbis: *Patienter tolerentur* omnimodam neceſſitatem territorii Dominis impoſitam tolerandi ſubditos, nam paragrapho 36. ſequenti, illis facultas etiam datur imperandi ſubditis migrationem. Itaque hi duo paragraphi aliter ſibi conciliari non poſſunt, quam ut dicamus, hoc noſtro præſcribi Dominis, quid eis faciendum, dum ſubditi in loco manent, neque ſponte aut juſſu Domini migrant; Illo vero §. 36. indicari, quid ſubditis conceſſum, ſeu voluntate ſeu neceſſitate abituris. Quibus igitur manſio permittitur, *Patienter tolerentur* i. e. non ab omni modo maleficio, injuria & contumeliis ſint tuti; verum etiam liberaliter, manſvete, & clementer habeantur, & pari cum aliis civibus jure in loco vivant. Pari ſint honore & fama, neque ulla inter eos in adminiſtratione juſtitiæ conſtituatur differentia; Nam hoc *Patienter tolerare* hic non ſignificat affectum turbidum moleſtiæ, doloris, invidiæ & odii, Veluti Gallorum eſt proverbium, *Patience par force*, nam qui his motibus reguntur, imperare ſubditis poſſunt, ut migrent, ſed tolerantiam cum miſeratione & amore, uno verbo, cum Patientia Chriſtiana conjunctam, quæ errantibus non iraſcitur, ſed ignoſcit, & miſericordiæ ſinus pandit, ea ſpe, fore aliquando, ut ad meliorem mentem redeant, cum Deo viſum erit, cujus unice eſt opus, ſpiritu ſuo illuminare humanum intellectum, & diſpellere tenebras ſua luce, quibus humanum genus opertum omne eſt poſt lapſum. Homines ſane hæc ſuâ prudentia naturali & diſputationibus, profano more inſtitutis fruſtra agunt. Interea non improbo, cum bonis verbis, clementia, & beneficiis diſponuntur homines, ut manſveſieri incipiant, & præjudiciis liberentur, quibus non modo intellectus eorum occupatus, ſed imprimis voluntas impedita eſt & conſtricta, ut nolint auſcultare meliora docentibus; Ita enim nobiſcum comparatum eſt, ut quamdiu nolumus intelligere, omnis opera in intellectu formando perdatur. Voluntas autem libera eſt, nec cujusquam

quam imperio ſe patitur trahi, donec ipſa ex ſe velit; Igitur à vi & coactione ut abſtineamus in convertendis hominibus, ratio etiam nos monet, experientia autem tot infinitis exemplis teſtatur, violenta reformatione aut nullum omnino operæ pretium factum, omnesque conatus contrario & funeſto plerumque eventu Reformatoribus illis ſtetiſſe. Aut ſi utique homines metu tandem compreſſi ſunt, ex probis & ingenue devotis in maximos ſimulatores atque hypocritas degeneraſſe, quorum ſimulata pietate Clero quidem externis in rebus ſatisfieri poteſt, Deo autem hoc pacto quæri non poſſunt, qui ei in ſpiritu & veritate ſerviant: Veros adoratores eſſe convenit. Hunc enim finem omnis religio natura ſua intendit, non ut ex devotione hominum alii quæſtum faciant, ſed unusquisque propitium ſibi Deum habeat. Hic docendi quidem de mediis aſſequendi hujus finis ſunt homines ignari: Enim vero quemadmodum aliis in rebus invito beneficium non datur, ita relinquendi ſunt ſuis ſenſibus, qui ductum aliorum ſequi nolunt; Quamprimum iſtos ſub ſpecie officii cogere volumus, ut contra animi ſententiam meis ſe ſacris accommodent, ea coactione protinus declaramus, malle nos nobis ſatisfieri hoc obſequio, quam Deo, qui coactam omnem religionem & cultum, etiamſi alias cum veritate conſpiraret, odio habet, & vehementer execratur. Hæc ſi conſiderarent Principes, neque ambitioſo & avaro Clero faciles præberent aures, ſane tot triſtia exempla ubique fere locorum non extarent, quibus admonemur, nuſpiam fere intempeſtivum illum reformandi ardorem bene ceſſiſſe, imo aliquando Reformatores iſtos imprudenter fortunarum ſuarum atque imperii feciſſe jacturam; Quot ſumptibus, cladibus, provinciis ſtetit hæc inſania Hiſpanis? Quam mutationem, quantasve clades eam ob rem Germania ſenſit? Quam parum ſæpe Auſtriaca Domus non modo à periculo ſuæ dignitatis, ſed & excidii abfuit? Quantis æſtibus jactata Anglia eſt? Neque habent opinor Galli, cur eam ob rem valde glorientur. Equidem non nego, ſine turbis & ſeditione rem de Edicto Nannetenſi abrogando transactam eſſe; commodum & utilitatem, quam Rex ex hoc negotio confecto percepit, tantam eſſe non credo, quantum damni ſenſit ex alienatis ſubditorum animis, atque migratione tot millium, qui regno exceſſerunt non aſportatis modo diverſas in regiones ingentibus pecuniarum ſummis, ſed & damno commerciorum maximo, quæ artifices & opifices iis in locis, quo lares tranſtulere, ſtabilire occeperunt, cum ante hæc id genus merces ex ſola fere Gallia peterentur ſubditis eo mercatu diteſcentibus, regiis autem vectigalibus in immenſum auctis. Animadverterunt enim rerum gnari, regias opes multis annuis millionibus ab eo tempore decreviſſe, cum in Proteſtantes Gallos tam ſevera perſecutionum procella incubuit. Et utut hæc decrementa Rex nullo loco habeat, quam repentinis caſibus ipſe no-

ſcientia liberà domi devotioni ſuæ, f) ſine inquiſitione aut turbatione

vis illis converſis fidere poſſit, in Cevennis nuper cognitum eſt, quibus locis manipulus fere hominum totos exercitus ſummosque duces occupavit, & ſæpe damnis non vulgaribus affecit.

f) *Et conſcientia libera domi devotioni ſuæ*) Tres itaque ſunt caſus in Inſtrumento pacis exercendæ religionis: Unus exercitium publicum; alter exercitium privatum; Et denique tertius, ut quis domi devotioni ſuæ libera conſcientia vacare poſſit. De duobus prioribus actum jam eſt, & cujusque characteres proprii, quibus ab invicem diſtinguuntur, oſtenſi. Supereſt ergo tertius, quo illis frui datum, qui nec publicum nec privatum religionis exercitium anno vigeſimo quarto ſe habuiſſe docere poſſunt. His, quamdiu in loco, quo degunt, manſio eſt, nec migrare ob religionem jubentur, inter alia conceditur conſcientia libera, & domeſtica devotio. Libera conſcientia excludit (1) omnem coactionem, ne cui credendi faciendique neceſſitas fiat ejus, quod ſuæ religionis principiis adverſum eſt. Et (2) excludit etiam inquiſitionem & turbationem, ne quis harum rerum intentato metu ſua in devotione impediatur. Domeſtica autem devotio conſiſtit in eo, cum Pater Familias, ſine ſacerdote vel miniſtro verbi ad id conducto, domi ſuæ pro ſe liberisque & reliqua familia legendo Scripturas & conciones, pſallendoque, devotioni vacat, & hoc modo ſe ſuosque docendo adhortandoque in pietate & amore erga Deum & proximum promovere ſtudet. Quoniam igitur hic gradus ultimus ſacerdotem aut parochum, qui ſacris faciendis & devotioni præſit, non admittat, ſed opera tantum Patris familias aut alius ex familia rem omnem metiatur: Utique ex eo etiam ſequitur, domeſticæ devotionis exercitio non comprehendi, quæ ſine perſona Eccleſiaſtica ad cultum divinum rite ordinata, expediri vel adminiſtrari nequeunt: Uti eſt Baptiſmus infantum extra caſum neceſſitatis; Confeſſio auricularis; adminiſtratio Sacræ Cœnæ; indictio jejunii & dierum pœnitentialium; Copulatio matrimonialis, celebratio funebrium, & his ſimilia. Quæſitum eſt aliquando hac occaſione de Collegiis pietatis, quando nimirum diverſæ familiæ, aut ſinguli, in loco aliquo privatim conveniunt, ut ſe invicem in religione inſtruant, in pietate confortent, & ſalubribus monitis adverſus tentationes & ſcandala præmuniant, quæ converſatio cum impiis, non ſemper utique declinanda, quamdiu uno loco vivitur, ſæpe praberet ſolet, Rationes pro & contra habet Deckherrus, allegatis etiam præjudiciis *Conſult. For. de pac. relig. part. I. c. 32. n. 10.* Defendi hos conventus ex hac noſtra lege poſſe, vix crediderim, quæ nihil aliud permittit, quam ut unusquisque domi ſuæ devotioni ſtudeat: non vero, ut plures

Familiæ

Digitized by Google

tione g.) privatim vacare, h) in vicinia vero, ubi & quoties voluerint publico Religionis exercitio intereſſe, i) vel liberos ſuos exteris ſuæ

Familiæ ejus exercitii cauſa, unum in locum, ſive publice ſive clam congregentur. Hoc enim non modo Magiſtratui aliquando ſuſpiciones metumque ex hac hominum coitione incutit. Verum etiam aliis offenſioni eſt: ac denique ipſos coëuntes, imprimis, cum nullo ſexus diſcrimine nocturnis temporibus conveniunt, multis calumniis exponit. Interea domeſticam devotionem Vindiciæ Hildeſienſes part. 2. pag. 17. dilatare nimis videntur, cum privato etiam hoc ex paragrapho poteſtatem dant ædificandi ſacella & ſuſpendendi campanas, ad familiam convocandam ſacræ rei faciendæ cauſa. Hæc enim procul dubio pars ſunt exercitii publici aut privati, ſi quis ejus rei facultatem anno vigeſimo quarto habuit. Argumenta à theatro hiſtrionico, domi ædificatio, vel appenſa campana, qua ſignum ad prandium cœnamque paratam domeſticis datur, huc plane non quadrant, & non niſi concitandæ invidiæ cauſa adducta ſunt, atque adeo ab anti Vindiciis eam ob rem recte deridentur.

g) *Sine inquiſitione aut turbatione*) Alterum eſt, ut Dominis territorii non liceat contra eos, qui ſic domi devotioni ſuæ vacant, inquirere, vel aliis modis illos turbare. Inquiſitio ſignificatione juridica proprie eſt, quæ ob indicia ſufficientia contra aliquem criminis publici vel privati cauſa inſtituitur. Hanc deinde Theologi, neſcio qua veſania aut ſeveritate ad ſuum forum traxere, ad terrendos frangendosque illos, qui eis aut opinionum quarundam novitate hæreſeos ſuſpecti; aut alias diverſo vivendi genere inviſi ſunt. Sed præcipue non poteſt non fieri, ut qui aliena ſacra ſectantur, ne à meis ſe ſeparent, cultum publicum, ſuis animi ſenſibus contrarium aſpernentur. Hoc vero ſtatim non ſacrificulis modo, ſed & ſuggeſtu eorum Domino territorii ægre facit, qui confeſtim incipit inquirere, quid hæc nova vivendi ratio ſibi velit: Quæ plerumque quæſtio magno reorum damno exercetur, ut qui multâ, carceribus & relegatione evadunt, caſus ſane habeant, cur ſibi de re ſatis probe geſta gratulentur. Sed has moleſtias privatis creari hic lex vetat, eosque ab inquiſitionis rigore ſecuros facit; Quod autem ad *turbationem* attinet, ſub ea complectimur omnes modos & rationes, quibus turbari aliquis domi in devotione ſua poteſt; Itaque nec ipſe territorii Dominus hoc agere debet ſubmiſſis qui turbent, neque etiam pati, ut ab aliis ejusmodi quid fiat. Imo ſi quid eſt, quod turbandæ devotioni occaſionem præbet, licet aliæ cauſæ prætexentur, cur ita agendum nobis ſit, tolerari facile non debet, imprimis ſi novitate ſua in ſuſpicionem veniat malitioſi propoſiti.

h) *Privatim vacare*) Aliud ergo eſt

Digitized by Google

devotioni ſuæ privatim vacare; & aliud privatum exercitium religionis habere. Hoc enim amplius quid eſt & menſuram ſuam habet ex ſtatu anni vigeſimi quarti, quatenus nimirum unusquisque illo tempore poſſedit, & exercuit. Illud vero neque ex ſtatu aliquo temporis, neque poſſeſſione æſtimatur, ſed in mera conſiſtit tolerantia, donec viſum Dominis fuerit ſubditis emigrationem imperare.

i) *In vicinia vero, ubi & quoties voluerint, publico religionis exercitio intereſſe*) Præter devotionem privatam & domeſticam permittitur his ſubditis, ut in Vicinia publico religionis exercitio intereſſe poſſint, ubi & quoties voluerint. *In vicinia* inquam. Sed hoc ipſorum commoditatis cauſa dictum, nam ſi longius ire vellent, haud magis prohibendi forent. Neque etiam intereſſe puto, num vicinia illa, quo ſubditus publico exercitio religionis ſuæ uti vult, ad Dominum ejus pertineat, an vero ad alios; Nam perinde id erit, modo ibi exercitium publicum aliorum in uſum ſit comparatum.

Ubi & quoties voluerint) *Ubi*, electionem dat ſubditis, ſi pluribus forte locis exercitium vigeat; *Quoties* vero rem omnem arbitrio ſubditorum relinquit, nec Domino territorii in præſcribendis temporum vicibus quicquam largitur.

Publico religionis exercitio) Quid ſi intereſſe privato religionis exercitio velint, ſi quod in vicinia eſſet? Buckiſch putat, hoc eis negandum ex ratione, quod lex non niſi *publici* mentionem faciat. Sed Fritſchius procul dubio rectius ſentit, cui videtur, privatum exercitium hic non eſſe excluſum, argumento à majori ad minus ſumpto. Nam omni exercitio religionis publico ex natura rei ineſt privatum, ut illo conceſſo hoc ſimul conceſſum utique intelligatur. Hæc potiſſima eſt ratio, quamvis illam ſpernam quod libertas conſcientiarum non tam ſtringi quam ampliari debeat.

Exercitio intereſſe) Hic quæſitum eſt, num libertas hæc & electio etiam eos ad actus religioſos extendenda ſit, quos diverſæ religionis Parochi aut Sacerdotes ex communi ſententia utriusq; partis expedire validè poſſunt; Uti ſunt Baptiſmus infantum: Juſta funebria, copulationes & reliqua, quæ ad *jura ſtolæ* ex mercatu Eccleſiæ Romanæ referuntur: Mea ſententia citra præjudicium hæc eſt. Cum intuitu eorum, qui anno vigeſimo quarto neque publicum neque privatum ſuæ religionis exercitium habuerunt, nulla etiam ratio ſtatus & poſſeſſionis, in qua una vel altera pars certo tempore fuiſſe contendit, habeatur, interea iſti non prohibeantur, donec eis migratio injungitur, in vicinia, ubi & quoties velint, non modo publico religionis exercitio intereſſe, verum etiam liberos ſuos exteris ſuæ religionis Scholis, aut privatis domi Præceptoribus inſtituendos committere, utique illos cogi non poſſe, ſi alibi, quo exercitio publico ex formula pacis utuntur, infantes ſuos baptizandos deportare, aut funerare mortuos,

Digitized by Google

ſuæ Religionis Scholis, k) aut privatis domi Præceptoribus inſtituendos committere, l) non prohibeantur m) ſed ejusmodi Landſaſſii, Vaſalli & ſubditi in cæteris n) officium ſuum cum debito obſequio

tuos; vel ſolennia nuptiarum celebrare malint. Neque arbitror Paſtori loci ordinario, qui alterius eſt religionis, eam ob cauſam jura ſtolæ deberi, quamvis illum anno vigeſimo quarto id genus actu exercuiſſe, & nundinationis ſuæ quæſtum feciſſe conſtet. Annus enim ille decretorius utrique parti datur, & proficit. Quando autem iſte uni non poteſt in commodis allegari ſane idem contra hanc inferendis oneribus gratia & compendio partis adverſæ nequit.

k) *Vel liberos ſuos exteris ſuæ religionis Scholis.*) His verbis liberis etiam ſubditorum illorum proſpectum eſt, qui nulla anni vigeſimi quarti parte publicum aut privatum exercitium ſuæ religionis habuerunt; Idque duplici beneficio: Nempe ut aut illos exteris ſuæ religionis ſcholis, aut privatis domi Præceptoribus inſtituendos committere poſſint. De illo hic agitur, atque peccant adeo contra hanc legem, qui deterrent ſubditos ſuos ne extra locum domicilii alio liberos inſtitutionis cauſa mittere auſint: quos jubent Scholas in loco frequentare, etiamſi diverſæ religionis Præceptoribus gubernentur, ex quibus periculum corruptionis & ſeductionis; cujus generis gravamina plura & olim fuere, & noſtris temporibus nondum ceſſant.

l) *Aut privatis domi Præceptoribus inſtituendos committere,*) Licet igitur Præceptores etiam domi habere, & curam atque inſtitutionem liberorum eis committere. Vocantur autem Præceptores *privati* reſpectu habito ad ſcholas publicas. Quamquam enim harum etiam Præceptores alio ſenſu pro perſonis privatis habeantur, quatenus tamen authoritate publica docent, illi vero à privato Patrefamilias conducti ſunt, in tantum alii ante alios pro publicis intelligi & haberi poſſunt. Uno verbo: *Privati Præceptores* hoc loco idem ſunt, ac ſi lex dixiſſet domeſticos.

Inſtituendos committere) Inſtituendos non in literis modo humanioribus & eruditione civili, verum etiam, & quidem præcipue, in cauſa religionis.

m) *Non prohibeantur*) Enimvero quid exiſtimandum eſt, ſi liberi mixto ex matrimonio procreati ſunt? Hic primo inſpiciendum, quid eam circa rem pacta dotalia ferant; Nam ſi conventum eſt, ut maſculi in religione Patris educentur, & fæminæ ſectentur matris religionem, pacto ſtandum erit. Sin nihil convenit, patria poteſtas potior erit, loquitur enim lex de ſubditis; non de ſubditabus, ſit venia verbo incommodo, ut me rectius explicem.

n) *Sed ejusmodi Landſaſſi, Vaſalli, & ſub-*

Digitized by Google

obſequio & ſubjectione adimpleant, o) nulliſque turbationibus anſam præbeant p).

§. 35.

& ſubditi in cæteris) Adjicitur hæc admonitio, ne ſubditi occaſione hujus libertatis concipiant ſpiritus, & locum ſeditionis quærant, quorum ſæpe hoc eſt ingenium, ut dato digito, quod ajunt, mox palmam arripiant. Eſt enim cauſa religionis plerumque negotiis civilibus adeo conjuncta, ut ſpecie religionis turbida multa & factioſa fieri poſſint, quorum licentia ex pace Weſtphalica non datur. Jubentur igitur ſubditi in cœteris officio cum debito obſequio & ſubjectione fungi.

In cæteris. Quorum nempe hic poteſtas non eſt facta, etiamſi ſuo modo ſpectare ad religionem videantur, neque enim terminos domeſticæ devotioni poſitos mutare in formam aliquam exercitii privati poſſunt, quod factu facile eſt, cum quo unum deſinit, ibi ſtatim incipere alterum ſoleat; Nam ſi quis verbi gratia, privatos Præceptores diebus feſtis habere conciones, concipere preces, & reliqua ſacra domi facere juſſerit, adaptato forte ad eum uſum conclavi vel porticu, dubium non eſt, quin modum in re excedat

o) *Officium ſuum cum debito obſequio & ſubjectione impleant)* De officio ſubditorum multa eſſent, quæ hic dici poſſent, ſed iſta nunc politicis relinquuntur. In genere complectitur omne debitum & decorum quo ſubditi Dominis obligantur, ſive hæc obligatio ex jure ſtricto ſit, ſive ex alio capite ſubditos deceat.

p) *Nulliſque turbationibus anſam præbeant.)* Recte: Interea id etiam cavendum eſt, ne ſubditis eveniat, quod agno in Fabula cum Lupo, cui ille turbaverat aquam, etſi loco inferiori ſtetiſſet, ut flumen à Lupo ad agnum deferretur. Ita enim plerumque uſu venit, ut initium injuriarum à potentioribus fiat, & deinde infirmioribus, ſi ad omnia imperia non ſtatim faſces ſubmittunt, confletur invidia inobedientiæ & turbarum. Neque audiuntur, etſi teſtentur, jure ſe experiri velle. Nam hoc à rationibus novaturientium alienum, qui ante omnia id agunt, ut dejectis quocunque modo poſſeſſione ſubditis ipſi ſubintrent, & ſic loco pulſos ad æternas ablegent lites ſummo cum diſpendio ſuorum jurium, quæ forte nunquam poſthæc recuperaturi ſunt tardo ſane & debili judicis auxilio, ſi Cameram Imperialem adeant, Sin aulicum judicium etiam ſuſpectum quoties de religione agitur. Habent Palatinatus inferior & Epiſcopatus Hildeſienſis, quibus de veritate harum querelarum & indignitatum abunde fidem facere poſſumus. Itaque cum tale quid fit, & propterea ſubditi ad omnes officialium injurias non penitus obmuteſcunt, ſed meliore de animo & æquitate Principis ſpe tueri ſe in poſſeſſione civilibus rationibus conniteuntur, crimen

turba-

Digitized by Google

§. 35. Sive autem Catholici, ſive Auguſtanæ Confeſſionis fuerint ſubditi, a) nullibi ob Religionem deſpicatui habeantur, b) nec

Opificum Commendatio Sepulturæ honore æque concedendus.

turbarum, ſi quæ exinde oriuntur, ipſis impingi ſine calumnia non poteſt, cujus accuſari potius illi debent, qui Zelo male temperato ad legitimam defenſionem conſternant miſeros & ſubitis calamitatibus inopinato oppreſſos. Iam enim audacia reformare undique geſtientium, res eum in ſtatum deductæ ſunt, ut vix Nobilis ſesqui ſubditorum Dominus, cui non ſtatim pruriat tergum religionis ſuæ promovendæ cauſa, quam in rem templa & reditus involantur, facto initio à vi & turbatione, quod tamen ne usquam ex quacunque cauſa fiat, paciſcentes tam ſollicite & prudenter inhibuere.

§. 35.

a) *Sive autem Catholici, ſive Auguſtanæ Confeſſionis fuerunt ſubditi.*) Hic cautum eſt, ſubditis utriusque religionis ab injuriis & contumeliis adverſæ partis, fiducia potentiæ aut favore ſuperiorum ſubnixæ. Neque intereſt, ſive Catholici ſubditi ſub Auguſtanæ Confeſſionis Statuum Imperio vivant, ſive Proteſtantes in ditione ſint & poteſtate Catholicorum ſtatuum. Utrique enim non patienter modo tolerari debent, ſecundum ea quæ in paragrapho ſuperiori ſunt tradita; Verum etiam oportet eos ſecuros præſtari ab ignominia, probris & convitiis, ſecundum ea, quæ porro ſequuntur.

b) *Nullibi ob religionem deſpicatui habeantur.*) O quam ſalubre hoc conſilium & monitum; Sed o, quam parum hactenus obſervatum! Conſidera quæſo, & inſpice modo homines diverſarum religionum, qui uno loco indiſcrete habitant uno ſub Domino, qui alterutrius eſt religionis; Videbis ſtatim eos, quorum ſacris Princeps etiam eſt addictus, erigere criſtas, atque ſubſannare & contemnere reliquos. Inter alia probroſis nominibus res plerumque agitur, dum alii hæreticorum, Acatholicorum, Novatorum, Calviniſtarum, Zvinglianorum, Sacramentariorum, & ſimilium titulos crepant: Alii, ut vicem rependant, Pontificios, Romaniſtas, Pſeudo-Catholicos, Idololatras, &c. ſuos adverſarios appellent. Id ſingulare eſt, Epiſcopum Hildeſienſem cum Proteſtantibus ſuis ſubditis aliquando expoſtulaſſe, idque eis decreto facto exprobaſſe, quod Catholicos addito nomine *Romano* vocari auſi ſint. Qua re *contradictione in adjecto* peccatum fuiſſe exiſtimabat, univerſali appellatione in quoddam particulare mutatû, tanquam plures ſint aliæ Catholicæ religiones, præter Romanam. Eſt ſane hæc conſequentia non de nihilo, quam notavit etiam Autor Obſervationum ad clauſulam religionis Ryſvicenſem. Interea Catholici paciſcentes nihilominus in tabulis

bulis pacis Ryſvicenſis art. IV. ſibi religioni eſſe non exiſtimavere, ſi pontificiam religionem *Catholicam Romanam* appellarent, quod ſuo loco relinquimus. Sed quicquid privati hic *cantant* & docent demulcendis odiis, id omne fere in caſſum adhibetur. In cauſa hujus mali non modo ipſe eſt Princeps, qui ſuis nimium indulget favore religionis. Sed imprimis flabra illa & ciniſlones, Clerum dico qui acerbis & felle tinctis concionibus atque ſcriptis populum ad contumelias & odia concitat, ut diſcant alios, qui ex ſuo non ſunt cœtu, irridere, atque inſanis diſputationibus ad mutua convitia ſtimulare: Si manſuetudinem ſuis, ſi amorem, tolerantiam atque miſerationem erga errantes inſpirarent, illi his lenimentis manſuefacti non libenter modo pacem agerent: Verum etiam ſic humaniter habiti, longe facilius ſe nobis paulatim accommodarent, quam ſi omnium verborum verberumque aſperitates adhibueris; Ita enim naturaliter cum nobis in omni credendorum genere comparatum eſt, ut vi nihil proficias, obſequio autem aliquo & lenitate mentes hominum ſe flecti & lucrifieri patiantur: Fac quæſo periculum, & impera illis, qui corruptum adhuc palatum habent, ut mel, quod illis amarum videtur, dulce credant tui gratia; quem fructum reportabis hujus propoſiti? Nullum profecto, niſi ut vi coacti dicant forte aliud, & aliud ſentiant. At corrige prius debitis remediis palati vitium, & tunc jube, ut guſtent. Aſſentientur ſponte ſua, tibique inſuper gratias agent, quod opera tua ab hac palati depravatione liberati ſint. Quanto igitur magis in rebus divinis docendi ſunt & inſtituendi animi, erroribus obſiti, antequam deſiderare poſſumus, ut eadem nobiſcum credant. Neque iraſci vel excandeſcere nos oportet, ſi errantes non ſtatim tibi conſentiant. Nam in ſpiritualibus non in hominum eſt poteſtate, alios liberare erroribus ſuis: Sed id ſpiritus ſancti opus. Uti igitur, quoties in durum adeo & ſpiſſatum ferrum incidis, ut illud limando ſubigere & polire nequeas, non ferro iraſceris, nec ſtatim abjicis illud, aut cudendo cremandoque operam perdis, ſed rem illi commendas, qui artem emolliendo ferro callet, ea ſpe, fore aliquando, ut tenerum & tractabile fiat. Ita duræ mentes & in ſpiritualibus intractabiles intempeſtiva & irrita ſeveritate non indurandæ ſunt, ſed patientia & dilectione eſt opus, donec ille, qui macerare obductum callum ſolus novit, *correcto* tandem vitio ſanitatem reſtituat; quicquid homines immaturo rigore hic tentant, male cedit, nec placere Deo poteſt, qui præripi ſibi à miſellis gloriam, aut præſcribi tempus, quando ſuccurrendum eſt, non poteſt non ægre ferre. Obſecro enim, an non hæc inſania eſt, ſeveritate ſuppliciorum, quibus nihil omnino efficitur, rem eum in ſtatum deducere, ut Deus ſuo tempore opem ferre amplius nequeat, cum forte, qui convertendi erunt, jam ferro, laqueo aut igne periere. Sed hæc ſunt egregia Cleri furibundi conſilia & inſtituta,

quem

Digitized by Google

nec à mercatorum, opificum, aut tribuum communionis, c) hæreditatibus, legatis, hoſpitalibus, leproſoriis, eleemoſynis aliisve juribus aut commerciis, d) multo minus publicis cœmiteriis, honoreve

quem non livor ſolum, verum etiam veſana odia protinus agitant in omne id, quod à rationibus ſuis & commodis alienum eſſe ſentiunt. Det tandem ipſe Deus meliorem mentem!

c) *Nec à mercatorum, opificum, aut tribuum communione*) Nimirum circumventi olim & faſcinati à Clero hypocrita, Principes tulere leges, ut hæretici, quos iſti Boni, ſi Diis placet, pro libidine ſua quotidie creant, infames etiam ſint, nec digni, qui ſtatum aliquem in republica habeant. Unde non modo ab honoribus & dignitatibus excludebantur, ſed & ipſis honeſtis artibus atque opificiis exercendis interdicebatur. Quin noſtris adhuc diebus eo dementiæ ventum eſt, ut quibusdam in locis, etiam ubi mixtim tres illæ in Germania toleratæ adhuc religiones admittuntur, illi, qui rerum præſunt, in carnificibus & excoriatoribus conſtituendis eò attendant, ut ſint, qui communione ſacrorum in exercenda carnificina ſectæ ſuæ honorem habeant; Cujus rei exemplum in quodam eſt Decreto Principis, quod Anti-Vindiciæ Hildeſienſes exhibent, & merito ſuo irrident. Quanto igitur ſanæ rationi convenientius, quod hic paciſcentes ſtatuunt, neminem religionis cauſa, ab opificum, mercatorum tribuumque ſocietate eſſe arcendum. Neque exiſtimandum eſt, hoc iis tantum locis obſervari debere, quibus tolerantur adhuc diſſentientes à publica vel dominante religione. Sed lex eſt generalis, & illis imprimis opitulatur, qui ex opificum numero ſunt, appellatione ſociorum, Geſellen, exercendæ artis ſuæ cauſa peregrinantur: Illi enim in locis Catholicis à quodam forte opifice, Meiſter, conducti fama integra ibi etiam agunt, atque tribuum & diverſoriorum pari jure cum ſociis Catholicis ſunt participes, quin ſicut Patrifamilias viſum, filium ſuum in Sacris Proteſtantium inſtitutum opifici Catholico locare ad artem diſcendam, isque eum ſive pacta mercede, uti plerumque fit, ſive gratis erudiendum receperit, non arbitror, in Magiſtratus poteſtate eſſe, ut conventionem illam ob religionis odium reſcindat, atque conductorem jubeat juvenem dimittere.

d) *Hæreditatibus, legatis, hoſpitalibus, leproſoriis, eleemoſinis, aliisve juribus aut commerciis*) Debebamus eſſe virgines, dixit aliquando Monialis illa, quæ cum in deprehenſam cum adoleſcente contubernalem multis conviciis ob violationem pudicitiæ detonuiſſet, ipſa mox Braccis virilibus in lecto ſuo inventis ejusdem culpæ peracta rea fuit. Ita ſane hic etiam debebantur utique hæc ſervari, ſed quam maligne id, quantove reſpectu religionum fiat, exempla quo-

reve ſepulturæ e) arceantur, aut quicquam pro exhibitione funeris à ſuperſtitibus exigatur, præter cujusque Parochialis Eccleſiæ Jura, pro

quotidiana, proh dolor! loquuntur, nobis etiam tacentibus. De hereditatibus & legatis nihil dicam, quæ ut intervertant hæretici, vel teſtamentis ſuppoſitiis uti aliquando non verentur; Sed longe major eſt invidia, in diſtributione hoſpitalium, leproſoriorum, & eleemoſinarum, quæ nuſpiam fere, neque enim excipio noſtros, ſic indiſcrete omnibus patent, ut nulla prorſus religionis habeatur ratio; neque etiam fieri hoc facile poteſt, cum ipſe Paulus Apoſtolus nos jubeat in omnes quidem eſſe beneficos, ſed maxime in conſortes fidei noſtræ. Quamquam hoc malum ſanare nullo negotio liceret, modo meminiſſe voluerimus, nos omnes Chriſtianos eſſe, non Lutheranos, Calvinianos, Pontificios: Quæ ſectarum & factionum ſunt nomina, quibus illi gaudent, quorum culinæ turbidis in rebus pingvius fumant.

e) *Multo minus publicis cœmiteriis, honoreve ſepulturæ*) Jam vero, ſi quicquam eſt, quod apud Pontificios peſſima fide ſervatur, hoc ſane eſt capitulum de honore ſepulturæ, quamquam hoc ipſum ejus ſit generis, ut ſervari maxime poſſet, & deberet, cum quod proverbio dicitur, canes mortui non mordeant amplius, & homines odia poſt mortem inimicorum non ſoleant exercere, niſi fuerint extreme mali & perditi. Et profecto gentiles etiam nos hac in re multis modis humanitatis officiis vicere, qui honeſtam ſepulturam hoſtibus etiam negare velle, contra jus divinũ humanumq; eſſe ſemper credidere. Enimvero videmus, quotidie iis locis, ubi Pontificii rerum potiuntur, neque Proteſtantes ſubditi jus ſepulturæ ex poſſeſſione anni vigeſimi quarti habent, ſi quis eorum aut peregrini forte deceſſerint, feros illos & immites nullo modo adduci poſſe, ut mortuis locum aliquem ſuis in Cœmiteriis, quo humentur corpora, darent, velut terra profanetur, quam ipſi præſtigiis ſuis & abſurdis ceremoniis conſecravere. Quamquam Catholici diverſa omnia cantare ſoleant, cum forte Proteſtantes, ubi authoritate potiores ſunt, Catholicis honorem ſepulturæ publicæ in ſuo negant, jure magis retorſionis, quam contumeliæ cauſa, ut illi hac repulſa ſentire ſaltem incipiant, quam ægre nobis merito faciat inhumana hæc cum defunctis agendi ratio. Sed hæc ſurdis fabula narratur.

f) *Aut quicquam pro exhibitione funeris à ſuperſtitibus exigatur, præter cujusque Parochialis Eccleſiæ jura pro demortuis pendi ſolita*) Intelligendum hoc eſt de caſu, cum opera Paſtoris in loco ordinarii utimur. Quando enim ſepelire noſtros mortuos alio volumus, ex hac lege nihil debetur, ſecundum ea, quæ paulo ante tradita ſunt. Quamquam non ignoremus, vexari homines domi-

pro demortuis pendi ſolita, f) in his & ſimilibus g) pari cum concivibus jure habeantur, h) æquali juſtitia protectioneque tuti i).

§. 36. Quod ſi vero ſubditus, a) qui nec publicum nec privatum ſuæ religionis Exercitium Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto habuit, b) vel etiam, qui poſt publicatam Pacem Religionem muta-

dominante avaritia, & à vivis mortuisque vectigal exigi, ut venter probe curetur. Unde inhumanus ille pleriſque locis mos, ut quo funus transportatur, ubi communitas eſt, quæ jus Eccleſiæ & Paſtoris habet; ibi ſolvendum eſſe, quod pro funere curando alias pendi ſolet, etiam ſi centena loca ex itinere tranſeunda eſſent.

Cujusque Parochialis Eccleſiæ jura.) Jura ſtolæ communiter vocant, de quibus in ſuperioribus.

g) *Sed in his & ſimilibus)* Similia hic ſunt omnia jura quorum ſubditi ex ſtatu ſuo capaces ſunt; quo imprimis refero jus Civitatis in municipiis & quibus agricolæ ruri gaudent.

h) *Pari cum concivibus jure habeantur.)* Igitur quod ſententia Commiſſariorum in cauſa Oppidi Höxter pro Catholicis lata fert, daß vermöge des Friedenſchluſſes die Catholiſche zu den Bürgemeiſtern und Raths und auch Gaden und andern ihren Aembtern, eben ſo wohl als die Lutheriſche zuzulaſſen, und wegen der Religion durchgus kein Unterſcheid zu machen ſey; id merito aliis locis commodo Evangelicorum obſervari debet.

i) *Æquali juſtitia protectioneque tuti.)* Egregia ſane lex, ſed improbiſſime hactenus ſervata. Quam enim æqualitatem juſtitiæ & protectionis ſubditi Proteſtantes à Dominis Catholicis à pace Weſtphalica in hanc usque diem experti fuerint, teſtes ſunt infinitæ illæ querelæ, quibus univerſum Imperium completur.

§. 36.

a (*Quod ſi vero ſubditus*) Queritur hic Obrechtus, *hunc paragraphum omnia rurſus evertere, quæ antea hac de re conſtituta ſunt circa ſubditos.* Et fuere ſane aliqui, qui hæc inter ſe conciliare non poterant; Sed lex clara & luculenta eſt. Neque enim ſponte ſua tantum migrare ſubditus poteſt, ſed & migrare debet, à Domino juſſus. Quod igitur paragrapho 34. habetur, ut ſubditi diverſæ religionis patienter tolerentur, id ad caſum pertinet, quamdiu nec ſponte migrare volunt, nec à Domino juſſi ſunt ut migrent. Nam quod ibi paulo generalius traditum, id merito hic ſuos limites accipit.

b) *Qui nec publicum nec privatum ſuæ religionis exercitium anno 1624. habuit)* Quid vero, ſi ſponte migrare is velit, qui publicum vel privatum ſuæ religionis exercitium dicto tempore habuit? Num is retineri à Domino poterit? Arbitror, ſi non religionis cauſa, ſed

Digitized by Google

mutabit, c) ſua ſponte emigrare voluerit, aut à Territorii Domino juſſus fuerit, d) liberum ei ſit, e) aut retentis bonis, aut alienatis diſce-

ſed ex aliis rationibus migrationem velit ſuſcipere, rem ex ſtatutis & conſuetudine cujusque loci dijudicandam eſſe. Quod ſi vero ob religionem conſilium ſuſceperit, forte quod privato exercitio non contentus, publicum alio in loco, vel etiam publici pleniorem, commodiorem aut tranquilliorem uſum quærat: retinendus cœteris juribus non erit; Neque enim his negari facile poterit, quod illis permittitur, cum ratio legis pro utrisque militet.

c) *Vel etiam qui poſt publicatam pacem religionem mu abit*) Datur hoc loco adhuc ſemel omnibus ſubditis libertas mutandi religionem etiam poſt pacem Weſtphalicam, & qui ſic conſcientiæ ſuæ conſulunt, eodem numero locoque cum iis habentur, qui nec publicum nec privatum exercitium anno 1624. habuerunt.

d) *Sponte ſua migrare voluerit, aut à territorii Domino juſſus fuerit.*) Igitur ſubditus ſponte ſua migrare volens à Domino non eſt detinendus; Idemque juſſus migrare, detractare Imperium non poteſt; ut fruſtra ſint, qui ex præcedenti paragrapho 34. exiſtimant, emigrationem à parte ſubditorum ſemper eſſe voluntariam, eosque ad emigrandam cogi non poſſe, quamdiu tranquille & pacifice vivunt. Sed rectius alii neceſſariam faciunt, accedente juſſu Domini, *hoc noſtro paragrapho & ſequenti*, in verbis: *Sive voluntarie, ſive coacte emigrantibus.* Conſentit *Rhetius Inſtit. jur. publ. lib 2. c. 1. §. 27. & 28.* De cœtero ego lubentiſſime accedo ſententiæ incomparabilis Thomaſii, qui de utraque parte diſſentientium ita judicat. Wenn man nun dieſe beyde Meynungen nach dem Recht der Natur und nach dem Chriſtenthum anſiehet, ſo geſtehe ich gerne, daß die erſte dieſem näher komme, als die letztere. Weiln aber alle pacta müſſen erklähret werden aus der Intention der Partheyen ſelber, dieſe aber aus den Circumſtantiis hiſtoricis, die Sie zum Vergleich bewogen, und aus dem Context des Vergleichs ſelber muß hergeholet werden, ſo kommt mir die letztere wahrſcheinlicher für. Dann wann ein Fürſt kein Recht hätte, die Unterthanen wider ihren Willen zur emigration zu zwingen, ſondern müſte ſie toleriren, was wäre nöthig geweſen ſolche terminos zu ſetzen; Und wäre ja genug geweſen, insgemein zu ſetzen, daß Sie ſollen durchgehends geduldet werden. Die unruhig leben, meritiren gar nicht, daß man ihnen ein ſo langes ſpatium, ihre Sachen fertig zu machen, einraume. Wann man die Tractaten lieſet, die man wegen dieſes Puncts gepflogen, ſo ſiehet man daraus die Erklährung dieſes Streits gar deutlich, und was ihre Meynung geweſen ſey.

Die

Digitized by Google

Die Catholiſche Stände wolten ſich gar nicht darzu verſtehen, daß ſie den Evangeliſchen Unterthanen die geringſte Zeit verſtatten wolten. Die Schweden hingegen und andere proteſtirende urgirten funffzehn Jahr, aus Liebe zu den Lutheriſchen Unterthanen, und hat ſich ſonderlich der bekandte Publiciſt Lampadius, als damahliger Abgeſandter von dem Hauß Lüneburg dieſe Sache angelegen ſeyn laſſen. Woraus man deutlich erkennet, daß die Catholiſche Stände auff die emigrationem neceſſariam gedrungen. Was aber die Proteſtirende, ſo wohl gegen die Catholiſche als auch unter ſich betrifft, lernet man dieſes, daß wie Sie für ihre Glaubens-Genoſſen die emigration aus Catholiſchen Orthen gerne hätten gantz auffheben wollen; Sie, ſo viel an Ihnen, denen Catholiſchen Unterthanen gerne wieder in ihren Landen dergleichen hätten verſtatten wollen. Denn ohne dieſe Intention hätten Sie ja von den Catholiſchen Ständen für ihre Glaubens Genoſſen ſolches nicht prætendiren können. Und alſo, wenn man nach dieſen Grund gehet, ſo haben zwar Evangeliſche Fürſten gegen Catholiſche Unterthanen nach dem Inſtrumento pacis und jure retorſionis recht, die emigration auff beſagte Arth anzubefehlen; Aber ſie haben ſich dabey wohl zu prüffen, damit ſie nicht wieder den Grund handeln, aus welchen Sie bey den Friedens-Tractaten die emigration hätten gerne auffgehoben ꝛc. Fürſten-Recht *pag. 204. &c.* quibus verbis graviſſimis ego ſubſcribo, addito hoc uno argumenro, eſſe hanc legem de ſubditorum emigratione neceſſariam quandam declarationem pacis religioſæ. Nam hujus verba circa hanc rem dubia paulum erant, & obnoxia ſcrupuloſitatibus. Ita enim Receſſu Imperii 1555 §. Wo aber unſer ꝛc. conventum fuerat. Wenn die Unterthanen von ihrer Religion wegen mit Weib und Kindern an andere Orthe ziehen, und ſich niederlaſſen wolten/ daß ihnen ſolcher Ab- und Zuzug ꝛc. unverhindert männiglichs zugelaſſen und bewilliget ſeyn ſolle. Ubi ſecundum verba textus de voluntaria ſaltem ſubditorum emigratione agitur. De juſſu Dominorum, & an ſubditi nolentes emigrare cogi ad id poſſint, nihil ſtatuitur: Hoc procul dubio Status Catholicos male habebat, quibus indigna res viſa eſt, deſeri à ſubditis ſe illorum arbitrio poſſe; at ſe hos deſerere, cum lubuerit, non poſſe. Itaque in pactione pacis Weſtphalicæ inſtitere, ut hæc melius explicentur æqualitate ſaltem ſervata, quod & factum.

e) *Liberum ei ſit*) Conſiſtit hæc libertas non in eo modo, ut detineri ſubditus migrare volens nequeat. Verum etiam ut migrare juſſus optionem habeat, venditis bonis an retentis diſcedere velit, prout id in ſequentibus diſtinctius traditur.

f) *Aut retentis bonis, aut alienatis diſcedere.*) *Retenta* bona intelliguntur, quorum Dominium, poſſeſſionem & uſum nobis ſervamus; *Alienata autem* quæ

diſcedere, f) retenta per miniſtros adminiſtrare, g) & quoties ratio id poſtulat, ad res ſuas inſpiciendas vel perſequendas lites aut debita exigenda, libere & ſine literis commeatus adire. h)

§. 37.

quæ venditione vel quocunque alio modo transferuntur in alios.

g) *Retenta per miniſtros adminiſtrare.*) Miniſtros intelligo, qui ejusdem ſunt cum Domino territorii religionis; Nam ſi diſceſſurus Homines ſuæ religionis relinquere ibi vellet, invito Domino, non puto hunc, ut illos ferat, magis cogi poſſe, quam ad ipſum ſubditum tolerandum obligatus eſt, cui neceſſitatem emigrandi imperavit.

h) *Et quoties ratio id poſtulat, ad res ſuas inſpiciendas, vel perſequendas lites, aut debita exigenda libere & ſine literis commeatus adire*) Poſtulat ratio, quoties retenta bona, ut recte curentur, præſentiam noſtram ad tempus aliquod deſiderant; id quod ad hæc tria ſumma capita lex redigit: Si res noſtras inſpicere cupimus, ſi ad lites perſequendas nos accedere oportet: & denique ſi debita exigenda ſunt.

Ad res ſuas inſpiciendas) Proverbio: *Oculum Domini ſaginare equum.* Nam quæ per abſentiam noſtram alienæ fidei & curationi committimus, nunquam ea diligentia & integritate curantur, quam cum nobis ſub oculis noſtris ſervitur: & quo longius abſumus ab inſpectione rerum noſtrarum, hoc ſecurius & pejore fide nobiſcum agitur, dum miniſtri paulatim aſſueſcunt ad ſe reſpicere, nosque noſtris in commodis defraudare, facto primum initio in parvis rebus, mox aucta cupidine majora auſuri, ſi metus abſit. Comprehendit autem hæc inſpectio, non modo ut diligenter inſpiciamus, quo ſtatu res noſtræ ſunt; Num melioratæ vel deterioratæ, num quid interverſum vel amiſſum. Verum etiam ut ratio adminiſtrationis exigi à noſtris poſſit, ſumma cum libertate ſtatuendi de illis, prout cujusque operæ præmio & honore vel animadverſione dignæ viſæ ſunt.

Vel perſequendas lites.) Scilicet quas forte illo loco habet: ſive ipſe jure experiri voluerit, ſeu ab aliis in jus vocatus ſit. Illud ad omnes actiones pertinet, quas intentare aliis in locis vult, Hoc autem ratione rei ſitæ tantum intelligendum, Nam quod ad perſonam ejus attinet, cum ejusmodi ſubditus emigratione & domicilium mutarit & ſubjectionem, reſpondere ipſe alibi quam ſuo in foro non cogitur.

Aut debita exigenda) Scilicet, quæ in loco quo emigratum eſt, debentur; ſive ante emigrationem jam fuerint debita, ſive poſt deberi inceperint.

Libere & ſine literis commeatus adire.) Libere ab omni impedimento, detentione vel injuriarum metu. Quod autem ad literas commeatus attinet, illorum uſus præcipuus iſtis in locis eſt, quæ ſine his tuto adire non confidimus, contumelias

Digitized by Google

§. 37. Conventum autem eſt, a) ut a Territoriorum Dominis illis ſubditis, qui neque publicum, b) neque privatum exercitium Religionis ſuæ dicto anno habuerunt, & tamen tempore publicatæ præ-

tumelias aut carceres veriti. Ubi enim jure gentium aut fide publica omnes liberi verſantur, ibi non eſt, cur ego mihi pacto proſpectum cupiam, niſi forte mihi ab irato aliis ex cauſis Domino timeam.

§. 37.

a) *Conventum autem eſt*) Hæc particula adverſativa, *autem*, indicat, hanc rem inter paciſcentes antea agitatam fuiſſe, antequam in hæc conventum eſt; & ſic utique res habet. Contendebant enim proteſtantes, tolerandos eſſe ſubditos, nec ad migrationem cogendos, niſi ſponte ſua velint. Ex adverſo Catholici nolebant ſibi hanc neceſſitatem imponi, ut cogerentur privatis devotionibus eorum indulgere qui à publicis ſacris alieni ſunt. Hoc enim non ad eos modo pertinebat, qui concluſa pace jam defecerant: Sed etiam ad illos, quibus poſthæc ullo tempore mutare religionem placuerit, peſſima Catholicorum conditione, qui non facile ſuos in officio continent, cum libertas conſcientiæ omnibus indulgetur, metu dempto. Sicuti enim, qui ab incunabulis vincti catenis, adoleſcunt in illis, non ſentiunt, quid ſit libertas, antequam homines viderint à moleſtia illorum vinculorum liberos. Ita ſane Catholici tot ceremoniis, tot legibus, tot regulis velut compedibus conſtricti, non poſſunt non ſuas vices dolere, cum inter ſe verſantes vident ab hoc jugo ſolutos, de cœtero vero probos eosdem bonosque æque viros. At cum hoc diſcrimine non ſollicitantur, neque eſt, qui diverſo genere vivendi facit, ut illos conditionis ſuæ tædeat, cum omnes à Clero ſub idem jugum miſſos credant, utique ſervitutem ſuam longe patientius ferunt, quamdiu invidia abeſt, & catenas illas, ut ut graviſſimas, libertatem reputant, quam non cognoſcunt. Atque hæc ſane certiſſima eſt ratio coërcendi novaturientium impetus.

b) *Ut a Territoriorum Dominis illis ſubditis, qui neque publicum &c.*) Enumerantur hic tria genera ſubditorum. Unum qui tempore publicatæ pacis in ditionibus Statuum habitare deprehenduntur ſine publico & privato exercitio. Alterum, qui relicto ob calamitates bellicas ſolo nunc facta pace redire in patriam volunt. Et tertium denique, qui futuro tempore diverſam à Territorii Domino religionem profitentur. Inter hos & duos ſuperiores hæc ſolum eſt differentia; ut illi ſpatium ad emigrationem habeant quinquennium, Hi triennium.

c) *Neque privatum exercitium religionis ſuæ dicto anno habuerunt: & tamen tempore publicatæ præſentis pacificationis.*) Non ſatis itaque eſt, ejusmodi

Termini emigrationis.

præſentis pacificationis c) in unius vel alterius Religionis Statuum immediatorum ditionibus habitare deprehenduntur, d) quibus illi etiam annumerandi erunt, qui ob calamitates bellicas evitandas, non tamen animo transferendi domicilium, alio emigrarunt, & facta Pace, in Patriam redire volunt, e) terminus non minor quinquennio,

modi ſubditum anno 1624. in ditione Status alicujus habitaſſe: Sed oportet eum domicilium adhuc habuiſſe pacis promulgatæ tempore, ſi hoc beneficio uti voluerit. Neque enim reſtituuntur ex poſſeſſione anni vigeſimi quarti, qui interea domicilium mutarunt, aut expulſi ſunt; Ut ex hoc etiam loco appareat, quam parum paciſcentes ad merum Statum loci reſpexerint, ſi aliæ circumſtantiæ non concurrant. Atque ex hoc loco noſtro ſumi etiam argumentum poteſt contra eos, qui putant, in Civitate aliqua Senatum anno 1624. ex utraque religione compoſitum neceſſario eodem perſonarum numero & differentia quoad religionem reſtituendum, atque deinceps perpetuo conſervandum eſſe, ſi nulla pacta aut ſtatuta adſunt, quorum vi unaquæque Senatus pars in poſſeſſione ſui numeri fuit, liberis civium votis non alterandi.

d) *In unius vel alterius religionis ſtatuum immediatorum ditionibus habitare deprehenduntur.)* Habitare hic ſignificat non quamcunque habitationem, quæ dici etiam de advenis aut inquilinis poteſt. Sed habitationem, quæ ſubditorum eſt, conjunctam cum jure domicilii. Hunc ſenſum verborum noſtrorum eſſe ſequentia oſtendunt, ubi de iis agitur, qui jam alio emigrarunt, *non tamen animo transferendi domicilium.* Iſti enim eodem loco habentur ac ſi deprehenſi fuiſſent in ditione habitare, ubi domicilium retinuere animo revertendi.

e) *Quibus illi etiam annumerandi erunt, qui ob calamitates bellicas evitandas, non tamen animo transferendi domicilium, alio emigrarunt, & facta pace in Patriam redire volunt.)* Ergo ſi emigrarunt, animo transferendi domicilium, quod fit renunciatione prioris domicilii, & ipſo facto alius alibi inſtituti, eos hoc beneficium non juvat. Uti enim per pacem Weſtphalicam nemo cogitur recipere in ſubditos, qui à religione ſua ſunt alieni, ita nec jus poſtliminii habent, qui inter bellicos ſtrepitus, deſerta forte patria & ſubjectione renunciata domicilium alio transtulerunt. Hi enim jam merito habentur peregrinorum loco, cum illi, de quibus hic lex agit, & quibus ad belli mala declinanda pro tempore receſſus aliquis potior manſione viſus, civitatem non amittant, ſed aliorum ſubditorum conditione habeantur: Sed quid ſi emigrarunt, non ob vitandas bellicas calamitates, verum ex aliis rationibus domicilio tamen haud magis translato? Reſpondeo,

Digitized by Google

nio, f) illis vero, qui poſt pacem publicatam Religionem mutant, non minor triennio, g) niſi tempus magis laxum & ſpatioſum impetrare potuerint, h) ad emigrandum præfigatur i) neque ſive voluntarie

deo, ſi forte peregrinati fuerint, iſtis reditum denegari non poſſe; Sin vero longo tempore belli conſederint, vix erit alia ratio, cur id factum ſit, quam ut belli mala fugiant, ad quæ ejusmodi temporum conditione referenda etiam ſunt fames & peſtilentia, aſſidui bellorum comites; Abſentia enim negotiationis cauſa prætexi facile non poterit, præſertim ſi omni cum familia ſua & facultatibus ſolum mutarit. Quicquid ſit, & quæcunque cauſa emigrationis fuerit, non arbitror ego, ob diverſa conſilia diverſum jus ſtatui poſſe, quamdiu domicilium alio non eſt translatum. Hæc enim translatio demum ex cive peregrinum facit, non emigrationis ratio. Sed hic alius ſuboriri ſcrupulus poteſt; Fac enim emigraſſe aliquem ſine animo transferendi domicilium, & cum longo ſatis tempore alibi habitaſſet, revocatum à Domino territorii eſſe, ſub comminatione perdendi domicilii, niſi intra certum tempus redierit. Num huic integer erit ex hac lege poſt pacem reditus, etſi antea Domino non paruerit? Utique, ſi bellicas calamitates prætendit, cur auſus non ſit in Patriam redire. Uti enim diſceſſus absque venia impetrata non nocet, ita inobedientia etiam ex hoc metu ſit excuſabilis.

Redire volunt) Quid ſi nolint redire revocante Domino? Manifeſtum eſt, cum præſentes detineri non poſſint, ſi velint emigrare; Abſentes multo minus cogi poſſe, ut redeant, mox emigraturi.

f) *Terminus non minor quinquennio:*) Terminus i. e. ſpatium ad emigrandum. Datur autem iſtis ſpatium, ſeu terminus non minor quinquennio. Major dari poteſt, uti tolerari prorſus diſſentientes poſſunt.

g) *Illis vero, qui poſt pacem publicatam religionem mutant, non minor triennio.*) Cauſa hujus differentiæ procul dubio ab odio mutandæ religionis eſt deſumpta, quo magis premuntur communi præjudicio, qui poſt pacem deſiciunt, quam cum à Parentibus ſic inſtituti ſunt, vel inter turbas & motus civiles ad aliena transeunt ſacra.

h) *Niſi tempus magis laxum & ſpatioſum impetrare poterint.*) Hanc conditionem crediderim à Proteſtantibus adjectam, quos probabile eſt initio petiiſſe, ut omnes nullo diſcrimine haberentur, dato ad emigrandum quinquennio, poſtquam impetrare non poterant, ut neceſſario tolerandi eſſent. Sed Catholicis in hoc ipſo etiam obnitentibus, ne viderentur nihil egiſſe, laxius ſpatium in arbitrium Domini territorii contulere, quod facile concedi poterat, cum etiam ſine hac conventione id utique eis dare licuiſſet.

Digitized by Google

luntarie ſive coacte emigrantibus k) nativitatis, ingenuitatis, manumiſſionis, noti opificii, honeſtæ vitæ teſtimonia denegentur, l) aut iidem reverſalibus inuſitatis m) vel decimationibus, ſubſtantiæ ſecum

i) *Ad emigrandum præfigatur.*) Scilicet iis, quibus imperatur emigratio, nam migrare volentibus nullo termino opus eſt, cum omnia in poteſtate ſua habeant, quamdiu optio eis datur, manere an abire velint.

k) *Neque ſive voluntarie, ſive coactè emigrantibus.*) Hæc verba iterum probant, dari coactam & involuntariam emigrationem, quando nimirum ſubditi à Domino juſſi fuerint, ut migrent. In tam luculenta re morari utique adhuc ſubit, eſſe, qui negant cogi ſubditos ad emigrandum poſſe. Sed hos procul dubio turbavit paragraphus ſuperior 35. quem cum ſequentibus duobus conciliare ſatis non poterant, quod tamen re diligenter perpenſa facile eſt, præſertim ſi hiſtoriam tractatuum pacis circa hoc negotium in ſubſidium vocamus, quæ nos docere poteſt, quid initio ab utraque paciſcentium parte poſtulatum, & quid denique poſt mutuas contentiones conventum ſit.

l) *Nativitatis, ingenuitatis, manumiſſionis, noti opificii, honeſtæ vitæ, teſtimonia denegentur.*) Teſtimonia *nativitatis* ſunt, quem ab honeſtis Parentibus legitimo matrimonio hoc anno & die procreatum, atque ex more baptizatum. *Ingenuitatis*, ſtatu liberum quem eſſe, non glebæ addictum, liberis item non ſervis Parentibus natum; Nam hoc proprie eſt ingenuum eſſe; *Manumiſſionis.* Hodie ceſſat quidem ſervitus inter Chriſtianos, ſed horum loco nunc reputantur homines, quos appellant, proprii, Leibeigene, qui manumitti dicuntur, cum Domini remiſſo hoc jure ſuo proprietatis, liberos illos dimittunt accepto aliquo manumiſſionis pretio, de quo aut lex ſtatuit, aut mutua conventio. *Noti opificii.* Notum hic opificium vocatur, quod aliquis ex more Germanorum ab alio ejus rei perito, quem Magiſtrum, Meiſter, appellant, didicit, exactis Tyrocinii annis, de quibus conventum erat initio locatæ in inſtituendo diſcipulo operæ. Hoc enim tempore probe abſoluto Tyro in *ſocium*, Geſellen, ridiculis plerumque ceremoniis promovetur, datis literis artis fideliter traditæ & recte perceptæ. Nam ſi quis aliam artem in occulto didicit, nullo diſcipulatus contractu inito, is eam ob rem teſtimonium petere non poteſt, cum id genus privata aut furtiva teſtimonia neminem apud opificum tribus in fruendis privilegiis juvent. *Honeſta vita* Teſtimonia ſunt de vita probe & absque nota infamiæ hactenus exacta, quod ideo adjectum videtur, ne quem diverſa à Domino religio fraudi ſit, impacto hæreſeos crimine, quod jure communi & ſecundum canones infamiam habet comitem.

m) *Aut*

cum exportatæ, plus æquo extenſis prægraventur, n) multo minus ſpon-

m) *Aut iidem reverſalibus inuſitatis.*) Reverſales igitur uſitatæ admittuntur, ſed quænam illæ uſitatæ? Crediderim eſſe, quæ emigraturis nulla in re præjudicio aut fraudi ſunt. Quid ergo ſi ab ejusmodi ſubditis promiſſio ſcripta exigatur, ſe non redituros invito Domino, neque illi ob juſſam emigrationem damnum illaturos? Non auſim ad literas reverſales inuſitatas, hanc poſtulationem referre, ne quidem ſi interpoſito juramento petatur. Enimvero cum non juſſu Domini, ſed ſua ſponte ſubditi migrant, quos ille penes ſe retinere maluiſſet, quid habendum? Non dubito hoc etiam caſu ejusmodi reverſalibus cavere ſibi Dominum poſſe, imprimis ſi cauſam habeat, cur à clientelis, opibus aut ingenio migrantium ſibi metuat. Quid enim, ſi aliquis fuerit ex Statibus Provincialibus non modo validus autoritate & neceſſitudinibus; Sed & olim inter amicos Principis intimos habitus, quem ille omnium ſecretorum ſuorum participem fecerat? Iſte ſi prætextu religionis contra voluntatem Domini emigrare voluerit, non omnino nullam de ſe ſuſpicionem præbet, ne aliquando ſit alibi moleſtus futurus. Interea dum per pacem retinere eum non licet, licebit ſaltem ab eo cautionem exigere, abitum ejus Domino ſine noxa & dolo malo fore.

n) *Vel decimationibus ſubſtantiæ ſecum exportatæ plus æquo extenſis prægraventur*) Moris eſt in Germania noſtra, ut qui ſubditi Statuum mutare Dominos, atque ex uno loco in alium animo transferendi domicilii una cum facultatibus ſuis ſe conferre volunt, pro abitu certam ſummam teneantur Domino ſolvere, quibus licentiam abeundi veluti rediment. Germanice hæc res vocatur das Abzugs-Geld. De æquitate hujus juris vel iniquitate ſcriptores multum inter ſe diſſentiunt. Mihi, ſi moderatio adhibeatur, nihil iniqui hic ſubeſſe videtur; plerumque enim ſubditi opes ſuas & facultates in ditione, quam nunc relicturi ſunt, ſibi quæſivere, quas exportare ſecum ſine incommodo reipublicæ non poſſunt. Deinde ſunt ipſi etiam perſonarum ſuarum reſpectu in fide Domini, cui non obſequium modo, verum etiam ſervitia multis modis debent. Hæc jura ſine redemptione ab invito auferri æquum non eſt; & quamquam hæc ratio ceſſat, cum ſubditus jubetur migrare, altera tamen conſideratio adhuc ſubſiſtit, neque infrequens adeo eſt, conſuetudinem, quæ ex una ratione invaluit, poſthæc obtinere, etiam cum illa ratio ceſſat. Detrahitur autem pro more à ſingulis centum nummis certa quota pars, unde hoc jus nomen *detractionis* etiam accepit. Sed quia plerumque decima pars detrahitur, idcirco hic decimationes vocantur; eſt enim decimare, partem decimam totius decerpere.

ſpontaneam ſuſcipientibus emigrationem, ſervitutis aut ullo alio prætextu impedimentum inferatur. o)

§. 38. XIII.

Subſtantiæ ſecum exportatæ) Subſtantia aliquando etiam pro bonis & facultatibus accipitur, Germani dicunt, Haab und Guth. Decimantur autem illa ſaltem, quæ migrans ſubditus ſecum exportat, ſive id in numerata pecunia fuerit, ſeu aliis rebus, quæ exportari poſſunt. Quas enim in loco relinquit, & adminiſtrari per alios curat, quod ipſi licet, illa decimationi non ſubjacent, quamdiu exportandorum conſilium non capit. De cœtero quas quis res mobiles ſecum abducit, quæ in ſe commodam decimationem non recipiunt, uti eſt pretioſa ſuppellex, aurum argentumque factum, gemmæ, tapetes, & id genus ſimilia, illæ æſtimantur, & decima earum pars in pecunia ſolvitur. Aliquas tamen res decimationi non ſubjacere & æquitatis & moris eſt, uti ſunt veſtimenta, ad ornatum viri, aut mundum muliebrem ſpectantia. In ſumma de quibus jure ordinario tributum non penditur, illas nec decimari convenit: Vocatur enim decimatio Germanice etiam die Nachſteuer, adeoque ad tributum pendi ſolitum ſe refert. Ubi igitur relatum ceſſat, ibi correlato locus eſſe non poteſt.

Plus æquo extenſis.) Dependet autem dijudicatio, num ex æquo decimatio petatur, an plus æquo extendatur, à conſuetudine cujusque loci. Ubi enim minus decima parte ſolvitur, cum alias ob cauſas, quam intuitu religionis, inſtituitur migratio, abeuntibus religionis cauſa plus imperari aut detrahi non poteſt. Sin vero ultra decimam, abituriens poſtulare nequit, ut minus petatur; Videbitur itaque Dominus tum demum plus æquo exigere, quando migraturos odio religionis inſolitis oneribus prægravat.

o) *Multo minus ſpontaneam ſuſcipientibus emigrationem ſervitutis, aut ullo alio prætextu impedimentum inferatur.*) Hoc imprimis in gratiam *Hominum propriorum* eſt conventum, quibus ſpontaneo emigraturis negotium aliquando faceſſitur ex eo, quod ſervitutis quadam ſpecie, die Leibeigenſchafft, devincti ſint Domino, quo invito ſubditi ſe in libertatem velut aſſerere non poſſunt. Sed hoc pace jam ſublatum eſt; Quæritur autem, an ſubditus, qui ejusmodi ſervitute premitur cum migrare vult, ultra præſtitam decimationem adhuc peculiariter teneatur ad redimendum ſervitutis jus, ſicut illi ad hoc obligati ſunt, qui alias ob cauſas à Domino migrationem impetrarunt. De hoc nihil invenio pace conſtitutum diſertis verbis? Quoniam tamen paulo ante hoc noſtro paragrapho cautum eſt, ne ſubditis *teſtimonia manumiſſionis* denegentur, manumiſſio autem plerumque aliquo pretio redimi ſoleat, vix erit, ut ejus generis ſubditus religionis cauſa

ſponte

Digitized by Google

§. 38. XIII. Sileſii etiam Principes Auguſtanæ confeſſioni addicti, a) Duces ſcilicet in Brieg, Lignitz, Münſterberg & Oels, — Sileſii Principes, Comites. &c.

ſponte migraturus, quo ipſo manu & poteſtate Domini exit, excuſare ſe queat, à debito, quod omnibus aliis in cauſis ſimilibus incumbit. Magis dubitari poterit de eo, qui migrare juſſus eſt, iſte enim ſimilis eſt ſervo, quem Dominus expellit domo ſua, poſthæc nunquam recipiendum. Sicuti enim ſervus ita derelictus occupantis fit, & liber denique, ſi nemo fuerit, qui recipere eum velit; Ita ſublata ſervitute apud nos ejusmodi proprii homines à Dominis ſive religionis, ſive alia quacunque cauſa expulſi, ſe ipſi protinus occupant, & in plenam libertatem vindicant, cum jus occupandi moribus abrogatum ſit.

§. 38.

a) *Sileſii etiam Principes, Auguſtanæ Confeſſioni addicti.*) Deducit nos jam ordo conventionis Tabularum pacis, cum in locum, ubi de ſubditis Domus Auſtriacæ agitur, quorumque mentio ſpecialis ideo facienda fuit, quod Auſtriaci nec bonis nec malis verbis, inter actionem ſuper pace à Suecis & Proteſtantibus adhibitis, permoveri unquam ſe paſſi ſunt, ut permitterent ſubditos ſuos iisdem legibus in negotio religionis frui, quæ ſubditis aliorum Statuum à paragrapho 31. usque huc latæ ſunt: Impedita ſane & difficilis erat hujus rei tractatio cum Suecis, coactis tandem cedere, poſtquam Legati Auſtriaci diſceſſum minabantur: Forte etiam, quia officiis Gallorum hac in cauſa ſatis calide & ſincere non adjuti fuerunt: Ut ut ſit, ſtandum jam eſt pacto, qualecunque etiam illud fuerit; & ſtarent utique libenter Proteſtantes, modo Auſtriaci illud interea multis indignis modis non ſollicitarent, exagitatis undique ſubditis tanto reformandi rigore, ut miſerrimam vitam agant, maximo conſcientiarum ſuarum cruciatu, quibus vis quotidie infertur, irritis lacrumis & precibus, quas Boni illi Patres Societatis, horum malorum omnium autores, ad aures Cæſaris pervenire aliter non ſinunt, quam ut malitioſa interpretatione animum Principis ad ſæviora, atque atrociora, velut in rebelles jure meritoque ſtatuenda, exacerbent. Neque defuere etiam hactenus Proteſtantes Status officiis ſuis apud Imperatorem in miſeris ſublevandis; Sed & iſtorum interceſſiones eo loco apud ipſum non fuere, quo ex meritis & dignitate ipſorum eſſe utique debebant, niſi cæcus ille & intemperans religionis Pontificiæ undique promovendæ ardor animum obſideret, ne cognoſcere poſſimus, quid jus & æquum poſtulet, quæ ſint humanitatis officia; Imo quid nobis conducat etiam.

b) *Duces ſcilicet in Brieg, Lignitz, Münſterberg & Oels.*) Hæ omnes familiæ Principales, excepta Oelſenſi, interea defecere, Feudis illis ad Domum Au-

Oels, b) itemque Civitas Uratiſlavienſis, c) in libero ſuorum ante bellum obtentorum jurium & privilegiorum, d) nec non Auguſtanæ

ſtriacam reverſis, quæ res illis locis ſtatum religionis ſubditorum Proteſtantium mognopere adflixit.

c) *Itemque civitas Uratiſlavienſis.*) De ſubditis hic nihil legitur, qui in Ducum illorum & Civitatis poteſtate ſunt. Itaque poſt pacem conditam ſuborta eſt controverſia, cum Civitas Uratiſlavienſis extra mœnia etiam & ſuburbia in Ducatu Uratiſlavienſi pagos & ſubditos Auguſtanæ confeſſioni addictos poſſideat, an & iſti libero Auguſtanæ confeſſionis exercitio ex hac formula gaudeant, vel juri reformandi Domus Auſtriacæ ſubjaceant. Civitas ad pacem Pragenſem provocabat, ubi ſubditorum mentio facta; At Auſtriaci ſtricte inhærebant verbis Inſtrumenti Pacis, vexatis hinc inde ſubditis religionis cauſa, eoque tandem ſunt progreſſi, ut ſuburbiis quoque minitarentur, civitatem mœnibus ſuis concluſuri. Hæc res Uratiſlavienſibus ingentes ſæpe moleſtias fecit, promptis Auſtriacis ad audendum aliquid, & tardis ex adverſo Proteſtantium auxiliis; imo in effectu nullis, cum nihil haberent, quo interceſſionibus ſuis, & precibus pondus aliquod & vim adderent, quamquam meo quidem judicio civitati manifeſta injuria hac in re fiat. Neque enim hoc loco urbs Uratiſlavienſis nominatur, ſed *civitas*. Eſt autem proprie Civitas non ordo ille & ſtructura ædificiorum muris incluſorum, ſed multitudo incolarum, quæ unam in ſocietatem compoſita communi jure & legibus regitur; Quid inter hæc interſit, Cicero lib. 1. de republ. apud Nonium his verbis expoſuit: *Conjunctionem tectorum oppidum vel urbem appellaverunt, delubris diſtinctam ſpaciisque communibus. Omnis ergo populus, qui eſt talis cœtus multitudinis, qualem expoſui, CIVITAS eſt.* Quod & Soloni apud Lucianum de Gymnaſiis animadverſum, cum dicit, civitatem non ædificia facere, muros, delubra & alia, ſed conjunctionem civium, imperandi parendique ordine & Sociatorum; Itaque cum bello Punico tertio Carthaginenſibus pacem petentibus, verba dediſſent, ſi Senatus imperata facerent, civitatem ipſis liberam manſuram; Et mox Carthaginenſes obſidibus armiſque celeriter & cum cura traditis à conſule etiam juberentur urbem aliam decem minimum millia paſſuum à mari diſtantem & ſine muris concedere, illis fidem ſibi ita violari querentibus reſpondit conſul, *ipſos cives Carthaginenſes, non ſolum atque ædificia Carthaginem eſſe.* Eadem ratio hic eſt Civitatis Uratiſlavienſis; Hac enim appellatione non mœnia & ædificia veniunt, nec ea ſolum multitudo intelligitur, quam illa complectuntur, ſed quicquid eſt ſub imperio ejus & jurisdictione; Senatus, cives, ſubditi intra & extra mœnia, in urbe pagisque

Digitized by Google

næ Confeſſionis exercitio e) ex Gratia Cæſarea & Regia ipſis conceſſo f) manutenebuntur. g)

§. 39. Quod

giſque viventes; Iſti enim una vel conjunctim ſumpti ſunt civitas, ut adeo ſalva hac pace nulla ejus pars, ubicunque fuerit, à libero Auguſtanæ Confeſſionis exercitio, quod ante habuerat, excludi poſſit ſed in eo manutenenda potius ſit.

d) *In libero ſuorum ante bellum obtentorum jurium & privilegiorum*) Ad hæc jura & privilegia merito retulit civitas in ſupplice ſuo libello anno 1654. 20. Jan. Cæſari Ferdinando III. exhibito jura patronatus, vocandique Paſtores iis etiam in locis, quæ non ſunt in ditione civitatis: Quanto minus igitur loca juriſdictione ejus comprehenſa à Catholicis occupari aut vexari poterunt?

Ante bellum OBTENTORUM) Intelligitur bellum illud tricennale, quod ab anno 1618. cepit, & ad annum usque 1648. duravit. Statim enim primis ejus initiis implicati Sileſii fuere, Bohemorum defectione in partes tracti. Sed quid de privilegiis dicendum belli tempore obtentis, ſi quæ forte eſſent? Statuendum de illis erit non ex hac lege, ſed alio capite: Neque enim quia hic Uratislavienſibus privilegia ante bellum obtenta confirmantur, idcirco abrogata intelliguntur, quæ medio bello conſecuti ſunt, niſi alia juſta cauſa fuerit juris vel privilegii auferendi.

e) *Nec non Auguſtanæ Confeſſionis exercitio.*) Intellige, in omnibus locis ubi illud Civitas ante bellum habuerat, ſive domi id fuerit, ſive ruri in pagis villisque.

f) *Ex gratia Cæſarea & regia ipſis conceſſo.*) Conjunguntur gratia Cæſarea & regia, quia Rex Bohemiæ ſimul Imperator erat, & adhuc etiam eſt. Dum autem ex gratia hoc exercitium concedi dicitur, eo negatur, id jure territorii Statibus Sileſiæ deberi, qua in re hi ſane longe deterioris ſunt conditionis quam Status Imperii. Nam longe firmiore nititur fundamento, quod jure meo habeo, quam ſi gratiæ ſuperioris acceptum ferre debeam, quamquam de gratia hoc loco ita comparatum ſit, ut non ſit revocabilis, ſed cum obligatione, ut perpetuetur. Pactum enim eſt, ut manutenentur, quibus ſemel hæc facta gratia eſt.

g) *Manutenebuntur*) Scilicet omni futuro tempore, ut pœnitentiæ nullis ex rationibus ſit locus. Manutenendi autem ſunt iſti Status Sileſiæ non modo per ipſos Principes Auſtriacos, qui hanc obligationem contraxere. Verum etiam ſi officio ſuo nolint ſatisfacere, aut ipſi pacto, hoc inſuper habito turbare velint, quos defendere debent ab omnibus pacis conſortibus, qui fidem dedere, ſe iſta omnia, de quibus convenit, tuta & integra præſtaturos; Quamquam enim hæc conceſſio ex gratia eſt, eadem tamen ſecuritate nititur, eosdemque habet fidei publicæ ſponſores & Defenſores ac reliqua, quæ pace promiſſa ſunt.

§. 39.

Digitized by Google

§. 39. Quod vero ad Comites, Barones, Nobiles, a) eorumque ſubditos b) in reliquis Sileſiæ Ducatibus, c) qui immediate ad Cameram Regiam ſpectant, d) tum etiam de præſenti in Auſtria inferiori degentes e) Comites, Barones, & Nobiles, attinet, quamvis Cæſa-

§. 39.

a) *Quod vero ad Comites, Barones, Nobiles.*) Poſt Principes Sileſios Civitatemque Uratislavienſem nunc peculiari articulo de Comitibus, Baronibus, nobilibus agitur, qui in reliquis Sileſiæ Ducatibus immediate ad Cameram Regiam ſpectantibus degunt, quibus datum eſt, ne ob profeſſionem Auguſtanæ Confeſſionis loco aut bonis cedere, vel emigrare teneantur, neve prohiberi poſſint dictæ confeſſionis exercitium vicinis in locis frequentare.

b) *Eorumque ſubditos.*) Fit hic mentio etiam ſubditorum, quæ ſuperiori paragrapho omiſſa fuit; Sed nullum dubium, quin illic etiam comprehenſi intelligantur.

c) *In reliquis Sileſiæ Ducatibus.*) Videntur reliqui Ducatus eſſe omnes, qui in Sileſia inveniuntur, præter ſupra memoratos, Brieg, Lignitz, Münſterberg & Oels.

d) *Qui immediate ad Cameram regiam ſpectant.*) Non crediderim hoc reſtrictive poſitum ſed declarative, quod nimirum reliqui omnes Sileſiæ Ducatus immediate ad Cameram ſpectent, quamvis nonnulli eorum deinde quibusdam Principibus à Domo Auſtriaca propter merita ipſorum conceſſi fuerint. De Carnovienſi & Tropavienſi Principatibus movet quidem ſcrupulum Buckiſch ad hunc locum: Sed uti prior pacis adhuc tempore ad Domum Brandeburgicam de jure pertinuit, antequam cum Auſtriacis ea ſuper re transactum fuit: Ita ſane Principes Lichtenſtenii, quibus uterque inter motus Bohemicos ceſſit, jure aliquo reformandi in illis uti eo minus poterant, quod meri eſſent Vaſalli: A ſola qualitate Feudali vero vel ſubfeudali, ſive à Regno Bohemiæ ſive aliunde procedant, jus reformandi non dependeat. Contra Regem Bohemiæ vero obſtabat hæc ipſa, hoc paragrapho ſancita, exceptio. Nimirum hoc intereſt inter hanc & ſuperiorem Conſtitutionem; Omnes Subditi Auguſtanæ Confeſſioni addicti in regno Bohemiæ, vel mediate vel immediate Regi Bohemiæ ſubjecti ſunt: Mediate ſubjecti pertinent ad Duces in Brieg, Lignitz, Münſterberg & Oels: Itemque ad Civitatem Uratislavienſem. Immediate ſubjecti ſpectant ad Cameram regiam. Illis ipſi ſui Domini ejusdem religionis de ſecuritate ſacrorum proſpiciunt; Horum cauſa præſens conſtitutio facta eſt.

e) *Tum etiam de præſenti in Auſtria inferiori degentes.*) Tempus *de præſenti* eſt tempus factæ pacis, ergo qui jam migrarunt, illis hæc ſanctio nihil prodeſt. Deinde degentes ſaltem in Auſtria

Digitized by Google

Cæſareæ Majeſtati jus reformandi Exercitium religionis f) non minus,

ſtria inferiori nominantur; quid igitur de Auſtria ſuperiori? Quid de reliquis Domus Auſtriacæ regnis & Provinciis? Inveniuntur quædam de his conventa §vo ſequenti 41. quo interea lectorem remittimus.

f) *Quamvis Cæſareæ Majeſtati jus reformandi exercitium religionis.*) Ergo jus reformandi exercitium religionis in his Sil ſiæ Ducatibus competit Cæſareæ Majeſtati, non Principibus poſſeſſoribus. Hinc utique valet argumentum maxime à majori ad minus; Nam ſi Cæſari in Ducatibus Sileſiæ ad Cameram Regiam immediate ſpectantibus, ultra eum modum, qui hoc loco deſcriptus eſt, jus reformandi non competit, multo minus hoc ei licebit in Ducatibus immediate eo ſpectantibus: Quo enim jure meo ego in propriis meis bonis pacis & tranquillitatis publicæ cauſa ceſſi, eo ſane etiam ceſſiſſe videor in bonis ab alio poſſeſſis etſi illa quodam ſuperiori jure ad me etiam pertinere compertum ſit Ut ſummatim dicam, quod ad Ducatus Sileſiæ attinet, duplex ſaltem eſt, non ulterior ratio conſiderandi jus Cæſaris in negotio reformationis. Una quæ quatur illos Ducatus Brieg, Lignitz, Münſterberg & Oels, cum civitate Uratislavienſi reſpicit. Altera, quæ reliquos Ducatus omnes. Illic tam Duces, quam eorum ſubditi in libero Auguſtanæ confeſſionis exercitio relinquuntur & manutenentur. Hic Comites, Barones, Nobiles eorumque ſubditi ob profeſſionem Auguſtanæ Confeſſionis loco aut bonis cedere, aut emigrare non tenentur, neque prohibentur exercitium dictæ Confeſſionis in locis vicinis extra territorium frequentare. Exceptos hic eſſe illos Catholicorum Principum Ducatus, qui olim ad Cameram Regiam immediate etiam pertinuere: Deinde vero ob bene merita aut expenſas in rem Domus Auſtriacæ pecunias quibusdam Aulæ miniſtris dati fuere, hic non traditur. Potius verba *in reliquis*, oppoſita ſuperioribus illis quatuor Ducatibus, de quibus §vo præcedenti actum fuerat, cœteros Ducatus omnes includunt. Neque turbare debent verba, *qui immediate ad Cameram Regiam ſpectant*, à potiori enim eſt hæc demonſtratio, ut appareat, quod Cæſari in ſuis propriis bonis non licet, id ei multo minus in illis licere, quæ ab aliis fiduciario jure poſſidentur; Nam ſi hæc paciſcentes excepta voluiſſent, ut major reformandi licentia in illis Regi Bohemiæ eſſet, id utique dictum fuiſſe probabile eſt. At ſilente prorſus lege de hoc caſu, nobis utique in fraudem Proteſtantium Sileſiorum hic aliquid ſtatuere non eſt integrum, ne quod lex non cantat, juxta illud vulgatum nos cantare velimus.

g) *Non minus quam aliis Regibus & Principibus competat.*) Enimvero non ad o expeditum eſt, an Cæſari aliisque Regibus & Principibus, qui Romanæ Curiæ

nus, quàm aliis Regibus & Principibus competat, g) tamen non quidem ex pacto juxta diſpoſitionem h) præcedentis verſiculi: Pacta autem, &c. ſed ad interventionem Regiæ Majeſtatis Sueciæ, & in

Curiæ auctoritatem in Sacris ſectatur, jus reformandi exercitium religionis, & quo titulo illud competat, ſalvis principiis illis, à Clero Pontificio hactenus ſtabilitis & acriter defenſis, per quæ Principibus in religionis conſtituendæ negotio nihil omnino conceditur, quam nudi miniſterii obſequium ad exequenda ea, quæ Clero ante hæc ſub auſpiciis Pontificis Romani decernere viſum erat. Multa ſane de hoc argumento, nec ſpernenda ob rei gravitatem dici poſſint: Quo numero enim Pontificius Clerus Reges & Principes habeat, cum de jure reformandi exercitium religionis agitur, in propatulo eſt; Sed nos merito hic manum de tabula, cum res ſit invidiæ plena, & ne objiciatur nobis, nos plus Pacificatoribus ſapere velle.

h) *Tamen non quidem ex pacto, juxta diſpoſitionem.*) Scilicet noluere Auſtriaci in Regno Bohemiæ, cæteriſque hereditariis ſuis provinciis ad tolerantiam religionis Evangelicæ ullo ex pacto teneri, ex quo omnia privilegia, literas Majeſtatis, ſimileſque conventiones, olim pro ſecuritate & libertate exercitii religionis ſubditis datas, abrogaverant; Ideoque cum antea hoc articulo 5. §. 33. ſtatutum in genere fuerit, ut *pacta, transactiones, conventiones, & conceſſiones, quæ inter immediatos Imperii Status eorumque Status Provinciales & ſubditos de publico vel etiam privato exercitio religionis introducendo, permittendo & conſervando antehac interceſſerunt, initæ & factæ ſunt, catenus ratæ & firmæ maneant, quatenus obſervantiæ anni 1624. non adverſantur, nec ab iisdem, niſi mutuo conſenſu recedere liceat.* Et vere ipſi etiam ad interventionem Svecorum, atque in gratiam Statuum Proteſtantium hoc loco quædam beneficia ſubditis ſuis Auguſtanæ Confeſſioni addictis religionis intuitu permittant, neceſſarium duxere, ut ſibi caveant, ne quis poſthæc hanc conceſſionem ſic interpretetur, quaſi ex illa conventione; quæ dicto §vo 33. legitur, & longe pinguior eſt, ad hæc præſtanda obligentur, cum iſta ad formam nudæ permiſſionis ex gratia à ſe deberi maluerint. Interea nihilominus verum eſt, Auſtriacos hactenus ex pacto obſtringi, quatenus permiſere pacem hoc modo concluſam ſerio ſervatum cultumque iri, & ne contra hanc transactionem ullumve ejus articulum aut clauſulam nec jura nec privilegia, nec decreta ullæve aliæ exceptiones admittantur. Aliud enim eſt ex pacto in genere teneri, & aliud teneri *ſpeciali ex pacto juxta diſpoſitionem præcedentis verſiculi, pacta autem &c.* qua obligatione ſe Auſtriaci ob rationes ſupra dictas eximi voluere, ne quod hic ex gratia conceſſiſſe, videri volue-

in gratiam intercedentium Auguſtanæ Confeſſionis Statuum, i) permittit, k) ut ejusmodi Comites, l) Barones & Nobiles, illorumque in prædictis Sileſiæ Ducatibus ſubditi, m) ob profeſſionem Auguſtanæ

voluere, mox argui poſſint, ſe debere ex pactis ante hac cum Statibus ſuis Provincialibus aliisque ſubditis initis, quam ſpeciem obligationis vitare omnibus modis cupiebant, ne quæ pacta ipſi jam pridem variis ſub coloribus antiquavere, ex authoritate Magiſtratus, & plerumque in pœnæ vicem pro imputatis criminibus ad ea iterum, velut renovata per Inſtrumentum Pacis, confirmataque provocare ſubditis liceat.

i) *Sed ad interventionem Regiæ Majeſtatis Sueciæ, & in gratiam intercedentium Auguſtanæ Confeſſionis Statuum.*) Quamquam in vera latinitate ſenſu idem ſit, ad interventionem alicujus quid concedere, & id in gratiam cujusdam intercedentis facere, tamen decoris in loquendo obſervandi cauſa, & ex ſtylo curiæ, hæc quodammodo diſtinguuntur; Neque enim liberi Reges Civitatesque libenter audiunt, gratiam ſibi ab aliis fieri. At Status Imperii Cæſari certo quodam reverentiæ & devotionis vinculo obſtricti hanc formulam loquendi non ita facile reſpuere poſſunt, quibuscum Cæſar quotidie de gratia ſua & clementia agit: Sed revera in his ſcrupuloſitas inanis exercetur.

k) *Permittit.*) In hoc etiam verbo videtur quædam ſubtilitas quæſita eſſe, quo forte nudi facti permiſſionem, non conceſſionem juris alicujus, indigitare Cæſareani volebant, proculdubio ex Jeſuitarum ingenioſis luſibus, cujus rei ſpecimen dedere Dillingenſes adulatorie laudati à Paraſito, Buckiſch ad hunc. §. obſerv. 115. ubi miſera vanitate Catholicorum antiquiſſima & immemorialis poſſeſſio jactatur, tanquam in ſacris & profeſſione religionis ad ejusmodi nugas juridicas reſpiciatur, vel contra veritatem ullo tempore præſcribi poſſit. Sincerius ab omni odio & gratia judicant, qui hoc, *permittit*, cum juris effectu intelligunt, quando nimirum quis talia ex pacto & conventione permittere debet, neque arbitrio ejus amplius relictum eſt, quid eam circa rem ſtatuat. Forte Auſtriaci lenitate alicujus vocabuli declinare invidiam, aut conſcientiæ ſuæ conſulere voluere, id quod Succi & Proteſtantes non valde curabant, modo deſideriis ſuis ſatisfieret. De cætero his ex pacto ſemel obtentis perinde erit, ſive *permittit*, dicas, ſive *concedit*, ſive *pollicetur*, ſive alia fortiori locutione utare: Reſpiciendum enim eſt ad ea, quæ conventa ſunt, non vero cavillis verborum veteratorie indulgendum.

l) *Ut ejusmodi Comites*) Quorum nempe initio hujus paragraphi facta mentio fuit.

m) *Illorumque in prædictis Sileſiæ Ducatibus ſubditi*) Adnotat hic Bukiſch ex actis Tractatuum pacis Cæſareos

guſtanæ Confeſſionis n) loco aut bonis cedere aut emigrare non teneantur, o) nec etiam prohibeantur dictæ Confeſſionis Exercitium in locis vicinis extra territorium frequentare, p) modo in reliquis tran-

reos legatos ab initio recuſaſſe, ut mentio ſpecialis ſubditorum fieri poſſet, data tamen fide, Cæſarem nihilominus illos eodem loco, quo Comites, Barones & Nobiles, habiturum, quod ad religionem & conſcientiarum libertatem attinet. Pro ratione allegatur, ne forte poſthæc ſubditi regii, qui immediate ad Coronam pertinent, ſe etiam hac lege comprehenſos exiſtiment, de quibus tamen negabant Auſtriaci ſibi quicquam ullo modo præſcribi poſſe. Tandem vero ceſſere Suecis, in eo perſiſtentibus, ut nominarentur, quod non ſine cauſa verebantur, ne cum tempore non dicta pro omiſſis reputarentur; neve in nudis verbis & promiſſis minor ſecuritas, quam in ſcriptis pacis legibus foret.

n) *Ob profeſſionem Auguſtanæ Confeſſionis.*) Quid de profeſſione religionis reformatorum dicendum? Ego cenſeo, cum complexu generali Auguſtanæ Confeſſionis Reformati etiam comprehendantur, & deinde art. 7. Inſtrumenti pacis Reformatis etiam concedatur, quicquid juris aut beneficii pax Weſtphalica in eaque deciſio gravaminum cœteris Catholicis & Auguſtanæ Confeſſionis Statibus & ſubditis tribuit; Illos reformatos inquam, ſi qui in Sileſia ſunt, hoc legis vel pacis beneficio excludi non poſſe. Nam ſi de ſolis Lutheranis paciſci partes voluiſſent, oportuiſſet mentionem fieri *invariatæ* Auguſtanæ Confeſſionis, prout id aliis locis factum eſt.

o) *Loco aut bonis cedere, aut emigrare non teneantur.*) Duo igitur ſumma capita ſunt, conceſſi hujus privilegii vel beneficii. Primum, ne ad emigrationem bonorumque ſuorum venditionem cogi poſſint. Loco autem cedere, idem eſſe hic arbitror quam emigrare; at cedere bonis, ad alienationem fundorum aliarumque rerum immobilium ſpectat: Res enim mobiles ſecum absportare unusquisque poterit, quem religionis cauſa ſolum vertere cogere poſſumus. Quod vero de emigratione ſpeciatim adjicitur, id de loci bonorumque ceſſione ſimul dictum videtur, quia regulariter, qui migrare jubentur, non locum ſolummodo mutant, verum etiam diſtrahere bona debent, quorum nullus eis eſt uſus in iis locis, quo nec commorari licet, nec liber aditus patet, cum prædia curare vel inſpicere volunt.

p) *Nec etiam prohibeantur dictæ Confeſſionis Exercitium in locis vicinis extra territorium frequentare.*) Hoc alterum eſt privilegium, ut loca vicina diebus feſtis adire, & ibi ſacris ſuis operam dare poſſint. Licebit etiam proculdubio eis domi privatæ devotioni vacare, liberosque ſuos exteris ſuæ religionis

tranquille & pacifice vivant, q) ſeque tales præſtent, quales erga ſummum Principem decet. r) Si vero ſua ſponte emigrarint, s) & bona

gionis ſcholis, aut privatis domi Præceptoribus inſtituendos committere, ſecundum ea, quæ ſupra §. 34. placuere. Quæ autem nomine privatæ devotionis intelligantur, ibi dictum eſt: Inter præcipua ſunt, liber precum & cantionum quotidianarum uſus, tum Bibliorum concionumque legendarum facultas, quibus liberi aliique domeſtici ejusdem religionis intereſſe poterunt. Sed ut hæc omnia ſine ullo ſtrepitu aut ſolennitate privatos intra parietes veluti furtim peragantur illis in locis, ubi ex verbis pacis non certo conſtat, quantum in unoquoque harum rerum articulo conceſſum ſit.

In locis Vicinis extra territorium.) Nam ſi Comites, Barones, nobiles in Ducatibus, ubi eis domicilium eſt, exercitium habent, liberum utique & illis, & ſubditis erit, operam ſacris dare, quo voluerint. De Cætero cum hic verba, *extra territorium*, perſpicue ſe ad territorium illius Ducatus referant, ubi Comites illi, Barones, Nobilesque, atque eorum ſubditi ſiti ſunt, prout diximus; abſurde profecto dubium ab illis movetur, qui cavillatoria vafritie quærunt, utrumque hoc *extra territorium*, de tota Sileſia ſit intelligendum; Ubicunque enim locorum in Sileſia ipſa exercitium religionis Evangelicæ viget, eo conferre ſe libere omnes Sileſii poſſunt, cujuscunque conditionis fuerint, qui ſuis in Ducatibus & apud ſe ejus rei commoditate non fruuntur, atque hunc ſenſum pacis §vus ſequens manifeſto defendit. Quorſum enim conceſſio Cæſaris pro extruendis tribus templis in certis atque deſignatis locis, pro hujus confeſſionis exercitio, ſi tota Sileſia eo illis interdictum, qui antea paragrapho 38. non fuere excepti.

q) *Modo in reliquis tranquille & pacifice vivant.*) Ergo qui hoc modo ſe non gerunt, ſed quibus tergum ad motus & turbas prurit, loco bonisque cedere, atque emigrare merito jubentur, modo cæteris tranquillis & pacificis iſtorum inſolentia & quietis impatiens ingenium, fraudi ne ſit. At ſi omnes tota Sileſia Proteſtantes velut œſtro perciti ciere turbas, & per id moleſti Principi eſſe vellent, non eſt dubium, quin illis locis ſuam religionem in ſummum diſcrimen adducerent, cum tranquilli & pacifici hac libertate, non turbulenti & rixoſi, gaudeant.

r) *Seque tales præſtent, quales erga ſuum Summum Principem decet.*) Enim vero æquum etiam eſt, ut non minus ſe Princeps erga ſubditos ſuos Proteſtantes talem præſtet, uti eum eſſe decet cum ex officii ratione, tum ex prudentiæ civilis conſilio: Cogitare nimirum Princeps debet, ad fidem cogi homines non poſſe Imperantium edictis, ſed hoc opus eſſe unius Dei, qui in corda hominum ſolus

Digitized by Google

Imperium obtinet. Antequam hic ſummus Reformator Spiritu ſuo & luce errores diſpellit, & veritatem cæcutientibus oſtendit, fruſtra prorſus illi omnes ſunt, qui tantum negotium ſuis reformationibus conficere volunt. Sed & longe ineptius indignantur illis, qui ſuis argumentis non tantum tribuunt, ut ſe perſuaderi patiantur; Neque enim id in cujusquam poteſtate eſt, ut poſſem credere, quod ab alio mihi proponitur, antequam hoc idem mihi videatur, quod alteri. Atque hoc ipſum in rebus fidei & negotio religionis tanto minus eſt poſſibile, quanto plus clamitant omnes omnium Sectarum Doctores, rationi non eſſe auſcultandum, ſed captivandam eam ſubigendamque fidei obedientiæ. Quæſo vero jam te, ſi mihi rationis naturalis uſum & vim aufers; in dijudicandis fidei controverſiis, neque vero ipſe mihi lucem divinam affundere poſſis, ut veritatem videam; quid eſt cur iraſcare errantibus? Niſi quod videris offenſam cum Deo exercere, qui tibi tuum ad Imperium in hominis converſione non ſtatim accurrit. Protinus enim cum hic Magiſter adeſt, cedunt tenebræ, & clara atque perſpicua fiunt omnia. Tolerantia itaque aberrantium eſt conſilium in iis tractandis, quos judicia de religione dividunt. Non repugnamus docendos eſſe, qui diſſentiunt, de tua ſententia, ſed ut id benigne & placide fiat, metu omni aut ſpe remota, rationi eſt conſentaneum. Breviter eo modo cum aliis agendum, quo tecum agi ab aliis velles, qui te in poteſtate ſua conſtitutum à tuis Sacris ad ſua pertrahere laborarent. Abſurdiſſima profecto & ab omni ratione maxime aliena eſt exceptio, ego de vera religione mihi certus ſum: Alter falſam deceptus amat: Ergo cogere illum poſſum ut meam amplectatur. Nam tantundem ille etiam dicit, cui ſua religio videtur verior, ſibi eandem hoc ex capite poteſtatem in te arrogat, ſi forte contigerit te ſubditum ejus eſſe; Quemadmodum igitur tu velles, ut te alter hoc rerum ſtatu patienter toleraret, teque ſine contumelia & injuriis ſineret in civitate agere bonum civem aut ſubditum, ut ut de cætero in cauſis fidei tuo ſenſu abundares: Ita vel tuo etiam judicio æquitati eſt conſentaneum, ut ſimiliter cum illis agas, in quos tibi ſummum rerum arbitrium fors dedit. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, præceptum eſt inter prima juris naturæ, quo omnium conſenſu nihil juſtius, nihil pro tranquillitate humani generis accommodatius. Igitur ſi tuæ tuorumque conſcientiis conſultum cupis, fac ut aliis exemplo modeſtiæ & moderationis præeas. Sin vero placet vim adhibere illis, qui in religione à Te diſſentiunt, non eſt profecto, cur deinde ſuccenſeas, aut criminere, quando aliis in locis in tuæ religionis conſortes jure pignorationis idem ſtatuitur. Hæc enim fatua & ſuperba jactatio tandem abjicienda eſt, cum nobis aliisque perſuaſum cupimus, noſtram religionem ubique ſacroſanctam

Digitized by Google

bona ſua immobilia vendere vel nolint, vel commode non poſſint, t) liber iis aditus rerum ſuarum inſpiciendarum & curandarum cauſa conceſſus eſto. u)

§. 40. Præ-

ſanctam & inviolabilem eſſe debere, nos vero aliorum ſacra apud nos turbare pro lubitu & premere poſſe.

s) *Si vero ſua ſponte emigrarint.*) Præter beneficium manſionis in loco cum libertate conſcientiarum & religionis vicinis in locis exercendæ, datum etiam ejusmodi ſubditis eſt, ut emigrare poſſint, ſi ſponte ſua voluerint, nam ad id cogi non poſſunt; Neque pro mediocri privilegio hoc jus emigrandi æſtimari debet: Sæpe enim ſubditi ab iniquis Dominis & ob religionem clam infenſis adeo cœteris in rebus duriter atque inimice tractari poſſunt, ut ſi manendum ipſis neceſſario fuerit, vitam agant exilio, quin morte ipſa acerbiorem.

t) *Et bona ſua immobilia vendere vel nolint, vel commode non poſſint.*) Bona enim mobilia migraturi ſecum exportare ſolent, ut habeant, qua ſupellectile domum rurſus inſtruant, quo habitare eis viſum. Neque tamen dubitandum eſt, quin mobilia vendere poſſint, aut apud amicos deponere, ſi ea commode abſportare ſecum nequeant vel ejus naturæ ſint res, quæ comparatu faciles vilitate ſua vecturam non merentur. Quod vero ad bona immobilia attinet, quæ in prædiis, ædibus & id genus rebus conſiſtunt, eorum vendendorum quidem licentiam habent; Sed ſi ea retinere maluerint, imperari illis alienatio non poteſt, id quod bono emigrantium conſtitutum eſt, quibus res malitioſa conſpiratione exiguo pretio extorqueri poſſunt, ſi venditorem tempus vel neceſſitas urget, neque emptor ſtatim adeſt, qui juſto pretio liceatur.

u) *Liber iis aditus rerum ſuarum inſpiciendarum & curandarum cauſa conceſſus eſto.*) Tandem emigrantibus, & bona ſua immobilia retinentibus datur liber aditus ad inſpiciendas curandasque res illas. Continetur autem inſpectione & cura omne genus adminiſtrationis, qua Patrifamilias opus eſt in rationibus domeſticis recte ordinandis; Sive ſervos & ancillas conducere, ſive locare domos, ſive fructus & reditus percipere ex fundo, ſive operas & penſiones à ſubditis exigere; Sive in illos ipſos ſubditos exercere jurisdictionem velit, quatenus hæc ex jure prædii eſt. Uno verbo, quicquid Dominus facere potuiſſet, ſi non migraſſet, id ei licet, quoties ſe eo inſpiciendarum curandarumque rerum cauſa confert: Datur enim ei aditus non certis ſtatisve temporibus, nec commoratio tempore circumſcripta eſt, ſed omnia in poteſtate ejus ſunt, qui emigravit; Sponte enim ſua hoc fecit, non imperio alterius ad id coactus; Quin ſi ille ſatius duxerit reverti, & in bonis ſuis perpetuo habitare, id

3. Templorum in Sileſia exſtructio.

§. 40. Præter hæc autem, quæ ſupra de dictis Sileſiæ Ducatibus, a) qui immediate ad Cameram Regiam ſpectant, diſpoſita ſunt, Sacra

re, id ei utique denegari ex pace non poterit, quamdiu bona ſua immobilia retinet. Nam ſi ea ſemel alienaverit, & deinde reverſus comparare alia velit domicilii conſtituendi cauſa, fortaſſis ejus rei impetratio difficilior erit, quando ſemel domicilio, facto alienationis bonorum immobilium videtur renunciatum eſſe. De cœtero aditus liber eſſe debet, (1) ab omni contumelia, ne à quoquam ob religionem deſpiciatur, vel contemptui habeatur (2) liber ab injuriis, imprimis ne in jure dicundo Catholicorum favor contra ipſum aliquid poſſit: Sed ut jure æquo & pari cum aliis vivat. (3) Liber ab inquiſitione & perſecutione Cleri: Nam libertate conſcientiæ ſemel conceſſa reprimenda eſt horum hominum impetigo & ardor in vexandis iis, qui ſe illorum opinionibus cæco obſequio mancipare nolunt. Adeoque tanto magis (4) liber à carcere, omnive alia moleſtia, qua alias fervidi illi & immites torquere ſolent à ſe diſſentientes. Haudquaquam vero liber à teloniis aliisque juribus, quibus non Incolæ modo, ſed & peregrini, cum iter faciunt, aut in loco morantur, ſubjecti ſunt. Multo minus vero liber ab oneribus realibus, quæ bonis immobilibus impoſita ſunt. Quæritur ergo hic, an emigraturus de venditis rebus vel ſecum absportatis decimationem debeat, tota fere Germania receptam? Quamquam vero ea de re nihil hic ſtatutum inveniatur, ego tamen nullus dubito, quin obtineant etiam, quæ paulo ante paragrapho 37. de aliis Statuum ſubditis libere vel coacte emigrantibus placuere, ne ſcilicet decimationibus ſubſtantiæ ſecum exportatæ plus æquo extenſis prægraventur; id quod moderatum & æquum decimationis uſum confirmat.

Conceſſus eſto.) In modo imperativo; ut tanto firmior ſit obligatio.

§. 40.

a) *Præter hæc autem, quæ ſupra de dictis Sileſiæ Ducatibus.*) Hoc paragrapho nova continetur gratia Cæſaris, præter ea, quæ paragrapho præcedenti jam conceſſa ſunt; Scilicet ædificatio trium templorum tribus locis pro exercitio religionis Proteſtantium in Sileſia, qui illud in ſupra dictis quatuor Ducatibus, vel territorio Civitatis Uratislavienſis commode habere non poſſunt, id quod pro novo argumento eſt, aliis locis ad tolerantiam ejusmodi exercitii Auſtriacos non obligari. Quando igitur conqueruntur Proteſtantes, ſubditis in Sileſia Aug. Confeſſioni addictis templa adempta; vel exercitio publico interdictum eſſe, ante omnia in quæſtione juris inſpiciendum erit, de quo locorum ſubditis & exercitio religionis actio ſit inſtituenda. Nam ſi contigerit, ut ſubditi forte ex toleratione & indulgentia Auſtriacorum exercitium

Digitized by Google

Sacra Cæſarea Majeſtas ulterius pollicetur b) ſe illis, qui in his Ducatibus Auguſtanæ Confeſſioni addicti ſunt, c) pro hujus Confeſſionis

tium ſuæ religionis hactenus habuerint quibusdam in Ducatibus, immediate ad Cameram regiam ſpectantibus, quod ipſi poſthæc continuari nolint, revocato templo, & in uſus Catholicorum impenſo, ego utique dubito, an eam ob cauſam violatæ pacis Weſtphalicæ poſſint accuſari, cum non inveniantur Auſtriaci iis locis ad tolerantiam exercitii religionis Proteſtantium obligati, tribus ſolummodo civitatibus exceptis, quæ hic nominantur. Supereſt tamen vi ſequentis §vi Regi Sueciæ & Proteſtantibus Statibus facultas interveniendi & intercedendi de majore religionis libertate & exercitio, quibus officiis vero ſi Auſtriaci non protinus ex voto reſpondent, nihil contra pacem actum videbitur, quamvis offenſa ex neglecta interceſſione contrahi facile poſſit. Sin vero in quatuor Ducatibus §vo 38. deſignatis, vel Civitatis Uratislavienſis ditione ejusmodi quid attentatum fuerit, apud me quidem in confeſſo eſt, hoc manifeſto contra pacis tabulas fieri. Nec forte refert, nonnullos iſtorum Ducatuum extincto Principum Poſſeſſorum ſtemmate ad Cameram Regiam jam devolutos eſſe. Quam enim facultatem exercendi religionem pax Weſtphalica illorum locorum ſubditis per ſuos Principes ſemel dedit, in ea libertate manutenendi ſunt, etiam cum deficit in domo illorum Principum, qui ſuccedat, adeoque ditiones eorum ad diverſæ religionis Dominos revertuntur. Hoc enim exercitium religionis non tam quatuor Ducatibus datum fuit, cum ſi illud fatis paucorum hominum metiremur, deterior ſane ſubditorum conditio iſtis in Ducatibus futura fuiſſet, quam aliorum in cœteris Sileſiæ Ducatibus, quibus ſaltem de perpetuitate eſt cautum in iis, quæ ſemel conceſſa fuere. Hoc autem affirmare, menti paciſcentium aperte repugnat, qui illos præ cœteris jure pinguiori frui cupiebant. Ratio igitur & favor religionis poſtulat, ut quod beneficium perpetuitatis ſuis in juribus illis non denegatur, qui poteſtatem publici exercitii non habent, ne eo excludere velle videamur; quibus de hoc ipſo exercitio quam liberaliſſime eſt cautum.

b) *Sacra Cæſarea Majeſtas ulterius pollicetur*) Paulo ante dictum erat, *permittit*, hic vero nulla religio eſt, idem *polliceri*. Nam ſi *ulterius* quid pollicetur, Cæſarem utique jam in ſuperioribus quædam non permiſiſſe vel pollicitum fuiſſe oportuit. Neque nocet nobis, ſi quis exciperet, Auſtriacos nihil aliud pollicitos, quam ut permitterent. Nam hoc ſatis eſt, dum bona fide ſervatur; ut rem ipſam approbent, quam in conſcientia erronea damnant, id vero nemo ab iis poſtulat, modo ſcrupulus ille conſcientiæ Proteſtantibus circa illam ſuam

ſionis Exercitio, tres Eccleſias propriis eorum ſumptibus, d) extra Civitates Sweinitz, Jaur, & Glogaviam, e) propè mœnia, f) locis ad hoc commodis juſſu ſuæ Majeſtatis deſignandis, g) poſt pacem confectam h) ædificandas, quam primum id poſtulaverint, i) conceſſuram.

§. 41. Et

ſuam permiſſionem fraudi non ſit, quaſi revocari opportunis temporibus poſſint, quæ ex ſua ſententia male permiſſa ſunt.

c) *Se illis, qui in his Ducatibus Auguſtanæ Confeſſioni addicti ſunt.*) Cum hic Reformatis nihil cautum inveniatur, quæritur, an illis etiam tribus hiſce templis pro ſuæ religionis exercitio uti liceat? Mihi ſalvo aliorum judicio hoc non videtur, cum uſus hactenus docuerit, templa illa non niſi Lutheranis permiſſa, atque etiam propriis eorum ſumptibus exædificata fuiſſe. Contenti igitur illi eſſe debent cœteris beneficiis, ſuperiori paragrapho deſcriptis, ſcilicet ne ob profeſſionem ſuæ religionis migrare, neve loco aut bonis cedere teneantur, & ut non prohibeantur exercitium religionis in locis vicinis extra territorium frequentare: Denique ne liberè emigrantibus aditus denegetur ſuarum rerum inſpiciendarum vel curandarum cauſa.

d) *Pro hujus Confeſſionis exercitio tres Eccleſias propriis eorum ſumptibus ædificandas*) Ædificanda igitur hæc templa ſunt propriis ſubditorum Proteſtantium ſumptibus; Auſtriaci nihil ad ea conferre tenentur, niſi locum. De cœtero hæc obiter notamus, Templa, quæ exercendæ religioni inſerviunt, valde impropriè Eccleſias vocari: Cum Eccleſia genuino ſuo ſenſu ſit ipſa congregatio illorum, qui unam religionem profitentur. Quoniam autem hi plerumque in templis cultus divini celebrandi cauſa conveniunt, ideoque figurate continens pro contento *Eccleſia* etiam dicitur.

e) *Extra Civitates Sueinitz, Jauer & Glogaviam*) Alter & tertius modus, qui in ædificandis templis illis deſcribitur (primus enim de ſumptibus egit) eſt, ut primo templa illa non alibi, quam apud tres Civitates, Sueinitz, Jauer & Glogaviam extrui poſſint. Et ſecundo, ne extruantur in his ipſis urbibus, ſed extra earum pomœria.

f) *Prope mœnia.*) Quarto conventum eſt, ne longe ab his urbibus exædificentur, ſed prope mœnia, forte in ſuburbiis, aut non longius abinde, ne ſacra frequentantibus quaſi peregrinandum ſit.

g) *Locis ad id commodis, juſſu ſuæ Majeſtatis deſignandis.*) Quinto & ſexto requiruntur loca quidem ad ædificandum commoda, quod bono Proteſtantium placuit. Sed ne hæc res omnis eorum arbitrio relicta videatur, deſignatio locorum fieri debet juſſu Cæſareæ Majeſtatis, ſine quo authoritate propria

nec

Digitized by Google

§. 41. Et cum de majore Religionis libertate & exercitio a) in ſupra dictis & reliquis Cæſareæ Majeſtatis & Domus Auſtriacæ Regnis & Provinciis b) concedendo in præſenti tractatu varie actum ſit,

nec capere locum, nec initium ædificandi facere licet.

h) *Poſt pacem confectam.*) Septimo denique eſt conventum, ut ſtatim poſt pacem confectam hæc templa apud ſupra dictas urbes exſtruantur. Quia autem poſt pacem confectam id etiam factum dici poterit, quod poſt decem annos vel amplius ſit, ideoque apponitur terminus a quo.

i) *Quam primum id poſtulaverunt*) Qua ratione omnis cavillandi aut tergiverſandi occaſio præciſa eſt; quam primum enim poſt pacem confectam Proteſtantes Sileſii poſtulaverint iſtorum templorum ædificationem, Auſtriaci ſine dilatione ulla deſignare loca commoda ad hanc rem debent. Neque vero locus ſaltem debetur, quo templum extruendum; ſed & juxta illud templum aliquod terræ ſpatium, pro mortuis ſepeliendis, cum cœmiteria ex inſtituto Chriſtiano plerumque pars templorum eſſe videantur.

§. 41.

a) *Et cum de majori religionis libertate & exercitio.*) Fuit hæc res initio Tractatuum pacis Weſtphalicæ ſummo calore agitata, Suecis & Proteſtantibus omnibus ſtudia & preces ſuas eo conjungentibus, ut in regnis & Provinciis Auſtriacorum major religionis libertas & exercitium ſubditis concederetur. Sed tandem exitu ſpes concepta caruit, Conſtantia Auſtriacorum adverſantium, quos non parum videtur confirmaſſe pax Pragenſis cum Saxone ante hæc inita, cui inhærebant ubique quantum id modo fieri poterat. Sed denique Galli etiam hac in cauſa officia ſua maligne præſtabant, cum odio religionis Proteſtantium & favore in Curiam Romanam, tum vero, quod finiri bellum quovis modo cupiebant, cui negotio promovendo duo imprimis adhibebant media, unum aſſiduas Legati ſui Chanutii apud Reginam Sueciæ ſollicitationes; & alterum, moroſitatem in ſolvendis ſtipendiis, quæ Suecis ex fœdere debebant, & quorum eos jam faſtidium ceperat, ut quovis modo liberari hoc onere cuperent, ex quo ipſis jam de præmiis ſuis ab Auſtriacis ſatisfactum fuerat, ceſſione Briſaci atque Philipsburgi, nec non jurium, quæ hi in Alſatia tenebant. Unde factum, ut minimum damnum crediderint, etiamſi Proteſtantium religioni in Imperio non omnia ex voto ſuccederent, quam alias non ſolum in Auſtriacis Provinciis, ſed & toto Imperio longe tutiori & digniori loco collocari potuiſſe, non eſt dubium, ſi hinc livor & malignitas, illinc vero reſpectus propriorum commodorum abfuiſſet.

b) *In ſupra dictis & reliquis Cæſareæ Majeſtatis & Domus Auſtriacæ Regnis*

gnis & Provinciis.) Provinciæ Auſtriacæ, de quibus ſupra mentio facta eſt, fuere Sileſia & Auſtria inferior. *Reliquorum* nomine veniunt omnia Regna & Provinciæ aliæ, ab Auſtriacis ſive in Imperio ſive extra illud poſſeſſæ. Nam univerſalitas exceptionem non patitur; Ut adeo fruſtra ſint,qui negant, Regnum Hungariæ verbis generalibus comprehenſum eſſe. Nam ſi ſaltem provincias ad Imperium aliquo titulo ſpectantes intelligere velis,quod Buckiſch facit,nominanda fuiſſent non *Regna*, in numero plurali, ſed *regnum:* in ſingulari; Cum præter Bohemiam Auſtriaci nulla poſſideant regna alia, quæ accenſeri Imperio poſſent. Poſſident vero quatuor alia extra Imperium, ut Hungaricum, Slavonicum. Croaticum & Dalmaticum: Neque verum eſt, quod pro ratione ſuæ ſententiæ Buckiſch allegat, ſubjectum tractatuum materiamque inter belligerantes fuiſſe ſaltem controverſias inter caput & membra Imperii verſantes: Quæ enim Puffendorffius in Hiſtoria ſua Rerum Suecicarum hoc de negotio tradit, dubitare nos non ſinunt, Proteſtantes poſtulatis ſuis proſpectum voluiſſe omnibus Statibus & ſubditis, Auguſtanæ Confeſſioni addictis, quotquot in Provinciis Auſtriacis hereditariis verſabantur. De Sileſia enim, quæ pars Bohemiæ, itemque Auſtria transactum jam fuerat. Igitur reliqua regna & provinciæ, de quibus ſaltem interveniendi & intercedendi jus Succi Proteſtantesque Status ſibi hic reſervant, limitibus Imperii deſignari nulla ratione poſſunt, idque eo minus, quod etiam extra pactum nulla unquam invidia, vel malam in partem acceptum fuerit, ſi quis interceſſione ſuæ religionis Conſortes apud amicum Principem ſublevare conetur, quoties illi in conſcientiis ſuis vim patiuntur. Neque magis illud turbat tempore pacis Weſtphalicæ tota Hungaria omnem religionis libertatem vi pacis anno 1647. cum Ragotio confectæ fuiſſe conſtitutam, redditis etiam templis & omni reformatione prohibita, ita ut tum major religionis libertas nec peti nec dari potuerit. Nam ut omnia etiam demus, quæ hic Autor de libertate Religionis Hungarorum affert, vera hæc ſaltem ſunt, de Hungaria ſuperiori. Nam quod ad inferiorem attinet, cum in illa, Provinciisque adjacentibus duriſſima illo jam tempore Proteſtantium fuerit conditio, Ferdinando II. Zelo ſuo inconſulto & male temperato late ubique omnia turbante & premente, quin ad miſeros illos à Paciſcentibus reſpectum quoque fuerit, ſimulque cautum, ne in Hungaria ſuperiore ardor reformandi aliquando recrudeſcat, nemo facile vocare in dubium poteſt, ut proinde Proteſtantes Status neque à ſuo officio quicquam, neque à pace Weſtphalica alienum faciant, quoties pro Hungaris intercedunt apud Cæſarem, ab eo tempore huc usque tot perſecutiones religionis cauſa paſſis.

c) *In præſenti Tractatu varie actum ſit.*) Qua de re videndi ſunt, qui hiſtoriam hujus actionis ex inſtituto ſcripſere, Puffendorffius ſcilicet, Pfannerus, Autor

ſit, c) nec tamen ob Cæſareanorum Plenipotentiariorum contradictiones conveniri potuerit, d) Regia Majeſtas Sueciæ & Auguſtanæ Confeſſionis Ordines facultatem ſibi ſibi reſervant, e) eo nomine f) in proximis comitiis g) aut alias h) apud ſuam Cæſaream Majeſtatem,

Autor arcanorum pacis Weſtphalicæ; liber, qui *pacis præliminaria*, inſcribitur, & alii. Nobis hic non vacat, narratione rei, quæ moleſtiſſimam & impeditiſſimam tractationem tum habuit, Hiſtoricum agere, ubi officio interpretis fungimur, cui Hiſtoriæ non ultra curæ ſunt, quam ubi ex circumſtantiis actorum lux aliqua legi affundi poteſt.

d) *Nec tamen ob Cæſareanorum Plenipotentiariorum contradictiones conveniri potuerit.*) Uti in verbis ante hæc proximis pro excuſatione dictum videntur, quod de majore religionis libertate & exercitio in regnis & Provinciis Auſtriacæ domus concedendo varie actum ſit: Ne qua in aliquos ſuſpicio forte cadat tantæ rei neglectæ, vel per incuriam transmiſſæ. Ita procul dubio ad invidiam Auſtriacorum pertinet, quæ hic ſub ſpecie aliqua querelarum extant, quod Auſtriaci ſcilicet permoveri nullo modo potuerint, ut hoc in negotio initiores ſe vel æquiores præberent.

e) *Regia Majeſtas Sueciæ, & Auguſtanæ Confeſſionis ordines facultatem ſibi reſervant.*) Sueci igitur, ne nihil egiſſe viderentur, facultatem ſibi & ſtatibus Proteſtantibus reſervarunt, pro his ſubditis Auſtriacis ulterius interveniendi & intercedendi, veluti ſpe, majora impetrandi in tempus aliud, magisque opportunum rejecta. Nota vero hic Suecos ſolum & ordines Proteſtantes ſibi hanc facultatem reſervare, Auſtriacos eandem non permittere, ut poſthæc hi aliquam conſenſu ſuo obligationem contraxiſſe argui poſſint. Totus enim paragraphus poſt longas diſceptationes ſumma cura & diligentia à Cæſareanis eſt tractatus, ita ut ſingula verba proinde expenderint, antequam conſentirent, ut ſtare poſſint. Quare nihil fortuito vel ex improviſo hic poſitum fuiſſe exiſtimandum eſt.

f) *Eo nomine.*) i. e. de majori religionis libertate & exercitio.

g) *In proximis Comitiis.*) Factum hoc ſub finem ſuperiorum Comitiorum, atque extat libellus memorialis Proteſtantium apud Authorem der Grund-Veſte. Sed Imperatore Ferdinando abitum jam parante non modo nullum reſponſum tulere, verum etiam à miniſtris Auſtriacis ſuperciliose admodum & paulo durius accepti ſunt; cum Legatus Volmarius etiam recuſare traditum ſibi libellum acceptare & offerre Cæſari, omine ſane infauſto, & ut Status Proteſtantes primis ſtatim initiis experimentum haberent, nec gratas Cæſari preces illas, neque uſui aut ſolatio valde illis fore, pro quibus intercedere hic eſt permiſſum.

 h) *Aut*

tem, i) pace tamen ſemper permanente, & excluſa omni violentia & hoſtilitate, k) ulterius reſpective l) amice interveniendi & demiſſe intercedendi. m)

Jus reformandi a ſola qualitate feudali non dependet.

§. 42. XIV. A ſola qualitate feudali vel ſubfeudali, a) ſive à Regno Bohemiæ, ſive ab Electoribus, Principibus & Statibus Imperii,

h) *Aut alias.*) Hoc ſane ab eo tempore multoties tentatum; Imprimis vero pro Sileſiis & Hungaris factæ interceſſiones: irrito tamen ſemper eventu, & aliquando etiam effectu contrario, cum deinceps durius ſint habiti, quos levare voluere; Sive ut proteſtantes paulatim aſſueſierent repulſam pati absque offenſa, ſive ut tædio precum toties ſpretarum diſcerent in poſterum autoritati ſuæ melius conſulere, & ab id genus interceſſionibus odioſis ſibi temperare.

i) *Apud Suam Cæſaream Majeſtatem.*) Quæ hoc tempore ſemper Caput eſt Domus Auſtriacæ & omnibus Provinciis cum Imperio præeſt, ita ut Archiduces reliqui contra ejus voluntatem in cauſis religionis ſtatuere nihil nec novare autoritate propria poſſint.

k) *Pace tamen ſemper permanente, & excluſa omni violentia & hoſtilitate.*) Verba hæc à Cæſareanis adjecta, qui ſine illis conſentire in hunc articulum noluere, quo preces intercedentium infirmæ prorſus & inermes redduntur. Etſi enim Auſtriaci interceſſiones illas rejecerint, permanet nihilominus pax & omnis violentia atque hoſtilitas excluditur.

l) *Ulterius reſpective.*) Hoc *reſpective* innuit duplici & diverſo modo à Proteſtantibus cum Auſtriacis hac de re agi debere. Alium enim agendi modum Sueci, Gens libera adhibet; Alium ſtatus vel ordines Proteſtantes.

m) *Amice interveniendi & demiſſe intercedendi.*) Sueci igitur amice interveniunt pro ſubditis Auſtriacis. Ordines Evangelici demiſſe intercedunt. Excogitavit has differentias & ſcrupuloſitates ſequior ætas, quæ ſibi luſu inanium titulorum & ceremoniarum mirum quam placet: Cum apud Veteres, ubi vis Imperii valebat, hæc ludicra & ridicula transmittebantur.

§. 42.

a) *A ſola qualitate feudali vel ſubfeudali.*) Moleſti ſæpe & graves fuere Catholici ſtatus, vel alii aliquando, Evangelicis jure reformandi in feudis quibusdam prætextu Dominii directi exercito. Itaque cum ſupra paragrapho 30. ſemel placuerit, ne quisquam in Imperio jure reformandi uti poſſit niſi in ſubditos ex territoriali poteſtate, placuit hic quosdam ſpeciatim nominare, quibus hac facultate paciſcentes interdictum voluere, ſed qui ante hæc ejusmodi jurium obtentu maximarum querelarum occaſionem dedere. Inter illos primo loco ſunt, qui ſibi rem qualitate feudali vel ſubfeudali affectam habent. Neque

perii, b) ſive aliunde procedant, c) jus reformandi non dependeat, d) ſed

Neque Dominos directos hic ſaltem intelligo, verum etiam Vaſallos, qui niſi jure territoriali in feudis ſuis fruantur, haud magis quam illi, jus reformandi vindicare ſibi poterunt; Uti ex adverſo cum ſuperioritate territoriali gaudent, à Dominis Directis diverſæ religionis in jure reformandi impediri non debent. Signate itaque hic dicitur, *à ſola qualitate feudali.* Sicuti enim ſæpe accidit, ut quis rem alii in feudum dederit, retento ſibi territorii jure; ita etiam infrequens non eſt, ut Vaſallus cum omnimoda ſuperioritate territoriali poſſideat feudum, qua ſane conditione multi Imperii Status aliorum Statuum Vaſalli ſunt, à quibus egregias ſæpe terras jure beneficiario tenent: Sive ipſi primum hæc bona his ita obtulerint: Sive à Dominis Directis data initio in feudum fuerint, unde feudorum diſtinctio in oblata & data; Quæ quidem in dubiis vel obſcuris aliquid ad præſumptionem confert: De cœtero vero ex ſe naturam feudi non mutat, niſi in quantum contractu feudali & literis Inveſtituræ hoc actum fuerit.

De reliquo argumentum hoc ex loco promere licet, ſi à ſola qualitate feudali jus reformandi non dependet, illud multo minus à jure pignoris dependere poſſe, etiam ſi pignus lege antichretica cum uſu omnium jurium & commodorum Creditori traditum fuiſſet. Nam ſi in vetuſtis etiam & ante hominis memoriam obligatis pignoribus jus reformandi interea à Creditore exercitum non ultra valet, quam ne incolæ & ſubditi migrare aut ſuam religionem, quam ſub priore poſſeſſore hujusmodi oppignoratorum bonorũ amplexi fuerant, deſerere cogantur. De publico vero ſuæ religionis exercitio inter ipſos & reluentem Dominum transſigendum ſit, cui liberum eſſe debet, in hujusmodi terras oppignoratas ad ſe reverſas ſuæ religionis exercitium publice introducere, etiamſi id anno vigeſimo quarto ibi non viguiſſe conſtet: Quid ſibi licentiæ Creditores in recentioribus uſurpare volunt? Ut adeo defendi nullo jure vel colore poſſint, quæ Epiſcopus Herbipolenſis in præfectura Boxbergenſi, ad Palatinatum inferiorem ſpectante, ſibi vero ante annos aliquot ab Electore pignori pro certa pecuniæ ſumma data ſpecie juris reformandi auſus eſt cum ibi Catholicos in templorum communionem vocaret, quæ Evangelici ſubditi & antè motus Bohemicos, & poſt pacem atque reſtitutionem Palatinatus ibi ſoli atque in ſolidum ſemper poſſederunt.

b) *Sive à regno Bohemiæ, ſive ab Electoribus Principibus & Statibus Imperii.*) Forte nihil nocuiſſet addi, ſive à Cæſare aut Rege Romanorum. Nam Imperator etiam eo titulo, quod Status ditiones ſuas ab ſe feudi jure teneant, in illis poteſtatem reformandi non arrogare non poteſt.

c) Sive

ſed feuda iſta & ſubfeuda, nec non vaſalli, ſubditi, & bona Eccleſiaſtica in cauſis Religionis, & quicquid juris Dominus feudi e) prætendat, introduxerit, aut ſibi arrogarit, f) ex Statu Anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi quarti, die prima Januar. perpetuo cenſeantur,

c) *Sive aliunde procedant.*) Unde vero. Num forſan hic paciſcentes reſpexere ad Metenſes, Tullenſes atque Verdunenſes Vaſallos, qui multas & egregias terras ab his Epiſcopatibus in Gallum nunc translatis Feudorum nomine poſſident, quorum reſpectu tamen neque ſubditi Gallorum facti ſunt, neque his quicquam poteſtatis vel imperii illis in bonis, præter obligationem feudalem, fidemque ex hac debitam largiuntur, niſi quoties illos vis major & temporum injuriæ admonent, ut paulatim obliquis velis navigare diſcant, ne nihil cedendo de rerum ſumma periclitentur. Vellem etiam huc referre Provincias Auſtriacas, ſi quis forte Statuum ab una illarum feudum habeat, quod exemplo non caret, niſi quis iſtas Principum & Statuum communi voce jam complexas eſſe velit. Sed & ſi qui ab aliis in Imperio, qui ſtatus non ſunt, feuda ſibi conſtitui paſſi ſunt, ad eandem claſſem pertinere videntur.

d) *Jus reformandi non dependeat.*) i. e. Nemo ſpecie Dominii directi vel utilis jus in feudo reformandi ſibi arroget, niſi de jure territorii ad ſe cum feudo illo pertinente docere poſſit.

e) *Sed feuda iſta & ſubfeuda: nec non Vaſalli, ſubditi & bona Eccleſiaſtica in cauſis religionis, & quicquid juris Dominus feudi.*) Hic mentio ſpecialis Domini directi, qui Vaſallo ejusque ſubditis & bonis veluti opponitur, facit ut credamus hunc paragraphum imprimis de qualitate feudali vel ſubfeudali intelligendum eſſe, quatenus ea in dicto Domino directo hæret. Etſi non dubitem quin per conſequentiam & rationis identitatem cœteris paribus Vaſallo etiam lex applicari poſſit, ſi caſus ita ferat.

In cauſis religionis.) Hæc verba ſi vim reſtringendi habent, ad feuda ſaltem atque ſubfeuda, nec non Vaſallos atque ſubditos pertinent, quatenus cum iis qualitas Eccleſiaſtica non concurrit; non vero ad ipſa bona Eccleſiaſtica. Hæc enim juxta ſuperiora hoc toto articulo in omnibus cauſis indiſcriminatim judicantur, ex ſtatu anni 1624. juxta ea, quæ ad paragraphum 2dum verb. *in Eccleſiaſticis, & quæ intuitu eorum in Politicis mutata ſunt*, atque paſſim ex ſimili occaſione à nobis dicta ſunt.

f) *Prætendat, introduxerit, aut ſibi arrogarit.*) Qui ſaltem *prætendit*, facto adhuc abſtinuiſſe videtur, qui *introduxit*, deſtinata ſua ipſo facto obtinuit, & huc usque perpetuavit; qui ſibi *arrogavit*, tentavit quidem aliqua de facto, & forſan etiam aliquo tempore obtinuit, ſed quæ diuturna non fuere, mutatione

tur, g) quæ vel judicialiter vel extrajudicialiter innovata fuerint, tollantur, & in priſtinum Statum reſtituantur. h)

§. 43. Territorii jure vel ante vel poſt terminum anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi quarti a) controverſo, b) donec ſuper poſſeſ- Jus territorii controverſum.

ſione aliqua poſthæc ſecuta, per quam res ad ſtatum priorem rediere.

g) *Ex ſtatu anni 1624. die prima Januarii perpetuo cenſeantur.*) Manifeſtum eſt ex hoc loco, à pignoribus, de quibus ſupra paragrapho 27. actum, ad feuda non valere conſequentiam, quod nonnulli interpretes voluiſſe videntur: Ibi enim in cauſis ſcilicet pignorum debitori, vel uti ibi appellatur, Domino Directo, non attento ſtatu anni 1624. liberum eſſe debet, pignore ad ſe reverſo ſuæ religionis exercitium adeo publice introducere, ut ſubditi, qui forte an. 1624. ſive facto ſuo, ſive poſſeſſore pignoris tum curante, publicum exercitium habuere de hujus rei facultate cum reluente Domino tranſigere de novo cogantur: Hic vero quicquid Dominus Feudi prætendit, introduxit aut ſibi arrogavit ex ſtatu dicti anni ejusque diei primæ Januarii præciſe cenſetur, ut ne quidem Huic Domino directo integrum ſit, contra hunc ſtatum ſuam religionem introducere vel introductam in loco retinere.

Die prima Januarii.) Scilicet ſi quæſtio ſit de jure reformandi, quod Dominus feudi ſibi arrogare vult. Nam ſi ſubditi de exercitio ſuo agunt, non eſt dubium, quin ab ipſis Status cujuslibet Partis anni vigeſimi quarti allegari & defendi poſſit, ut quacunque parte hujus anni melior eorum conditio in exercitio religionis ſuæ fuerit, in ejus Status poſſeſſione conſervandi ſint.

h) *Quæ vel judicialiter vel extrajudicialiter innovata fuerunt, tollantur, & in priſtinum Statum reſtituantur.*) Ergo mutatio omnis contra hunc ſtatum irrita eſt & emendari debet, non attenta exceptione vel litis pendentis, vel rei judicatæ, vel pacti, vel transactionis, vel alius cujuscunque.

§. 43.

a) *Territorii jure vel ante vel poſt terminum anni 1624.*) Statibus poteſtas reformandi competit jure territoriali. Hic ergo quæritur, quid ſtatuendum ſit, ſi jus territorii ſit controverſum? & reſpondetur, poſſeſſorem anni vigeſimi quarti eodem jure uti poſſe, quo cæteri Status, donec ſuper poſſeſſorio & petitorio cognoſcatur, hac tamen cum reſtrictione, ne ſubditi propter mutatam interim religionem pendente territorii controverſia migrare teneantur.

Ante vel poſt terminum.) Quid ſi jus territorii hoc ipſo anno 24to controverſum fuerit? Non eſt dubium, hoc etiam caſu poſſeſſoris meliorem conditionem fore quia hoc tantum inſpicitur, quis dicto anno poſſeſſor fuerit.

b) *Controverſo.*) Neque intereſt, an iſta

Digitized by Google

poſſeſſorio & petitorio c) cognoſcatur & decidatur, d) & poſſeſſori præfati anni idem jus eſto, e) quantum equidem ad publicum exercitium attinet. f) Subditi vero g) propter mutatam interim Religionem

illa controverſia ſub judice jam verſetur, vel extra judicium exerceatur, ſive ſcriptis ſive quacunque alia contradictione.

Donec ſuper poſſeſſorio & petitorio.) Nota, cognitionem & deciſionem de poſſeſſorio & petitorio per particulam copulativam ET conjunctim requiri, neque ſatis eſſe, ſi forte ſuper poſſeſſorio deciſum fuerit, petitorio adhuc dubio & litigioſo. Nam etſi quis poſt finitum judicium poſſeſſorium ſecundum ſententiam Judicis poſſeſſionem adeptus fuerit, victo altero, qui anno vigeſimo quarto poſſederat. Ille tamen novus poſſeſſor jure reformandi uti non poteſt, antequam conſtet, num etiam in petitorio jure ſuperior ſit futurus. Ex hoc enim tempore demum de jure Territoriali fit ſecurus; Interea vero facta eius manent, qui anno vigeſimo quarto poſſedit.

d) *Cognoſcatur & decidatur.*) Non ſufficit cognitio, ſed ſententia quoque opus, imo & executione, quæ demum poſſeſſionem tribuit.

e) *Poſſeſſori præfati anni idem jus eſto.*) Idem jus ſcilicet, quod cuivis alii Domino territoriali. Sed quid ſi anno 1624. duo diverſis temporibus poſſediſſent? Sine præjudicio mihi videtur, quia hic cauſa juris Territorialis Statuum vertitur, poſſeſſionem Calendis Januariis potiorem fore; Statim enim hoc paragrapho poſt paucas lineolas ſequitur.

Anno dieque ſupradictis.) Quod hoc etiam loco proculdubio intelligendum; Quamvis enim illic de territorio communi ſermo ſit, nulla tamen ratio dari poteſt, cur diverſum in jure Territorii controverſo ſtatui debeat.

f) *Quantum equidem ad publicum exercitium attinet.*) i. e. quantum attinet ad jus reformandi religionem ſubditorum à religione Poſſeſſoris juris territorialis diverſam. Aut quantum attinet etiam ad publicum exercitium ſubditorum, quibus jam ſupra §vo 31. in genere cautum fuerat, contra jus reformandi. Hæc duo enim ubique ſibi occurrunt, & Status dicti anni utriusque jura metitur.

g) *Subditi vero*) Quodſi ſubditi nec publicum nec privatum exercitium habuerunt, non coguntur religionis cauſa migrare pendente Territorii controverſia. Ratio, quia eventus litis incerti, neque antea conſtare poteſt, pro quo judex ſententiam ſit laturus; Sed hoc demum habere locum videtur, quando poſſeſſor ab actore diverſæ eſt religionis. Nam ſi uterque unam profitetur religionem, diverſam à religione ſubditorum, ceſſat equidem ratio, cur ejusmodi ſubditi usque ad litis eventum tolera-

nem h) pendente territorii controverſia migrare non cogantur. i) In iis locis, k) ubi Catholici & Auguſt. Confeſſ. Status ex æquo jure ſuperioritatis fruuntur, l) tam ratione publici exercitii, quam aliarum

tolerari debeant. Videtur itaque, ſi poſſeſſor migrationem imperet, neque actor contradicat, ſubditos ſe hoc loco defendere non poſſe. Potius tamen eſt, uti legi generali ſtetur, quæ hic non diſtinguit. Incertum enim quid actor facturus fuerit, obtenta cauſa & territorio ſibi adjudicato.

h) *Propter mutatam interim religionem.*) Sive ante litem coeptam, ſeu poſt mutarint, dummodo anno 1624. nec privatum nec publicum exercitium habuerint. Hoc enim adverbium temporis, *interim* ad utrumque tempus refero, quia ſatis eſt, eo tempore, cum emigratio imperatur jus territorii controverſum eſſe. Aliud foret, ſi poſſeſſor ante litem motam migrare ſubditos juberet, tum enim obſervanda erunt, quæ §vo 34. horum ſubditorum cauſa conſtituta leguntur.

i) *Pendente territorii controverſia migrare non cogantur.*) Cogi itaque poſſunt finita controverſia, ſi forte cauſa vicerit ille, qui diverſam à ſubditis religionem ſectatur. Atque hic locus denuo eſt contra eos, qui ex ſuperiore §vo 34. evincere conantur, emigrationem ſubditorum rem voluntatis eorum eſſe, non vero neceſſitatis, quam imponere Dominus poſſit.

k) *In iis locis.*) Quæ jam hic usque ad finem hujus §vi ſequuntur, quoniam aliud plane argumentum continent, mirum eſt, ſingulari & proprio paragrapho non fuiſſe comprehenſa: Agitur enim hic de jure ſuperioritatis duobus vel pluribus communi pro indiviſo, ubi neceſſe eſt eundem ſtatum religionis manere, qui fuit anno dieque ſupradictis. De cætero eſt hic locus Interpretibus vexatiſſimus, cum videamus, alios illum aliter explicare, pro eo affectu, quo quisque ſuæ religionis ſenſu rapitur. Itaque operæ pretium eſt, ut ad verba mentemque legis eo attentiores ſimus, quo operoſiores ſunt alii, atque mira calliditate id unice agunt, ut in re perſpicua atque clara fumum oculis offundant.

l) *Ubi Catholici & Auguſtanæ Confeſſionis Status, ex æquo jure Superioritatis fruuntur.*) i. e. ubi duobus ſtatibus diverſæ religionis jus ſuperioritatis commune eſt pro indiviſo. *Ex æquo* enim hic non ſignificat æquales partes, ſed modum poſſidendi ex æquo, ſive pro indiviſo, cum neuter dicere poſſit, ad ſe magis, quam ad alterum uſum juris territorialis pertinere, & ubi neuter ſine altero agere quicquam vel ſtatuere poteſt cum juris alicujus effectu. Hæc enim eſt natura rerum juriumque, quæ pro indiviſo poſſidentur à pluribus, ut pro una veluti perſona omnes reputentur, eorumque voluntates ſic conjunctæ

 ſint

aliarum rerum Religionem concernentium m) idem Status maneat qui fuit anno dieque ſupra dictis. n)

§. 44. Sola

ſint invicem & unitæ, ut quemadmodum unus aliquis voluiſſe aut conſenſiſſe videtur, quamdiu apud ſe dubio conſilio præpeditus certo nondum ſtatuit, quid ſibi factu opus. Ita inter plures rem communem pro indiviſo poſſidentes omnium voluntates in eandem ſententiam concurrere oportet, antequam aliquid cum effectu juris, & ut ſubſiſtat actus, decerni poteſt. Neque hic plurium ſententia ſtatur, quia hoc jus majoris partis ſaltem in Collegiis & corporibus locum habet, non in re quavis, quæ pro indiviſo eſt communis. Explicat hanc rem eximio plane modo Papianus *in L. 28. ff. Comm. divid.* cujus verba hic adſcribere operæ pretium eſt. *Sabinus in re communi neminem Dominorum jure facere quicquam invito altero poſſe. Unde manifeſtum eſt, prohibendi jus eſſe: In re enim pari potiorem cauſam eſſe prohibentis conſtat.* Igitur ſi quid factum geſtumque abſente ſocio aut prohibente, ad læſionem ejus, id etiam tolli vel irritum declarari debet. Inſigne exemplum eſt in *L. 11. ff. de ſervit. præd. ruſtic.* Ibi per fundum qui plurium eſt, ceſſum dicitur ſeparatim à cæteris omnibus, uno excepto, jus eundi, agendi: Sed quo effectu? Nullo prorſus; Jus enim ſic à pluribus ceſſum *non aliter meum fiet jus, quam ſi omnes cedant: Et noviſſima demum ceſſione ſuperiores omnes confirmabuntur.* Hanc ſanctionem de uſu rerum communium non excogitavit demum jus Romanum, ſed ex natura rei ipſius & æquitate manifeſta accepit, atque in ſuas leges tranſtulit, ut nemini mirum eſſe debeat, ſi pacis Weſtphalicæ conditores etiam ipſam rationem naturalem ſecuti ſint, cum alii, qui conſtitutioni diverſum affingunt ſenſum, & unicuique ex Dominis, invitis reliquis, de religione ſua ſtatuendi arbitrium in re communi vindicant, contra jura communia, contra naturam communionis, ipſamque ſanam rationem agere videantur.

m) *Tam ratione publici exercitii, quam aliarum rerum, religionem concernentium.*) Obſerva hic in ſpecie nominari *Exercitium publicum*, ne quis exiſtimet, hujus inſtituendi liberam facultatem cuique Dominorum pro uſu ſuo relictam eſſe, cum alias leges civiles neminem impediant uti re aut jure communi ad uſum deſtinatum, vel ſi quid unus ex Condominis in re communi facit, quod alteri non nocet, ſibi vero prodeſt, quibus forte exceptionibus pro compendio uti illi potuiſſent, qui ſuæ religionis exercitium in re communi introducere vellent, quod anno 1624. ibi exulabat. Dici enim cum aliqua ſpecie poterat, non modo templa ad uſum religionis deſtinata eſſe; Verum etiam alteri nullo modo incommodari, ſi diverſis temporibus, cum templa alias vacant,

cant, & mihi & ſubditis inſtituto religionis meæ exercitio publico conſulam. Dum vero ſemel convenit, ut res illa communis eo in ſtatu maneat, quo certo tempore fuit, tum eo magis omni mutationi interdictum erit.

Aliarum rerum religionem concernentium) Huc ſpectant non modo annexa religionis, ut inſtitutio Conſiſtoriorum, jus Patronatus, aliaque ſimilia jura, ſed & templa, fundationes, Monaſteria, Hoſpitalia, reditus, acceſſiones, & quicquid ad religionem pertinet.

n) *Idem ſtatus maneat qui fuit anno dieque ſupradictis.*) Nota igitur hic de Statu ipſius religionis decerni, quem dicto anno dieque habuit; Non vero de ſtatu Dominorum Territorialium, quid nimirum illi anno vigeſimo quarto in re communi jure reformandi facere potuiſſent, ſi diverſæ fuiſſent religionis. Nihil poterat dici clarius & apertius, quodque cavillis minus obnoxium eſſet. Itaque ſi ex alio uſpiam loco, ex hoc certe Catholici malam ſuam fidem in pace Weſtphalica interpretanda denudavere, poſtquam hanc etiam luculentam pactionem vafra & contorta explicatione, quæ non modo menti paciſcentium, verum etiam & verbis & ſenſui legis manifeſto repugnat, infirmare conati ſunt; Quam ob rem merito Proteſtantes plus ſemel indignati atque conqueſti fuere, vim publicam hoc modo paci fieri & fraudulentis ejusmodi interpretamentis univerſam transactionem everti poſſe. Occaſionem captandi atque torquendi legem videntur poſt pacem Weſtphalicam Comites Wertheimenſes primo dediſſe, qui cum in communione illius Comitatus diu vixiſſent, religionis cauſa in diſſidia & turbas, uti plerumque fieri ſolet, impegere, ex quo unus eorum abjurata religione Evangelica ad ſacra Pontificia defecerat. Is erat Joh. Theodoricus, vir acer malitiæ, qui ducta in matrimonium Joſina, Comitis Marcæ filia, blanditiis uxoriis victus tandem in verba Pontificis Romani jurare non dubitavit, facta ſpe de ampliore ſorte in bonorum avitorum diviſione ante Patrueles Evangelicos conſequenda, favore aulæ Cæſareæ & reliquorum Catholicorum ſtudiis. Ab hoc linea Comitum Wertheimenſium Catholica propagata eſt, cum Evangelicam Chriſtophorus Ludovicus inchoaſſet, continuatam in filio primogenito Friderico Ludovico, & poſtquam hujus ſtemma defeciſſet, in ſecundo genito Friderico Eberhardo. Fuit iſtorum Comitum inter belli tricennalis vices varia fortuna, prout una alterave pars bellantium potior armis viſa. Inter iſtas turbas ceptum eſt à Catholicis Comitibus in urbe Wertheimenſi inſtitui exercitium religionis Pontificio more, fruſtra reclamantibus Evangelicis, cum poſt pulſum Electorem Fridericum Catholici non modo in Palatinatu inferiore, ſed & aliis finitimis locis ſuo arbitratu res gererent, Bavari & Hiſpanorum auxiliis freti. Poſtquam autem pace Weſtphalica art. 4. §. 41. placuit, ut *Fridericus Ludovicus Comes de Lœwenſtein & Wertheim in omnes ſuos Comitatus & Dynaſtias, quæ tempore*

hujus belli ſequeſtrata, confiſcata, aliiſque ceſſa fuerint, in Politicis & Eccleſiaſticis reſtituatur; nec non §. 42. ut Ferdinandus Carolus, Comes de Lœvenſtein & Wertheim in omne id, quod defunctis ejus agnatis Georgio Ludovico & Johanni Caſimiro, ſequeſtratum, confiſcatum, aliiſque ceſſum eſt, in politicis & Eccleſiaſticis reſtituatur. Hac transactione factum eſt inter alia, ut etiam Comites utriusque lineæ in Communionem Comitatus Wertheimenſis redirent, à Ludovico Wolffgangi ſenioris fratre inſtitutam, & poſt ejus obitum ſolenni pacto à Succeſſoribus ejus anno 1611, d. 9. Jul. denuo confirmatam, quo placuit, ut Comitatus Wertheimenſis indiviſus maneret. Unde factum, ut ſtatim poſt pacem Weſtphalicam, quando negotium adhuc de exequenda pace ferbuit, in toto illo Comitatu omnia circa religionem reſtituerentur in eum ſtatum, qui anno 1624. ibi fuiſſe compertus fuerit, cum vigore §vi 41. art. 4. modo allegati, tum vero imprimis dictante hoc noſtro §vo 43. art. 5. ubi in ejusmodi rebus communibus tam ratione exercitii quam aliarum rerum, religionem concernentium, idem ſtatus manere jubetur, qui Calendis Januariis anno 1624. fuit. Erant autem Commiſſarii, à Cæſare & Imperio ad hoc delegati Elector Moguntinus, & Landgravius Haſſo-Darmſtattianus, quæ per Miniſtros ad hoc negotii ſubdelegatos ſpecialiter Werthemii in urbe principali geſta fuere, & qua ratione templum, ejectis Catholicis, ſublatisque omnibus interea poſt annum 1624. introductis ceremoniis, vel aliis novis operibus Evangelicis Comitibus reſtitutum fuerit, id vero etiam typis publicis proditum extat. Tanta enim diligentia & accuratione omnia ad ſtatum dicti anni exacta fuere, ut nec cruci parceretur, quam Catholici ante hæc, cum rerum ſoli potirentur, ante templum poni curaverant, quamquam Legatus Moguntinus omnibus modis laborabat, ut hujus rei invidia ſe purgaſſe videretur. De cœtero nullum dubium de templo erat, quin omnes decernerent, id Proteſtantibus in ſolidum reſtituendum eſſe, ex quo ſemel conſtiterat, nullum in eo Comitibus Catholicis neque ſubditis eorum toto anno vigeſimo quarto uſum vel poſſeſſionem exercitii ſuæ religionis fuiſſe. Hæc tum geſta & in acta ad memoriam rei relata fuere, confecto ſuper hac executione Inſtrumento publico. Sed inquies & factio adverſæ partis non ſivit diu Comites Evangelicos hac reſtitutione ex pace impetrata frui. Mox enim Comites Catholici nec pœnam in turbatores pacis ſtatutam veriti, nec moti autoritate & reverentia rerum, à publico magiſtratu, cui executio pacis demandata fuit, poſt ſufficientem cauſæ cognitionem judicatarum, vi publica iterum involare templum illud, & reſtituere religionem Catholicam cum omnibus ceremoniis, deinde tuendo facto manifeſto injuſto & paci adverſo colores atque inanes prætextus quærere, ut legi illuderent proterva & malitioſa captione; Cum potius illi Comites, ſi quid ſibi poſt factam reſtitu-

reſtitutionem alio ex capite deberi ex pace exiſtimarent, abſtinere omni vi, & ex juris formula contra poſſeſſores agere debuiſſent, inſtructa apud competentem judicem lite. Sed hæc omnia inſuper habita, prævalida gratia apud aulam Cæſaream animos faciente, & inſtigantibus inſuper Catholicis, quibus conſultius viſum, ab occupatione violenta incipere, atque deinde jure experiri, ſi adverſario placuerit, poſtquam illum ſemel in hunc ſtatum conjecerint, ut perſonam actoris gerere debuerit, quem conveniri prius oportuiſſet, ſi legi autoritas ſua conſtitiſſet. Cum igitur in Comitiis ſuperioribus cauſa reſtituendorum ex capite gravaminum urgeretur, ſtatim inter famoſas illas quatuor quæſtiones dubias, à Catholicis ſtatibus motas, una fuit, quid duobus pluribusve Dominis territorii in re communi & pro indiviſa poſſeſſa liceat, quod ad exercitium cujusque religionis attinet, ſi ipſi Domini diverſæ fuerint? Neque diſſimulat Buckiſch, huic quæſtioni cauſam imprimis dediſſe diſſidia illa, Comitum Lœvenſteinienſium, quorum eo tempore ratio habita à Catholicis maxime fuit. Quemadmodum vero illis in Comitiis totum negotium religionis ad conventum deputatorum, qui Francofurti mox indici debuerat, remiſſum eſt. Ita ibi de eadem hac re ex occaſione varie diſputatum. Proteſtantes inter alia argumenta ex hoc etiam loco noſtro tuebantur, Subditos Catholicorum Statuum Auguſtanæ Confeſſioni addictos, contra jus reformandi, quod ſibi Domini territoriales licentioſe nimis & cum inſigni abuſu arrogabant; Sed reſpondebant Catholici, hanc conſtitutionem intra terminos gravaminum continendam, qua ſaltem prohibeatur, ne condominus alius religionis alterum in exercitio ſuæ turbet vel impediat, aut ſubditos contra ſtatum anni 1624. gravet: Non vero huic interdici uſu & exercitio ſuæ religionis in re communi. Placet ipſa Catholicorum verba hic adſcribere: Man könne Catholiſchen Theils nicht finden, daß durch den art. 5. §. 43. v. *in iis locis* einen condomino die Ober- und Landes-Herrlichkeit quoad jus exercitii publici ſuæ religionis entzogen: Sondern vielmehr dieſes allein ſtatuiret werde, daß ein jedweder immediat Stand gehalten und obligiret ſeyn ſolle, das exercitium publicum zulaſſen, und daran niemand zu beſchweren noch zu hindern, wie es anno 1624. geweſen. Conſequenter ex vero hoc, legali, ſano & genuino ſenſu Inſtrumenti Pacis, dieſe Wörter, *in iis locis, ubi Catholici & Auguſtanæ Confeſſionis Status &c.* anderſt nicht als in terminis gravaminum zuverſtehen, da nemlich ein Condominus den andern in Religions-Sachen verhindert, oder beeinträchtiget, oder den Unterthanen contra religionem ſuam anno 1624. profeſſam & exercitam einige Reformations- oder Zwangs-Mittel zugemuthet hätte, welcher ſenſus ex toto præcedenti & conſequente textu ejusdem ſui klärlich erhelle, quod quidem gravati in liberum ſuæ religionis exercitium in ſimilibus

ibus caſibus reſtitui debeant, ad ſtatum anni 1624. ſed alius propterea ſuo jure non debeat deſtitui; Vereor ſane, ut quisquam adeo ſimplex ſit futurus, qui his ſibi argumentis imponi patiatur, quibus nihil infirmius, nihil à mente paciſcentium alienius, nihil denique quod ipſi huic legi, quin ſanæ rationi & juri communi magis ſit adverſum, excogitari poteſt, ut propterea quis hanc audaciam mirari ſatis nequeat, quod in tam manifeſta re de vero, legali, ſano & genuino, imo literali ſenſu hujus loci jactare non erubuere; quem talem nemo profecto inde eruerit, cui religio eſt vim verbis & orationi facere. Provocamus fidenter ad omnes illos, qui vel limis oculis inſpicere legem noſtram volunt, modo ſint, quos ſtudia partium cæco affectu non rapiunt in transverſum evidenti veritatis præjudicio. Neque enim ſufficit crepere multa de literali, de legali, de ſano & genuino ſenſu legis, ubi lex clara & luculenta conſtitutione in diverſa omnia abit, id in hac cauſa vel cæco, quod ajunt, apparet. Quæſo enim veſtram fidem, Vos omnes, æqui bonique judices, quid dicturi ſitis, ſi quis hunc vobis caſum proponet. Eſt in civitate quadam ſenatorio & equeſtri ordini lis quædam ſuper quibusdam juribus, in certa civitatis loca publica, quorum uſu in unus aliũ longo ſatis tempore per vices ex occaſione turbaverat. Poſt difficiles contentiones & certamina placuit tandem, ut, quo quisque jure certo anno dieque uſus eſt, eodem frui impoſterum debeat; Quod ſi vero duo vel plures ex utroque ordine jura illa communia habeant, & pro indiviſo poſſideant, ut in uſu eorum præciſe ſervetur ſtatus illius anni dieique. Concordia ſic inita accidit, ut ex ſociis duobus alter judicem adeat. & conqueratur fuiſſe ſibi quidem ſoli anno dieque conventa jus habitandi in certa domo communi, alterum receptum non fuiſſe. At poſt ſe iniquitate temporum & factionis adverſæ potentia pulſum eſſe, adeoque poſtulare, ut ex pacto reſtituatur. Præterea judici viſum eſſe hunc æquum petere, & reſtitutionem decernere, atque continuo exequi. Facta executione & poſt rem judicatam venire tandem alterum. & neglecta omni juris via ſe ipſum vi & propria authoritate effracta domo illa in poſſeſſionem mittere juris cohabitandi, cujus cauſa jam poſt rem deliberatam ex ſententia ceciderat. Quæſo vos, inquam, Judices, num hunc invaſorem violentum audituri ſitis, ſi forte dixerit jus habitandi ſibi cum altero commune eſſe, nec ſibi obſtare, quod ille anno convento ſolus habitarit. Neque enim ipſi à ſe litem de habitatione moveri, ſed id ſaltem cautum velle, ne ipſe jure ſuo excluſus videatur, quo ſine alterius damno vel incommodo velit. Quis enim hanc proterviam in iſto homine ferat, qui non modo contra pactum & transactionem concordiæ publicæ reſtaurandæ cauſa initam, ſed & contra judicium Magiſtratus, quod decreta executione jam teſtatus eſt, intolerabili impudentia fidei publicæ cavillis ſuis inſultat, & tranquillitatem vix reparatam

paratam quorundam commodorum reſpectu temere ſollicitat; ex quo una ratio pacis fuit, ſtatus certi temporis & nudum factum cujusque poſſeſſionis. Non agitatur hic quæſtio, quantum juris Dominus territorialis contra ſubditos habeat, in ſimultaneo inſtituendo, quo ſpectat proprie §vus 31. Sed quid Domino territoriali liceat, contra ſocium in re communi ex æquo poſſeſſa, quoad exercitium religionis, quo ille toto illo tempore, ex quo religionem mutavit, vetante altero caruerat, antequam illud turbido reipublicæ ſtatu, & inter bella civilia per vim occupaſſet. Sane ſi ad jus commune attendimus, cum nemini mutatio religionis & libertas conſcientiæ fraudi eſſe debeat, Videtur illi uſus rei, exempli gratia, templi, ut ibi ſacris ſuis ſine moleſtia & incommodo ſocii vacet, non eſſe denegandus. Sicuti enim quis in commune ſepulcrum etiam prohibente Domino mortuum inferre poteſt, ita templo communi nemo prohibendus, cui res pro indiviſo æque atque alteri eſt propria. Verum enim vero cum in noſtra republica hæc ipſa conſcientiæ & religionis eligendæ libertas, imprimis vero jus reformandi religionem, bello civili cauſam & occaſionem magna ex parte dederit, & in pace reducenda ſummopere laboratum fuerit, quibus optimis æquiſſimisque conditionibus omnes lites, inter Proceres noſtros religionis cauſa exortæ atque hactenus exercitæ componerentur, ante omnia conſiderandum erit, ſi quid novi, aut ſi quæ controverſia jam reſtituta pace de integro emerſerit, quid paciſcentibus placuerit, non quid æquitas vel jus commune dictitent, cum ſæpe numero leges pacis ab utroque ex neceſſitate temporum longe recedere ſoleant, quando alia ratio non eſt; reſtaurandæ inter ordines concordiæ. Parum ſane æquitati naturali in theſi convenit, cujusque civium jura ex ſola poſſeſſione certo tempore habita definiri, non attento ullo titulo poſſeſſionis, nec jure alterius inſpecto, annon ad hunc potius, quam illum res controverſæ pertineant: At in hypotheſi cum ſalus reipublicæ ſuprema lex eſt, & tranquillitatis publicæ refert, omnes lites de rebus, quæ civili bello materiam præbuere, uno velut ictu tollere atque civium ſingulorum jura aut poſſeſſiones ex quodam ſtatu rei, aut facto hominum definire, nihil impedit, quo minus tanquam alluvione huic accreſcat, quod alteri decedit; In hoc enim præcipue conſiſtit dominii eminentis in republica vis & autoritas. Itaque ut ad propoſitum in cauſa præſenti redeam, cum apud paciſcentes inter alia quæſtio incidiſſet, quid duobus vel pluribus Dominis Territorii circa ſacra in re communi ſit indulgendum, primo in regula juris placuit, ut in iis locis, ubi Catholici & Auguſtanæ Confeſſionis Status ex æquo jure ſuperioritatis fruuntur, tam ratione publici exercitii, quam aliarum rerum religionem concernentium, idem ſtatus maneat, qui fuit Calendis Januariis anno 24to, quo vix quicquam perſpicuius atque præciſius dici potuiſſet. Deinde quam primum

mum in pacis executione ad ſpeciales caſus eſt deventum, & Comites Lœvenſteinenſes Auguſtanæ Confeſſioni addicti reſtitutionem templi & ſacrorum in urbe Werthemii peterent, prout ipſi ea dicto anno dieque in poteſtate ſua habuiſſe probare poterant, ab Executoribus pacis, contradicente quamvis Catholico condomino, judicatum fuit, illos æqua petere atque decreta protinus reſtitutio eſt, ex hac imprimis formula §vi noſtri, quia debet idem Status manere qui anno 24to fuit. Procul dubio autem illo in loco Werthemii idem Status ratione exercitii publici non manſiſſet, ſi juxta exercitium publicum Evangelicæ religionis reſtitutum Catholica etiam Sacra fuiſſent tolerata, quæ ſæpe dicto tempore non modo ibi de facto exulabant, ſed & quorum cauſa tum Comites Evangelici in poſſeſſione fuerant prohibendi, ne à Catholicis Condominis inſtitui poſſent, quos alias non veriſimile eſt expectaturos fuiſſe, donec occaſione civilis belli & rerum initio à Cæſareanis proſperè geſtarum ipſis poteſtas ejus rei fieret, cum neminem lateat, quanta feſtinatione & ſedulitate Pontificii hoc agere & procurare ſoleant, ubi nemo impedimento eſt. Neque ſane refert, num Catholici Comites jure an injuria prohibiti ſint. Nam ſatis eſt, ſi prohibitos de facto conſtet, & is ſtatus rerum in iis locis fuerit: Nudum enim factum, exercitium, uſum & obſervantiam paciſcentes intuentur, non unius vel alterius partis jura. Quanta igitur temeritate & audacia Catholici Comites poſt reſtitutionem dicto modo factam occupare denuo vi templum, & ſua ſacra iis locis publica autoritate jam damnata ejectaque reducere privato facinore moliti ſunt; Tanta profecto, ſi non major eſt eorum impudentia, an dicam potius malitia, qui locum & legem omnium luculentiſſimam calumniari non verentur, cui gloſſis ſuis ineptiſſimis vim manifeſtam inferunt; Nam quod lex in genere de omni re communi ſtatuit, id ipſi intra terminos gravaminum, uti loquuntur, coërcent, atque tum demum ex formula legis actionem dari volunt, quando unus Dominorum ab altero in exercitio ſuæ religionis turbatur, cum potius cogitare debuiſſent, pro gravamine hoc etiam reputari, quando unus ſociorum in re communi tentat aliquid contra ſtatum loci, quem lex exacte ſervandum jubet; Neque enim de eo ſaltem queri poſſum, ſi quis me in uſu rei turbet, verum etiam cum ille eadem in re uſum ſibi indebitum arrogat, nam hoc ipſum mihi præjudicio eſt & fraudi, id quod imprimis in negotio religionis accidit, ubi duo diverſa ſacra uno in loco nunquam ſine moleſtia & æmulatione celebrantur, ut ut diverſis horis alius alii in ſuo exercitio impedimento non ſit. Quære ab ipſis Catholicis, an lubenti animo Proteſtantium religionem admiſſuri ſint in iis locis, ubi anno 1624to nullum ejus exercitium fuit, quamvis cavere parati ſint, Catholicos nullam incommoditatem ab exercitio ejus ſenſuros. Uno verbo, habet ſe hæc res eodem modo, quo *art. 5. §. 23.* de

mixtis

mixtis Epiſcopatibus conſtitutum eſt, in quibus *exercitium religionis ita reſtituitur & permanet, UBI & QUATENUS id anno 1624. palam receptum permiſſumque fuit.* Nam in mixtis Epiſcopatibus revera vivitur in communione rei & quæ ibi Canonici utriusque religionis de rebus communibus ſtatuere poſſunt, ejus decernendi facultas eſt vi juris pro indiviſo poſſeſſi, niſi quis ſibi jus quoddam in ſolidum deberi contendat & ſufficienter probet. Jam fac quæſo mihi in quodam id genus Epiſcopatu, ubi mixtim vivitur, fuiſſe templum aliquod aut ſacellum, cujus poſſeſſionem quoad exercitium religionis Canonici Catholici anno 24to ſoli habuerunt, poſt pacem vero velle Evangelicos ejus uſum communem habere, ex hac ratione, quod ſibi hoc §vo 23. jus exercitii publici religionis non ademptum: ſed illud ſaltem prohibitum inveniatur, ne in commune hujus rei alius alium gravet aut impediat contra ſtatum, qui anno 24to ibi fuiſſe compertus eſt. Quid hos dicturos exiſtimas? Proculdubio enim urgebunt verba *ubi* & *quatenus*. *Ubi* ad locum pertinet; *Quatenus* ad modum exercitii. Ubi ergo dicto anno non fuit palam receptum permiſſumque, ibi nec reſtitui nec inſtitui, nec permanere debet: Enim vero quam vim illinc verba *ubi & quatenus* habent, eandem prorſus habent in hoc noſtro §vo 43. verba, *idem ſtatus maneat:* nec rationis diverſitas ulla dari poteſt, cum utrobique agatur de rebus inter plures pro indiviſo communibus, quæ ſunt objectum hujus & illius legis ſive conventionis: Neque ſane intereſt, an ſint Eccleſiaſtici ordinis vel Politici, qui ſic in communione vivunt; ut proinde ſumma æquitate explicationem unius legis ab altera deſumere liceat, cum plane eadem ſit utrobique ratio, quæ paciſcentes movit, cur in utroque caſu idem jus dicerent.

Etſi vero hiſce, uti mihi quidem videtur, abunde ſit reſponſum ad argumenta Catholicorum, quia tamen caſum ſpecialem Comitum Wertheimenſium, Eorundem quondam Cancellarius, Ignatius Wilhelmus Schütz ex inſtituto tractavit & prolixo ſcripto factum Dominorum ſuorum conquiſitis undique coloribus defendere eſt auſus, itaque non abs re erit hujus quoque ſcripti rationes & momenta paucis expendere, ne quis forte ſibi perſuadeat *deductionem* illam *ſolidari*, uti hunc fœtum ſuum ipſe appellavit, ſupra omnem contradictionem eſſe. Mihi quidem hoc ſcriptum, quod adhuc typis editum eſſe negant, viſum non eſt. Sed cum illud Buckiſch, in nonnullis tamen, ut ait, contractum in ſuo Commentario ad Inſtrumentum pacis exhibeat, & explicationi hujus noſtri §vi pro meliore declaratione ſubjungat, hanc ſaltem editionem ſequi placet.

Statim vero oſtendit Titulus, Schützium hæc ſua commenta, in duo ſumma capita diſpertitum fuiſſe, quæ probanda quidem ſibi delegit; Sed in quorum probatione ubique fere deficit. Primum eſt, *Dominum Territorialem in*

cauſa religionis rerumque exinde dependentium extra caſus in Inſtrumento pacis exceptos ad annum 1624. ejusque ſtatum non eſſe obligatum. Et alterum *ſtatum anni 1624. ad res liberæ facultatis, mere ſecularia, politica & adiaphora ſine manifeſta contraventione pacis nec trahi nec allegari poſſe.* Sunt hæc profecto talia aſſerta, quæ ſua in latitudine, & eo ſenſu, quo à Schützio proferuntur, nemo facile concesserit; Quam miſere hæc & inepte tota ſua deductione tractentur, mox patebit. Sed antequam hoc ipſum fiat, placet nonnulla ad has duas propoſitiones notare. Igitur quod ad primum attinet, ſi de Domino territorii eſt ſermo, quatenus huic cum ſubditis ſuis res vel controverſia eſt ſuper religione ejusque exercitio, vel rebus aliis, quæ reſpectum ad ſacra habent, ferri quodammodo opinio poteſt, ſi hic eſt ſenſus jus reformandi Dominis Territorialibus in reliquis omnibus liberum eſſe, quæ bono ſubditorum ad Statum anni 24ti non ſunt definita reductaque. Sin univerſe intelligas, etiam cum Statibus ipſis inter ſe de quibusdam rebus lis intercedit, tum vero intervertenda theſis, & pro regula generali ponendum, omnia ejus generis negotia ad ſtatum anni 24ti exigenda eſſe, donec aliquid ſpecialiter exceptum probetur, cujusmodi exceptio *extat art. 5. §. 33. excipiantur vero.* Inveniemus enim toto articulo quinto omnes controverſias inter Status utriusque religionis in hoc cauſarum genere vertentes ſolo uſu & obſervantia anni 1624. terminari. Ita ſtatim initio ponitur *terminus reſtitutionis, quo à in Eccleſiaſticis, & quæ intuitu eorum in politicis mutata ſunt, dies prima Januarii anno 1624.* Deinde ſtatim poſt hæc *fit reſtitutio omnium Electorum, Principum & Statuum utriusque religionis plenarie & pure REDUCTIONE AD STATUM DICTI ANNI DIEIQUE IN OMNIBUS FACTA, art. 5. §. 2.* In ſpecie autem quoad quatuor illas Civitates Auguſtam Vindelicorum, Dünkelſpühlam, Biberacum, & Ravensburgum, quæ mixtæ religionis ſunt, & quarum adeo conditio ſimilis per omnia fere eſt Dominis rem pro indiviſo communem habentibus, *retinent bona, jura & exercitium religionis dicti anni dieique: templorum* item *& Scholarum cuique parti cura integra reſervatur, art. 5. §. 3. & 7.* Ubi obſervandum, praxin hactenus docuiſſe neutram partem ſub colore juris territorialis in commune poſſeſſi, in alterius partis templa, ſcholas, aliasque res ſacras, quas unaquæque anno 24to in ſolidum ſibi poſſederat, quicquam ſibi juris arrogaſſe, ſed hæc omnia cuique pro ſuo relicta fuiſſe. Mox §. 14. quod ad bona Eccleſiaſtica immediata attinet, in urbibus ſeu ruri, *ea omnia & ſingula, nullo plane excepto, ejus religionis conſortes, qui dicto tempore in reali eorum poſſeſſione fuerunt; tranquille & imperturbate poſſideant, neutrique parti liceat, ſeu in Judicio ſeu extra, negotium faceſſere, multo minus turbas aut impedimentum aliquod afferre.* Porro §. 23. In mixtis ex utraque religione

Capi-

Digitized by Google

Capitulis idem numerus Canonicorum manet, qui ſæpe dicto tempore fuit; *exercitium etiam religionis in mixtis Epiſcopatibus ita reſtituatur, & permaneat, ubi & quatenus id anno 24to palam receptum permiſſumque fuit, neque ſupradictis omnibus detrimenti quicquam creetur.* Amplius de *Monaſteriis, templis, fundationibus, Scholis,* aliisve bonis Eccleſiaſticis mediatis §vo 25. ſtatuitur, ut *unicum ſolumque reſtitutionis obſervantiæque futuræ fundamentum ſit die prima Januarii anno 1624. habita poſſeſſio,* ita ut qui illo tempore *poſſederunt, IIDEM POSSIDEANT irritis prorſus exceptionibus, ex quibuscunque prætextibus & rationibus deſumi poſſent.* Quibus verbis utique prætextus ille vel ratio à jure reformandi deſumpta, rejecta atque damnata eſt. Denique de civitatibus mixtis §. 29. in ſpecie traditur reſtituendas illas eſſe *in eum Statum, in quo Calendis Januariis prædicti anni 24ti tam in ſacris quam profanis fuerunt*, &. quidem *PLENISSIME*, in quo etiam *absque ulteriori turbatione conſervandæ ſunt, ita ut neutri partium alteram de religionis ſuæ exercitio, Eccleſiæ ritibus & ceremoniis diturbare fas ſit, caſſatis omnibus exceptionibus §. 2. & 25. enumeratis.* Poſthæc omnia tandem hoc noſtro §vo 43. ubi de communi jure territoriali inter duos pluresque Status quæſtio eſt, placuit, ut *tam ratione publici exercitii, quam aliarum rerum religionem concernentium idem ſtatus maneat, qui fuit anno dieque ſupradictis.* Ex quibus omnibus luce meridiana eſt clarius, ſi quæſtio ſit inter duos ſtatus (non inter Dominum Territorialem & ſubditos, quod bene notari velim) conditionem anni vigeſimi quarti, atque poſſeſſionem utriusvis Calendis Januariis habitam, unicam eſſe regulam atque normam, qua unius alteriusve partis jura, & quid cuique in Eccleſiaſticis liceat, definiuntur, atque adeo tantum abeſſe, ut cui executionis probandæ neceſſitas per id impoſita videatur, quin potius invertenda hæc res, & pro lege perpetua finiendarum omnium Controverſiarum in Eccleſiaſticis habendus ſit unice ſtatus anni vigeſimi quarti, & factum poſſeſſionis eo tempore habitæ, non attento ad ullam qualitatem tituli in poſſidendo. Nimirum ſicuti res pro derelicto habitæ cedunt primo occupanti, ita in compoſitione pacis res omnes Eccleſiaſticæ earumque jura ultima die anni vigeſimi tertii, veluti pro derelictis in commune expoſita ſic fuere, ut ei tanquam occupanti propria addicerentur in perpetuum, quem in poſſeſſione eorum reali Calendis Januariis fuiſſe conſtiterit, quamvis alter vel certis aliis titulis rem ſibi potius deberi probare poſſet. Neque enim in conſiderationem venit, cui res ante hæc propria fuerit, ſed quis illam in poteſtate tum habuerit, quando nova lex tranquillitatis publicæ cauſa lata eſt; Ita exempli gratiâ cum inter duos ſtatus utriusque religionis lis vertitur de quodam templo vel monaſterio, aut quavis alia re ſacra vel Eccleſiaſtica, in finienda ea id unice inſpicitur, cujus

Digitized by Google

fuerit anno 24to Calendis Januariis poſſeſſio, quis item Status rei illius vel uſus & obſervantia dicto tempore, non quæ utriusve partis jura fuerint ante hoc tempus aut poſt illud forte quocunque modo acquiſita. Reſcinduntur enim omnes in ejusmodi cauſis latæ, publicatæ & inſtitutæ ſententiæ, decreta, transactiones, pacta, executiones, &c. & reductio ſimpliciter fit ad nudum ſtatum dicti anni dieique *art. 5. §. 2.* Id quod §vo 25. quantum ad *Monaſteria, Templa, Scholas, Fundationes* &c. *aliave bona Eccleſiaſtica mediata, eorumque reditus & jura quæcunque* attinet, longe adhuc copioſius & cum abdicatione omnium exceptionum, quæ ullo modo objici poſſent, repetitur, ut proinde hujus viri audaciam ego certe admirari ſatis nequeam, qui tantum ſibi confidit, ut crederet, alios, modo ipſe ſtatum cauſæ mutaret, ſibi facilius imponi paſſuros, neque fallacias ſuas ſenſuros fore.

Haud melioris notæ eſt altera pars ſuæ deductionis, ubi probandum ſibi ſumit, *ſtatum anni 24ti ad res liberæ facultatis mere ſecularia, politica, adiaphora ſine manifeſta contraventione pacis neque trahi neque allegari poſſe.* De mere ſecularibus & politicis hactenus aſſentior quidem, niſi quid in his *intuitu Eccleſiaſticorum* mutatum eſt. Nam hoc caſu quoad terminum reſtitutionis à quo pari cum Eccleſiaſticis jure ſunt, art. 5. §. 2. Quod vero ad res liberæ facultatis & adiaphora, uti loquuntur, attinet, in iſtis aliquanto majori circumſpectione opus. Equidem non ſolus eſt hic Schützius, ſed habet plures vaferrimi hujus conſilii auctores, qui rebus vel actibus meræ facultatis glaucoma oculis imprudentiorum facere, & hac exceptione ſtatum & poſſesſionem anni vigeſimi quarti, nec non uſum & obſervantiam, quæ paciſcentes unicam normam reſtitutionis eſſe voluere, multis modis impugnare ſtatim poſt pacem confectam moliti ſunt; quæ res eo facilior auſu ipſis fuit, quo magis deceptio in proclivi eſt, quando conceptus de rebus & actibus mere facultatis nondum ab omni illuſione vel æquivocatione purgati ſunt. Res meræ facultatis Jure Conſultis dicuntur *actus, à mero alicujus arbitrio dependentes, & ex libertate naturali, vel gentium, univerſitatisve jure communes, quorum proinde exercitium omiſſiove alteri nullum jus tribuit, neque exercenti aut omittenti præjudicat.* Ejusmodi actus, exempli gratia allegantur, *ire in via publica, in publico balneo lavare, in theatro ſpectare; feneſtram facere, aut quidvis aliud ædificare in ſuo, molere, pinſere, cerevisiam emere, ubi velis,* &c. Quarum rerum natura in cauſa præſcriptionis imprimis conſideratur, cum in iis non posſit poſſeſſio allegari ab eo, qui præſcribere intendit; quamvis enim per longũ ſatis tempus via publica non iveris, in balneo publico non lavavaris, in theatro non ſpectaris, in tuo nihil ædificaris, nemo erit, qui te hac libertate prohibere poſſit, ſi poſtea uti velles; Item etſi per multos annos certo loco cereviſiam emeris, moleris aut pinſeris, mutatio ſemper

ſemper in arbitrio tuo eſt, niſi forte aliquando prohibitus fueris ab alio, quo minus libertate naturali uterere, & tu huic prohibitioni acquieveris, nullis actibus contrariis editis; Tum demum enim illa mera facultas ſeu liberum arbitrium vim quandam pati, & ab altera parte juris cujusdam quaſi poſſeſſio quæri videtur, in præſcriptionem deſituri elapſo tempore ad præſcribendum definito. Ita ſi te quis prohibeat, ne certa via publica eas, ne in hoc balneo laves, ne feneſtram in tuo aperias, aut altius ædifices: Tuque ſine contradictione morem geſſeris prohibenti, periculum ſane erit, ne hanc libertatem perdas. Perinde erit, ſi quis Te coëgerit, ne alio loco, quam apud ſe eas, ne alibi pinſas, aut quid rerum vendibilium emas. Nam tua patientia fit, ut alter in poſſeſſionem veniſſe cenſeatur, contra libertatem ejusmodi actuum, quam mox jus comitatur, ſi præſtituto tempore tibi hæc continuo ſiveris imperari. Ab his rebus vel actibus meræ facultatis differunt actus alii, *quorum exercitium, etſi in mea etiam poteſtate libere ſit, omiſſio tamen eorum mihi citius fraudi & præjudicio eſſe poteſt.* Sunt autem hi actus duorum generum; nam illis vel jus aliquod eſt acquirendum, ut aditio hereditatis, vel jus ſingulariter ex contractu aliquo aut peculiari jure competens eſt exercendum; *aut ſervitus, exactio debiti, Juriſdictio, jus braxandi*, neglecto enim aliquandiu horum actuum exercitio res ipſa facile amittitur elapſo tempore legibus determinato. Ubi tamen rurſus intereſt, quo pacto ſe iſti actus habeant. Nam aut *jus meum ita comparatum eſt, ut ejus non uſu id me neglexiſſe non poſſim argui*, cum forte mihi jam commodum non fuerit eo uti; Et tum ſane præſcriptioni non datur locus, niſi aliud quid acceſſerit, quo mihi jus meum ab alio dubium redditur. Quo refero jus reluendi pignoris, jus braxandi, quod mihi ratione ædium mearum ſingulariter competit: Itemque ſi ſervitute urbana aliquantisper uſus non ſim, uſurus tamen, ubi commodum & opus fuerit. Nam hæc jura, quæ non habent quotidianum exercitium, & quorum omiſſio actui ex jure illo fluente, non eſt contraria, tempore adeo facile non amittuntur, niſi ex quo prohibitio interceſſit, vel coactio, cui paritum eſt cum ſufficienti conſenſus ſignificatione. Sin vero *eo ipſo quo quid omitto, ſimul contrarium quid admitto, ſeu cum non utor jure eo tempore, quo ut utar opus habeo*, tum vero mihi non poteſt non ille non uſus nocere, cum remiſiſſe aut abdicaſſe jus videar, cujus uſum præſente oportunitate & neceſſitate neglexi. Ita ſervitutes ruſticæ per non uſum intra longum tempus præſcribuntur: Nam iter ad meum prædium, pecoris ad aquam appulſus, jus paſcui & ſimilia jura ſic comparata ſunt, ut quotidianum fere uſum habeant. Si igitur alio itinere utar, vel pecora mea per aliam viam aquatum agam, vel alio paſtum, dum alius interea his fruitur commoditatibus, ſive ſciente me, ſive ignorante, mihi paulatim jura mea perire neceſſe eſt, quorum exerci-

tium

Digitized by Google

ſtium tamdiu neglexi. Atque hæc præfari in genere de rebus meræ facultatis viſum. Itaque ut ad propoſitum redeam, primo actus Eccleſiaſtici vel ſacri minime omnium ejus ſunt generis, qui à mero alicujus arbitrio dependent, & quorum proinde exercitium vel omiſſio nemini fraudi eſt: Nam cura animarum & procuratio officii Sacri ex impoſito munere aſſiduam poſtulat, atque continuam operam, adeo, ut qui hanc circa rem indiligentior eſt, aut negligentia vel metu torpet, inſtar Paſtoris mercenarii, viſo lupo aufugientis, deſeruiſſe ſtationem videatur, & ovile ſuum vacuum feciſſe hoſtibus. Neque enim uti mihi liberum eſt in via publica ire, vel non ire, in publico balneo lavare vel non lavare, in Theatro ſpectare vel non ſpectare; ita etiam penes me ſtat, velim an nolim defungi officio, quod mihi in Sacris certo loco eſt demandatum. Itaque cum interea per abſentiam meam alius venit, & ſibi loci jurisque exercendi ſuo more poteſtatem facit, hoc ipſo certe poſſeſſione ſum dejectus, & alter qui illam quocunque modo invadit, jam poſſidere incipit, atque poſſeſſionem ſuam tamdiu continuat, donec integrum ei eſt actuum in eo loco exercitium, & rei ipſius detentio. Quod ſi præterea ſupervenit lex, atque ſtatuit, ut in perpetuum ejus ſit fruitio rei juriumque exercendorum facultas, qui certo anno dieque poſſeſſionem uſumque rei juriumque habuit, tum vero is eo ipſo ab omni perſecutione ſecurius fit, & priori Domino uno veluti ictu pereunt actiones & formulæ, quibus recuperandarum rerum cauſa uti alias potuiſſet. Hic enim titulus, qui ex additione legis mihi quæritur, omni præſcriptione potior eſt, neque poſſeſſione ſic dejecto quicquam ſuperat, quo amiſſa recuperare deinceps poſſit. Minime omnium vero quadrat exceptio rerum meræ facultatis. Duo fere adhuc ſuperſunt caſus dubii, de quibus hactenus inter partes litigatum eſt. Primus, quando anno 1624. Calendis Januariis vacavit locus aliquis, veluti templum aut monaſterium in urbe aliqua aut vico, omni cultu divino, ita ut neuter de aliquo actuum ſacrorum exercitio, aut rei poſſeſſione docere poſſit: Et alter, cum in loco duobus diverſæ religionis communi quæritur, de ornanda commodiusque habenda alterutrius religione & exercitio ejus externis quibusdam rebus, quas anno dieque illa fatali quidem ibi receptas non fuiſſe convenit, ſed quas tamen illo tempore una pars ſine alterius contradictione aut prohibitione inſtituere potuiſſet; uti ſunt novæ quædam ceremoniæ, indictio feſtorum, receptio novorum ordinum, vel augmentum numeri perſonarum, quæ ſacris faciendis adhibendæ ſunt; & quæ ejus generis alia poſſint obvenire, parti adverſæ innoxia, ſi demas invidiam, ſibi vero honeſtamento, decori & commodo. Quod ad primum attinet, ſententia noſtra jam in ſuperioribus à nobis expoſita eſt, ſcilicet arbitrium ſtatuendi de ejus generis locis ad Dominum pertinere, in cujus territorio

res

Digitized by Google

res controverſa ſita eſt, qua cum utitur pro ſuæ religionis compendio, nihil paci adverſum feciſſe videbitur. Et ita ab executoribus pacis in cauſa urbis Höxteræ memorabili ſententia judicatum eſt. Quando autem duo ſunt Domini territoriales loci, quem pro indiviſo poſſident, aut utrique licebit ibi religionis ſuæ exercitium ſtatis diebus horisque, de quo conveniendum inter ipſos eſt, inſtituere: aut ſi convenire nequeunt, utrisque abſtinendum erit, cum neutrer ante alterum potiori jure ſit in ſacris ſuis promovendis, & præterea ſemper conditio prohibentis melior ſit futura adverſus attentata ſocii. Alter demum caſus fortaſſe eſt, in quo conſideratio actuum meræ facultatis aliquid adjumenti adfert, cum de jure utriusve partis ferenda eſt ſententia, quod enim omiſi facere, cum potuiſſem, nullo adverſæ partis impedimento obvio, id quo minus poſtea curem, prout mihi conducit, prohiberi non poſſum; Nam jura libertatis, quibus actus is, qui exercetur non eſt directe contrarius, ſed ei potius ineſt, ut pars ſuo integro, non amittuntur, niſi ex quo tempore interceſſit prohibitio aut coactio; Etſi enim quis exempli gratia per centum annos ſocietatem cum uno duntaxat vicino habuerit, cum tamen habere & cum aliis potuiſſet, hoc tempus non obſtabit libertati in novis fœderibus contrahendis: at interceſſio rem protinus mutat. Ita, ut in materia pacis Weſtphalicæ maneam, quamprimum mihi ejusmodi quid ante annum vigeſimum quartum molienti pars adverſa obſtitit, jure ſive injuria, nihil intereſt, atque me de facto impedivit, ut propoſitum tenere nequiverim, atque res Calendis Januariis eo in ſtatu fuerint, tum ſane in deſtinato poſthæc perficiendo adeo nullo uſui erit res vel actus meræ facultatis commendare, & obtendere, ut potius ſi poſt annum vigeſimum quartum inter belli vices pervicta res ſit, reſtitutioni locus ex formula pacis detur: Sin poſt pacem invita altera parte tale quid admiſſum, actio de fracta pace inſtitui poſſit; Enimvero utcunque iſta ſe habeant, in cauſa ſane Comitum Wertheimenſium intentioni & commodis Catholicorum nullo modo ſerviunt. Neque enim Wertheimii in urbe eo tempore vacabat templum, quod paciſcentes terminum eſſe voluere reſtitutionis a quo in Eccleſiaſticis; Neque ibi exercitium Catholicæ religionis tum juxta Evangelicorum ſacra vigebat, ſed hi ſoli rerum potiebantur in religione exercenda ſacrisque faciendis. Quo loco igitur Catholicis in hoc rerum genere nihil quicquam facere licuit, obſtante & prohibente altera parte, ibi ſane de rebus vel actibus meræ facultatis omnis diſceptatio ſupervacanea eſt.

Superſunt denique adiaphora, quæ vocat autor Deductionis ſolidæ, quorum rationem haberi poſſe negat, quoties de ſtatu anni vigeſimi quarti quæritur. Hic autem videndum, quid ſint adiaphora: Hæc enim vox alium ſenſum in cauſis politicis habet; alium in negotio religionis. De il is comparatum erit, ut de aliis rebus politicis, qui-

Digitized by Google

bus ſtatus anni vigeſimi quarti non prodeſt, niſi cum in eis mutatur aliquid intuitu religionis. Horum vero, quæ ad religionem pertinent, alia longe eſt conditio. Nam ſi adiaphora latiſſimo ſenſu ſumas, ut ſignificent omne id, quo religio Chriſtiana carere poteſt nullo ſubſtantiæ ſuæ detrimento, paciſcentes non niſi circa adiaphora occupatos fuiſſe conſtat; nam de ipſa religione atque ejus natura nihil ſtatuunt. Sin vero aliquanto ſtrictius ea tantum notent, quæ ab exercitio religionis, prout id publice inſtitutum eſt, abeſſe poſſunt ſine ſcandalo populi, ejusmodi rebus jam imbuti: Et quæ adeſſe iterum poſſunt nullo novitatis periculo, uti ſunt multæ ceremoniæ, ornandæ religionis, vel devotionis excitandæ cauſa introductæ; Item novi ordines religioſi, novæ fraternitates, nova altaria, & ſimilia, tum vero in hiſce magna providentia agendum, ut media via incedamus, non ſectando quidem minutias, neque tamen etiam negligendo res in negotio religionis momentum habentes: verbi gratia: ædificant Catholici ſuo in templo, quod in urbe quadam proprium habent, nova altaria, inſtituunt ſupplicationes intra ejus circuitum, fundi campanas ſolito majores curant; candelas cereas, cum ante hæc ſebaceis uſi fuiſſent, accendunt; & numero quidem plures pro vetere inſtituto. Candelabra argentea in templo ſuſpendunt, vel alia ad ejus ornatum majeſtatemque parant. In his & ſimilibus ſtatus anni vigeſimi quarti non obſtabit. Quando autem inſtituere ſupplicationes Catholici velint per urbem, & mutare vicos, per quos ante hac pompam deduci moris erat, hoc vel ſimili caſu Proteſtantes merito ad ſtatum dicti anni provocant, & obnunciant novitati, cum eorum maxime interſit in ejusmodi ceremoniis, quarum cauſa plerumque multitudo ingens confluit, & ex facili inſoleſcit, fiducia cætus atque religionis calore, ab antiquo more non recedi, quo plebs, ruſticana imprimis, optime in officio continetur. Igitur in omnibus id genus adiaphoris prima & princeps hæc erit inſpectio, ut videamus, num quid noſtra interſit, ab altera parte nihil innovari. Intereſſe autem dico, cum revera mihi res fraudi, præjudicio, damno vel periculo futura ſit, non cum ex invidia vel livore alteri negotium faceſſere geſtio. Quanquam etiam invidiæ non ſtatim imputandum ſit, ſi qua re, quæ mihi ſoli eſt propria, alium uti nolim, quamvis nullam inde incommoditatem ſentiam. Uſum aquarum natura etiam communem fecit; attamen mihi vitio non vertitur, ſi omnes indiſcrete ad puteum meum hauriendi gratia non admiſero. Itaque tum demum mea nihil intereſt, cum aliquis in ſuo quid facit, quod mihi nullo reſpectu incommodat. Poteſt autem aliquis dici in ſuo quid facere, etiamſi res ipſa communis ſit. Nam verbi gratia ſit commune utrique parti templum; una pars illo fruitur diebus feſtis mane, ab hora ſexta usque ad nonam; Altera à nona ad meridiem usque. Eadem ratione tempus poſtmeridianum

Digitized by Google

ridianum, ſi placet, diviſum ſit. Jam natura religionis, quam una pars ſectatur, requirit, ut tabulis, imaginibus aliisque ornamentis inſtructum ſit templum; altera pars nuda & ſimplici devotione fungitur. Igitur, quos illa apparatus facit exornandorum ſuorum Sacrorum cauſa, in ſuo feciſſe videtur, etſi in templo communi fiant: Sibi enim ſoli hæc omnia parantur; modo meminerimus, ſi quæ inter iſta forte ſunt, quæ alteri parti offendiculo erunt, ea ſub id ſaltem tempus tollenda eſſe, cum ſacris operam dat; Sed hæc in re communi obtinent; quæ mihi ſoli eſt propria, in ea legem mihi dare nemo poteſt. Hactenus etiam de adiaphoris; Nunc in ipſam deductionem ſtringendus eſt calamus, cujus ſcripti levitas & langvor, quamvis ex jam dictis abunde appareat, detegendæ tamen eo magis fallaciæ & impoſturæ paulo propius ſunt, quanto majorem applauſum olim iſtæ lucubrationes dicuntur habuiſſe. Utinam licuiſſet mihi videre ſcriptum ex omni parte integrum, ne quis accuſare me poſſit, quod neglexerim ad potiora reſpondere. Nunc cum hujus voti compos fieri hactenus non potuerim, atque idcirco me oporteat ſequi ea, quæ à Buckiſch edita ſunt, hujus non mea culpa erit, ſi quid à me præteritum eſt, quod momentum habet.

Ac quidem principio ſtatum cauſæ fraudulenter format; Incipit enim de jure reformandi religionem, quo ſtatus Imperii gaudent, in ordine ad ſubditos ſuos: Cum interea quæſtio eſt, quid in territorio duobus communi liceat uni Domino contra alterum, ex æquo ſocium, qui anno vigeſimo quarto locum aliquem ſacrum, vel aliam rem Eccleſiaſticam pro ſuæ religionis exercitio ſolus poſſedit, cum alter docere nequeat, ſe illa in re unquam, ex quo diverſa ſacra eſt ſectatus, illius juris exercitium habuiſſe, exceptis illis temporibus, cum poſt dictum annum inter turbas civiles dejecto per vim ſocio ipſe loco etiam eſt potitus, ſed in quem alter ſtatim poſt pacem authoritate Magiſtratus publici reſtitutus fuerat. Hic proprie eſt caſus; hæc facti ſpecies, uti nunc vocant. Unde ſupervacanea eſt & à re aliena omnis illa operoſa commentatio de jure reformandi, quod ſtatibus in territoriis ſuis competit, quamquam ſupine, aut ſane per induſtriam omiſſa fuerit quæſtio, quid duobus territorii Dominis in territorio communi & pro indiviſo poſſeſſo circa jus reformandi quoad ſubditos fas ſit, quando ipſi diverſæ ſunt religionis, & alter alterum in uſu hujus juris impediat? Tum enim non rationi modo, ſed & juri Romano conſentaneum eſt, ut res maneant in ſtatu, quo ſunt, & neuter ſine altero attentare quicquam poſſit: Cum vetantis ſemper melior ſit conditio. Quam æquitatem paciſcentes etiam ſecuti ſunt, hoc uno excepto, ut non ſtatum rerum præſentem inſpexerint, ſed eum, qui Calendis Januariis anno 1624 fuit, ad quem reductio in omnibus fieri debuit. Nam ſi hoc tempore unus Dominorum jure reformandi in territorio excluſo altero ſo-

lus uſus fuiſſet; non video ſane, qua ratione ab hac prærogativa depelli poſſet, quam ei pax & publica conſtitutio Imperii tribuit. Sed nondum in his terminis verſamur: opponitur enim hic Dominus Territorii Socio, qui æque eſt Dominus, & utriusque jus reformandi, quod ab ambobus in communione poſſidetur, invicem ita committitur, ut alter alterum in negotio religionis quicquam mutare nolit; Quo pacto igitur affirmare Schützius poteſt, licuiſſe uni altero inſalutato non modo exercitium ſuæ religionis denuo introducere, verum etiam hac fini occupare Domini diverſæ religionis templa & cœmiteria, atque de cœtero in rebus ſacris omnia illa inſtituere, quæ ſive de jure ſive de obſervantia pro annexo Catholicæ religionis habentur; modo ſubditis alterius religionis in ſuo exercitio non præjudicetur. Et quomodo dici poteſt, tam inſigni mutatione in territorio communi, vetante ſocio ab altero facta, *tam ratione publici exercitii, quam aliarum rerum religionem concernentium, manere eundem ſtatum, qui fuit anno dieque ſupradictis*. Vix certe eſt, ut ſalva pace ejusmodi Domino libertas ſuppetat, pro ſuæ religionis publico exercitio domi ſuæ ſacellum ædificare, & ad ſacra admittere ſubditos, qui ſuæ ſunt religionis; Nam etiam ſic absque controverſia alius fit ſtatus loci. Sed hæc tamen, ſi fierent, præferenda fortaſſis erit æquitas ſtrictæ legi, & rigor ejus præſumpta paciſcentium benigniori mente temperandus. Enimvero involare templa aliena, & in illis invito & reclamante ſocio inſtituere exercitium religionis peregrinæ; cujus veſtigia ab annis fere centum in eo nulla fuerant; tum vero in ipſo illo templo omnes ceremonias ritusque ſtatim oſtentare ſummo ſcandalo eorum, qui ejus loci poſſeſſionem & uſum eo usque ſoli habuere, & denique hæc omnia audere non ſolum, propria authoritate, veluti ipſe ſolus eſſet Dominus Territorii; Verum etiam ex quo poſt legitimam & ſufficientem cauſæ cognitionem decretum jam â pacis Executoribus erat, ne tale quicquam poſtmodum admitteretur, quorum etiam ſententia & authoritate hæc ipſa ſacra, quæ ante pacem introduxerat, ejecta & perpetuo exilio damnata fuerant, id vero factum eſt, in quo defendendo alia prorſus argumenta conquirenda ſunt, ac quæ ex jure reformandi contra ſubditos petuntur. Quanquam nec hoc ipſum concedendum eſt, poſſe Dominum territorii in eo templo, quod ſubditi anno 1624. ſoli in poteſtate habuerunt, exercitium ſuæ religionis juxta introducere: Qua de re jam ſupra ex profeſſo actum.

Neque melioris notæ aut majoris ponderis eſt fundamentum, ſuper quod hoc ſuum aſſertum ædificat, ſcilicet terminum anni 1624. non ad ipſos ſtatus pertinere, nec eorum jura definire; ſed unice afficere jura ſubditorum in ſuæ religionis exercitio. Etſi enim non abnuam, quando lex totum annum vigeſimum quartum, aut quamvis ejus anni partem reſpicit, tum vero negotium plerum-

plerumque inter Dominum Territorii ejusque ſubditos verti; alia tamen per omnia ratio eſt, quando lex Calendarum Januariarum mentionem facit, & hac die jus uniuscujusque metitur. Tum enim univerſe fere dixerim, hoc puncto temporis negotia ſtatuum inter ſe terminari, atque velut digito indice demonſtrari, quantum cuique in ſacris apud ſe liceat, quoties alius ſua intereſſe credit, ne alteri tantum liceat. Demus igitur largiter Domino territorii liberum eſſe, ut religionem mutet: addamus & hoc, eum novam illam religionem, quam eſt amplexus, ſuo in territorio inſtaurare poſſe, dum id nemini fraudi eſt, nec quisquam ſuis in juribus, quæ per pacem Weſtphalicam obtinuit, turbetur: Autor ſane *deductionis ſuæ* tantum abeſt, ut his etiam conceſſis pro Comitibus Catholicis Wertheimenſibus propoſitum aſſecutus ſit, ut cauſa etiam manifeſto ceciderit. Sicuti enim Dominus Territorii ſubditis ſuis, qui diverſæ ſunt religionis, locum, in quo hi publicum exercitium anno 1624 ſoli habuere, nec adimere, nec communem facere pro ſuo etiam exercitio poteſt, obſtante ſcilicet §. 31. vſ. *nec minus maneant*. Quam legem ſive regulam ſive exceptionem appellaveris, perinde eſt. Ita multo minus in re communi alteri Domino territorii, ſocio ſuo qui locum illum dicto anno quoad ſacra in poteſtate ſolus habuit, præjudicium creare, vel ab eo petere poteſt, ut uſum communem poſt hæc eſſe patiatur; obſtat enim iterum lex alia, eaque multis modis fortior, quæ jubet, *ut in iis locis, ubi Catholici & Auguſtanæ Confeſſionis Status ex æquo jure ſuperioritatis fruuntur, tam ratione publici exercitii, quam aliarum rerum, religionem concernentium, idem ſtatus maneat, qui fuit anno dieque ſupradictis.* Quæ verba tam clara, & ab omni ſenſu ambiguo libera ſunt, ut nec ipſe ille autor, negare auſus fuerit, legis ſanctionem contra ſe eſſe, quando ſenſum ex verbis, prout ſonant, (wie ſie da auff dem Papier liegen) colligere volumus. Eſt autem ſemper retinenda interpretatio, quæ verbis naturaliter congruit, niſi ſit, quod cogat ab ea recedere, quorum nihil ab autore allatum videmus. Quod enim primo excipit, manere Wertheimii eundem ſtatum religionis Evangelicæ in templo urbis, qui anno 24to erat, etiamſi Catholicæ religionis exercitium illic juxta introducatur, id ſi non joco dicitur, cavillari profecto eſt, ſi quicquam aliud. Iſti homines ſibi blandiuntur, ſe nobis perſuadere poſſe, quicquid placuerit. Obſecro vos Egregii interpretes ite ad Catholicos ipſos, & quærite ab illis, num credant manere eundem ſtatum quoad exercitium religionis, ſi proteſtantium ſtatuum aliquis in templo, quo ſubditi ſui Catholici hactenus ſoli ſunt uſi ad ſacra ſua, exercitium religionis Evangelicæ voluerit inſtituere, & attendite, quid iſti reſponſuri ſint; niſi forte hæc tum ſaltem juſta ſunt, quando de Proteſtantium capitibus aguntur comitia, alia longe Pontificiorum ſit conditio, neſcio quo religionis privilegio & favore.

favore. Quod vero autor porro ait, ſimul ſtare poſſe, introductio unius religionis & permanſio alterius in ſtatu quo anno 1624. fuit, id quidem ſuo ſenſu verum eſt; Sed an in caſu noſtro hæc legi conveniant, alia diſceptatio: Ibi enim non dicitur, religionem alterius Domini ſuo in ſtatu permanere debere: Sed in genere ſtatuitur, ut in iis locis tam ratione publici exercitii, quam aliarum rerum, religionem concernentium idem ſtatus maneat; quod niſi fallor longe diverſum eſt. De cætero nihil abſurdius, quam quæ Werthemii acta ſunt, pro exemplo & ratione confirmandæ ſententiæ ſuæ ab autore allegari; Cum à Proteſtantibus inter injurias ſpeciales referantur, quibus pax violatur. Denique quod Comites Wertheimenſes Catholici anno 1653. in Comitiis Ratisbonenſibus hanc ſuam cauſam edito ſcripto ad acta Imperii etiam relato, tuiti fuerint, adjuti etiam ea in re Catholicorum ſtatuum favore, quibus viſum ut denuo ſuper hoc caſu, tanquam dubio, deliberetur, id legi & paci præjudicio eſſe non poteſt; Novimus enim qua fide quove candore ab illis tam in ſuperioribus Comitiis, quam in Conventu deputationis Franckofurtenſis tractata omnia fuerint, quorum reſtitutio ex pace Weſtphalica Proteſtantibus debebatur. Illud vero minime omnium ſequitur, facta iſtorum Comitum hucusque continuata, eo ipſo approbata eſſe, quod res nec Senatus Conſulto aliquo Imperii, nec ſententia Cæſaris definita hactenus ſit. Nam ſecundum formulam pacis quæ extat art. 5. §. 32. *turbati & quocunque modo deſtituti &c.* Comites Evangelici per Catholicos ante omnia ſine ulla exceptione in ſtatum anni 1624. plenarie reſtitui debuiſſent. Quod enim hoc per Deum hominumque fidem jus eſt, quæ pax ſecundum verba & ſenſum literalem, prout nec ipſe hic noſter autor inficiari poteſt, decernit, & executores pacis, à Cæſare ad id negotii delegati, judicavere, atque executi ſunt, id primo maligna atque violenta interpretatione dubium reddere, atque adhibita ſtatim vi reſcindere: Tum vero demum, poſtquam me in poſſeſſionem rei propria authoritate ipſe immiſi, provocare ad ſtatuum Imperii judicium, aut Decretum Cæſaris, quando certus jam ſum, illud ob diverſa partium ſtudia latum nunquam iri. Hoc vero non niſi in præjudicium rei Evangelicæ meumque compendium expectari poſſe. Cum experientia hactenus docuerit, hoc ſolo tempore à pace Weſtphalica Proteſtantes ab aula Cæſarea etiam in liquidiſſimis cauſis quoties reſpectus religionis intervenit, jus æquum impetrare fere nunquam potuiſſe. Unico exemplo, velut ex ungue leonem liceat cognoſcere. Catholici Comites Wertheimenſes quando contra pacis Weſtphalicæ publicam executionem & in ſummum pacis atque Executorum contemptum, templum, Evangelicis autoritate Magiſtratus reſtitutum, per vim occupant, & ſuæ religionis exercitium cum omnibus ceremoniis eo intrudunt, recte & ex ordine feciſſe judicantur, neque ad reſti-

tutio-

tutionem ex formula pacis obligari, quamvis articulo 17. expreſſe ſtatutum ſit, ut, *qui huic tranſactioni vel paci publicæ conſilio vel ope contravenerit, vel legitimo modo & ordinaria juris executione reſtitutum, ſine legitima cauſæ cognitione de novo gravare tentaverit, ut*, inquam *contra eum juxta Conſtitutiones Imperii reſtitutio & præſtatio cum pleno effectu decernatur, atque demandetur.* Ex adverſo autem cum Lippiaci Comites ope Directorum Circuli Saxonici Inferioris in dimidiam partem Monaſterii Falkenhagen reſtituti ſunt, pace Weſtphalica illis hanc rem clariſſimis verbis addicente, & Directore Circuli Weſtphalici Monaſterienſi per manifeſtam calumniam denegante officium, ut ſubſidio ex vicino circulo opus fuerit; Cæſar ad implorationem Jeſuitarum, uno poſt alterum mandato, ut dejiciantur rurſus poſſeſſione, velut executione indebitè facta, jubet, & reſtitutionem Jeſuitarum decernit, comitibus ad judicium petitorium relegatis. Quæ cauſa obſecro, diverſi adeo juris, ut Comitibus Wertheimenſibus Evangelicis ex pace primo legitime reſtitutis, & mox à Catholicis turbatis, reſtitutio denegetur? Jeſuitis vero contra Comites Lippiacos, quibus tamen luculenta conſtitutione, pax illa aſſiſtit, decernatur? Quæ vero alia, quam favor religionis & partium ſtudia: plus quam cœcum eſſe oportet, qui affectus hic non videt, manibus etiam palpandos; ſcilicet utrobique ſine diſcrimine ſumma cum injuſtitia, ſumma pacis injuria in poſſeſſionem reſtituuntur Catholici. Evangelici jam ex formula pacis reſtituti dejiciuntur ſua poſſeſſione, & ad forum petitorium rejiciuntur, æternis & infinitis litibus exercendi. Quis ferre has contumelias, & manifeſtas in jure dicundo partes æquo animo poterit; Aut quis non exhorreſcat ſubire illud tribunal, facto ſemel periculo cauſæ liquidiſſimo jure ſubnixæ & nihilominus amiſſæ?

Sane idem ille Wilhelmus Ignatius Schütz *Manuali ſuo pacifico quæſtione XVI.* hunc caſum æquiori longe judicio tractat: Quærit enim, quid ſi duo diverſarum religionum, unius tamen territorii ex æquo Domini ſint, an hoc caſu quilibet publicum religionis ſuæ exercitium ibidem inſtituere poſſit? & reſpondet ex hoc noſtro paragrapho 43. vl. in iis locis, *quod non.* Hoc addito, *intelligas autem hoc procedere caſu, quo unus tantum illorum 1. Jan. anno 1624. in poſſeſſione vel quaſi publici exercitii religionis ſuæ fuerit; talis enim idemque prorſus Status ratione religionis manere debet: ALTERI NON NISI RELIGIONIS SUÆ EXERCITIO PRIVATO CONCESSO:* Quod vero poſt hæc monet, *affirmative reſpondendum fore, ſi quilibet Dominorum memorato anno, licet in diverſis ejuſdem menſibus publicum religionis ſuæ exercitium habuiſſet.* Id ſub diſtinctione eſt accipiendum: Nam ſi inter ipſos Dominos rei communis lis eſt, vel contentio, quid cuique liceat, procul dubio ad Calendas Januarias unice eſt reſpiciendum; de quo caſu etiam agit noſter §vus. Sin vero

vero uni ex Dominis territorialibus res ſit cum ſubditis diverſæ religionis: tum vero ſatis erit de poſſeſſione ſubditorum qualibet anni parte habita doceri, ſecundum ea, quæ ſupra tradita ſunt §vo 31. Denique dubium, quod ſibi ex art. 5. §. 13. movet autor manualis, id tale eſt, ut appareat, ipſum hunc §vum debito modo non inſpexiſſe, nec omnino ſcopum ejus aſſecutum eſſe. Prout enim in ſuperioribus eſt explicatum, differunt toto cœlo reſtitutio ex capite amneſtiæ, & altera ex capite gravaminum. Neque id diverſis ſaltem terminis à quo; Sed & imprimis diverſitate juris ex hac vel illa reſtitutione reſultantis. Ita, exempli gratia etſi Dominus ex capite amneſtiæ quoad ſacra in integrum reſtitutus ſit, hac reſtitutione tamen ita non fit ſecurus, ut ab omni metu perſecutionis liberetur, ſi alter contra illum ex alio capite velit agere: Interea nihilominus commodum eſt, ejusmodi reſtitutione in antiquam poſſeſſionem venire, quamvis hæc non aliter impetretur, quam ſalvo de cætero cujusque jure. At qui ex capite gravaminum reſtituuntur, jus firmum & irrevocabile per id ipſum acquirunt, ut nulla deinceps actione utcunque alias fundata inquietari poſſint. Quia autem non modo quoad diverſos juris effectus multum refert, utra reſtitutione niti & agere poſſis. Verum etiam termini reſtitutionem à quo diverſi ſunt, aliis reſtitutioni ex capite amneſtiæ poſitis, aliis ex capite gravaminum; ideoque dicto §. 13. cavetur quidem, ne terminus anni 24ti, quo ex capite gravaminum cauſæ religionis judicantur, præjudicio ſit iis, qui ex amneſtia vel aliunde poſt pacem reſtitui cupiunt. Enimvero ex eo non ſequitur, horum poſteriorum reſtitutionem per omnia gaudere privilegiis & beneficiis juris, quæ illos manent, qui poſſeſſione anni vigeſimi quarti nituntur, & ex capite gravaminum agunt, quorum conditio multis modis melior eſt. Hic eſt verus hujus paragraphi ſenſus, quem dum hactenus plerique male intellexerunt, occaſio ad confuſiones & errores haud vulgares per id data eſt, cujus ſpecimen etiam hoc loco in Manuali Schützii videmus: Nimirum ille ſuſpicatur, anſam dubii ſive ulterioris deliberationis dare hunc textum, art. 5. §. 13. *Terminus autem &c.* Sed ſuſpicatur tantum. Quod ſi nobis etiam ſuſpicandi jus eſt, moto dubio, ubi ſane nullum fuit, crediderim hoc actum à Catholicis, ut interea Comites, quorum facta aperte tueri auſi non ſunt, in poſſeſſione relinquerentur, donec de lite decideretur, quod deinceps nunquam fore facile prævidere poterant; Quæſo autem, quale hoc eſt dubium? Nihil ſane poterat à verbis legis & mente paciſcentium alienius moveri. Nam hoc pacto dubitare viſi ſunt Catholici, num in re communi quoad exercitium religionis publicum, aliasque res religionem concernentes Status anni vigeſimi quarti manere debeat, quam paciſcentes lege prorſus clara & perſpicua manere voluerunt. Unde Brückneri ad hunc Schützii locum juſta eſt querela, *ſi hic modus*

Digitized by Google

modus (ſcilicet interpretandi tabulas pacis) *procedit, Status Romano-Catholicos compendioſa via omnia in Inſtrumento pacis in favorem ſubditorum, Auguſtanæ Confeſſioni addictorum, ſatis clare poſita dubia reddere, & interim usque ad deciſionem ulteriorem, quam tergiverſationibus protrahere in infinitum facile itidem poſſunt, interpretationem pro ſe & in odium miſerorum ſubditorum facere poſſe.*

Neque mutanda lex noſtra aut limitanda, eo caſu, quando unus Dominorum ex belli occaſione, vel alia de cauſa toto anno 24to abſens fuit, & deinde pace facta ex capite amneſtiæ in communionem territorii redit. Nam ſi alter dicto anno in poſſeſſione exercitii publici ſuæ religionis ab exercitio prioris diverſæ, ſolus manſit, eundem etiam ſtatum ſemper manere oportet. Nam ejus reſtitutio ex beneficio amneſtiæ, etiamſi in ſacris fiat, reſtitutioni alteri, quæ ex capite gravaminum alia plane formula actionis petitur, alioſque longe affectus juris habet, præjudicium creare non poteſt. Ut ſane hic inſigniter hallucinatus ſit Bruknerus, qui caſum hunc ſingularem & exceptionem à regula ſibi fingit, cujus deciſio ab art. 5. §. 13. ſit arceſſenda, ubi hanc exceptionem putat haberi; *Niſi condominus unus ex capite amneſtiæ aut aliunde reſtituendus veniat.* Revera enim, quod hic modo una manu datur, eripitur altera, cum fere toto imperio nemo fuerit Statuum, qui non bello civili implicitus, & huic vel alteri parti ſtudiis ſuis addictus amneſtiæ gratia & privilegiis frui poſſit, ſi velit. Et quid opus ſingulari articulo 5to qui paciſcentes tamen quam diutiſſime difficultatibus ſuis exercuit ſi natura & conditio amneſtiæ his litibus ſopiendis ſufficit. Mira profecto & faſcino non abſimilis res, quod hic ipſe §vus 13. quo paciſcentes cavere unice voluere, ne termini reſtitutionum ex amneſtia & gravaminum ex diverſis rationibus poſiti, atque inde etiam diverſi juris muniti effectibus, confunderentur, ac occaſio ex hoc ſerendis novis litibus captaretur, hanc ipſam occaſionem confuſiones vel errores ſuppeditaſſe incautis interpretibus, aut malitioſis ſophiſtis. Id quod tamen nulla opera vitare potuiſſent, ſi modo ordinem rerum inter tractatus pacis geſtarum paulo diligentius attendere placuiſſet; Nimirum in omni fere pace amneſtia ſancitur, eaque primum ubique propemodum caput eſt tranſactionis. Hoc etiam in pace Weſtphalica obſervatum, & reſtitutionis ex amneſtia terminus deſignatum tempus fuit dejectionis, ex occaſione belli factæ: Ut ſcilicet unusquiſque in eum ſtatum reſtitueretur in ſacris & profanis, quo ante deſtitutionem gaviſus eſt: Poſt hæc art. 3. & 4. conventa, ſupererat adhuc negotium longe gravius & difficilius de gravaminibus religionis, quæ magna ex parte bello tricennali cauſam dedere. Hic primario viſum Proteſtantibus ut in hoc etiam diſceptationis genere ad initia belli atque tempus, quo

prima mutatio rerum in Eccleſiaſticis accidit, reſpiceretur, omniaque eum in ſtatum reducerentur, quo ante motus civiles fuere; cujus rei gratia annus decimus octavus eſt propoſitus. Sed Catholici Statum religionis deinceps perpetuo manſuræ anno trigeſimo cupiebant definiri, quo bellum cum Svecis ceptum; tanquam turbæ ſuperiores rei non convenirent, quod pleraque auſpiciis Cæſaris veluti authoritate Magiſtratus geſta viderentur. Tandem poſt longas contentiones cum utraque pars ſex annos de ſuo condonaſſet, in annum 24tum, tanquam medium terminum conſenſum eſt: Sed cum hoc termino omnes lites finiri deberent, ut qui illo tempore poſſedit, ab omni actione & perſecutione cujusque liberetur: Quod ſecus erat in reſtitutione ex amneſtia, ubi cuique jura ſua & actiones integræ ſervantur. Idcirco cum primum de termino reſtitutionis à quo in gravaminibus injecta mentio eſt, cautum ſtatim voluere paciſcentes, ne is fraudi & præjudicio ſit reſtituendis ex capite amneſtiæ vel aliunde; Qua tamen cautione ſe non ſic voluere intelligi, ac ſi reſtituti ex capite amneſtiæ illis, qui ex capite gravaminum reſtituuntur, per omnia, quoad effectus juris exæquati ſint, omniaque cum his beneficia & privilegia conſequantur. Sed ne petenti reſtitutionem lege amneſtiæ in Sacris eum in Statum, quo ante deſtitutionem erat, objici poſſet annus vigeſimus quartus, reſtitutioni ex capite gravaminum pro termino poſitus. Hoc unum vult ille §vus 13. ne ſcilicet præjudicium creet. De cœtero quæ ſunt reſtitutionum ex uno alterove capite prærogativæ & jura præcipua, ea cuique propria manent, nec propterea reſtitutus ex capite amneſtiæ particeps ſit beneficiorum, quæ reſtitutis ex capite gravaminum debentur; nec vice verſa alter: Nam utriusque reſtitutionis ſunt quædam ſingularia & præcipua, quæ invicem non communicantur, niſi forte quis ex duplici capite reſtitutus fuerit, quod ei pro re nata non arbitror denegandum eſſe.

Advertit ad hæc animum meliori judicio Deckherrus, *Conſult. Forenſ. lib. 1. c. 38.* ubi non modo agnoſcit *diverſis prorſus rationibus jura Dominorum inter ſe contendentium, ſecundum §vum 43. & jura Dominorum in Subditos, ſecundum §vum 31. æſtimanda, & diverſis definitionibus ſolidanda eſſe d. l. n. 15.* quin n. 11. Domino, qui eo tempore publicum exercitium non habuit, vix privatum concedit. Verum etiam vidit incongruentem explicationem dicti §vi 13. qua vulgus interpretum utitur, quamvis ipſe etiam rei omni ex parte non ſatisfaciat: Putat enim ibi ſermonem eſſe ſaltem *de reſtitutione in ſecularibus, cui reſtitutio in Eccleſiaſticis, adeoque annus 24tus præjudicare non debeat.* Cum expreſſe nominetur reſtitutio ex capite amneſtiæ, quæ juxta art. 3. ſacra non minus quam ſecularia complectitur. Præſtat igitur procul dubio conciliatio modo à nobis tradita

quæ

Digitized by Google

§. 44. Sola criminalis juriſdictio, Cent-Gericht, ſolumque jus gladii a) & retentionis, b) patronatus, c) filialitatis d) ne-

quæ ex ipſa hiſtoria pacis fluit, menti paciſcentium conformis eſt, & apta nata omnibus difficultatibus ſuperandis.

Atque ex hoc patet, quam concuſſum à nobis, imo funditus everſum ſit, quod autor deductionis ſolidæ inconcuſſum manſurum ſibi perſuaſerat. Quod vero ad *res mere politicas, ſeculares & adiaphoras, attinet*, in eo negotio nos tantopere adverſantes non habebit; neque enim ad politica pertinet Conſtitutio de gravaminibus, niſi quatenus in illis intuitu Eccleſiaſticorum aliquid mutatum. Quod ſi tamen Comites Wertheimenſes Evangelici anno 24to Catholicos prohibuerint, ne Werthemii alios in cives, ſubditos aut officiales recipere liceat, quam qui ſuæ religionis ſunt: & id cauſa religionis unice factum fuerit, quod negarent, Dominis Catholicis poteſtatem eſſe Wertheimii in Civitate illis locum & manſionem dare, qui Pontificiis ſacris imbuti ſunt, eos utique ex hoc facto poſſeſſionis, uſu & obſervantia audiendos cenſeo, ſive reſtitutionem petant, ſeu in poſſeſſione juris ſe conſervari poſtulent; neque obſtant verba art. 5. §.35. ab autore allegata; Loquuntur enim hæc de conciyibus, actu talibus; Quos vero cives habere ob religionis diverſitatem non cogor; illi hac in lege nullum tolerantiæ ſuæ patrocinium inveniunt: Nam quos jubere poſſum, ut migrent, juxta §.36. eos ut recipiam nulla mihi neceſſitas imponi poteſt.

§. 44.

a) *Sola Criminalis juriſdictio, ſolumque jus gladii.*) *Sola*, inquit lex: Nam ſi conjuncta eſt cum jure territoriali, vel pars potius ejus, jus reformandi huic debetur, non juriſdictioni Criminali. De cætero rarum non eſt in Imperio noſtro, & multa etiam exempla hic à Buckiſch allegantur, ut unus in loco aliquo ſuperioritatem habeat, alter merum imperium, ſeu jus gladii. Illa non poteſt niſi Statibus competere; Hæc cuivis etiam privato.

b) *Retentionis*) Quia jus pignoris non tribuit jus reformandi, ſecundum ea, quæ ſupra §. 26 & 27. dicta ſunt, id ſane multo minus jus retentionis præſtabit, quod nudo facto inſiſtendi conſtat, donec mihi de eo, quod ſive ex re, ſive aliunde deberi mihi ajo, ſatisfactum fuerit. Huc refero etiam ſequeſtrationem, quamvis à ſummo Principe decretam factamque; De quibus in cauſis Comitum Hoënloicorum & Wertheimenſium vide ſupra art. 4. §vos 40. & 41.

c) *Patronatus.*) adde, jus protectionis, advocatiæ, & ſimilia, quatenus

neque conjunctim neque diviſim e) jus reformandi tribuunt. f) Quæ itaque hoc colore reformationes hucusque irrepſerunt, pactisve

nus à jure territorii abſtrahuntur. Sed hoc eo ſaltem caſu obtinet, cum inter Proteſtantes & Pontificios ſuper hac re controverſia eſt; Nam inter ipſos Evangelicos juris Patronatus adhuc rationem haberi, docemur ex art. 7. § 1. ibi. *Vel alicujus Eccleſiæ Patronatus.* qua de re ſuo loco

d) *Filialitatis.*) Jus filialitatis competit Eccleſiæ Matrici ſeu Cathedrali, & dicitur die Mutter oder Haupt-Kirche, cujus nota characteriſtica, ſi parochus in loco habitet, cum Eccleſia filialis appelletur, quæ ad aliam Eccleſiam pertinet, welche eingepfarret iſt, & ubi non habitat Parochus. Quod ſi igitur contigerit, ut Eccleſia filialis non modo alius ſit religionis à matrice, verum etiam, ut jus territorii in illam alii Statui, atque item alii, qui ab hoc diverſæ eſt religionis, in matricem Eccleſiam competat. Hic ob jus illud filialitatis jure reformandi contra Eccleſiam filialem uti nequit, cum penes eum hoc jus reformandi ſit, qui territorii eſt Dominus. Idem dixerim de jure Matricis Eccleſiæ, quod eo facilius procedit, quia in hanc filiali ex natura rei nulla ſuperioritas vel prærogativa tribui poteſt. Nec uſus Parochiæ vel contributio ad refectionem ædis ſacræ, aut ſimile quid conſiderari poteſt: Multo minus juris diœceſani vel jurisdictionis Eccleſiaſticæ ratio habetur, quæ utrinque per pacem eſt ſuſpenſa.

e) *Neque conjunctim neque diviſim.*) i. e. ſive quis hæc jura ſimul habeat, ſive unum ſaltem aut alterum eorum; neceſſaria viſa eſt hæc clauſula, ne quis forte objiciat, illa conjunctim æquipollere juri territoriali in negotio religionis, velut plura vincula, quæ ex communi ſententia fortius ligare creduntur.

f) *Jus reformandi tribuunt.*) Quia illud ſuperioritas territorialis ſibi ſoli vindicat.

g) *Quæ itaque hoc colore reformationes huc usque irrepſerunt, pactisve intruſæ ſunt*) Factum id fuit multis locis potentia & fervore Catholicorum, quibus arma Ferdinandi Cæſaris primis initiis ex voto felicia animos fecerant, accedente imprimis illo edicto ferali, quo inſigniter omnes abuſi ſunt pro ſuo compendio: Irrepunt autem reformationes cum ſenſim tentantur, periculo apud debiliores primum facto: factis vero intruduntur cum iis, quibus hæc moleſtia ſit, paciſci coguntur, ſe futuro tempore nihil contra ejusmodi reformationes moturos eſſe. Denique verbum *huc usque* tempus ſignificat, ſive ante bellum, ſeu in bello tale quid inceptum fuerit.

h) *Caſſantor.*) Hoc tamen ſalvo per omnia ſtatu anni 24ti intelligendum.

Digitized by Google

ctisve intruſa ſunt, g) caſſantor, h) gravati reſtituuntor, i) & in poſterum ab ejusmodi penitus abſtinetor. k)

§. 45. XV. Ratione redituum a) cujuscunque generis, b) §. 16. §. 21. Als
ad auch den Ständen.

dum. Nam ſi qui ſunt ſubditi, qui dicto anno exercitium ſuæ religionis publicum aliquo in loco habuerunt, templaque in hunc uſum aut alias res Eccleſiaſticas poſſederunt, in eo ſtatu ex formula pacis conſervandi ſunt, non inſpecto ullo titulo, neque cujus autoritate iſta fuerint conſecuti. Nam etiamſi ipſi ſubditi contra Dominum territorialem vi aut ope hoſtium in poſſeſſionem exercitii & templorum ſimiliumque rerum venerint, in eaque ſe anno vigeſimo quarto fuiſſe docere poſſint, relinquendi eo ſunt in ſtatu, nec Domino territorii, vel cuicunque alii, contra eos actio aut reſtitutio datur.

i) *Gravati reſtituuntor.*) Igitur gravatos eſſe oportet, qui reſtitui debent. Non habentur autem pro gravatis, cui tabulæ pacis Weſtphalicæ non aſſiſtunt, altero ſecundum ejusdem pacis formulam ex habita poſſeſſione ſe defendente. Si quis igitur ex hac noſtra lege reſtitutionem petit is probare debet, ſe gravatum colore reformationis fuiſſe, vel ante annum vigeſimum quartum vel poſt illum, cum dicto anno poſſeſſio apud alium fuerit; Nam ſi hoc tempore gravans etiam in poſſeſſione erat conſtitutus, caſſantur quidem reformationes, quæ hoc colore ſuſceptæ ſunt. Gravans autem à reſtitutione ex alio pacis capite ſit tutus; quod hic probe notandum. Neque enim crediderim, hoc modo gravatos idem beneficium legis conſequi, quod habent, qui antiqua pignora reluunt. Quo de caſu plane ſpeciali ſupra §vo 27. actum fuit.

k) *Et in poſterum ab ejusmodi penitus abſtinetor.*) In poſterum i. e. poſt pacem, ex qua contra id genus attentata ſemper paratum eſt auxilium. Utinam in ſummis tribunalibus illud non deſit, quoties contra Catholicos actio inſtituitur, aut reus ſe defendit ab horum perſecutione: tum enim triſtibus exemplis compertum habeamus, quantum valeat religionis favor contra ipſam juſtitiam, in cujus adminiſtratione ſumma proh dolor! eſt inæqualitas.

§. 45.

a) *Ratione redituum.*) Tertia pars principalis hujus noſtri art. 5. de compoſitione gravaminum incipit hoc §vo 45. agitque de reditibus ab utraque parte alteri ex ſuo debitis: Cujus negotii eo gravior eſt cauſa, quo utrinque fere major ratio pecuniarum habetur, quam animarum, quæ amiſſis bonis, ſibique relictæ jam Clero nihil valde proſunt, qui gratis accommodare operas ſuas &.

 præſti-

Digitized by Google

ad bona Eccleſiaſtica eorumque poſſeſſores pertinentium c) ante omnia obſervetur id, d) quod in Pace Religionis §. Dagegen ſollen die Stände der Augſp. Confeſſ. &c. Et §. Alsdann auch den Ständen der Alten Religion, &c. diſpoſitum invenitur. e)

§. 46.

præſtigias non eſt aſſuetus. Abſolvitur autem materia hæc tribus paragraphis; Primus agit de reditibus Catholicorum ab Auguſtanæ Confeſſionis Statibus debitis; Secundus: de reditibus Proteſtantium à Catholicis his debitis; Et tertius: De decimis & penſionibus olim certis fundationibus debitis, quæ fundationes jam deſtructæ vel collapſæ ſunt. Videtur autem quidem hic noſter paragraphus 45. de reditibus in genere agere, ſive Catholicis ex Proteſtantium territoriis debeantur, ſive Proteſtantibus ex terris Catholicorum. Sed allegati paragraphi religioſæ pacis pro cauſæ deciſione, tum vero ſequens paragraphus, quo Proteſtantium jura contra Catholicos ſeparatim deſignantur, firmanturque, faciunt, ut omnino cauſam Catholicorum hic ſpecialiter agi negare vix poſſimus; ut ut ipſa conſtitutio generalis ſit, neque ullius partis mentio fiat.

b) *Cujuscunque generis.*) Sive ſint cenſus, penſiones, canones, decimæ, ſeu quocunque alio nomine appellentur.

c) *Ad bona Eccleſiaſtica eorumque poſſeſſores pertinentium.*) Proprie loquendo omnia jura debentur hominibus, non locis: Quoniam tamen de quibusdam juribus ſic eſt comparatum, ut certis locis adſcripta & quaſi mancipata ſint, & quibus adeo nemo frui poteſt, niſi quis ipſa ſimul loca in poteſtate habeat & poſſideat; Idcirco jura etiam ad bona Eccleſiaſtica pertinere non abſurde dicitur.

d) *Ante omnia obſervetur id*) Hoc *ante omnia*, indicat, Conſtitutionem de reditibus hoc uno paragrapho 45. non abſolvi, ſed ſequentium etiam rationem eſſe habendam. Itaque ego hic *ante omnia*, ſic explicaverim: ac ſi additum fuiſſet, quod ad Catholicos attinet, quibus à Proteſtantibus reditus debentur: Ut ab his demum verbis *ante omnia* incipiat lex eorum gratia condita.

e) *Obſervetur id, quod in pace religionis diſpoſitum invenitur.*) Cum in pace religioſa nullius certi temporis aut termini mentio fiat, ex quo jura ſtatuum utriusque religionis in cauſis redituum definiuntur. Hoc vero loco, ubi de Catholicis proprie ſermo eſt, omnis hæc res ad diſpoſitionem pacis religioſæ ſimpliciter remittatur, inde dubium enatum, & in comitiis ſuperioribus, inter quatuor illa præcipua quarto loco propoſitum fuit, an proventus ex locis Evangelicæ ditionis Mo-

naſteriis

naſteriis Catholicorum olim debiti, ſed anno 1624. ad patrimonium principis territorii redacti, hoc anno ejusque uſu non obſtante Monaſteriis illis Pontificiis nihilominus in poſterum ſolvendi ſint? Vel an non potius ex poſſeſſione perceptionis dicto anno habita eos Princeps retinere ſibique habere poſſit? Quæſtio profecto anceps & dubia, ſi uſpiam alia. Nos tamen nihil ambigimus, quin poſterius & æquitati & menti paciſcentium maxime conſentaneum ſit. Æquitatem ipſa commendat pax Weſtphalica art. 5. §. 1. Quæ in reliquis omnibus exactam mutuamque inter ſtatus utriusque religionis omnes & ſingulos æqualitatem eſſe vult, *ita, ut quod uni parti juſtum eſt, alteri quoque ſit juſtum.* Igitur cum hoc noſtro paragrapho non modo diſtincte & explicate non tradatur, paciſcentes aliud & diverſum jus Catholicorum gratia circa reditus ſtatuiſſe, nobis merito religio eſſe debet, à regula generali deflectere, & patrocinium inæqualitatis ſuſcipere. Principio enim in univerſum vult lex, ut ratione redituum cujuscunque generis ante omnia id obſervetur, quod in pace religionis diſpoſitum. Hæc eſt generalis ſanctio, ad Proteſtantes non minus quam Catholicos pertinens. Quamvis vero allegati paragraphi de ſolis Catholicis ſeu Pontificiis agant, id tamen utique juxta terminum poſſeſſionis univerſalem, quem litibus dirimendis paciſcentes ubique poſuere, intelligendum eſt, cum nulla ratio dari poſſit, cur ille Proteſtantibus ſolum præſcriptus eſſe videatur, Catholici vero hic ab eo excepti ſint: Nam lex etiam ſequenti paragrapho, ubi de jure Proteſtantium agitur, pacis religionis mentione initio facit; Dum vero ſtatim ſubjungit, hæc jura ex pace religioſa debita ad formulam poſſeſſionis anno 24to Calendis Januarii habitæ exigenda judicandaque eſſe, eo ipſo indicat; Jura Catholicorum ex eodem tempore eſſe commenſuranda. Nam ſi tam inſignem inæqualitatem inter utrosque ſtabiliri viſum fuiſſet, id utique claris apertisque verbis oportuiſſet declarari, cum oppido ab initio art. 5. §. 3. univerſe poſitus ſit terminus à quo reſtitutionis in Eccleſiaſticis dies prima Januarii anni 1624. ſecundum quam reſtitutio omnium ſtatuum fieri debet, facta adductione ad ſtatum dicti anni dieique in omnibus. Accedit quod §vo 25. non monaſteria modo aliave bona Eccleſiaſtica, ſed & *eorum reditus juraque*, quocunque ea nomine appellata fuerint, quæ Auguſtanæ Confeſſionis ſtatus anno 1624. prima die Januarii poſſederunt, eadem *omnia* & ſingula porro jubentur poſſidere, non attentis exceptionibus quibuscunque, in ſpecie *ſive ante, ſive poſt pacem religioſam occupata*, aut *quod non de vel in Territorio Auguſtanæ Confeſſionis Statuum vel exempta, vel aliis Statibus jure Suffraganeatus, Diaconatus, aliave quavis ratione obligata fuiſſe dicuntur:* Ratio, quia ſemel placuit, ut *unicum ſolumque hujus transactionis,*

actionis, reſtitutionis obſervantiæque futuræ fundamentum ſit poſſeſſio die prima Januarii anno 1624. habita; ex qua poſſeſſione Proteſtantes *ab omni perſecutione juris & facti perpetuo tuti* redduntur, ediciturque, ne poſthac in juribus rebusque hac ratione ſibi quæſitis *ullo modo turbentur,* qui ſane locus non exiguam lucem huic noſtræ affundit legi, ſimulque nos de mente vel intentione paciſcentium pleniſſime docet: Quibus enim ſemel placuit, ut Calendæ Januarii anni 24. ſint terminus reſtitutionis à quo, & ut poſſeſſio dicto tempore habita ſit ſolum unicumque, fundamentum reſtitutionis obſervantiæque futuræ. Illi credi non posſunt uſpiam ab hac regula univerſali recedere voluiſſe, etiamſi ejusmodi quid non ubique expreſſis diſtinctisque verbis dixerint: id quod haud quaquam factum intelligitur, cum ſe nude & ſimpliciter ad pacem religioſam aliquando referunt, in qua, utpote ſeculo propemodum antiquiori pace Weſtphalica, per rerum naturam mentio hujus termini fieri non potuit; At illum ubique, quatenus nihil aliud obſtat, ſubintelligi neceſſario deberi ex eo patet, quia hæc transactio pro perpetua illius pacis declaratione habenda eſt. *art. 5. §. 1.* qua re nunc fit, ut quotiescunque ſanctione aliqua ex pace religioſa nitimur, ea nos alio pacto non juvet, quam ſi ſtatus & obſervantia dicti anni cum illa concordat, ad quem reductio in omnibus & per omnia fit. Neque ſane poſſibile eſt, ut hoc noſtro caſu res aliter exitum habere poſſit; Quos enim reditus ad bona Eccleſiaſtica pertinentes Catholici Evangelicorum in territoriis anno 1624. in poteſtate ſua non habuerunt, eos utique oportuit, à Proteſtantibus illo tempore poſſeſſos perceptosque eſſe. Enimvero his ſub illud tempus in poſſesſione conſtitutis continuo perit Pontificiis omne jus, cum non modo lex eosdem Proteſtantes in poſſesſione manere, & ab omni perſecutione juris & facti perpetuo tutos eſſe velit: Verum etiam unicum ſolumque obſervantiæ futuræ fundamentum ponat habitam poſſesſionem Calendis Januariis anno 1624. Nam ſi hic terminus unicum ſolumque fundamentum; profecto in pace Weſtphalica nullum quærendum erit, ab hoc diverſum; Cum hæc ſimul ſtare per rerum naturam non ſit posſibile. Hinc recte *Deckherrus Conſult. Forenſ lib. 1. cap. 12. n. 7.* judicat, *Articulum V. hac in re ſibi ipſi evidenter ſatisfacere, dum datis & conceſſis Auguſtanæ Confeſſioni addictis, poteſtate & juribus reditus ex alieno juxta poſſeſſionem ſæpe dictis Calendis habitam percipiendi hoc ipſo per neceſſariam conſequentiam à parte alterius amiſſionem & derelictionem ejus, quod Catholici illis Calendis non habebant præſupponit & involvit. & non iniquam æqualitatem ex natura correlatorum, acquiſitionis & amiſſionis, quorum inter duos litigantes nulla ſeparatio vel diverſa jura eſſe poſſunt, ſtabilivit.* In

eo ta-

§. 46. Illi vero reditus, a) cenſus, decimæ, penſiones, b) quæ

eo tamen præcipui quid Catholici habere videntur, quod probatio poſſeſſionis anno 24to habitæ Proteſtantibus ſemper incumbat, cum præſumptio juris pro illis ſit, quibus ante diſſidium religionis omnes bonorum Eccleſiaſticorum reditus debebantur, & quos adhuc creduntur poſſidere, quamdiu de eorum occupatione à Proteſtantibus facta, & habita Calendis Januariis poſſeſſione non conſtat; Id quod citra omnem inæqualitatem ex natura negotii fluit: Catholicis enim retentio juridica & præſumptio pro continuata ſuæ poſſeſſione prodeſt. Proteſtantibus occupatio & poſſeſſio, quæ meri facti docenda eſt. Cum igitur regulariter affirmanti incumbat probatio, Catholici vero in ejuſmodi caſibus ob juris præſumptionem negantium ſint loco, non ſane mirum, illis præ his deteriorem aliquando conditionem eſſe.

§. Dagegen ſollen die Stände der Augſpurgiſchen *Confeſſion*) Allegantur hic duo paragraphi, quibus præcipue de juribus Catholicorum ſtatuitur. Prior facit quidem mentionem redituum, penſionum & decimarum, Renth, Zinß und Zehenden: Sed diſtincte non definit, perinde eſſe, nihilque referre, ex ſuo hæc debeantur, an ex alieno. Alter vero etſi hoc diſertis verbis non magis dicat, paulo propius tamen tangere caſum videtur, quando Statibus diverſæ religionis reſervantur jura ſuperioritatis, & quævis alia, ab illis ante exortas religionis controverſias ejuſmodi in bonis poſſeſſa & exercita.

§. 46.

a) *Illi vero reditus.*) Particula adverſativa *vero*, indicare quidem videtur aliud hoc paragrapho & diverſum ſuperiori paciſcentibus placuiſſe: Sed tota ratio diverſitatis in eo conſiſtit, quod Catholici ab onere probationis de poſſeſſione liberi ſint; Proteſtantes vero eo graventur, ſive reditus & decimas ex bonis Eccleſiaſticis in alieno petant, ſive in ſuo. Neque enim vel per ſomnium paciſcentibus in mentem venit, Catholicos ſolvere termini decretorii lege, quoties in terris Proteſtantium id genus reditus, decimas & penſiones repetitum eunt. Ex adverſo autem Proteſtanres in iisdem caſibus hoc termino concludere; quæ manifeſta inæqualitas, ſi tum viſa fuiſſet ſcopo pacis neceſſaria, non dubium eſt, quin hanc legem contractui apertius dicturi fuerint. Non poſſum non laudare iterum candorem & ingenium Deckherri, qui *loco paulo ante citato n. 13.* inter noſtrum & ſuperiorem paragraphum hanc ſolam differentiam tradit, quod *lex in §vo 45. cauſam de-*

Digitized by Google

quæ vigore jam dictæ Pacis Religionis, c) Statibus Auguſtanæ Confeſſionis

cinorum liberam: in §vo ſequenti 46. *conditione probandæ poſſeſſionis gravatam pronunciet.* Quæ licet obſcurius paulo pro more ſuo ſcribat, ex iis tamen quæ ſupra ſunt dicta, hunc ſenſum facile habent, Catholicos repetentes reditus Eccleſiaſticos in Proteſtantium terris, nulla probatione opus habere, etſi ſint actores, ſed hoc onus in Proteſtantes reos devolvi, ſi quidem hi ſe exceptione poſſeſſionis tueri velint. Aliam Proteſtantium eſſe conditionem, quibus & actoribus & reis probandi neceſſitas ſit impoſita, cum Catholici, à quibus petitur, ſola negatione ſe defendere poſſint: Ut adeo hi, Catholici, ſive agant, ſive excipiant ab onere probandi immunes ſint; E contra vero Proteſtantes idem onus utroque ſtatu ſubire debeant. Qua in re prærogativa Catholicorum ſatis eximia eſt, etiamſi illam ulterius & usque in termini regulativi præjudicium extendere non placuerit.

b) *Reditus, cenſus, decimæ, penſiones.*) In pace religionis vocantur Renth, Zinß-Güld und Zehenden; Quatenus ſcilicet ad bona Eccleſiaſtica pertinent, cujuscunque etiam generis ſint; Id quod ex §vo præcedenti hic repetendum eſt.

c) *Quæ vigore jam dictæ pacis religionis.*) Conſtitutio in pace religioſa, quæ hic allegatur, ſedem ſuam principalem habet in paragrapho, dieweil aber &c. ubi hæc leguntur: Dieweiln aber etliche Stände und derſelben Vorfahren etliche Stifft, Klöſter und andere geiſtliche Güter eingezogen, und dieſelbige zu Kirchen, Schulen, milden und andern Sachen angewandt: So ſollen auch ſolche eingezogene Güter, welche denjenigen ſo dem Reich unmittelbahr unterworffen, und Reichs-Stände ſind, nicht zugehörig, und deren poſſeſſion die Geiſtlichen zu Zeit des Paſſauiſchen Vertrags, oder ſeithero nicht gehabet, in dieſen Friedſtand mit begriffen und eingezogen ſeyn, und bey der Verordnung, wie es jeder Stand mit obberührten eingezogenen und allbereits verwenderen Gütern gemacher, gelaſſen werden, und dieſelbe Stände derenthalben weder in noch auſſerhalb Rechtens zu Erhaltung eines beſtändigen ewigen Friedens nicht beſprochen noch angefochten werden. Derohalben befehlen und gebiethen wir hiermit und in Krafft dieſes Abſcheides, der Käyſerl. Majeſt. Cammer-Richtern und Beyſitzern, daß Sie dieſer angezogener und verwendeter Güter halben keine citation, mandat, und Proceſs erkennen, und decerniren ſollen. Quamquam negare nolim, huc etiam pertinere verba ultima paragraphi: Alſo auch den Ständen der

feſſionis d) ob immediatas, vel mediatas fundationes Eccleſiaſticas, e) ante

der alten religion verwand ꝛc. quæ huc etiam transſcribere viſum. Und ſollen dannoch von ſolchen obgenannten Gütern die nothdürfftige miniſteria der Kirchen, Pfarren, und Schulen, auch die Allmoſen, und Hoſpitalia, die ſie dermahls beſtellt, und zu beſtellen ſchuldig, von ſolchen obgemeldten Gütern, wie ſolche miniſteria der Kirchen und Schulen vormahls beſtellt, auch nachmahls beſtellt und verſehen werden: Ungeacht was religion die ſeyn: quilibet ni fallor, ex his duobus locis, me etiam non monente, intelliget, dubio admodum & ancipiti ſenſu hiſce de rebus in pace Weſtphalica eſſe conventum, ac ſæpe, quod una manu datur, altera tolli iterum videri. Id quod proculdubio variis monitis, captioſisque loquendi formulis debemus; quibus dum utraque pars proſpectum ſibi omni modo meliori concupivit, opus fuit, ut medio aliquo convenirent: Unde mirum nemini eſſe debet, mox ſuper ipſa hac pace lites & jurgia inter utriusque religionis proceres ſuccreviſſe, dum ex verbis dubiis quilibet ſenſum ſibi commodum efformare laboravit, accedentibus præſertim Jureconſultis Rabulis, qui nullo pudoris aut conſcientiæ reſpectu ſcriptis fallacibus atque reſponſis in gratiam Conſulentium compoſitis garrulitate & nugamentis ſuis omnia turbant, & certa etiam atque plana coloribus larvisque ſpecioſis adulterare tantopere, atque dehoneſtare norunt, ut incerta protinus & controverſa incautis videantur, id quod noſtra etiam memoria Weſtphalicæ paci accidit, quam paciſcentium ſollicitudo & in loquendo perſpicuitas & accuratio quantum modo fieri potuit, à calumniis & ludibrio malorum Interpretum indemnem præſtare haſtenus nequivit. Juſtam eſſe hanc querelam tot exempla in ſuperioribus allata nos docent: Et ſequentia magis etiam confirmabunt.

d) *Statibus Auguſtanæ Confeſſionis.*) De his igitur, non etiam Catholicis hoc loco agitur. Status autem eſſe oportet, non ſubditos; Hic enim ex alia formula in cauſa redituum agunt.

e) *Ob immediatas, vel mediatas fundationes Eccleſiaſticas.*) i. e. intuitu harum fundationum, quibus ante occupationem id genus reditus debebantur: Non vero Statibus. Nihil vero refert, immediatæ ſint an mediatæ illæ fundationes, modo à Proteſtantibus Statibus fuerint occupatæ & acquiſitæ. Qua in re horum conditio melior conditione Catholicorum, quos occupatio fundationum Eccleſiaſticarum non juvat, etiamſi in terris Proteſtantium fuerint factæ, quoniam religione tenentur, quominus ex ejusmodi bonis compendium ſuum

vero uni ex Dominis territorialibus res ſit cum ſubditis diverſæ religionis: tum vero ſatis erit de poſſeſſione ſubditorum qualibet anni parte habita doceri, ſecundum ea, quæ ſupra tradita ſunt §vo 31. Denique dubium, quod ſibi ex art. 5. §. 13. movet autor manualis, id tale eſt, ut appareat, ipſum hunc §vum debito modo non inſpexiſſe, nec omnino ſcopum ejus aſſecutum eſſe. Prout enim in ſuperioribus eſt explicatum, differunt toto cœlo reſtitutio ex capite amneſtiæ, & altera ex capite gravaminum. Neque id diverſis ſaltem terminis à quo; Sed & imprimis diverſitate juris ex hac vel illa reſtitutione reſultantis. Ita, exempli gratia etſi Dominus ex capite amneſtiæ quoad ſacra in integrum reſtitutus ſit, hac reſtitutione tamen ita non fit ſecurus, ut ab omni metu perſecutionis liberetur, ſi alter contra illum ex alio capite velit agere: Interea nihilominus commodum eſt, ejusmodi reſtitutione in antiquam poſſeſſionem venire, quamvis hæc non aliter impetretur, quam ſalvo de cætero cujusque jure. At qui ex capite gravaminum reſtituuntur, jus firmum & irrevocabile per id ipſum acquirunt, ut nulla deinceps actione utcunque alias fundata inquietari poſſint. Quia autem non modo quoad diverſos juris effectus multum refert, utra reſtitutione niti & agere poſſis. Verum etiam termini reſtitutionem à quo diverſi ſunt, aliis reſtitutioni ex capite amneſtiæ poſitis, aliis ex capite gravaminum; ideoque dicto §. 13. cavetur quidem, ne terminus anni 24ti, quo ex capite gravaminum cauſæ religionis judicantur, præjudicio ſit iis, qui ex amneſtia vel aliunde poſt pacem reſtitui cupiunt. Enimvero ex eo non ſequitur, horum poſteriorum reſtitutionem per omnia gaudere privilegiis & beneficiis juris, quæ illos manent, qui poſſeſſione anni vigeſimi quarti nituntur, & ex capite gravaminum agunt, quorum conditio multis modis melior eſt. Hic eſt verus hujus paragraphi ſenſus, quem dum hactenus plerique male intellexerunt, occaſio ad confuſiones & errores haud vulgares per id data eſt, cujus ſpecimen etiam hoc loco in Manuali Schützii videmus: Nimirum ille ſuſpicatur, anſam dubii ſive ulterioris deliberationis dare hunc textum, art. 5. §. 13. *Terminus autem &c.* Sed ſuſpicatur tantum. Quod ſi nobis etiam ſuſpicandi jus eſt, moto dubio, ubi ſane nullum fuit, crediderim hoc actum à Catholicis, ut interea Comites, quorum facta aperte tueri auſi non ſunt, in poſſeſſione relinquerentur, donec de lite decideretur, quod deinceps nunquam fore facile prævidere poterant; Quæſo autem, quale hoc eſt dubium? Nihil ſane poterat à verbis legis & mente paciſcentium alienius moveri. Nam hoc pacto dubitare viſi ſunt Catholici, num in re communi quoad exercitium religionis publicum, aliasque res religionem concernentes Status anni vigeſimi quarti manere debeat, quam paciſcentes lege prorſus clara & perſpicua manere voluerunt. Unde Brückneri ad hunc Schüzii locum juſta eſt querela, *ſi hic modus*

Digitized by Google

modus (ſcilicet interpretandi tabulas pacis) *procedit, Status Romano-Catholicos compendioſa via omnia in Inſtrumento pacis in favorem ſubditorum, Auguſtanæ Confeſſioni addictorum, ſatis clare poſita dubia reddere, & interim usque ad deciſionem ulteriorem, quam tergiverſationibus protrahere in infinitum facile itidem poſſunt, interpretationem pro ſe & in odium miſerorum ſubditorum facere poſſe.*

Neque mutanda lex noſtra aut limitanda, eo caſu, quando unus Dominorum ex belli occaſione, vel alia de cauſa toto anno 24to abſens fuit, & deinde pace facta ex capite amneſtiæ in communionem territorii redit. Nam ſi alter dicto anno in poſſeſſione exercitii publici ſuæ religionis ab exercitio prioris diverſæ, ſolus manſit, eundem etiam ſtatum ſemper manere oportet. Nam ejus reſtitutio ex beneficio amneſtiæ, etiamſi in ſacris fiat, reſtitutioni alteri, quæ ex capite gravaminum alia plane formula actionis petitur, aliosque longe affectus juris habet, præjudicium creare non poteſt. Ut ſane hic inſigniter hallucinatus ſit Bruknerus, qui caſum hunc ſingularem & exceptionem à regula ſibi fingit, cujus deciſio ab art. 5. §. 13. ſit arceſſenda, ubi hanc exceptionem putat haberi; *Niſi condominus unus ex capite amneſtiæ aut aliunde reſtituendus veniat.* Revera enim, quod hic modo una manu datur, eripitur altera, cum fere toto imperio nemo fuerit Statuum, qui non bello civili implicitus, & huic vel alteri parti ſtudiis ſuis addictus amneſtiæ gratia & privilegiis frui poſſit, ſi velit. Et quid opus ſingulari articulo 5to qui paciſcentes tamen quam diutiſſime difficultatibus ſuis exercuit ſi natura & conditio amneſtiæ his litibus ſopiendis ſufficit. Mira profecto & faſcino non abſimilis res, quod hic ipſe §vus 13. quo paciſcentes cavere unice voluere, ne termini reſtitutionum ex amneſtiæ & gravaminum ex diverſis rationibus poſiti, atque inde etiam diverſi juris [muni]i effectibus, confunderentur, ac occaſio ex hoc ferendis novis litibus captaretur, hanc ipſam occaſionem confuſiones vel errores ſuppeditaſſe incautis interpretibus, aut malitioſis ſophiſtis. Id quod tamen nulla opera vitare potuiſſent, ſi modo ordinem rerum inter tractatus pacis geſtarum paulo diligentius attendere placuiſſet; Nimirum in omni fere pace amneſtia ſancitur, eaque primum ubique propemodum caput eſt transactionis. Hoc etiam in pace Weſtphalica obſervatum, & reſtitutionis ex amneſtia terminus deſignatum tempus fuit dejectionis, ex occaſione belli factæ: Ut ſcilicet unusquisque in eum ſtatum reſtitueretur in ſacris & profanis, quo ante deſtitutionem gaviſus eſt: Poſt hæc art. 3. & 4. conventa, ſupererat adhuc negotium longe gravius & difficilius de gravaminibus religionis, quæ magna ex parte bello tricennali cauſam dedere. Hic primario viſum Proteſtantibus ut in hoc etiam diſceptationis genere ad initia belli atque tempus, quo

prima mutatio rerum in Eccleſiaſticis accidit, reſpiceretur, omniaque eum in ſtatum reducerentur, quo ante motus civiles fuere; cujus rei gratia annus decimus octavus eſt propoſitus. Sed Catholici Statum religionis deinceps perpetuo manſuræ anno trigeſimo cupiebant definiri, quo bellum cum Svecis ceptum; tanquam turbæ ſuperiores rei non convenirent, quod pleraque auſpiciis Cæſaris veluti authoritate Magiſtratus geſta viderentur. Tandem poſt longas contentiones cum utraque pars ſex annos de ſuo condonaſſet, in annum 24tum, tanquam medium terminum conſenſum eſt: Sed cum hoc termino omnes lites finiri deberent, ut qui illo tempore poſſedit, ab omni actione & perſecutione cujusque liberetur: Quod ſecus erat in reſtitutione ex amneſtia, ubi cuique jura ſua & actiones integræ ſervantur. Idcirco cum primum de termino reſtitutionis à quo in gravaminibus injecta mentio eſt, cautum ſtatim voluere paciſcentes, ne is fraudi & præjudicio ſit reſtituendis ex capite amneſtiæ vel aliunde; Qua tamen cautione ſe non ſic voluere intelligi, ac ſi reſtituti ex capite amneſtiæ illis, qui ex capite gravaminum reſtituuntur, per omnia, quoad effectus juris exæquati ſint, omniaque cum his beneficia & privilegia conſequantur. Sed ne petenti reſtitutionem lege amneſtiæ in Sacris eum in Statum, quo ante deſtitutionem erat, objici poſſet annus vigeſimus quartus, reſtitutioni ex capite gravaminum pro termino poſitus. Hoc unum vult ille §vus 13. ne ſcilicet præjudicium creet. De cætero quæ ſunt reſtitutionum ex uno alterove capite prærogativæ & jura præcipua, ea cuique propria manent, nec propterea reſtitutus ex capite amneſtiæ particeps ſit beneficiorum, quæ reſtitutis ex capite gravaminum debentur; nec vice verſa alter: Nam utriusque reſtitutionis ſunt quædam ſingularia & præcipua, quæ invicem non communicantur, niſi forte quis ex duplici capite reſtitutus fuerit, quod ei pro re nata non arbitror denegandum eſſe.

Advertit ad hæc animum meliori judicio Deckherrus, *Conſult. Forenſ. lib. 1. c. 38.* ubi non modo agnoſcit *diverſis prorſus rationibus jura Dominorum inter ſe contendentium, ſecundum §vum 43. & jura Dominorum in Subditos, ſecundum §vum 31. æſtimanda, & diverſis definitionibus ſolidanda eſſe d. l. n. 15* quin n. 11. Domino, qui eo tempore publicum exercitium non habuit, vix privatum concedit. Verum etiam vidit incongruentem explicationem dicti §vi 13. qua vulgus interpretum utitur, quamvis ipſe etiam rei omni ex parte non ſatisfaciat: Putat enim ibi ſermonem eſſe ſaltem *de reſtitutione in ſecularibus, cui reſtitutio in Eccleſiaſticis, adeoque annus 24tus præjudicare non debeat.* Cum expreſſe nominetur reſtitutio ex capite amneſtiæ, quæ juxta art. 3. ſacra non minus quam ſecularia complectitur. Præſtat igitur procul dubio conciliatio modo à nobis tradita

quæ

Digitized by Google

§. 44. Sola criminalis jurisdictio, Cent-Gericht, ſolumque jus gladii a) & retentionis, b) patronatus, c) filialitatis d) ne-

quæ ex ipſa hiſtoria pacis fluit, menti paciſcentium conformis eſt, & apta nata omnibus difficultatibus ſuperandis.

Atque ex hoc patet, quam concuſſum à nobis, imo funditus everſum ſit, quod autor deductionis ſolidæ inconcuſſum manſurum ſibi perſuaſerat. Quod vero ad *res mere politicas, ſeculares & adiaphoras, attinet*, in eo negotio nos tantopere adverſantes non habebit; neque enim ad politica pertinet Conſtitutio de gravaminibus, niſi quatenus in illis intuitu Eccleſiaſticorum aliquid mutatum. Quod ſi tamen Comites Wertheimenſes Evangelici anno 24to Catholicos prohibuerint, ne Werthemii alios in cives, ſubditos aut officiales recipere liceat, quam qui ſuæ religionis ſunt: & id cauſa religionis unice factum fuerit, quod negarent, Dominis Catholicis poteſtatem eſſe Wertheimii in Civitate illis locum & manſionem dare, qui Pontificiis ſacris imbuti ſunt, eos utique ex hoc facto poſſeſſionis, uſu & obſervantia audiendos cenſeo, ſive reſtitutionem petant, ſeu in poſſeſſione juris ſe conſervari poſtulent; neque obſtant verba art. 5. §.35. ab autore allegata; Loquuntur enim hæc de conciyibus, actu talibus; Quos vero cives habere ob religionis diverſitatem non cogor; illi hac in lege nullum tolerantiæ ſuæ patrocinium inveniunt: Nam quos jubere poſſum, ut migrent, juxta §.36. eos ut recipiam nulla mihi neceſſitas imponi poteſt.

§. 44.

a) *Sola Criminalis jurisdictio, ſolumque jus gladii.*) *Sola*, inquit lex: Nam ſi conjuncta eſt cum jure territoriali, vel pars potius ejus, jus reformandi huic debetur, non jurisdictioni Criminali. De cœtero rarum non eſt in Imperio noſtro, & multa etiam exempla hic à Buckiſch allegantur, ut unus in loco aliquo ſuperioritatem habeat, alter merum imperium, ſeu jus gladii. Illa non poteſt niſi Statibus competere; Hæc cuivis etiam privato.

b) *Retentionis*) Quia jus pignoris non tribuit jus reformandi, ſecundum ea, quæ ſupra §. 26 & 27. dicta ſunt, id ſane multo minus jus retentionis præſtabit, quod nudo facto inſiſtendi conſtat, donec mihi de eo, quod ſive ex re, ſive aliunde deberi mihi ajo, ſatisfactum fuerit. Huc refero etiam ſequeſtrationem, quamvis à ſummo Principe decretam factamque; De quibus in cauſis Comitum Hoënloicorum & Wertheimenſium vide ſupra art. 4. §vos 40. & 41.

c) *Patronatus.*) adde, jus protectionis, advocatiæ, & ſimilia, quatenus

Digitized by Google

neque conjunctim neque diviſim e) jus reformandi tribuunt. f) Quæ itaque hoc colore reformationes hucusque irrepſerunt, pactisve

nus à jure territorii abſtrahuntur. Sed hoc eo ſaltem caſu obtinet, cum inter Proteſtantes & Pontificios ſuper hac re controverſia eſt; Nam inter ipſos Evangelicos juris Patronatus adhuc rationem haberi, docemur ex art. 7. § 1. ibi. *Vel alicujus Eccleſiæ Patronatus*, qua de re ſuo loco

d) *Filialitatis.*) Jus filialitatis competit Eccleſiæ Matrici ſeu Cathedrali, & dicitur die Mutter oder Haupt-Kirche, cujus nota characteriſtica, ſi parochus in loco habitet, cum Eccleſia filialis appelletur, quæ ad aliam Eccleſiam pertinet, welche eingepfarret iſt, & ubi non habitat Parochus. Quod ſi igitur contigerit, ut Eccleſia filialis non modo alius ſit religionis à matrice, verum etiam, ut jus territorii in illam alii Statui, atque item alii, qui ab hoc diverſæ eſt religionis, in matricem Eccleſiam competat. Hic ob jus illud filialitatis jure reformandi contra Eccleſiam filialem uti nequit, cum penes eum hoc jus reformandi ſit, qui territorii eſt Dominus. Idem dixerim de jure Matricis Eccleſiæ, quod eo facilius procedit, quia in hanc filiali ex natura rei nulla ſuperioritas vel prærogativa tribui poteſt. Nec uſus Parochiæ vel contributio ad refectionem ædis ſacræ, aut ſimile quid conſiderari poteſt: Multo minus juris diœceſani vel jurisdictionis Eccleſiaſticæ ratio habetur, quæ utrinque per pacem eſt ſuſpenſa.

e) *Neque conjunctim neque diviſim.*) i. e. ſive quis hæc jura ſimul habeat, ſive unum ſaltem aut alterum eorum; neceſſaria viſa eſt hæc clauſula, ne quis forte objiciat, iſta conjunctim æquipollere juri territoriali in negotio religionis, velut plura vincula, quæ ex communi ſententia fortius ligare creduntur.

f) *Jus reformandi tribuunt.*) Quia illud ſuperioritas territorialis ſibi ſoli vindicat.

g) *Quæ itaque hoc colore reformationes huc usque irrepſerunt, pactisve inruſæ ſunt*) Factum id fuit multis locis potentia & fervore Catholicorum, quibus arma Ferdinandi Cæſaris primis initiis ex voto felicia animos fecerant, accedente imprimis illo edicto ferali, quo inſigniter omnes abuſi ſunt pro ſuo compendio: Irrepunt autem reformationes cum ſenſim tentantur, periculo apud debiliores primum facto: factis vero intruduntur cum iis, quibus hæc moleſtia ſit, paciſci coguntur, ſe futuro tempore nihil contra ejusmodi reformationes moturos eſſe. Denique verbum *huc usque* tempus ſignificat, ſive ante bellum, ſeu in bello tale quid inceptum fuerit.

h) *Caſſantor.*) Hoc tamen ſalvo per omnia ſtatu anni 24ti intelligendum.

Digitized by Google

ctisve intruſa ſunt, g) caſſantor, h) gravati reſtituuntor, i) & in poſterum ab ejusmodi penitus abſtinetor. k)

§. 45. XV. Ratione redituum a) cujuscunque generis, b) ad J. 15. §. 21. Als auch den Ständen.

dum. Nam ſi qui ſunt ſubditi, qui dicto anno exercitium ſuæ religionis publicum aliquo in loco habuerunt, templaque in hunc uſum aut alias res Eccleſiaſticas poſſederunt, in eo ſtatu ex formula pacis conſervandi ſunt, non inſpecto ullo titulo, neque cujus autoritate iſta fuerint conſecuti. Nam etiamſi ipſi ſubditi contra Dominum territorialem vi aut ope hoſtium in poſſeſſionem exercitii & templorum ſimiliumque rerum venerint, in eaque ſe anno vigeſimo quarto fuiſſe docere poſſint, relinquendi eo ſunt in ſtatu, nec Domino territorii, vel cuicunque alii, contra eos actio aut reſtitutio datur.

i) *Gravati reſtituuntor.*) Igitur gravatos eſſe oportet, qui reſtitui debent. Non habentur autem pro gravatis, cui tabulæ pacis Weſtphalicæ non aſſiſtunt, altero ſecundum ejusdem pacis formulam ex habita poſſeſſione ſe defendente. Si quis igitur ex hac noſtra lege reſtitutionem petit is probare debet, ſe gravatum colore reformationis fuiſſe, vel ante annum vigeſimum quartum vel poſt illum, cum dicto anno poſſeſſio apud alium fuerit; Nam ſi hoc tempore gravans etiam in poſſeſſione erat conſtitutus, caſſantur quidem reformationes, quæ hoc colore ſuſceptæ ſunt. Gravans autem à reſtitutione ex alio pacis capite ſit tutus; quod hic probe notandum. Neque enim crediderim, hoc modo gravatos idem beneficium legis conſequi, quod habent, qui antiqua pignora reluunt. Quo de caſu plane ſpeciali ſupra §vo 27. actum fuit.

k) *Et in poſterum ab ejusmodi penitus abſtinetor.*) In poſterum i. e. poſt pacem, ex qua contra id genus attentata ſemper paratum eſt auxilium. Utinam in ſummis tribunalibus illud non deſit, quoties contra Catholicos actio inſtituitur, aut reus ſe defendit ab horum perſecutione: tum enim triſtibus exemplis compertum habeamus, quantum valeat religionis favor contra ipſam juſtitiam, in cujus adminiſtratione ſumma proh dolor! eſt inæqualitas.

§. 45.

a) *Ratione redituum.*) Tertia pars principalis hujus noſtri art. 5. de compoſitione gravaminum incipit hoc §vo 45. agitque de reditibus ab utraque parte alteri ex ſuo debitis: Cujus negotii eo gravior eſt cauſa, quo utrinque fere major ratio pecuniarum habetur, quam animarum, quæ amiſſis bonis, ſibique relictæ jam Clero nihil valde proſunt, qui gratis accommodare operas ſuas &

 præſti-

ad bona Eccleſiaſtica eorumque poſſeſſores pertinentium c) ante omnia obſervetur id, d) quod in Pace Religionis §. Dagegen ſollen die Stände der Augſp. Confeſſ. &c. Et §. Alsdann auch den Ständen der Alten Religion, &c. diſpoſitum invenitur. e)

§. 46.

præſtigias non eſt aſſuetus. Abſolvitur autem materia hæc tribus paragraphis; Primus agit de reditibus Catholicorum ab Auguſtanæ Confeſſionis Statibus debitis; Secundus: de reditibus Proteſtantium à Catholicis his debitis; Et tertius: De decimis & penſionibus olim certis fundationibus debitis, quæ fundationes jam deſtructæ vel collapſæ ſunt. Videtur autem quidem hic noſter paragraphus 45. de reditibus in genere agere, ſive Catholicis ex Proteſtantium territoriis debeantur, ſive Proteſtantibus ex terris Catholicorum. Sed allegati paragraphi religioſæ pacis pro cauſæ deciſione, tum vero ſequens paragraphus, quo Proteſtantium jura contra Catholicos ſeparatim deſignantur, firmanturque, faciunt, ut omnino cauſam Catholicorum hic ſpecialiter agi negare vix poſſimus; ut ut ipſa conſtitutio generalis ſit, neque ullius partis mentio fiat.

b) *Cujuscunque generis.*) Sive ſint cenſus, penſiones, canones, decimæ, ſeu quocunque alio nomine appellentur.

c) *Ad bona Eccleſiaſtica eorumque poſſeſſores pertinentium.*) Proprie loquendo omnia jura debentur hominibus, non locis: Quoniam tamen de quibusdam juribus ſic eſt comparatum, ut certis locis adſcripta & quaſi mancipata ſint, & quibus adeo nemo frui poteſt, niſi quis ipſa ſimul loca in poteſtate habeat & poſſideat; Idcirco jura etiam ad bona Eccleſiaſtica pertinere non abſurde dicitur.

d) *Ante omnia obſervetur id*) Hoc *ante omnia*, indicat, Conſtitutionem de reditibus hoc uno paragrapho 45. non abſolvi, ſed ſequentium etiam rationem eſſe habendam. Itaque ego hic *ante omnia*, ſic explicaverim; ac ſi additum fuiſſet, quod ad Catholicos attinet, quibus à Proteſtantibus reditus debentur: Ut ab his demum verbis *ante omnia* incipiat lex eorum gratia condita.

e) *Obſervetur id, quod in pace religionis diſpoſitum invenitur.*) Cum in pace religioſa nullius certi temporis aut termini mentio fiat, ex quo jura ſtatuum utriusque religionis in cauſis redituum definiuntur. Hoc vero loco, ubi de Catholicis proprie ſermo eſt, omnis hæc res ad diſpoſitionem pacis religioſæ ſimpliciter remittatur, inde dubium enatum, & in comitiis ſuperioribus, inter quatuor illa præcipua quarto loco propoſitum fuit, an proventus ex locis Evangelicæ ditionis Monaſteriis

naſteriis Catholicorum olim debiti, ſed anno 1624. ad patrimonium principis territorii redacti, hoc anno ejusque uſu non obſtante Monaſteriis illis Pontificiis nihilominus in poſterum ſolvendi ſint? Vel an non potius ex poſſeſſione perceptionis dicto anno habita eos Princeps retinere ſibique habere poſſit? Quæſtio profecto anceps & dubia, ſi uſpiam alia. Nos tamen nihil ambigimus, quin poſterius & æquitati & menti paciſcentium maxime conſentaneum ſit. Æquitatem ipſa commendat pax Weſtphalica art. 5. § 1. Quæ in reliquis omnibus exactam mutuamque inter ſtatus utriusque religionis omnes & ſingulos æqualitatem eſſe vult, *ita, ut quod uni parti juſtum eſt, alteri quoque ſit juſtum.* Igitur cum hoc noſtro paragrapho non modo diſtincte & explicate non tradatur, paciſcentes aliud & diverſum jus Catholicorum gratia circa reditus ſtatuiſſe, nobis merito religio eſſe debet, à regula generali deflectere, & patrocinium inæqualitatis ſuſcipere. Principio enim in univerſum vult lex, ut ratione redituum cujuscunque generis ante omnia id obſervetur, quod in pace religionis diſpoſitum Hæc eſt generalis ſanctio, ad Proteſtantes non minus quam Catholicos pertinens. Quamvis vero allegati paragraphi de ſolis Catholicis ſeu Pontificiis agant, id tamen utique juxta terminum poſſeſſionis univerſalem, quem litibus dirimendis paciſcentes ubique poſuere, intelligendum eſt, cum nulla ratio dari poſſit, cur ille Proteſtantibus ſolum præſcriptus eſſe videatur, Catholici vero hic ab eo excepti ſint: Nam lex etiam ſequenti paragrapho, ubi de jure Proteſtantium agitur, pacis religionis mentione initio facit; Dum vero ſtatim ſubjungit, hæc jura ex pace religioſa debita ad formulam poſſeſſionis anno 24to Calendis Januarii habitæ exigenda judicandaque eſſe, eo ipſo indicat; Jura Catholicorum ex eodem tempore eſſe commenſuranda. Nam ſi tam inſignem inæqualitatem inter utrosque ſtabiliri viſum fuiſſet, id utique claris apertisque verbis oportuiſſet declarari, cum oppido ab initio art. 5. §. 3. univerſe poſitus ſit terminus à quo reſtitutionis in Eccleſiaſticis dies prima Januarii anni 1624. ſecundum quam reſtitutio omnium ſtatuum fieri debet, facta adductione ad ſtatum dicti anni dieique in omnibus. Accedit quod §vo 25. non monaſteria modo aliave bona Eccleſiaſtica, ſed & *eorum reditus juraque*, quocunque ea nomine appellata fuerint, quæ Auguſtanæ Confeſſionis ſtatus anno 1624. prima die Januarii poſſederunt, eadem *omnia* & ſingula porro jubentur poſſidere, non attentis exceptionibus quibuscunque, in ſpecie *ſive ante, ſive poſt pacem religioſam occupata*, aut *quod non de vel in Territorio Auguſtanæ Confeſſionis Statuum vel exempta, vel aliis Statibus jure Suffraganeatus, Diaconatus, aliave quavis ratione obligata fuiſſe dicuntur:* Ratio, quia ſemel placuit, ut *unicum ſolumque hujus transactionis,*

Digitized by Google

actionis, reſtitutionis obſervantiæque futuræ fundamentum ſit poſſeſſio die prima Januarii anno 1624. habita; ex qua poſſeſſione Proteſtantes *ab omni perſecutione juris & facti perpetuo tuti* redduntur, ediciturque, ne poſthac in juribus rebusque hac ratione ſibi quæſitis *ullo modo turbentur*, qui ſane locus non exiguam lucem huic noſtræ affundit legi, ſimulque nos de mente vel intentione paciſcentium pleniſſime docet: Quibus enim ſemel placuit, ut Calendæ Januarii anni 24. ſint terminus reſtitutionis à quo, & ut poſſeſſio dicto tempore habita ſit ſolum unicumque, fundamentum reſtitutionis obſervantiæque futuræ. Illi credi non posſunt uſpiam ab hac regula univerſali recedere voluiſſe, etiamſi ejusmodi quid non ubique expreſſis diſtinctisque verbis dixerint: id quod haud quaquam factum intelligitur, cum ſe nude & ſimpliciter ad pacem religioſam aliquando referunt, in qua, utpote ſeculo propemodum antiquiori pace Weſtphalica, per rerum naturam mentio hujus termini fieri non potuit; At illum ubique, quatenus nihil aliud obſtat, ſubintelligi neceſſario deberi ex eo patet, quia hæc transactio pro perpetua illius pacis declaratione habenda eſt, *art. 5. §. 1.* qua re nunc fit, ut quotiescunque ſanctione aliqua ex pace religioſa nitimur, ea nos alio pacto non juvet, quam ſi ſtatus & obſervantia dicti anni cum illa concordat, ad quem reductio in omnibus & per omnia fit. Neque ſane poſſibile eſt, ut hoc noſtro caſu res aliter exitum habere poſſit; Quos enim reditus ad bona Eccleſiaſtica pertinentes Catholici Evangelicorum in territoriis anno 1624. in poteſtate ſua non habuerunt, eos utique oportuit, à Proteſtantibus illo tempore poſſeſſos perceptosque eſſe. Enimvero his ſub illud tempus in poſſesſione conſtitutis continuo perit Pontificiis omne jus, cum non modo lex eosdem Proteſtantes in poſſesſione manere, & ab omni perſecutione juris & facti perpetuo tutos eſſe velit: Verum etiam unicum ſolumque obſervantiæ futuræ fundamentum ponat habitam poſſesſionem Calendis Januariis anno 1624. Nam ſi hic terminus unicum ſolumque fundamentum; profecto in pace Weſtphalica nullum quærendum erit, ab hoc diverſum; Cum hæc ſimul ſtare per rerum naturam non ſit posſibile. Hinc recte *Deckherrus Conſult. Forenſ. lib. 1. cap. 12. n. 7.* judicat, *Articulum V. hac in re ſibi ipſi evidenter ſatisfacere, dum datis & conceſſis Auguſtanæ Confeſſioni addictis, poteſtate & juribus reditus ex alieno juxta poſſeſſionem ſæpe dictis Calendis habitam percipiendi hoc ipſo per neceſſariam conſequentiam à parte alterius amiſſionem & derelictionem ejus, quod Catholici illis Calendis non habebant præſupponit & involvit. & non iniquam æqualitatem ex natura correlatorum, acquiſitionis & amiſſionis, quorum inter duos litigantes nulla ſeparatio vel diverſa jura eſſe poſſunt, ſtabilivit.* In

eo ta-

Digitized by Google

§. 46. Illi vero reditus, a) cenſus, decimæ, penſiones, b) quæ

eo tamen præcipui quid Catholici habere videntur, quod probatio poſſeſſionis anno 1410 habitæ Proteſtantibus ſemper incumbat, cum præſumptio juris pro illis ſit, quibus ante diſſidium religionis omnes bonorum Eccleſiaſticorum reditus debebantur, & quos adhuc creduntur poſſidere, quamdiu de eorum occupatione à Proteſtantibus facta, & habita Calendis Januariis poſſeſſione non conſtat; Id quod citra omnem inæqualitatem ex natura negotii fluit: Catholicis enim retentio juridica & præſumptio pro continuata ſuæ poſſeſſione prodeſt. Proteſtantibus occupatio & poſſeſſio, quæ meri facti, docenda eſt. Cum igitur regulariter affirmanti incumbat probatio, Catholici vero in ejusmodi caſibus ob juris præſumptionem negantium ſint loco, non ſane mirum, illis præ his deteriorem aliquando conditionem eſſe.

§. Dagegen ſollen die Stände der Augſpurgiſchen *Confeſſion*) Allegantur hic duo paragraphi, quibus præcipue de juribus Catholicorum ſtatuitur. Prior facit quidem mentionem redituum, penſionum & decimarum, Renth, Zinß und Zehenden: Sed diſtincte non definit, perinde eſſe, nihilque referre, ex ſuo hæc debeantur, an ex alieno. Alter vero etſi hoc diſertis verbis non magis dicat, paulo propius tamen tangere caſum videtur, quando Statibus diverſæ religionis reſervantur jura ſuperioritatis, & quævis alia, ab illis ante exortas religionis controverſias ejusmodi in bonis poſſeſſa & exercita.

§. 46.

a) *Illi vero reditus.*) Particula adverſativa *vero*, indicare quidem videtur aliud hoc paragrapho & diverſum ſuperiori paciſcentibus placuiſſe: Sed tota ratio diverſitatis in eo conſiſtit, quod Catholici ab onere probationis de poſſeſſione liberi ſint; Proteſtantes vero eo graventur, ſive reditus & decimas ex bonis Eccleſiaſticis in alieno petant, ſive in ſuo. Neque enim vel per ſomnium paciſcentibus in mentem venit, Catholicos ſolvere termini decretorii lege, quoties in terris Proteſtantium id genus reditus, decimas & penſiones repetitum eunt. Ex adverſo autem Proteſtanres in iisdem caſibus hoc termino concludere; quæ manifeſta inæqualitas, ſi tum viſa fuiſſet ſcopo pacis neceſſaria, non dubium eſt, quin hanc legem contractui apertius dicturi fuerint. Non poſſum non laudare iterum candorem & ingenium Deckherri, qui *loco paulo ante citato n. 13.* inter noſtrum & ſuperiorem paragraphum hanc ſolam differentiam tradit, quod *lex in §vo 45. cauſam decimarum*

feſſionis d) ob immediatas, vel mediatas fundationes Eccleſiaſticas, e) ante

---

der alten religion verwand &c. quæ huc etiam transſcribere viſum. Und ſollen dannoch von ſolchen obgenanten Gütern die nothdürfftige miniſteria der Kirchen, Pfarren, und Schulen, auch die Allmoſen, und Hoſpitalia, die Ste vormahls beſtellt, und zu beſtellen ſchuldig, von ſolchen obgemeldten Gütern, wie ſolche miniſteria der Kirchen und Schulen vormahls beſtellt, auch nachmahls beſtellt und verſehen werden: Ungeacht was religion die ſeyn: quilibet ni fallor, ex his duobus locis, me etiam non monente, intelliget, lubrico admodum & ancipiti ſenſu hiſce de rebus in pace Weſtphalica eſſe conventum, ac ſæpe, quod una manu datur, altera tolli iterum videri. Id quod proculdubio variis monitis, captioſisque loquendi formulis debemus; quibus dum utraque pars proſpectum ſibi omni modo meliori concupivit, opus fuit, ut medio aliquo convenirent: Unde mirum nemini eſſe debet, mox ſuper ipſa hac pace lites & jurgia inter utriusque religionis proceres ſuccreviſſe, dum ex verbis dubiis quilibet ſenſum ſibi commodum efformare laboravit, accedentibus præſertim Jureconſultis Rabulis, qui nullo pudoris aut conſcientiæ reſpectu ſcriptis fallacibus atque reſponſis in gratiam Conſulentium compoſitis garrulitate & nugamentis ſuis omnia turbant, & certa etiam atque plana coloribus larvisque ſpecioſis adulterare tantopere, atque dehoneſtare norunt, ut incerta protinus & controverſa incautis videantur, id quod noſtra etiam memoria Weſtphalicæ paci accidit, quam paciſcentium ſollicitudo & in loquendo perſpicuitas & accuratio quantum modo fieri potuit, à calumniis & ludibrio malorum Interpretum indemnem præſtare hactenus nequivit. Juſtam eſſe hanc querelam tot exempla in ſuperioribus allata nos docent: Et ſequentia magis etiam confirmabunt.

d) *Statibus Augustanæ Confeſſionis.*) De his igitur, non etiam Catholicis hoc loco agitur. Status autem eſſe oportet, non ſubditos; Hic enim ex alia Formula in cauſa redituum agunt.

e) *Ob immediatas, vel mediatas fundationes Eccleſiaſticas.*) i. e. intuitu harum fundationum, quibus ante occupationem id genus reditus debebantur: Non vero Statibus. Nihil vero refert, immediatæ ſint an mediatæ illæ fundationes, modo à Proteſtantibus Statibus fuerint occupatæ & acquiſitæ. Qua in re horum conditio melior conditione Catholicorum, quos occupatio fundationum Eccleſiaſticarum non juvat, etiamſi in terris Proteſtantium fuerint factæ, quoniam religione tenentur, quominus ex ejusmodi bonis compendium

Gggg 2   ſuum

Digitized by Google

ante vel poſt pacem religioſam f) acquiſitas, g) e Catholicorum provinciis debentur, h) quorumque in poſſeſſione vel quaſi percipiendi Anno

ſuum facere poſſint. Quo conſcientiæ motu Proteſtantes non adeo vexantur, cum his rebus melius uti norint ad Dei gloriam & Reipublicæ bonum. Quod in ſpecie ad fundationes immediatas attinet, de illis ſic habendum: Eſt forte Status Evangelicus, qui monaſterium aliquod, aliamve fundationem Eccleſiaſticam cujuscunque generis, Imperio immediate ſubjectam, occupavit, cui ab antiquo ex quacunque cauſa e Catholicorum Provinciis debebantur reditus. Quod ſi igitur occupans anno 1624. Calendis Januariis in poſſeſſione percipiendi reditus illos fuit, porro huic iſti exſolvendi erunt: ſine ulla exceptione, etiamſi ad uſus ſacros, quibus primo deſtinati erant, aut plane non adhibeantur amplius; aut non iis ſacris inſerviant; quibus ſuperſtitio majorum illos dedicaverat. Idem de mediatis fundationibus eſt ſentiendum, ſive in meo ſeu alieno occupatæ fuerint. Nam uti hæc ipſa bona ſola poſſeſſio dicto anno dieque habita propria mihi facit: Ita etiam jus exigendi reditus ex alieno ejusmodi bonis debitos, modo me illos eodem tempore percepiſſe. & in poſſeſſione percipiendi fuiſſe conſtet perpetuum mihi poſthæc ſupereſt.

f) *Ante vel poſt pacem religioſam.*) Qua in re paciſcentes memorabili ſanctione à pace religioſa abeunt, quæ Proteſtantibus illa ſaltem addicit bona, quorum in poſſeſſione Catholici tempore transactionis Paſſavienſis vel pacis religioſæ non fuerunt. Deren Poſſeſſion die Geiſtliche zu zeit des Paſſauiſchen Vertrags oder ſeithero nicht gehabt. *Conſtit. pac. relig.* §. Dieweil aber. Pax vero Weſtphalica concepta eſt non modo negative in ordine ad Catholicos Eccleſiaſticos, ſed affirmative etiam in ordine ad Proteſtantes poſſeſſores, & quidem facta reductione non ad tempora religioſæ pacis, ſed ad poſſeſſionem anno 1624. habitam, quæ ſexaginta novem annis poſterior, multa Proteſtantibus tribuit, aut relinquit, quorum reſtitutionem ex formula religioſæ pacis & juxta edictum Ferdinandeum facere debuiſſent.

g) *Acquiſitas.*) i. e. occupatas, quamvis ſolo facto, & abſque ullo juris titulo. Occupatio enim hic pro omni acquiſitione eſt, accedente ſaltem poſſeſſione ex Calendis anni vigeſimi quarti. Hoc unum eſt, quod poſſeſſionem juſtam legitimamque efficit, & quo poſſeſſores in poſterum ab omni perſecutione juris ſecuri fiunt. Quamobrem ego adſtipulari hic Deckherro non poſſum, qui Proteſtantes ad hæc duo ſimul probanda cogit, *acquiſitionem* nimirum, & *poſſeſſionem redituum.* Si in acquiſitione ultra nudum factum occu-

Digitized by Google

Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto, die prima Januarii, fuerunt, i) absque ulla exceptione ſolvantur k). Si alicubi etiam Augu-

occupandi pluſculum deſiderat: Nam qui poſſeſſionem dicti temporis probat, hoc ipſo acquiſitionem probaſſe creditur, quamvis de ea aut plane non conſtet, aut non ſatis certo. Nullius igitur momenti eſt ratio, *poſſeſſionem anni 1624. ſine prævia acquiſitione conſiſtere non poſſe*, quando ſuper nudo facto poſſesſionis probatione opus. Nam etſi quis pridie vel ipſis illis Calendis vi etiam aut clam reditus ſe exegiſſe docere poſſit, jus perpetuum ea pace habet, & actionem, nulla omnino cujuscunque generis exceptione elidendam, modo ſit, qui poſſeſſionem acquirere poſſit, & rem occuparit animo ſibi habendi, quo ſpectant unice leges à Deckherro citatæ.

h) *E Catholicorum provinciis debentur.*) Multo magis igitur, ſi reditus illi Auguſtanæ Confeſſionis ſtatibus e ſuis propriis debentur provinciis, jure ex poſſeſſione anni 24ti quæſito; Quo rurſus concidit dubium ſuperius, in præcedenti paragrapho occaſione pacis religioſæ excitatum.

Debentur.) Quocunque ſcilicet titulo aut modo. Sufficit enim reditus è Catholicorum provinciis exactos quocunque nomine eſſe, atque Proteſtantes in poſſeſſione exigendi dicto tempore fuiſſe; juſta & legitima, an vero injuſta illa exactio fuerit, itemque an Proteſtantes bona vel mala fide poſſederint, nihil refert: Nam hoc loco repetitum merito intelligitur; quod ſupra paragrapho 31. de exercitio religionis placuit. *ſive certo pacto aut privilegio, ſive longo uſu. ſive SOLA DENIQUE OBSERVANTIA DICTI ANNI* debita; id quod ſane nunquam ſatis inculcari poterit, ut calumniis adverſariorum obviam eatur: qui hæc tria requirunt. (1) ut reditus debeantur ex capite fundationum ſive immediatarum ſive mediatarum. (2) ut debeantur ex poſſeſſione reali, & (3) ex poſſeſſione quieta. De ſecundo, nimirum poſſeſſione reali adſtipulamur; reliqua duo captioſa & intentioni paciſcentium adverſa ſunt: Nam de capite fundationum lex nihil habet; Neque enim idem eſt, deberi ex capite fundationum, & deberi ob fundationes. Hoc objectum ſaltem ſeu rem, ex qua reditus petuntur, ſignificat. Illud cauſam præterea & titulum comprehendit; Quod vero ad poſſeſſionem quietam attinet, qualitatem ejusmodi lex non magis deſiderat, facto poſſeſſionis ubique contenta, ut adeo Buckiſch ad hunc locum aut deceptus ipſe inſigniter ſit, aut decipere alios malitioſe voluerit, qui extra terminum regulativum titulum quoque legitimi juris atque conceſſionis poſſesſori neceſſarium eſſe contendit, de quibus omnibus in lege altum ſilentium, quæ

Auguſtanæ Confeſſionis Status l) quædam protectionis, Advocatiæ, aperturæ, hoſpitationis, operarum, aut alia jura m) in Catholicorum Eccle-

quæ ultra poſſeſſionem aliud nihil requirit.

i) *Quorumque in poſſeſſione vel quaſi percipiendi anno 1624. die 1. Januarii fuerunt*) Poſſideri vere dicuntur res corporales, analogice ſeu quaſi poſſidentur res incorporales, ut jura & ſimilia. Ubi nota, non eodem modo appellari *poſſeſſionem veram & quaſi poſſeſſionem*, quo *dominium verum* & *quaſi dominium* vocamus. Nam quaſi dominium de bonæ fidei poſſeſſore dicitur, poſſidere autem vere etiam malæ fidei poſſeſſor poteſt. Uno verbo: Verum & quaſi Dominium qualitas transferentis conſtituit, an is ſit Dominus rei vel non Dominus. Vera autem poſſeſſio, & quaſi poſſeſſio ab objecti qualitate ſeu rerum poſſeſſarum conditione appellationem habet.

k) *Absque ulla exceptione ſolvantur.*) Neque enim alia admittitur exceptio, quam illa ſola, qua negamus, fuiſſe quem in poſſeſſione percipiendi reditus anno dieque, omnium jurium noſtrorum in Eccleſiaſticis decretorio.

l) *Si alicubi etiam Auguſtanæ Confeſſionis Status.*) Reditus, cenſus, penſiones, decimæ, ex bonis Eccleſiaſticis debitæ inter jura Eccleſiaſtica proprie referuntur; At jura protectionis, advocatiæ, aperturæ, hoſpitationis, operarum & ſimilia, quæ alius in bonis Eccleſiaſticis quæſita habet, ad civiles potius cauſas referendæ. Connectuntur tamen hic ex quadam contjnentia cauſarum, dum ſcilicet utraque hæc jura ex bonis Eccleſiaſticis debentur, quamquam de cætero inter illa magna ſit diſparitas, imprimis quod ad modum acquirendi attinet, prout mox pateſcet.

m) *Quædam Protectionis, Advocatiæ, aperturæ, hoſpitationis, operarum aut alia jura.*) Quæ vero jura alia? Ea, quæ cum his enumeratis affinia ſunt, ut jus venandi, aucupii, lignandi, innoxii tranſitus, ſequelæ &c. quæ ad politica magis, quam Eccleſiaſtica ſpectant. Nam poſterioris generis jura, quæ ad res & negotia Eccleſiaſtica referuntur, ex alio legis capite judicanda ſunt, qua de re ſupra ad §vum 26. actum eſt.

n) *In Catholicorum Eccleſiaſticorum ditionibus & bonis*) Aliud longe eſt, habere quem jura *in Catholicorum Eccleſiaſticorum ditionibus & bonis*; & habere eadem in bonis Eccleſiaſticis. Neque enim omnia bona & ditiones, quæ à Catholicis Eccleſiaſticis poſſidentur, Eccleſiaſtica etiam bona ſunt. Id quod vel ſoli Patres Societatis Paderbornenſes exemplo ſuo nos docere poſſunt, qui ut dimidiam partem Monaſterii Falkenhagen eo ſpecioſiori titulo ſibi vendicent, hæc bona ut ſecularia perſequuntur, quæ Pontifex, ſi Diis placet,

Eccleſiaſticorum ditionibus & bonis, n) ſive intra, ſive extra territorium ſitis, o) legitimo uſu aut conceſſione habuerunt, p) quemadmodum

cet, extincta qualitate Eccleſiaſtica mundo reddiderit, quam tamen fabulam nos ſupra ad §. 25 deterimus & exploſimus; De cœtero verum eſt, non eſſe ſtatim Eccleſiaſticum, quod ab Eccleſiaſtico poſſidetur, niſi late admodùm & abuſivè hæc ita appellaveris; alias enim & pulices & pediculi cucullis Monachorum nidulantes, pro re Eccleſiaſtica habendi eſſent. Proprie igitur Eccleſiaſticum dicitur, à ſcopo & uſu, quod ſacris vel Eccleſiaſticis inſervit actibus, aut perſonis Eccleſiaſticis alendis ex prima fundatione eſt deſtinatum. Quæ vero magis ad dignitatem aut potentiam civilem oſtentandam ſunt accommodata, in cenſum rerum Eccleſiaſticarum non veniunt. Itaque patrio more & legibus apud nos invaluit, ut quamvis Princeps Eccleſiaſticus Banno Imperiali feriri non poſſit, poſſit tamen privari bonis, quæ ab Imperatore & Imperio jure beneficiario ſeu feudali nexu poſſidet; id quod ex principiis religionis Pontificiæ factu indignum foret, ſi bona ejusmodi ob poſſeſſoris qualitatem neceſſe eſſet inter res Eccleſiaſticas proprie ſic dictas numerare; Atque hæc in theſi extra dubium eſſe puto. Alia eſt quæſtio, cujus generis bona hic in textu noſtro intelligantur. Sane lex in genere loquitur *de Catholicorum Eccleſiaſticorum ditionibus & bonis.* Itaque merito ſtatur latiſſima verborum ſignificatione; neque interpellat, quod paulo poſt, cum lex ad *Auguſtanæ Confeſſionis Statum*, deflectit, mentionem ſaltem faciat *bonorum Eccleſiaſticorum, Auguſtanæ Confeſſionis Statibus acquiſitorum.* His enim ex articulo noſtro V. ejusque formula nulla alia bona acquiri poſſunt, quàm Eccleſiaſtica; Quibus in terminis Paciſcentibus hoc loco manere viſum eſt, quamvis de cœtero nullum dubium ſit, quin Catholicis etiam aliis ex Proteſtantium bonis jura ſua ſarta tecta maneant, etſi in illis vindicandis hac noſtra lege niti non poſſint, ſed alia actione opus habeant.

o) *Sive intra ſive extra territorium ſitis.*) Sed cujusnam territorium hic intelligitur? an Catholicorum Statuum, an vero Proteſtantium? Nihil opinor vetat, ſi utrum intelligas. Non modo enim quando Proteſtantes ejus generis jura in bonis Catholicorum Eccleſiaſticorum, extra horum territorium alibi in territoriis Catholicorum ſitis habent, hoc obtinet: Verum etiam cum eadem poſſident in bonis Catholicorum, quæ in Proteſtantium terris ſita ſunt. Nam ſi res agitur de propriis Catholicorum terris, dubitationi ne locus quidem ſupereſt.

p) *Legitimo uſu aut conceſſione habuerint.*) Itaque hic non ſufficit uſus qualis-

admodum etiam Catholici Status, ſi quid ejuſmodi ipſis q) circa bona Eccleſiaſtica Auguſtanæ Confeſſionis Statibus acquiſita competit r) omnes

qualiscunque aut obſervantia vel poſſeſſio facti certo tempore habita, uti in ſuperioribus de bonis Eccleſiaſticis hoc ſtatutum. Sed uſus requiritur legitimus, qui titulo aliquo juris nititur, veluti pacto, conceſſione, aut cujuscunque generis contractu. Nam hæc jura inſtar ſervitutum ſunt, quæ ex prædiis Eccleſiaſticis debentur; Quoniam vero ad rationes Eccleſiaſticas proprie non pertinent, ſed rerum ſecularium loco habentur, idcirco etiam in iis definiendis ad poſſeſſionem anni 1624ti non reſpicitur, ſed probatione uſus legitimi aut conceſſionis eſt opus; neque ſolum hoc caſu, quando Auguſtanæ Confeſſionis Status anno 24to exercitium horum jurium habuere: Sed & tunc, cum Catholici dicto anno illos in uſu forte impedivere, atque hoc pacto in quadam quaſi poſſeſſione facti libertatis bonorum ſuorum fuere. Nam neque his neque illis obſervantia dicti anni jus confert, aut præjudicium creat: Sed omnes *ex æquo jura ſua PRISTINA*, quod probe notandum, retinent: Ut adeo hoc in paragrapho noſtro à verbis, *ſi alicubi etiam* usque ad finem, ex occaſione redituum novum prorſus argumentum tractetur, de certis ſcilicet juribus quorum ſubjectum quidem ſunt bona Catholicorum Eccleſiaſticorum, ſed quæ ipſa propterea ad rerum Eccleſiaſticarum claſſem non pertinent, ſed ſecularium loco habentur, atque adeo à termini peremptorii definitione ſua Fata non æſtimant: fere eodem modo, quo ſupra §vo 26. & 27. occaſione Monaſteriorum quædam de oppignorationibus conſtituta fuere, itidem in nonnullis diverſa ab anni decretorii lege & effectibus;

q) *Quemadmodum etiam Catholici Status, ſi quid ejusmodi ipſis.*) Quod Auguſtanæ Confeſſionis Statibus in bonis Catholicorum Eccleſiaſticorum hic conceditur, id nunc etiam Catholicis Statibus in bonis Eccleſiaſticis Proteſtantium Statuum *ex æquo* datur, ut paritas inter utrosque ubique ſervetur, quantum modo fieri potuit. Ubi non abs re erit, iterum moneri, hoc paragrapho ſemper de ſtatibus eſſe ſermonem, neque ex hac legis formula agere poſſe, qui cum Status non ſunt, jura tamen ejus generis vel ſimilia in bonis Eccleſiaſticis uſu legitimo aut conceſſione acquiſivere. His enim forte in fruitione ſuorum jurium prohibitis de aliis remediis cogitandum erit.

r) *Circa bona Eccleſiaſtica Auguſtanæ Confeſſionis Statibus acquiſita competit.*) Obſervare hic licet differentiam aliquam inter Auguſtanæ Confeſſionis Status & Status Catholicos, & utrorumque jura. Illi, ſive Eccleſiaſtici ordinis

Digitized by Google

omnes ex æquo s) jura ſua priſtina retineant t) ita tamen, ut ne per uſum ejusmodi jurium bonorum Eccleſiaſticorum reditus nimium prægraventur & exhauriantur. u)

§. 47.

ordinis fuerint, ſive Status ſeculares, hæc jura ſua retinent, at in Catholicorum ſaltem Eccleſiaſticorum, non vero Catholicorum ſecularium ditionibus & bonis, non attento tamen, an bona illa & ditiones eccleſiaſtica ſint vel ſecularia. Apud hos autem non magis quidem intereſt, ſint Status Eccleſiaſtici an ſeculares: Sed ratione bonorum hactenus prærogativam aliquam habent, quod non modo in Statuum Proteſtantium Eccleſiaſticorum, verum etiam ſecularium bonis ſua jura ex hac lege vindicent; quanquam vice verſa in eo deterioris ſint conditionis, quia ſaltem *circa bona* ECCLESIASTICA *Statibus Auguſtanæ Confesſionis* ACQVISITA, formula actionis competit. Uno verbo: Parallelismus talis eſt; Auguſtanæ Confeſſionis ſtatus jura ſua in Catholicorum Eccleſiaſticorum ditionibus & bonis, (*cujuscunque generis*) vindicant. Catholici autem ſtatus, ſi quid ejusmodi ipſis circa bona Eccleſiaſtica, (*non ſecularia*) Aug. Confeſſionis ſtatibus *acquiſita*, competit. Ratio differentiæ eſſe videtur, quia Catholici Status ſeculares, non poſſunt bona Eccleſiaſtica, qua talia acquirere & poſſidere; Id quod ſtatibus proteſtantibus utrumque eſt permiſſum.

Acquiſita) Sive titulo legitimo, ſive juxta pacis Weſtphalicæ formulam ſola poſſeſſione: Nam nudum etiam factum poſſeſſionis pax Weſtphalica legitimum titulum acquirendi Eccleſiaſtica fecit.

s) *Omnes ex æquo*) *Omnes*, inquit lex, nullo diſcrimine Proteſtantes Status an Catholici fuerint; *ex æquo* vero ſic intelligendum, quatenus ipſa lex non fecit differentiam. De cœtero videtur à Deckherro occaſione horum verborum fruſtra quæſitum, *an vi verborum ex æquo ſoli Proteſtantes, an vero ex æquo jure etiam Catholici ad probationem poſſesſionis anni 1624. obligandi?* Illud enim ex æquo cum ad ea tantum jura pertineat, quæ ab anno illo decretorio, quoad modum acquirendi ſubſidium nullum petere poſſunt, quid obſecro rei eſt, cur de probatione poſſeſſionis, quæ nihil nos juvat, ſolliciti eſſe velimus?

t) *Jura ſua priſtina retineant.*) Obſerva loqui textum de *juribus priſtinis*. Cui addendum ex ſuperioribus verbis, *legitimo uſu aut conceſſione*, habitis, unde denuo colligitur, hic nullam poſſesſionis anni 24ti rationem haberi in æſtimandis id genus juribus, alias enim non priſtina jura forent, ſed nova: Nec opus eſſet legitimo uſu & conceſſione.

u) *Ita tamen ut ne per uſum ejusmodi jurium bonorum Eccleſiaſticorum* *reditus*

Reditus, Decimæ, Canones, Penſiones.

§. 47. Reditus etiam, nec non Decimæ, Canones & Penſiones a) Auguſtanæ Confeſſionis Statibus; b) fundationibus jam deſtructis

reditus nimium prægraventur & exhauriantur.) Jura Protectionis, advocatiæ aperturæ, Hoſpitationis, operarum, & ſimilia, quia plerumque cum emolumento aliquo ejus, cui ex bonis illa debentur, conjuncta ſunt, ſæpe autem evenit, ut præciſe definitum non ſit, quantum jurium illorum reſpectu debeatur. Idcirco hic cautum eſt, ne reditus illorum bonorum, quibus id onus incumbit, uſu jurium nimium prægraventur; Id vero, quod nimium, eſt, non ex quantitate ſaltem ſumptuum, verum etiam ex frequentia uſus æſtimari poteſt. Quæ enim res onus in ſe habet, quo crebrius eſt juris exercitium, hoc magis intenditur onus, quo gravari reditus neceſſe eſt. Sed ſicuti fieri non poteſt, quin ejusmodi jura alteri parti oneroſa, reditus ejus gravent & minuant: Ita hic ſaltem cautum eſt, *ne nimium prægravent & exhauriant. Prægravare* ſignificat vehementer gravare, cui ſi adhuc addas adverbium vehementer gravent, id quod gradus tamen aliquos oneris ferendi habere poteſt; convenit & hoc alteri verbo, *exhauriant*, ſi nimirum huic etiam addas illud nimium; Nam ſic licebit quidem *exhaurire*, ſed *nimium* exhaurire non licebit. Atque hæc eſt interpretatio hujus loci ſecundum literam. Interea non nego, rem omnem æquitate & judicio boni viri æſtimandam eſſe; Quamvis me hoc etiam non lateat, nec de æquitate inter omnes convenire, unam eſſe omnium ſententiam de boni viri arbitratu. Sane niſi natura ſic corrupti eſſemus, ut amor proprius ubique fere recto judicio officiat, certior nulla regula eſſet definiendi hanc rem, quam ut eodem pacto cum aliis agamus, quo nos haberi ab aliis eadem in cauſa cupimus: Ne alii ſcilicet facias, quod tibi fieri nolis. Sed communiter ita comparatum eſt, ut ſi uſpiam, hic certe noſtrum nos judicium fallat & æſtimatio, quando ſemper ampliſſimis conditionibus conſultum nobis volumus, parci interea in alios, quoties à nobis debita exigunt; quamvis ex eadem obligatione. Igitur ubi nihil eſt pactum, quantum de reditibus debeatur, aliqui ut certi quid habeant, tollendo abuſui negant, onerari reditus poſſe ultra dimidium, quod juri Canonico volunt convenire: Sed ita nihil invenio, niſi quod antiquos & moderatos reditus, à locorum Epiſcopis inſtitutos exigere liceat. *cap. præterea. 23. X. de jure Patronatus*; quibus cum conferri poteſt *cap. 12. in quibusdam X. de Pœnis*, & quæ habentur de una, vel duabus tertiis fructuum, *apud P. Sarpium in Hiſtoria Concilii Tridentini libr. 8.*

Bonorum Eccleſiaſticorum.) Accipienda hic bona Eccleſiaſtica late, ſi de Catho-

ſtructis & collapſis, c) ex alienis territoriis d) debitæ, e) iis exſolvan-

Catholicis ſermo, ut quasvis ditiones & bona Catholicorum Eccleſiaſticorum comprehendat; ſecundum ea, quæ paulo ante tradita fuerunt.

§. 47.

a) *Reditus etiam, nec non decimæ, canones & penſiones.*) Ultimum caput de reditibus Eccleſiaſticis pertinet ad reditus ex alienis territoriis debitos fundationibus jam deſtructis vel collapſis, quibus debebantur: Et ſtatuitur cum diſtinctione, inter fundationes deſtructas ante Calendas Januarias anni 24ti, & quæ poſt Calendas illas deſtructæ fuere, aut in futurum concident. Illo caſu jus exigendi iis competit, qui dicto anno dieque in poſſeſſione perceptionis vel quaſi fuerunt. Hoc vero indiſtincte exſolvuntur Domino deſtructi monaſterii ſeu loci. Denique annectuntur quædam in fine de jure decimandi e bonis novalibus. De quibus ſingulis nunc diſpiciendum.

b) *Auguſtanæ Confeſſionis ſtatibus.*) Fit hic ſaltem proteſtantium ſtatuum mentio. Quid igitur juris, ſi reditus illi debeantur ex territoriis Auguſtanæ Confeſſionis Statuum fundationibus Catholicorum ſimiliter jam deſtructis & collapſis? Apud me nullum eſt dubium, quin idem ſit judicandum ex paritate rationis. Neque omiſſio Catholicorum hic fraudi eſſe poteſt, ex quo in genere ſemel placuit, ut in omnibus, de quibus Pax Weſtphalica aliter non decrevit, inter utriusque religionis Proceres exacta & mutua æqualitas ſervetur, ita, ut quod uni parti juſtum, alteri etiam ſit juſtum. Interea non nego, mirum videri, cur nulla Catholicorum hic ratio fuerit habita: Neque dicere auſim, quamvis forte ſpeciem haberet hæc ratio, apud Catholicos non inveniri deſtructa ejusmodi & collapſa adeo monaſteria, ut non protinus reſtaurata fuerint, quoties per vim hoſtium licuit; Cum Proteſtantes forte quibusdam in locis illa minus curaverint.

c) *Fundationibus jam deſtructis & collapſis.*) Videntur Proteſtantes impenſiorem curam redituum habuiſſe, quam fundationum aut monaſteriorum, quibus ex inſtituto debebantur reditus: Itaque his etiam collapſis vetuſtate & incuria, vel deſtructis injuria hoſtium, aut incendio, non deſiere tamen exigere reditus. Sed quia poſt pacem religioſam non modo inter vices bellorum, verum etjam tranquillis temporibus aliquando fiebat, ut Catholici quacunque de cauſa negarent, ſe ad ſolutionem redituum illorum amplius obligari, atque ipſo facto præſtationes detrectarent, itaque paciſcentibus viſum, uti aliis in rebus dubiis, ita hoc etiam caſu unice reſpiciendum eſſe ad obſervantiam & uſum anni 24ti ut quibus Calendis Ja-

ſolvantur f) qui anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto, die prima Januarii in poſſeſſione perceptionis vel quaſi fuerunt. Quæ vero g) ab Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto h) deſtructæ

nuariis illius anni iſti reditus ſoluti ſunt, iis poſthæc porro exſolvantur.

d) *Ex alienis territoriis.*) i. e. ex Catholicorum Statuum territoriis: Quid autem, ſi debita fuerint ex Proteſtantium territoriis proteſtantibus, ſive unius religionis, an diverſæ? Hic enim nihil intereſſe reor; Quoniam igitur in tabulis pacis ne veſtigia quidem ſunt, voluiſſe paciſcentes lites, qui inter Proteſtantes de rebus Eccleſiaſticis vertuntur, certo quodam termino peremptorio finiri: Ideoque mea ſententia hoc caſu definitionibus juris communis ſtandum eſt. Totus enim articulus Vtus, quantus quantus, ſaltem agit de controverſiis componendis, qui inter Proteſtantes & Catholicos agitatæ fuere. Neque exiſtimandum, quæ horum cauſa placuere, illis etiam præjudicio eſſe; Nam vel unus articulus VII. evincit, longe aliter & diverſe de cauſis quibusdam inter Proteſtantes ipſos vertentibus ſtatutum eſſe: Veluti de jure reformandi, & aliis. Quæ vero hoc articulo definita non ſunt, ea ſcitis juris communis relinquuntur. Ex hoc autem articulo noſtro quinto nemo Proteſtantium contra alium præſidium habet. Unum excipio caſum, quando nimirum lis inter Catholicum & ſtatum proteſtantem eſt cepta, continuatur vero ſuccedente Catholico, ſive actore ſive reo, Proteſtante: Id quod multis modis accidere poteſt.

e) *Debitæ.*) Requiritur igitur hic etiam, ut reditus & penſiones ante hæc debita fuerint. Quibus autem fuerint debitæ, Catholicis an Proteſtantibus, nihil intereſt. Sunt enim nunc illis exſolvendæ qui anno 1624. die prima Januarii in poſſeſſione perceptionis vel quaſi fuerunt.

f) *Iis exſolvantur.*) De hoc jam dictum, itaque ulteriori commentario non eſt opus, id ſaltem addimus, per pronomen intelligi ſaltem Proteſtantes, ſi cum Catholico eis res eſt. Nam ſi Catholicus contra Catholicum de reditibus actionem habet, utriusque partis jura non ex poſſeſſione anni 1624. ſed ex fundationibus, donationibus, aliisque obligationum generibus diſcernuntur.

g) *Quæ vero &c.*) Hic incipit altera pars hujus paragraphi, ubi agitur de monaſteriis collapſis vel deſtructis poſt annum vigeſimum quartum. Quærit autem hic Deckherrus, quid ſi deſtructa aut collapſa fuerint monaſteria ante exortas religionis controverſias, vel ſaltem ante pacis religioſæ tempora? Procul dubio ex intentione paciſcentium potior erit, qui anno vigeſimo quarto in poſſeſſione percipiendi fuit, quantocunque etiam tempore antea deſtructa vel col-

Digitized by Google

ſtructæ fuerunt; aut in futurum concident, i) earum penſiones k) etiam in alienis territoriis l) Domino deſtructi Monaſterii ſeu loci, in quo id ſitum fuit, exſolvantur m). Quæ itidem fundationes n) die

collapſa dicantur. Imo etſi plane non conſtet, quo tempore ruinam fecerint; Saltem enim duplex eſt tempus: Unum ante annum vigeſimum quartum, & alterum poſt illum annum. Quemadmodum igitur poſtremum tamdiu durat, quamdiu tabulæ pacis vim ſuam & authoritatem circa gravamina religionis dirimenda retinent. Ita prius tempus, quod a Calendis Januariis incipit, retro veluti in infinitum numeratur, etiamſi ad prima usque initia inſtituti in Germania Chriſtianiſmi recurrendum foret.

h) *Ab anno 1624.*) Totus quidem hic ponitur annus, ſed analogia juris circa hanc rem poſtulat, ut a Calendis Januariis computus inchoetur.

i) *Deſtructæ fuerunt aut in futurum concident*) i. e. quæ ab anno 24to usque ad tempus pacis confectæ deſtructæ ſunt, aut quæ poſt pacem quocunque deinde tempore, neque enim certum eſt præſcriptum, ruent ſive vetuſtate id fieri contingat, ſive negligentia, ſive denique fato, incendio, inquam, fulmine, bello, aut alio quovis caſu fortuito.

k) *Earum penſiones.*) Quæ ſcilicet debebantur ejusmodi fundationibus.

l) *Etiam in alienis territoriis.*) quod ſi *etiam in alienis territoriis*, ergo tanto magis in territorio ſuo.

m) *Domino deſtructi Monaſterii ſeu locis, in quo id ſitum fuit, exſolvantur.*) Quem vero hic Dominum intelligimus? An conventum religioſorum, qui in monaſterio quondam habitaverat, an vero Dominum Territorii? Reſpondeo, ſine dubio hunc ultimum; Vocatur enim Dominus loci, in quo Monaſterium illud ſitum eſt; Quæ appellatio alicujus conventus religioſis non competit, qui certo ſenſu Domini quidem Monaſterii dici poſſunt, ſed non loci, in quo Monaſterium eſt ſitum.

Exſolvantur.) Cum de Monaſteriis poſt pacem Weſtphalicam deſtructis ſit ſermo, res per ſe clara eſt poſſeſſionis anno vigeſimo quarto habitæ nullam haberi rationem, ſed ſolutionem ſimpliciter fieri Domino loci, in quo monaſterium ſitum. Itaque non conventui, qui ante deſtructionem Monaſterium inhabitaverat, quamvis poſt deſtructum alio forte is translatus fuerit, reditus & penſiones ſolvuntur, ſed Domino territorii.

n) *Quæ itidem fundationes.*) In cauſis decimarum ſæpe incidit quæſtio de jure decimandi è bonis novalibus alieno in territorio. Quod ultimum eſt hujus paragraphi membrum.

o) *Die prima Januarii anni 1624.*) Dicuntur quidem hic fundationes in poſſeſ-

Digitized by Google

die prima Januarii, Anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi quarti o) in poſſeſſione vel quaſi Juris decimandi è bonis novalibus in alieno Territorio fuerunt, p) ſint etiam in poſterum, nihil autem novi juris quæratur q). Inter cæteros Status Imperii & ſubditos r) id juris

poſſeſſione eſſe, ſed ſubjective, ut intelligantur fundationum poſſeſſores, i. e. ſocietates illæ & conventus ſacri, quorum cauſa inſtitutæ fundationes ſunt.

p) *In poſſeſſione vel quaſi juris decimandi è bonis novalibus in alieno territorio fuerunt.*) Quinque igitur requiruntur ad hujus actionis formulam (1) ut ſint fundationes, (2) ut fundationes illæ fuerint in poſſeſſione vel quaſi juris decimandi, (3) ut poſſeſſionem habuerint die prima Januarii anno 1624. (4) ut jus decimandi competat è bonis novalibus, & (5) ut hæc bona novalia in alieno ſita ſint territorio; nam ſi bona novalia ejusdem ſint territorii, cujus & fundationes, inter has & Dominum territorialem procul dubio lis erit, non hoc ex loco, ſed vel jure communi aut ſtatutario, vel ex aliis pacis Weſtphalicæ legibus dirimenda,

q) *Sint etiam in poſterum, nihil autem novi juris quæratur.*) Præciſe igitur eo jure ſtatur in cujus poſſeſſione ejuſmodi decimatores anno vigeſimo quarto Calendis Januariis fuerunt. Obſerva autem hic poſſeſſionem *juris decimandi*, non *facti* requiri; Ex quo videtur ſequi, etiamſi quis dicto anno occaſionem juris exercendi non habuerit, eum propterea hoc non excidere, modo poſſeſſionem juris vel quaſi docere poterit. Sicuti etiam ille nihil acquirit, qui cum anno vigeſimo quarto jus decimandi non habuiſſet, illud ſibi illo tempore nudo facto & vi arrogare voluerit; Qua in re paululum ab Inſtrumento pacis circa generalis termini definitionem abitur. Cujus ſingularitatis cauſa hæc fortaſſis eſt, quod jus decimandi è bonis novalibus perſonis Eccleſiaſticis & fundatoribus quidem competit, ſed regulariter non in bonis Eccleſiaſticis, quæ proprie objectum ſunt termini illius decretorii, quatenus hoc nomine novum jus absque alia cauſa & fundamento, quam ſola poſſeſſione quærimus. Ex quo conſectarium eſt, ſi Status in bonis Eccleſiaſticis Calendis Januariis anni 24ti decimatione uſi ſunt, jure an injuria id factum fuerit, nihil refert, ex hoc ſolo facto poſſeſſionis ſibi impoſterum jus quæſitum intelligi, quamvis de titulo, qui præceſſerit, docere non poſſint. Hic enim caſus ad aliam legem pertinet, quæ extat in paragrapho, Quæcunque Monaſteria &c. 25. ſupra, ubi reditibus & juribus omnibus, *quocunque ea nomine appellata fuerint*, unicum ſolumque reſtitutionis & obſervantiæ

vantiæ futuræ fundamentum eſt poſſeſſio anno vigeſimo quarto Calendis Januariis habita, irritis prorſus exceptionibus omnibus vel aliis quibuscunque prætextibus & rationibus; Id quod ſane cum hoc noſtro paragrapho, per quem nihil novi juris ex ſola poſſeſſione quæritur, alia ratione conciliari nequit, quam ſi dicamus illic poſſediſſe & exercuiſſe ſtatus jura in bonis & fundationibus Eccleſiaſticis. Hic vero fundationes Eccleſiaſticas dicto tempore jus habuiſſe decimandi ex bonis novalibus eorum, qui non ſunt ex ordine Eccleſiaſtico: Ut adeo magis ad qualitatem poſſidentium, quam bonorum, à quibus exiguntur decimæ, reſpiciendum ſit. Quanquam non negem, qualitatem etiam decimarum, quatenus *ex agris novalibus* petuntur, aliquam hic conſiderationem mereri.

Nihil autem novi juris quæratur.) Igitur quæ fundationes, jus decimandi ex novalibus terris alieno in territorio anno vigeſimo quarto non habuerunt, id ſibi comparare ſola poſſeſſione & nudo facto non poſſunt. Qui vero Status hoc tempore decimatione uſi ſunt, in bonis aliorum Eccleſiaſticis, illis ex poſſeſſione & uſu novum jus quæritur pro futura obſervantia, etiamſi probare nequeant, ſibi tunc jus decimandi legitimo titulo & conceſſione jam quæſitum fuiſſe. His ſufficit nudum factum poſſeſſionis, uſus, obſervantia, & exercitium. Illis, fundationibus, inquam, opus eſt, ut in poſſeſſione fuerint *juris* decimandi, non *facti*.

r) *Inter cæteros Status Imperii, & ſubditos.*) Actum eſt in præcedentibus de jure decimandi è *bonis* novalibus *alieno in territorio*, fundationibus competente. Hic jam quæritur, quid hanc circa rem ſtatuendum ſit, ſi cauſa inter Status & ſubditos vertatur, adeoque decimæ è bonis novalibus non à fundationibus, ſed Domino territorii, non alieno in territorio, ſed in proprio petantur à ſubditis? Quo caſu ut ad jura communia conſuetudines & obſervantiam cujusque loci, ac denique pactiones voluntarias attendatur, lex edicit. Quid autem hoc ſibi vult, *inter cæteros STATUS?* Cum de ſtatibus omnino nihil adhuc conventum reperiatur, quantum quidem ad jus decimandi è bonis novalibus attinet, ſed lex ſaltem fundationum cauſam in præcedentibus egerit, nec aliter quam ratione juris decimandi *alieno in territorio*. Religio mihi eſt, Paciſcentes hic inconſiderantiæ arguere; Non procul tamen abeſt, quin dixerim, rectius facturos fuiſſe, ſi vocem *cæteros*, omiſiſſent; oratione ſic inſtituta. *Inter Status Imperii & Subditos.* Niſi forſan magis placeat hæc ratio connexionis, quia inter fundationes, quarum hic generatim fit mentio, immediatæ etiam eſſe poſſunt, quæ ſunt Status Imperii; Itaque hic de Statibus *cæteris*, qui non ſunt Eccleſiaſtici, atque adeo incapaces fundationum, ſtatui. Sed neque hæc explicatio ſuis caret difficultatibus; non modo enim

grave

Digitized by Google

juris eſto, quod jus commune s) vel cujusque loci conſuetudo & obſervantiæ de Decimis ex bonis novalibus t) conſtituunt aut per pactiones voluntarias conventum eſt u).

Jurisdictionis Eccleſ. ſuſpenſio.

§. 48. XVI. Jus Diœceſanum a) & tota Jurisdictio Eccleſiaſtica

grave eſt, hanc differentiam lege tam obſcure loquente, inter Status Eccleſiaſticos & ſeculares facere; Sed & illud obſtat, quod jam ſupra paragraphis 25. & 26. expoſitum inveniatur, quid Statibus tam Evangelicis quam Catholicis competat, qui fundationes poſſident, ſive illæ de territorio, ſive in territorio fuerint: Mallem itaque ego omnino, ſi modo liceret, loco verborum, *inter cæteros Status Imperii & ſubditos*, ſubſtituere, *de cætero inter ſtatus Imperii & Subditos &c.* Sed hæc conjectura eſt, de qua liberum cuique judicium relinquo.

s) *Id juris eſto, quod jus commune:*) Igitur nihil hic novi juris ex poſſeſſione certo tempore habita quæritur, ſed in definiendis controverſiis, quæ in ejusmodi cauſis oriri poſſunt, ad jura communia & conſuetudines cujusque loci recurritur.

Ius Commune.) Tam civile, quam Canonicum. Nam hujus etiam non parva eſt auctoritas in quæſtione de jure decimandi è bonis novalibus; Imo fere unica, cum jus civile non adeo multa de decimis novalibus habeat.

t) *Vel cujusque loci conſuetudo & obſervantiæ de decimis ex bonis novalibus.*) Mirum enim variant hac in re conſuetudines locorum & obſervantiæ: Alibi enim decimæ ex bonis novalibus plane non ſolvuntur; alibi debentur Paſtori loci, alibi Domino territorii. Qua de re vide Wehnerum & Speidelium. Illum in voce *noval* Zehenden; Hunc in voce Neubrüche.

u) *Aut per pactiones voluntarias conventum eſt.*) Ad pacta enim ſemper ante omnia reſpicitur; quæ non modo contractibus dant legem, verum etiam juri & conſuetudinibus derogant, cum unicuique integrum ſit, renunciare juri vel beneficio, quod ex lege vel obſervantia alias habet. Oportet autem pactiones eſſe voluntarias, ut omnis vis vel coactio metusve abſit, quibus aut vitiari pacta ſolent, aut exceptione elidi.

§. 48.

a) *Jus diœceſanum &c.*) Quod in ſecularibus cauſis eſt ſuperioritas territorialis, hæc in Eccleſiaſticis eſſe videtur jus diœceſanum, quod omnes actus juraque complectitur, quibus Eccleſia per Epiſcopum regi ſolet. Quemadmodum igitur jurisdictio à jure territoriali differt ut pars à toto; eadem ratione differt jurisdictio Eccleſiaſtica

Digitized by Google

ſiaſtica b) cum omnibus ſuis ſpeciebus c) contra Auguſtanæ Confeſſionis Electores, Principes, Status, d) comprehenſa liberâ Imperii Nobi-

ſiaſtica à jure diœceſano, ſive Epiſcopali: Hæc duo enim mihi idem ſunt, quamvis non ignorem, alios Juris Epiſcopalis partem facere jus diœceſanum, ſed quo aliud nihil intelligunt, quam ſubjectionem & reverentiam, Epiſcopo ab incolis diœceſeos debitam, tum vero adminiſtrationem rerum & bonorum Eccleſiaſticorum, item viſitationem, decimarum perceptionem, curam Scholarum, viduarum, pupillorum &c. Nimirum communiter diſpertiuntur jus diœceſanum vel epiſcopale in quatuor partes, (1) in ea quæ ſunt ordinis (2) quæ ad legem ſeu jus diœceſanum ſpectant. (3) quæ ſunt jurisdictionis, & (4) quæ ſtatum dignitatemque Epiſcoporum definiunt, & tuentur. Ordinis ſunt poteſtas publice docendi, adminiſtrandi Sacramenta, ſolvendi ligandique, quod jus clavium appellant: Denique poteſtas ordinandi & inveſtiendi. Ad legem diœceſanam pertinent, quæ modo diximus jura in adminiſtratione diœceſeos occupata. Sub jurisdictione comprehenduntur Audientia Epiſcopalis, deciſio cauſarū, diſpenſatio, ſuſpenſio ab officio, remotio, degradatio, cum aliis cenſuris & pœnis canonicis. Denique Status & dignitatis ſunt tituli, privilegia, immunitates, & prærogativæ graduum, quibus Epiſcopi inter cæteros tam Clericos quam Laicos, uti vocant, eminent; De quibus omnibus poſt alios accurate egit *Heinricus Linker de Jure Epiſcop. cap. 3. & 7.* qui conſuli poteſt.

b) *Et tota Jurisdictio Eccleſiaſtica.*) Hæc ſibi vendicat, ut jam diximus, cognitionem de cauſis (1) Clericorum, civilibus, ſpiritualibus, & criminalibus: (2) de cauſis Laicorum ſpiritualibus, & quæ ſunt mixti fori, veluti matrimonialia, & cœtera.

c) *Cum omnibus ſuis ſpeciebus.*) Abunde ſatis fuerat dixiſſe, *totam Jurisdictionem Eccleſiaſticam.* Sed majoris cautelæ cauſa omnes etiam ejus ſpecies nominantur, ut nihil excluſum intelligatur, quod ullo modo referri ad jurisdictionem Eccleſiaſticam poteſt, veluti pars ejus, vel actus cujuscunque generis. Qui enim omnes ſpecies excludit, utique nihil relinquit, quod generi competere poſſit. Itaque paulo plus hac lege continetur, quam pace religioſa, quæ non univerſum jus diœceſanum, ſed tantum jurisdictionem Eccleſiaſticam ſuſpendebat; Neque cum omnibus ejus ſpeciebus, ſed ſaltem in cauſis, quæ reſpectum habent ad Proteſtantium religionem, fidem, conſcientias, ritus, ceremonias, miniſteria, aliasque res Eccleſiaſticas, cum eorundem profeſſione fidei connexas.

d) *Contra Auguſtanæ Confeſſionis Electores, Principes, Status.*) Eo nimirum

Diœceſanum ſeu jurisdictionem Eccleſiaſticam hic accipio, quæ non modo Catholici Cleri eſt, ſed & quæ Proteſtantium. Cum vero ſuſpenſa eſſe dicitur contra Auguſtanæ Confeſſionis Status eorumque ſubditos, tum de ea jurisdictione intelligo, quam ſibi Clerus Catholicus arrogat, jure an injuria, jam nihil refert. Quando autem lex jurisdictionem Eccleſiaſticam inter Catholicos & Auguſtanæ Confeſſionis Status ſuſpendit, tum vero illum ſimul caſum comprehendere videtur, quando non modo Clerus Catholicus in Auguſtanæ Confeſſionis Status, verum etiam cum hi in Status Catholicos vim jurisdictionis Eccleſiaſticæ expedire volunt, quod variis modis multisque titulis accidere poteſt: Præſertim apud Status Evangelicos, qui ſimul ſunt Eccleſiaſtici, aut fuerunt. Quanta enim olim e. g. Archiepiſcopi & Primatis Magdeburgenſis, vel Archiepiſcopi Bremenſis jurisdictio fuerit in alios ſubjectos ſibi Epiſcopos & Eccleſias notum. Poſtquam vero illæ ditiones cum juribus omnibus & titulis Proteſtantibus ceſſere, æquum utique fuit poſſeſſorum autoritatem & jurisdictionem in terras Pontificiorum olim ſibi ex lege Diœceſeos ſubjectas abrogari ſiſtique, quando horum jurisdictio in Proteſtantes ſuſpenſa fuit. Atque hoc eſt illud meo quidem iudicio, *inter Catholicos & Auguſtanæ Confeſſioni addictos Status*. Sequitur tertium, *inter ipſos Auguſtanæ Confeſſionis Status*: Non modo enim Jurisdictio Eccleſiaſtica in Catholicos Proteſtantibus Statibus Eccleſiaſticis aufertur, ſed & in ipſos Proteſtantes extra territorium ſitos, quamquam olim eam iure diœceſano exercuiſſe reperiantur; Longe enim aliud eſt Diœceſis, aliud territorium, cum illud multo latius parere poſſit, quam hoc; id quod vel unum Electoris Trevirenſis exemplum nos docet, cuius territorium anguſtis ſane finibus circumſcriptum; Diœceſis vero etiam usque in Gallicas quasdam Provincias patet, ſubiectis Epiſcopatibus Metenſi, Tullenſi & Verodunenſi. Quamobrem omnibus probe expenſis ego cenſeo, in explicandis noſtri textus verbis hoc ordine procedendum eſſe. Juris diœceſani & iurisdictionis Eccleſiaſticæ vis atque autoritas vel extra cuiusque Status territorium promovet pedem, vel intra territorium ſe continet. De hoc ultimo caſu mox ſtatuitur: Primo vero attendendum, an ſint Catholici Status, qui hoc ius hancque iurisdictionem exercere volunt, an vero ſint Proteſtantes: Forte etiam non nihil intereſt, an ſint ſeculares Status an Eccleſiaſtici; Certe ſaltem apud Catholicos hæc conſideratio momentum habet, ubi ſecundum principia huius religionis nemo mortalium, qui non eſt ex ordine Eccleſiaſtico, quantacunque de cætero dignitatis vel numeri fuerit, capax habetur iuris diœceſanæ, & iurisdictionis Eccleſiaſticæ. Quoties igitur quæritur, quid liceat Catholicis vi iurisdictionis Eccleſiaſticæ, extra territorium in alios Status eorumque

que ſubditos, rurſus diſtinguendum eſt inter eos, qui ſunt Eccleſiaſtici ordinis, & qui non ſunt ex hoc numero. His ultimis nihil omnino poteſtatis vel juris ejusmodi conceditur; Quoad illos vero rurſum intereſt, num exercere jurisdictionem velint contra alios Catholicos ſuæ religionis, an contra Auguſtanæ Confeſſionis Status & ſubditos: Apud illos ſalva ſunt eis & integra omnia, quæ jus Diœceſanum ipſis addicit ex ſanctione juris Canonici & Inſtitutis Hierarchiæ illius ſacræ, ſive in ipſos Eccleſiaſticos, ſive etiam in ſeculares alios Status & ſubditos iſtius juris autoritas & potentia ſit oſtendenda. Neque enim Pax Weſtphalica hac in re quicquam mutavit, vel quicquam cuiquam abſtulit, cum Evangelicorum non intererat, quo loco iſti inter ſe eſſent, quove jure viverent; ipſi vero non deſiderarint, ut quicquam mutaretur; quando autem res eſt Catholicis Statibus Eccleſiaſtica dignitate fulgentibus contra Auguſtanæ Confeſſionis Status eorumque ſubditos cujuscunque conditionis, tum vero lege cautum eſt, ut jus Diœceſanum & jurisdictio Eccleſiaſtica cum omnibus ſuis ſpeciebus ſuſpenſa habeatur, neque in protestantes ulla ei vis conſtet. Et hactenus quidem lex ſatis plana atque luculenta; Jam quæritur quid Statibus Proteſtantibus conceſſum titulo juris diœceſani & jurisdictionis Eccleſiaſticæ in Catholicos Status eorumque ſubditos. Quamvis hanc circa rem lex nihil ſanciverit, ex æquitatis tamen ratione & jure æqualitatis ſupra ſtabilitæ utique idem plane affirmandum foret, manifeſta alias neque tolerabili iniquitate, ſi Proteſtantes quo Catholicorum jugo ipſi exſolvi cupiebant, cum olim illud portaſſent, eodem Catholicos premere vellent, quod hi nullo tempore ante hac ſubiere. Enim vero ipſa hæc noſtra lex idem vult, cum ait, *tam inter Catholicos & Auguſtanæ Confeſſioni addictos Status*, quibus hunc reciprocum nexum commendat, ut quod uni parti eſt juſtum, alteri quoque ſit juſtum. Supereſt denique caſus tertius, quando jus diœceſanum & jurisdictio Eccleſiaſtica à Statibus proteſtantibus in Status proteſtantes eorumque ſubditos eſt exercenda? v. g. Archiepiſcopus Magdeburgenſis quondam in multos Epiſcopos circum circa Imperio diœceſano eſt uſus. Poſt pacem iſte Archiepiſcopatus apud Ducem Saxoniæ Auguſtum quoad viveret, remanſit; Epiſcopatus vero Halberſtadienſis Electori Brandenburgico ceſſit. Igitur quæri jam poterat, an Magdeburgenſis, quam ante hæc poteſtatem jure diœceſano in Halberſtadienſem poterat exercere, eadem porro etiam frui poſſit? Id quod noſtra lege negatur, quæ jus diœceſanum ſuſpendit *etiam inter ipſos ſolos Auguſt. Confeſſionis Status*, qua in re melior quidem conditio proteſtantium facta, ſed nulla Catholicorum injuria, quibus placuit in ordine Hierachico apud ſe nihil mutari, id quod merito ipſorum judicio eſt relictum, cum invito non

 detur

gionis, h) ſuſpenſa eſto, i) & intra terminos Territorii cujusque jus Diœce-

detur beneficium, nec facile invidiam ſubeant, quibus ante libertatem placet ſervitus, & pro dulcedine ſenſus ex eo, quod quis ſui iuris eſt, quotidiana Domini gnaviter prementis moleſtia.

h) *Usque ad compoſitionem Chriſtianam dis ſidii religionis.*) Repetuntur hæc ubique fere quoties Clero Catholico aliquid cedendum fuit, ne videantur rem penitus pro derelicto habere, ſed neceſſitate temporum ceſſiſſe, ſua repetituri, cum extiterit conditio, etſi nemo ignoret, impoſſibilem iſtam ex ſe eſſe, donec amicabili modo, & ſine coactione conciliatio inſtituetur. Nulla ſanè cauſa, cur omnis Proteſtantium cœtus ab una Secta in alteram tranſeat, cum infinitis rebus, quas ſua natura indifferentes, imo ſæpe ridiculas, in religionem & cultum vertère, prægravem: tum avaritia Cleri & mendicantium Monachorum aſſidua obſidione & importunitatibus, qui omnia locuſtarum inſtar rodent atque adedunt, vix tolerandam. Neque ſane eſt, cur objiciant, pios & devotos ſe in hiſce cum gaudio & ſolatio exercere, neque eſſe facile quemquam ſuorum, cui gravia hæc videantur & incommoda. Nam qui ab incunabulis catenis oneratus, ut ut oneroſis, is tantum abeſt, ut intelligere poſſit, quomodo ſe habeant illi, quibus membra ſua in poteſtate ſunt: Quin potius non ſine luctu & quæſtu ſe patientur ſolvi; Quemadmodum & Verna Servus, qui nullo tempore guſtavit libertatem, Statum ſuum non facile cum libero permutaverit. At Proteſtantes, quos non latet, quam acerbam dominationem Clerus in alios uſurpet, & quam miſeram ſervitutem ſerviant, qui ſemel in ejus poteſtatem vi, dolo aut errore venere, haud ſane facile auſcultabunt Sirenum cantiunculis, initio quidem lætis & ſuavibus, ſed exitu funeſtis: quod nonnunquam aliqui noſtratium transfugiunt, ex eo non magis univerſam eorum converſionem licet ominari, quam paucorum nonnunquam Judæorum acceſſio ad Sacra Chriſtiana ſpem facit, ad univerſæ gentis tranſitionem. Adhæc nonnulli etiam ex pontificiis ad nos deficiunt, pluresque ſane defecturi eſſent, ſi quibus illi nos excipiunt eſcis, eas apponere apud nos viciſſim illis integrum nobis eſſet. Sed profecto mirum non eſt inter ſecuros religionis & rerum divinarum eo frequentiorem eſſe defectionem, ubi nidor culinæ melius olet. & palato ſatisfaciendum eſt aliquo obſequio, & in fraudem propriæ conſcientiæ. Quam cum mutationem ſequitur egeſtas atque inopia, mixta ſemper contemptu, qui ipſa paupertate urget acrius.

i) *Suſpenſa eſto.*) Suſpenſa igitur, inquiunt Catholici, eſt iurisdictio Eccleſia-

cleſiaſtica contra Proteſtantes, non ab ipſis Catholicis ablata. Quo in argumento ſe Patres Dillingenſes ante hac, & poſt pacem Weſtphalicam alii, eorum iudicium ſecuti, magna cura & ſtudio exercuere. Sed vano, ita me Deus amet, conatu; Nam ſi adverſus Proteſtantes juriſdictioni Eccleſiaſticæ non datur locus, ipſis ſane perinde eſſe, poteſt, num ſuſpenſa ſit quoad Catholicos an abrogata: Quia quod me non tangit, id quo minus aliis ſit oneri, ſi lubeat, nihil eſt, cur morer, aut invideam Egregii profecto ſunt interpretes pacis religioſæ illi Dillingenſes, qui ſuſpenſam docent, donec melior ſe occaſio obtulerit ejus repetendæ, cum ibi diſertis verbis conditio, qua ceſſatura ſit hæc ſuſpenſio, tempore definiantur, quo controverſiæ religionis compoſitæ fuerint voluntate partium; non unius partis arbitrio, & veluti ex inſidiis, quæ ratio à genio Chriſtianæ religionis longiſſime abeſt, & antichriſti tyrannidem manifeſto ſapit. De cœtero ſuſpenſa ſemel juriſdictione Eccleſiaſtica Cleri Catholici contra Proteſtantes, quia Eccleſiæ hoc regimine ſolutæ, cura nihilominus & adminiſtratione opus habent, dubium non eſt, quin Statibus proteſtantibus hæc poteſtas incumbat in ſuo cuique territorio De eo ſaltem diſputatum memini, an nomen & vis novi hujus Imperii ſuos debeat natales juri Diœceſano vel Epiſcopali? an vero ex ſuperioritate territoriali veluti pars ejus derivanda ſit, ſicut alia jura, quibus univerſum territorium variis ſub titulis regitur. Sane ſi quis me audierit, hoc potius mallem, quam illud, quandoquidem anceps valde & lubricum eſt, jure diœceſano vel Epiſcopali, quod inventum eſt Hierarchiæ Pontificiæ, cauſam Principum Proteſtantium; imprimis vero Secularium, quod ad Poteſtatem eorum circa ſacra attinet, tueri, cum longe fortiora arma ex ſublimi territorii jure, in ſacra non minus quam profana valido, niſi quis religione ſe faſcinari ſinat, ſuppetant. Neque ſatis eſt pro dignitate negotii dicere, jus Epiſcopale eſſe annexum juris territorii, quia enim annexa rei communiter viliori loco re ipſa habentur, itaque tutius erit, curam Sacrorum inter partes poteſtativas ſuperioritatis territorialis referri, & non inter ejus annexa. Equidem poſſemus faciles in verbis eſſe, ſi modo re conveniremus; Sed experientia nos docet, quam facile calumniis & cavillis locutiones minus propriæ & accuratæ ſint expoſitæ: Et præterea mihi neſcio quid ſemper diſplicuit in nomine illo juris diœceſani vel Epiſcopalis, quod Cleri Dominationem ſapit, à civili Imperio abſolutam; quin huic aliquando contrariam aut recalcitrantem. Relinquamus igitur Clero Catholico ſuos titulos juris Diœceſani, Epiſcopalis, & juriſdictionis Eccleſiaſticæ. Nobis Majeſtas Civilis Imperii non adeo ſordeat, ut exiſtimemus, dignitati ejus & vi accedere aliquid poſſe ad-

Digitized by Google

ſe adjuncto alio jure ſpurio & nominis inſidioſi. Atque hinc non videntur mihi de Principe magnifice ſatis loqui, quibus ille in ſua ditione Epiſcopus audit. Non magis ſanè, ac ſi quis eum Conſulem dixerit, vel Conſiliarium. Equidem memini primos Imperatores Romæ Pontificatum etiam egiſſe, atque hac dignitate ſibi placuiſſe. Verum enim vero uti inania ejusmodi & popularia invidioſo adhuc principatu deliniendæ plebi veluti lenocinia adhibita ſunt, ita, quid ſpecioſis impoſturis opus eſt, quoties ſine cujusquam hominis offenſa libere & aperte munus poteſtatis noſtræ oſtentare poſſumus. Auguſtus Tribunitiam poteſtatem asſumpſit, ut plebis defenſorem ſe jactaret. Noſtri Principes vel absque hoc fuco Patres Patriæ appellantur. Ille idem Pontifex Maximus vocari voluit, ut honore ſacrarum rerum, & quondam cum Diis commercio oculos vulgi perſtringeret, hoc major ſemper & inviolabilior futurus; Nos Chriſtiani à pueritia ſic inſtituti ſumus, ut non modo noverimus nos omnes regali ſacerdotio fungi: Sed & reges Principesque peculiari prærogativa Curatores eſſe atque nutrices Eccleſiæ. Eodem reſponſo dimittendi ſunt, qui vetuſtum morem & gentilibus etiam uſitatum objiciunt, apud quos ipſi reges obiere ſacerdotium, unde illud apud Virgilium.

Rex Anius, Rex idem hominum
Phoebique Sacerdos.

Antiquis enim temporibus rudes adhuc & indomiti homines, ex quo in Civitatem coiere, ut libentius Imperia Regum ſuorum ferrent, religione ante omnia imbuendi erant, cujus maxima vis eſt in omnium conſcientias, naturali quondam impulſu. Neque enim facile quisquam violare eum auſus fuerit, quem ductu & auſpiciis Deorum præeſſe Civitati, & quadam ſingulari familiaritate converſari cum Diis perſuaſum habent: Id quod plebi ſuper omnia argumenta ſacrorum curatione & ſolitis eo tempore ſacrificiis, ex quibus capiebantur omina eventuum in dubiis rebus, quam firmiſſime poterat inſinuari. Quem enim credimus futura poſſe prædicere, is major nobis ſanctiorque, velut contactu quodam & afflatu Numinis dignatus, merito ſuo habetur. Atque conjungi tum munia ſacra cum adminiſtratione civili minori periculo poterant, quod nondum inſolens hæc & peſtifera doctrina animos inſediſſet, Principes non poſſe tractare Sacra & religioni pro Imperio conſulere, niſi ſacro ſimul ordini ſacramentum dixiſſent, cum interim callidi illi & fraudulenti ſibi ſuisque ſimilibus ad gerendam rempublicam & negotia civilia tractanda omnes carceres laxarent, diviſo velut imperio inter ſe & Principes cujus maximam & præcipuam partem, quæ ad religionem pertinet, ſibi ſolis vindicarunt: cæteris in communi relictis. Quo errore & præ-

præſtigiis univerſum pene orbem decipi potuiſſe mirum ſane foret, niſi quotidiana nobis experientia monſtraret, quid fieri tandem illis poſſit, qui ſemel ſe inſidioſis ſacrificulis cœca obedientia mancipavere. Quippe ſuperbi & impudentes velut naribus captum quocunque volunt, non aliter ducunt, ac quæſtus cauſa ducuntur urſi ad ſaltandum edocti. Quamobrem quibus divino beneficio obtigit hodie felicitas, ut diſtinguere à favo fucos, & pias fraudes introſpicere poſſent, illis hercle ſummopere laborandum, ne quam minima veſtigia apud ſe relinquant Dominatus reipublicæ adeo exitioſi: Quid enim juvat, Pontificium jugum excuſſiſſe, ſi te rurſus à tuis ſacerdotibus capi ſiveris iisdem laqueis? Niſi præſcindatur occaſio; Homines, non mores & inſtituta, mutabuntur, atque monſtravit ſane comparabilis Thomaſius contra Carpzovium peculiari libro, quantum hanc circa rem etiam Noſtri papizent. Habent itaque Principes duas maximas cauſas, cur ſibi à jure diœceſano & Epiſcopali caveant, quoties originem ejus aliunde, quam ſuperioritate territoriali derivamus. Nam & in Pontificorum inſidias facile incidunt, quibus illud aſſidue eſt in ore, *Jurisdictionem Eccleſ. ſuſpenſam quidem eſſe contra Proteſtantes, ſed non in illos translatam, neque ſequi exemptos à Jurisdictione, eandem in alios exercere poſſe cum qualitas ſuſpenſionis ſit, non ut poteſtatem det, ſed ut eam, quæ fuit queſcere faciat. Vid. Vindic Hildeſ. pag. 134.* Et ſuæ religionis hominibus ex ſacro ordine viam ſternunt, ad eandem arcem occupandam, qua Pontificios vix dejecimus; Cum ex adverſo jure territoriali, in ſcenam producto & illis reſpondere facile liceat non opus eſſe nobis translatione juris diœceſani, cum Imperio proprio velut poſtliminio reducto, quod jus Epiſcopale nunc ſublatum olim impedierat, res ſacras & Eccleſiaſticas adminiſtremus; & hi lubentius ſe abſtinebunt munere, quod ab omni Epiſcopali qualitate præſcindit, cuius nominis & dignitatis honores & privilegia Noſtri etiam invide appetunt, venanturque, etſi à nominibus & titulis quibusdam in locis ſibi temperent. Nam alibi, ut in Anglia, Dania, Svecia, Epiſcopos etiam retinuimus, faſtu & inſignibus pene iisdem; nec minore ſane licentia & ambitu, ſi quis eos ſolveret, civili imperio, quod modeſtiam adhuc ſvadet: Qua propter tutiſſima ratio eſt, jus territoriale in duo ſumma capita diſtribuere. Unum, quod ſacra tractat, & alterum, quod circa politica verſatur. Quo facto illi parti aſſignare omnia jura omnesque functiones poſſumus, quibus externum Eccleſiæ regimen conſtat: Nam quæ divini ſunt juris, in ea nec jus Epiſcopale vel Diœceſanum arbitrium aliud exercet,

die prima Januarii, Anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi quarti o) in poſſeſſione vel quaſi Juris decimandi è bonis novalibus in alieno Territorio fuerunt, p) ſint etiam in poſterum, nihil autem novi juris quæratur q). Inter cæteros Status Imperii & ſubditos r) id juris

poſſeſſione eſſe, ſed ſubjective, ut intelligantur fundationum poſſeſſores, i. e. ſocietates illæ & conventus ſacri, quorum cauſa inſtitutæ fundationes ſunt.

p) *In poſſeſſione vel quaſi juris decimandi è bonis novalibus in alieno territorio fuerunt.*) Quinque igitur requiruntur ad hujus actionis formulam (1) ut ſint fundationes. (2) ut fundationes illæ fuerint in poſſeſſione vel quaſi juris decimandi, (3) ut poſſeſſionem habuerint die prima Januarii anno 1624. (4) ut jus decimandi competat è bonis novalibus, & (5) ut hæc bona novalia in alieno ſita ſint territorio; nam ſi bona novalia ejusdem ſint territorii, cujus & fundationes, inter has & Dominum territorialem procul dubio lis erit, non hoc ex loco, ſed vel jure communi aut ſtatutario, vel ex aliis pacis Weſtphalicæ legibus dirimenda,

q) *Sint etiam in poſterum, nihil autem novi juris quæratur.*) Præciſe igitur eo jure ſtatur in cujus poſſeſſione ejuſmodi decimatores anno vigeſimo quarto Calendis Januariis fuerunt. Obſerva autem hic poſſeſſionem *juris decimandi*, non *facti* requiri; Ex quo videtur ſequi, etiamſi quis dicto anno occaſionem juris exercendi non habuerit, eum propterea hoc non excidere, modo poſſeſſionem juris vel quaſi docere poterit. Sicuti etiam ille nihil acquirit, qui cum anno vigeſimo quarto jus decimandi non habuiſſet, illud ſibi illo tempore nudo facto & vi arrogare voluerit; Qua in re paululum ab Inſtrumento pacis circa generalis termini definitionem abitur. Cujus ſingularitatis cauſa hæc fortaſſis eſt, quod jus decimandi è bonis novalibus perſonis Eccleſiaſticis & fundatoribus quidem competit, ſed regulariter non in bonis Eccleſiaſticis, quæ proprie objectum ſunt termini illius decretorii, quatenus hoc nomine novum jus absque alia cauſa & fundamento, quam ſola poſſeſſione quærimus. Ex quo conſectarium eſt, ſi Status in bonis Eccleſiaſticis Calendis Januariis anni 24ti decimatione uſi ſunt, jure an injuria id factum fuerit, nihil refert, ex hoc ſolo facto poſſeſſionis ſibi impoſterum jus quæſitum intelligi, quamvis de titulo, qui præceſſerit, docere non poſſint. Hic enim caſus ad aliam legem pertinet, quæ extat in paragrapho, Quæcunque Monaſteria &c. 25. ſupra, ubi reditibus & juribus omnibus, *quocunque ea nomine appellata fuerint*, unicum ſolumque reſtitutionis & obſervantiæ

vantiæ futuræ fundamentum eſt poſſeſſio anno vigeſimo quarto Calendis Januariis habita, irritis prorſus exceptionibus omnibus vel aliis quibuscunque prætextibus & rationibus; Id quod ſane cum hoc noſtro paragrapho, per quem nihil novi juris ex ſola poſſeſſione quæritur, alia ratione conciliari nequit, quam ſi dicamus illic poſſediſſe & exercuiſſe ſtatus jura in bonis & fundationibus Eccleſiaſticis. Hic vero fundationes Eccleſiaſticas dicto tempore jus habuiſſe decimandi ex bonis novalibus eorum, qui non ſunt ex ordine Eccleſiaſtico: Ut adeo magis ad qualitatem poſſidentium, quam bonorum, à quibus exiguntur decimæ, reſpiciendum ſit. Quanquam non negem, qualitatem etiam decimarum, quatenus *ex agris novalibus* petuntur, aliquam hic conſiderationem mereri.

Nihil autem novi juris quæratur.) Igitur quæ fundationes, jus decimandi ex novalibus terris alieno in territorio anno vigeſimo quarto non habuerunt, id ſibi comparare ſola poſſeſſione & nudo facto non poſſunt. Qui vero Status hoc tempore decimatione uſi ſunt, in bonis aliorum Eccleſiaſticis, illis ex poſſeſſione & uſu novum jus quæritur pro futura obſervantia, etiamſi probare nequeant, ſibi tunc jus decimandi legitimo titulo & conceſſione jam quæſitum fuiſſe. His ſufficit nudum factum poſſeſſionis, uſus, obſervantia, & exercitium. Illis, fundationibus, inquam, opus eſt, ut in poſſeſſione fuerint *juris* decimandi, non *facti*.

r) *Inter cæteros Status Imperii, & ſubditos.*) Actum eſt in præcedentibus de jure decimandi è *bonis* novalibus *alieno in territorio*, fundationibus competente. Hic jam quæritur, quid hanc circa rem ſtatuendum ſit, ſi cauſa inter Status & ſubditos vertatur, adeoque decimæ è bonis novalibus non à fundationibus, ſed Domino territorii, non alieno in territorio, ſed in proprio petantur à ſubditis? Quo caſu ut ad jura communia conſuetudines & obſervantiam cujusque loci, ac denique pactiones voluntarias attendatur, lex edicit. Quid autem hoc ſibi vult, *inter cæteros STATUS?* Cum de ſtatibus omnino nihil adhuc conventum reperiatur, quantum quidem ad jus decimandi è bonis novalibus attinet, ſed lex ſaltem fundationum cauſam in præcedentibus egerit, nec aliter quam ratione juris decimandi *alieno in territorio.* Religio mihi eſt, Paciſcentes hic inconſiderantiæ arguere; Non procul tamen abeſt, quin dixerim, rectius facturos fuiſſe, ſi vocem *cæteros*, omiſiſſent; oratione ſic inſtituta. *Inter Status Imperii & Subditos.* Niſi forian magis placeat hæc ratio connexionis, quia inter fundationes, quarum hic generatim fit mentio, immediatæ etiam eſſe poſſunt, quæ ſunt Status Imperii; Itaque hic de Statibus *cæteris*, qui non ſunt Eccleſiaſtici, atque adeo incapaces fundationum, ſtatui. Sed neque hæc explicatio ſuis caret difficultatibus; non modo enim grave

Digitized by Google

juris eſto, quod jus commune s) vel cujusque loci conſuetudo & obſervantiæ de Decimis ex bonis novalibus t) conſtituunt aut per pactiones voluntarias conventum eſt u).

Juriſdictionis Eccleſ. ſuſpenſio.

§. 48. XVI. Jus Diœceſanum a) & tota Juriſdictio Eccleſiaſtica

grave eſt, hanc differentiam lege tam obſcure loquente, inter Status Eccleſiaſticos & ſeculares facere; Sed & illud obſtat, quod jam ſupra paragraphis 25. & 26. expoſitum inveniatur, quid Statibus tam Evangelicis quam Catholicis competat, qui fundationes poſſident, ſive illæ de territorio, ſive in territorio fuerint: Mallem itaque ego omnino, ſi modo liceret, loco verborum, *inter cæteros Status Imperii & ſubditos*, ſubſtituere, *de cætero inter ſtatus Imperii & Subditos &c.* Sed hæc conjectura eſt, de qua liberum cuique judicium relinquo.

s) *Id juris eſto, quod jus commune:*) Igitur nihil hic novi juris ex poſſeſſione certo tempore habita quæritur, ſed in definiendis controverſiis, quæ in ejusmodi cauſis oriri poſſunt, ad jura communia & conſuetudines cujusque loci recurritur.

Ius Commune.) Tam civile, quam Canonicum. Nam hujus etiam non parva eſt auctoritas in quæſtione de jure decimandi è bonis novalibus; Imo fere unica, cum jus civile non adeo multa de decimis novalibus habeat.

t) *Vel cujusque loci conſuetudo & obſervantiæ de decimis ex bonis novalibus.*) Mirum enim variant hæc in re conſuetudines locorum & obſervantiæ: Alibi enim decimæ ex bonis novalibus plane non ſolvuntur; alibi debentur Paſtori loci, alibi Domino territorii. Qua de re vide Wehnerum & Speidelium. Illum in voce *noval* Zehenden; Hunc in voce Neubrüche.

u) *Aut per pactiones voluntarias conventum eſt.*) Ad pacta enim ſemper ante omnia reſpicitur; quæ non modo contractibus dant legem, verum etiam juri & conſuetudinibus derogant, cum unicuique integrum ſit, renunciare juri vel beneficio, quod ex lege vel obſervantia alias habet. Oportet autem pactiones eſſe voluntarias, ut omnis vis vel coactio metusve abſit, quibus aut vitiari pacta ſolent, aut exceptione elidi.

§. 48.

a) *Jus diœceſanum &c.*) Quod in ſecularibus cauſis eſt ſuperioritas territorialis, hæc in Eccleſiaſticis eſſe videtur jus diœceſanum, quod omnes actus juraque complectitur, quibus Eccleſia per Epiſcopum regi ſolet. Quemadmodum igitur juriſdictio â jure territoriali differt ut pars à toto; eadem ratione differt juriſdictio Eccleſiaſtica

Digitized by Google

ſiaſtica b) cum omnibus ſuis ſpeciebus c) contra Auguſtanæ Confeſſionis Electores, Principes, Status, d) comprehenſa liberâ Imperii Nobi•

ſiaſtica à jure diœceſano, ſive Epiſcopali: Hæc duo enim mihi idem ſunt, quamvis non ignorem, alios Juris Epiſcopalis partem facere jus diœceſanum, ſed quo aliud nihil intelligunt, quam ſubjectionem & reverentiam, Epiſcopo ab incolis diœceſeos debitam, tum vero adminiſtrationem rerum & bonorum Eccleſiaſticorum, item viſitationem, decumarum perceptionem, curam Scholarum, viduarum, pupillorum &c. Nimirum communiter diſpertiuntur jus diœceſanum vel epiſcopale in quatuor partes, (1) in ea quæ ſunt ordinis (2) quæ ad legem ſeu jus diœceſanum ſpectant. (3) quæ ſunt jurisdictionis, & (4) quæ ſtatum dignitatemque Epiſcoporum definiunt, & tuentur. Ordinis ſunt poteſtas publice docendi, adminiſtrandi Sacramenta, ſolvendi ligandique, quod jus clavium appellant: Denique poteſtas ordinandi & inveſtiendi. Ad legem diœceſanam pertinent, quæ modo diximus jura in adminiſtratione diœceſeos occupata. Sub jurisdictione comprehenduntur Audientia Epiſcopalis, deciſio cauſarũ, diſpenſatio, ſuſpenſio ab officio, remotio, degradatio, cum aliis cenſuris & pœnis canonicis. Denique Status & dignitatis ſunt tituli, privilegia, immunitates, & prærogativæ graduum, quibus Epiſcopi inter cæteros tam Clericos quam Laicos, uti vocant, eminent; De quibus omnibus poſt alios accurate egit *Heinricus Linker de Jure Epiſcop. cap. 3. & 7.* qui conſuli poteſt.

b) *Et tota Jurisdictio Eccleſiaſtica.*) Hæc ſibi vendicat, ut jam diximus, cognitionem de cauſis (1) Clericorum, civilibus, ſpiritualibus, & criminalibus: (2) de cauſis Laicorum ſpiritualibus, & quæ ſunt mixti fori, veluti matrimonialia, & cœtera.

c) *Cum omnibus ſuis ſpeciebus.*) Abunde ſatis fuerat dixiſſe, *totam Jurisdictionem Eccleſiaſticam.* Sed majoris cautelæ cauſa omnes etiam ejus ſpecies nominantur, ut nihil excluſum intelligatur, quod ullo modo referri ad jurisdictionem Eccleſiaſticam poteſt, veluti pars ejus, vel actus cujuscunque generis. Qui enim omnes ſpecies excludit, utique nihil relinquit, quod generi competere poſſit. Itaque paulo plus hac lege continetur, quam pace religioſa, quæ non univerſum jus diœceſanum, ſed tantum jurisdictionem Eccleſiaſticam ſuſpendebat; Neque cum omnibus ejus ſpeciebus, ſed ſaltem in cauſis, quæ reſpectum habent ad Proteſtantium religionem, fidem, conſcientias, ritus, ceremonias, miniſteria, aliasque res Eccleſiaſticas, cum eorundem profeſſione fidei connexas.

d) *Contra Auguſtanæ Confeſſionis Electores, Principes, Status.*) Eo nimirum

Nobilitate, e) eorumque ſubditos, f) tam inter Catholicos & Auguſtanæ Confeſſioni addictos, quam inter ipſos ſolos Auguſtanæ Confeſſionis Status, g) usque ad compoſitionem Chriſtianam diſſidii Religionis,

rum provexerat olim Clerus Catholicus, ignavia hominum, an inſcitia, ſuæ poteſtatis terminos, ut non in plebem modo & ſubditos ſuperbiſſimum regnum exerceret, ſed & in ipſos Reges & Principes dominaretur, quorum animabus dum conſulere ſe velle ſimulabant, opes interea & marſupia egregie expilavere; Sed huic Tyrannidi Proteſtantes ſtatus propediem repudium miſere, ex quo Pontificiis ſacris renunciatum ab ipſis eſt, dum ſcilicet animus ſuperſtitione liber & jugo ſolutus integris oculis pias illas fraudes abſque metu & præjudicio introſpicere potuit. Peſſime id ſane habebat avaros illos & ſuperbos, adeoque graviſſime tulere tantam auctoritatis ſuæ vim uno velut ictu ſubverti, cui exſtruendæ per plurima ſecula variis impoſturis & ſubtilibus dolis incubuiſſent. Itaque illi cœlum terramque movere, ſummos infimosque concitare, ne hæc ſibi clava manu extorqueretur. E contra Principes poſt detectas ſemel præſtigias & ludibria religionis, atque guſtata libertatis Chriſtianæ dulcedine manibus pedibusque allaborare, ne ſe patiantur priſtinam in ſervitutem redigi, ſpecioſis nomine titulis, re inanibus. Hinc clamores, fremitus, convitia, actiones, denique turbæ & motus, poſtulantium vindicias ſecundum ſervitutem. Econtra reclamantibus alteris, & vim vi propellentibus, ſi cui ob recuperatam libertatem injuria metuenda fuit, aut manus intentabantur. Donec juriſdictionis Eccleſiaſticæ ſuſpenſio decreta, ne in proteſtantes exerceri poſſit, aliquantum mitigavit certamina: Hoc pace religioſa primum factum eſt. Deinde res majori cautione Weſtphalica pace tranſacta, poſtquam Proteſtantes interea experimentis didiciſſent, quibus cavillis aut calumniis pax religioſa non ſuffeciſſet.

e) *Comprehenſa libera Imperii nobilitate.*) Opus hac clauſula eſſe viſum, ne omiſſi pro derelictis, haberentur; Quamquam Nobilibus per ea etiam cautum ſatis fuit, quæ ſtatim de ſubditis ſequuntur, & quod præterea placuit, ut *jus Diœceſanum, & juriſdictio Eccleſiaſtica intra terminos territorii cujusque ſe contineat.*

f) *Eorumque ſubditos.*) Suſpenſa igitur eſt Eccleſiaſtica juriſdictio, non minus contra ſubditos Proteſtantes, quam contra ipſos Status, ne hos ſaltem quis onere iſto exſolutos credat.

g) *Tam inter Catholicos & Aug. Confeſſioni addictos, quam inter ipſos ſolos Auguſtanæ Confeſſionis Status*) Lubens fateor, me non ſatis capere horum verborum ſenſum. Primo enim initio ſtatim

Digitized by Google

ſtatim in genere habetur, jus Diœceſanum & jurisdictionem Eccleſiaſticam contra Proteſtantes Status eorumque ſubditos ſuſpendi, quia non additur *Catholicorum*, paciſcentes intelligi voluiſſe videntur Catholicis Statibus Eccleſiaſticis ſolis hoc jus hancque jurisdictionem proprie tribui poſſe. Evangelicis analogice ſaltem & ad imitationem rei originalis. Deinde ſuſpenditur tantum jurisdictio contra Auguſtanæ Confeſſioni addictos, non etiam adverſus Catholicos, in quos Diœceſanis & Metropolitanis ſalva atque integra per omnia manet. Quid igitur deinde ſequentia ſibi volunt, ſcilicet *tam inter Catholicos & Auguſtanæ Confeſſioni addictos &c.* Item, *intra terminos territorii cujusque jus Diœceſanum & jurisdictio Eccleſiaſtica ſe contineat?* Certe enim jurisdictio Eccleſiaſtica Catholicorum neque intra terminos cujusque territorii ſe arctari patitur, quoties cum aliis Catholicis ſibi res eſt. Neque intra hos ipſos terminos adverſus proprios ſubditos exerceri poteſt, qui Auguſtanæ Confeſſionis ſunt, ſi quid eis imperetur fidei illorum vel conſcientiis repugnans; qua de re paulo poſt. Certe igitur valde obſcura ſunt hæc: jurisdictio Eccleſiaſtica ſuſpenſa eſto contra Auguſtanæ Confeſſionis Status. *Subjectum* igitur eſt jus Diœceſanum, & jurisdictio Eccleſiaſtica, de qua prædicatur, quod ſuſpenſa ſit. (1) Contra Auguſtanæ Confeſſionis Status eorumque ſubditos. Et (2) tam inter Catholicos & Auguſtanæ Confeſſioni addictos, quam inter ſolos Auguſtanæ Confeſſionis Status; Quoniam jurisdictio Eccleſiaſtica tantum *contra* Auguſtanæ Confeſſionis Status eorumque ſubditos ſuſpenſa dicitur, ex eo licet inferre, ſermonem hic eſſe ſaltem de jurisdictione Eccleſiaſtica, & jure Diœceſano, prout hoc Clerus Catholicus, Epiſcopi præcipue & Archi Epiſcopi exercent: Sed cum eadem dicitur ſuſpenſa eſſe tam inter Catholicos & Auguſtanæ Confesſioni addictos, quam inter ſolos Auguſtanæ Confeſſionis Status, ſuperior hujus termini conceptus aliquanto iterum turbatur. Quid enim opus Cleri Catholici jurisdictionem Eccleſiaſticam non modo *contra Proteſtantes* ſuſpendi, verum etiam *inter ipſos Catholicos & Auguſtanæ Confeſſionis* Status? Imo quid opus eandem ſuſpendi *inter ipſos Auguſtanæ Confeſſionis Status?* Quid *contra* ſit, quid item, *inter*, me quidem non latet: Sed neque propterea planior mihi ſenſus hujus textus ex eo fit; Quod ſi dictum fuiſſet, neque Clerum Catholicum jurisdictione Eccleſiaſtica in Auguſtanæ Confeſſionis Status eorumque ſubditos, neque hos in illos uti poſſe, & denique Statibus etiam Evangelicis inter ſe exercitio jurisdictionis Eccleſiaſticæ ſic eſſe interdictum, ne alter in alterum quicquam ejus rei ſibi arroget, utique pateret verborum intellectus. Enim vero ſane ſtructura verborum hunc ſermonem non habet: Et vereor tamen, ut aliam commodam ſignificationem mihi exſculpas. Itaque tandem jus

Diœceſanum ſeu jurisdictionem Eccleſiaſticam hic accipio, quæ non modo Catholici Cleri eſt, ſed & quæ Proteſtantium. Cum vero ſuſpenſa eſſe dicitur contra Auguſtanæ Confeſſionis Status eorumque ſubditos, tum de ea jurisdictione intelligo, quam ſibi Clerus Catholicus arrogat, jure an injuria, jam nihil refert. Quando autem lex jurisdictionem Eccleſiaſticam inter Catholicos & Auguſtanæ Confeſſionis Status ſuſpendit, tum vero illum ſimul caſum comprehendere videtur, quando non modo Clerus Catholicus in Auguſtanæ Confeſſionis Status, verum etiam cum hi in Status Catholicos vim jurisdictionis Eccleſiaſticæ expedire volunt, quod variis modis multisque titulis accidere poteſt: Præſertim apud Status Evangelicos, qui ſimul ſunt Eccleſiaſtici, aut fuerunt. Quanta enim olim e. g. Archiepiſcopi & Primatis Magdeburgenſis, vel Archiepiſcopi Bremenſis jurisdictio fuerit in alios ſubjectos ſibi Epiſcopos & Eccleſias notum. Poſtquam vero iſtæ ditiones cum juribus omnibus & titulis Proteſtantibus ceſſere, æquum utique fuit poſſeſſorum autoritatem & jurisdictionem in terras Pontificiorum olim ſibi ex lege Diœceſeos ſubjectas abrogari ſiſtique, quando horum jurisdictio in Proteſtantes ſuſpenſa fuit. Atque hoc eſt illud meo quidem iudicio, *inter Catholicos & Auguſtanæ Confeſſioni addictos Status*. Sequitur tertium, *inter ipſos Auguſtanæ Confeſſionis Status:* Non modo enim Jurisdictio Eccleſiaſtica in Catholicos Proteſtantibus Statibus Eccleſiaſticis aufertur, ſed & in ipſos Proteſtantes extra territorium ſitos, quamquam olim eam iure diœceſano exercuiſſe reperiantur; Longe enim aliud eſt Diœceſis, aliud territorium, cum illud multo latius patere poſſit, quam hoc; id quod vel unum Electoris Trevirenſis exemplum nos docet, cuius territorium anguſtis ſane finibus circumſcriptum; Diœceſis vero etiam usque in Gallicas quaſdam Provincias patet, ſubiectis Epiſcopatibus Metenſi, Tullenſi & Verodunenſi. Quamobrem omnibus probe expenſis ego cenſeo, in explicandis noſtri textus verbis hoc ordine procedendum eſſe. Juris diœceſani & iurisdictionis Eccleſiaſticæ vis atque autoritas vel extra cuiusque Status territorium promovet pedem, vel intra territorium ſe continet. De hoc ultimo caſu mox ſtatuitur: Primo vero attendendum, an ſint Catholici Status, qui hoc ius hancque iuriſdictionem exercere volunt, an vero ſint Proteſtantes: Forte etiam non nihil intereſt, an ſint ſeculares Status an Eccleſiaſtici; Certe ſaltem apud Catholicos hæc conſideratio momentum habet, ubi ſecundum principia huius religionis nemo mortalium, qui non eſt ex ordine Eccleſiaſtico, quantæcunque de cœtero dignitatis vel numeri fuerit, capax habetur iuris diœceſanæ, & iurisdictionis Eccleſiaſticæ. Quoties igitur quæritur, quid liceat Catholicis vi iurisdictionis Eccleſiaſticæ, extra territorium in alios Status eorumque

que ſubditos, rurſus diſtinguendum eſt inter eos, qui ſunt Eccleſiaſtici ordinis, & qui non ſunt ex hoc numero. His ultimis nihil omnino poteſtatis vel juris ejusmodi conceditur; Quoad illos vero rurſum intereſt, num exercere jurisdictionem velint contra alios Catholicos ſuæ religionis, an contra Auguſtanæ Confeſſionis Status & ſubditos: Apud illos ſalva ſunt eis & integra omnia, quæ jus Diœceſanum ipſis addicit ex ſanctione juris Canonici & Inſtitutis Hierarchiæ illius ſacræ, ſive in ipſos Eccleſiaſticos, ſive etiam in ſeculares alios Status & ſubditos iſtius juris autoritas & potentia ſit oſtendenda. Neque enim Pax Weſtphalica hac in re quicquam mutavit, vel quicquam cuiquam abſtulit, cum Evangelicorum non intereſſet, quo loco iſti inter ſe eſſent, quove jure viverent; ipſi vero non deſiderarint, ut quicquam mutaretur; quando autem res eſt Catholicis Statibus Eccleſiaſtica dignitate fulgentibus contra Auguſtanæ Confeſſionis Status eorumque ſubditos cujuscunque conditionis, tum vero lege cautum eſt, ut jus Diœceſanum & jurisdictio Eccleſiaſtica cum omnibus ſuis ſpeciebus ſuſpenſa habeatur, neque in protestantes ulla ei vis conſtet. Et hactenus quidem lex ſatis plana atque luculenta; Jam quæritur quid Statibus Proteſtantibus conceſſum titulo juris diœceſani & jurisdictionis Eccleſiaſticæ in Catholicos Status eorumque ſubditos. Quamvis hanc circa rem lex nihil ſanciverit, ex æquitatis tamen ratione & jure æqualitatis ſupra ſtabilitæ utique idem plane affirmandum foret, manifeſta alias neque tolerabili iniquitate, ſi Proteſtantes quo Catholicorum jugo ipſi exſolvi cupiebant, cum olim illud portaſſent, eodem Catholicos premere vellent, quod hi nullo tempore ante hac ſubiere. Enim vero ipſa hæc noſtra lex idem vult, cum ait, *tam inter Catholicos & Auguſtanæ Confeſſioni addictos Status*, quibus hunc reciprocum nexum commendat, ut quod uni parti eſt juſtum, alteri quoque ſit juſtum. Supereſt denique caſus tertius, quando jus diœceſanum & jurisdictio Eccleſiaſtica à Statibus proteſtantibus in Status proteſtantes eorumque ſubditos eſt exercenda? v. g. Archiepiſcopus Magdeburgenſis quondam in multos Epiſcopos circum circa Imperio diœceſano eſt uſus. Poſt pacem iſte Archiepiſcopatus apud Ducem Saxoniæ Auguſtum quoad viveret, remanſit; Epiſcopatus vero Halberſtadienſis Electori Brandenburgico ceſſit. Igitur quæri jam poterat, an Magdeburgenſis, quam ante hæc poteſtatem jure diœceſano in Halberſtadienſem poterat exercere, eadem porro etiam frui poſſit? Id quod noſtra lege negatur, quæ jus diœceſanum ſuſpendit *etiam inter ipſos ſolos Auguſt. Confeſſionis Status*, qua in re melior quidem conditio proteſtantium facta, ſed nulla Catholicorum injuria, quibus placuit in ordine Hierachico apud ſe nihil mutari, id quod merito ipſorum judicio eſt relictum, cum invito non

gionis, h) ſuſpenſa eſto, i) & intra terminos Territorii cujusque jus Diœce-

detur beneficium, nec facile invidiam ſubeant, quibus ante libertatem placet ſervitus, & pro dulcedine ſenſus ex eo, quod quis ſui iuris eſt, quotidiana Domini graviter prementis moleſtia.

h) *Usque ad compoſitionem Chriſtianam disſidii religionis.*) Repetuntur hæc ubique fere quoties Clero Catholico aliquid cedendum fuit, ne videantur rem penitus pro derelicto habere, ſed neceſſitate temporum ceſſiſſe, ſua repetituri, cum extiterit conditio, etſi nemo ignoret, impoſſibilem iſtam ex ſe eſſe, donec amicabili modo, & ſine coactione conciliatio inſtituetur. Nulla ſanè cauſa, cur omnis Proteſtantium cœtus ab una Secta in alteram tranſeat, cum infinitis rebus, quas ſua natura indifferentes, imo ſæpe ridiculas, in religionem & cultum vertère, prægravem: tum avaritia Cleri & mendicantium Monachorum aſſidua obſidione & importunitatibus, qui omnia locuſtarum inſtar rodent atque adedunt, vix tolerandam. Neque ſane eſt, cur objiciant, pios & devotos ſe in hiſce cum gaudio & ſolatio exercere, neque eſſe facile quemquam ſuorum, cui gravia hæc videantur & incommoda. Nam qui ab incunabulis catenis oneratus, ut ut onerofis, is tantum abeſt, ut intelligere poſſit, quomodo ſe habeant illi, quibus membra ſua in poteſtate ſunt: Quin potius non ſine luctu & quæſtu ſe patientur ſolvi; Quemadmodum & Verna Servus, qui nullo tempore guſtavit libertatem, Statum ſuum non facile cum libero permutaverit. At Proteſtantes, quos non latet, quam acerbam dominationem Clerus in alios uſurpet, & quam miſeram ſervitutem ſerviant, qui ſemel in ejus poteſtatem vi, dolo aut errore venere, haud ſane facile auſcultabunt Sirenum cantiunculis, initio quidem lætis & ſuavibus, ſed exitu funeſtis: quod nonnunquam aliqui noſtratium transfugiunt, ex eo non magis univerſam eorum converſionem licet ominari, quam paucorum nonnunquam Judæorum acceſſio ad Sacra Chriſtiana ſpem facit, ad univerſæ gentis tranſitionem. Adhæc nonnulli etiam ex pontificiis ad nos deficiunt, pluresque ſane defecturi eſſent, ſi quibus illi nos excipiunt eſcis, eas apponere apud nos viciſſim illis integrum nobis eſſet. Sed profecto mirum non eſt inter ſecuros religionis & rerum divinarum eo frequentiorem eſſe defectionem, ubi nidor culinæ melius olet. & palato ſatisfaciendum eſt aliquo obſequio, & in fraudem propriæ conſcientiæ. Quam cum mutationem ſequitur egeſtas atque inopia, mixta ſemper contemptu, qui ipſa paupertate urget acrius.

i) *Suſpenſa eſto.*) Suſpenſa igitur, inquiunt Catholici, eſt iurisdictio Eccleſia-

cleſiaſtica contra Proteſtantes, non ab ipſis Catholicis ablata. Quo in argumento ſe Patres Dillingenſes ante hac, & poſt pacem Weſtphalicam alii, eorum iudicium ſecuti, magna cura & ſtudio exercuere. Sed vano, ita me Deus amet, conatu; Nam ſi adverſus Proteſtantes juriſdictioni Eccleſiaſticæ non datur locus, ipſis ſane perinde eſſe, poteſt, num ſuſpenſa ſit quoad Catholicos an abrogata: Quia quod me non tangit, id quo minus aliis ſit oneri, ſi lubeat, nihil eſt, cur morer, aut invideam Egregii profecto ſunt interpretes pacis religioſæ illi Dillingenſes, qui ſuſpenſam docent, donec melior ſe occaſio obtulerit ejus repetendæ, cum ibi diſertis verbis conditio, qua ceſſatura ſit hæc ſuſpenſio, tempore definiantur, quo controverſiæ religionis compoſitæ fuerint voluntate partium; non unius partis arbitrio, & veluti ex inſidiis, quæ ratio à genio Chriſtianæ religionis longiſſime abeſt, & antichriſti tyrannidem manifeſto ſapit. De cœtero ſuſpenſa ſemel juriſdictione Eccleſiaſtica Cleri Catholici contra Proteſtantes, quia Eccleſiæ hoc regimine ſolutæ, cura nihilominus & adminiſtratione opus habent, dubium non eſt, quin Statibus proteſtantibus hæc poteſtas incumbat in ſuo cuique territorio De eo ſaltem diſputatum memini, an nomen & vis novi hujus Imperii ſuos debeat natales juri Diœceſano vel Epiſcopali? an vero ex ſuperioritate territoriali veluti pars ejus derivanda ſit, ſicut alia jura, quibus univerſum territorium variis ſub titulis regitur. Sane ſi quis me audierit, hoc potius mallem, quam illud, quandoquidem anceps valde & lubricum eſt, jure diœceſano vel Epiſcopali, quod inventum eſt Hierarchiæ Pontificiæ, cauſam Principum Proteſtantium; imprimis vero Secularium, quod ad Poteſtatem eorum circa ſacra attinet, tueri, cum longe fortiora arma ex ſublimi territorii jure, in ſacra non minus quam profana valido, niſi quis religione ſe faſcinari ſinat, ſuppetant. Neque ſatis eſt pro dignitate negotii dicere, jus Epiſcopale eſſe annexum juris territorii, quia enim an̄exa rei communiter viliori loco re ipſa habentur, itaque tutius erit, curam Sacrorum inter partes poteſtativas ſuperioritatis territorialis referri, & non inter ejus annexa. Equidem poſſemus faciles in verbis eſſe, ſi modo re conveniremus; Sed experientia nos docet, quam facile calumniis & cavillis locutiones minus propriæ & accuratæ ſint expoſitæ: Et præterea mihi neſcio quid ſemper diſplicuit in nomine illo juris diœceſani vel Epiſcopalis, quod Cleri Dominationem ſapit, à civili Imperio abſolutam; quin huic aliquando contrariam aut recalcitrantem. Relinquamus igitur Clero Catholico ſuos titulos juris Diœceſani, Epiſcopalis, & juriſdictionis Eccleſiaſticæ. Nobis Majeſtas Civilis Imperii non adeo ſordeat, ut exiſtimemus, dignitati ejus & vi accedere aliquid poſſe ad-

Digitized by Google

ſe adjuncto alio jure ſpurio & nominis inſidioſi. Atque hinc non videntur mihi de Principe magnifice ſatis loqui, quibus ille in ſua ditione Epiſcopus audit. Non magis ſanè, ac ſi quis eum Conſulem dixerit, vel Conſiliarium. Equidem memini primos Imperatores Romæ Pontificatum etiam egiſſe, atque hac dignitate ſibi placuiſſe. Verum enim vero uti inania ejusmodi & popularia invidioſo adhuc principatu deliniendæ plebi veluti lenocinia adhibita ſunt, ita, quid ſpecioſis impoſturis opus eſt, quoties ſine cujusquam hominis offenſa libere & aperte munus poteſtatis noſtræ oſtentare poſſumus. Auguſtus Tribunitiam poteſtatem asſumpſit, ut plebis defenſorem ſe jactaret. Noſtri Principes vel absque hoc fuco Patres Patriæ appellantur. Ille idem Pontifex Maximus vocari voluit, ut honore ſacrarum rerum, & quondam cum Diis commercio oculos vulgi perſtringeret, hoc major ſemper & inviolabilior futurus; Nos Chriſtiani à pueritia ſic inſtituti ſumus, ut non modo noverimus nos omnes regali ſacerdotio fungi: Sed & reges Principesque peculiari prærogativa Curatores eſſe atque nutrices Eccleſiæ. Eodem reſponſo dimittendi ſunt, qui vetuſtum morem & gentilibus etiam uſitatum objiciunt, apud quos ipſi reges obiere ſacerdotium, unde illud apud Virgilium.

Rex Anius, Rex idem hominum
Phoebique Sacerdos.

Antiquis enim temporibus rudes adhuc & indomiti homines, ex quo in Civitatem coiere, ut libentius Imperia Regum ſuorum ferrent, religione ante omnia imbuendi erant, cujus maxima vis eſt in omnium conſcientias, naturali quondam impulſu. Neque enim facile quisquam violare eum auſus fuerit, quem ductu & auſpiciis Deorum præeſſe Civitati, & quadam ſingulari familiaritate converſari cum Diis perſuaſum habent: Id quod plebi ſuper omnia argumenta ſacrorum curatione & ſolitis eo tempore ſacrificiis, ex quibus capiebantur omina eventuum in dubiis rebus, quam firmiſſime poterat inſinuari. Quem enim credimus futura poſſe prædicere, is major nobis ſanctiorque, velut contactu quodam & afflatu Numinis dignatus, merito ſuo habetur. Atque conjungi tum munia ſacra cum adminiſtratione civili minori periculo poterant, quod nondum inſolens hæc & peſtifera doctrina animos inſediſſet, Principes non poſſe tractare Sacra & religioni pro Imperio conſulere, niſi ſacro ſimul ordini ſacramentum dixiſſent, cum interim callidi illi & fraudulenti ſibi ſuisque ſimilibus ad gerendam rempublicam & negotia civilia tractanda omnes carceres laxarent, diviſo velut imperio inter ſe & Principes cujus maximam & præcipuam partem, quæ ad religionem pertinet, ſibi ſolis vindicarunt: cæteris in communi relictis. Quo errore & præ-

Digitized by Google

præſtigiis univerſum pene orbem decipi potuiſſe mirum ſane foret, niſi quotidiana nobis experientia monſtraret, quid fieri tandem illis poſſit, qui ſemel ſe inſidioſis ſacrificulis cœca obedientia mancipavere. Quippe ſuperbi & impudentes velut naribus captum quocunque volunt, non aliter ducunt, ac quæſtus cauſa ducuntur urſi ad ſaltandum edocti. Quamobrem quibus divino beneficio obtigit hodie felicitas, ut diſtinguere à favo fucos, & pias fraudes introſpicere poſſent, illis hercle ſummopere laborandum, ne quam minima veſtigia apud ſe relinquant Dominatus reipublicæ adeo exitioſi: Quid enim juvat, Pontificium jugum excuſſiſſe, ſi te rurſus à tuis ſacerdotibus capi ſiveris iisdem laqueis? Niſi præſcindatur occaſio; Homines, non mores & inſtituta, mutabuntur, atque monſtravit ſane comparabilis Thomaſius contra Carpzovium peculiari libro, quantum hanc circa rem etiam Noſtri papizent. Habent itaque Principes duas maximas cauſas, cur ſibi à jure diœceſano & Epiſcopali caveant, quoties originem ejus aliunde, quam ſuperioritate territoriali derivamus. Nam & in Pontificorum inſidias facile incidunt, quibus illud aſſidue eſt in ore, *Jurisdictionem Eccleſ. ſuſpenſam quidem eſſe contra Proteſtantes, ſed non in illos translatam, neque ſequi exemptos à Jurisdictione, eandem in alios exercere poſſe cum qualitas ſuſpenſionis ſit, non ut poteſtatem det, ſed ut eam, quæ fuit quieſcere faciat. Vid. Vindic Hildeſ. pag. 134.* Et ſuæ religionis hominibus ex ſacro ordine viam ſternunt, ad eandem arcem occupandam, qua Pontificios vix dejecimus; Cum ex adverſo jure territoriali, in ſcenam producto & illis reſpondere facile liceat non opus eſſe nobis translatione juris diœceſani, cum Imperio proprio velut poſtliminio reducto, quod jus Epiſcopale nunc ſublatum olim impedierat, res ſacras & Eccleſiaſticas adminiſtremus; & hi lubentius ſe abſtinebunt munere, quod ab omni Epiſcopali qualitate præſcindit, cuius nominis & dignitatis honores & privilegia Noſtri etiam invide appetunt, venanturque, etſi à nominibus & titulis quibusdam in locis ſibi temperent. Nam alibi, ut in Anglia, Dania, Svecia, Epiſcopos etiam retinuimus, faſtu & inſignibus pene iisdem; nec minore ſane licentia & ambitu, ſi quis eos ſolveret, civili imperio, quod modeſtiam adhuc ſvadet: Qua propter tutiſſima ratio eſt, jus territoriale in duo ſumma capita diſtribuere. Unum, quod ſacra tractat, & alterum, quod circa politica verſatur. Quo facto illi parti aſſignare omnia jura omnesque functiones poſſumus, quibus externum Eccleſiæ regimen conſtat: Nam quæ divini ſunt juris, in ea nec jus Epiſcopale vel Diœceſanum arbitrium aliud exer-

(*Meditat. Spec. IV.*)

cet, quam miniſterii vices in promovendis Dei mandatis. Neque primis Eccleſiæ Chriſtianæ temporibus, quum ſcilicet Imperatores curam ejus gerere cepere, de ejusmodi partitione auditum, ut ſacer ordo Eccleſiaſtica ſua faceret, cætera Princeps adminiſtraret; Quin hic omnia imperio ſuo complexus eſt, donec Romano Pontifice caput paulatim attollente, neſcio quo ementito vicarii titulo ſacram illam Monarchiam molitus eſt, quæ mox ipſos Principes ſub jugum miſit & dimidia imperii ſui parte exarmavit. Clare Socrates Hiſtoricus ſua adhuc ætate teſtatus, *ex quo Imperatores facti ſunt Chriſtiani, res Eccleſiæ ab ipſis dependiſſe*, & Optatus Milevitanus: *Non eſſe rempublicam in Eccleſia, ſed Eccleſiam in republica.* Ipſe Imperator Baſilius Eccleſiam vocavit *navem univerſalem, cujus ſibi gubernacula à Deo concredita.* Quæ ſimilitudo immane quantum abludit ab ævo ſequiori quando ſe Clerus pingi commento vaferrimo ad gubernacula curavit, cæteris navi incluſis & ocioſis, ut veherentur, quo gubernatores illos lubido agit. Huic Imperatori addimus alium diverſa orbis parte, Carolum, inquam, Magnum, quem Concilium Moguntinenſe *veræ religionis Rectorem* appellat; & denique Eleutherium Epiſcopum Romanum, qui Regem Britonum pro *Dei vicario* habet, non in Politicis modo, verum etiam in cauſa religionis, de qua unice fere in vetere illo Epiſtolio agit, quod ejus nomine circumfertur. Ut de Auguſtino taceamus, cujus eximia hoc in argumento loca ſunt, Donatiſtis oppoſita, qui olim, ut hodie Pontificii, ſummis poteſtatibus in id genus negotiis feruntur fuiſſe admodum iniqui; Quanquam forte inter hos & illos nihilominus hæc differentia fuit, quod Donatiſtæ vim ſaltem à conſcientiis deprecarentur, negarentque ad officium Principis pertinere, ſubditos divinis in rebus diverſa à publicis Sacris docentes pœnis ſuppliciisque exercere; Cum Pontificii eo ipſo, quo Principibus poteſtatem circa Sacra ereptum eunt, eam ſibi ipſi vindicent in Reg. & principes & reliquam omnem multitudinem, quod Donatiſtas unquam feciſſe non memini me legiſſe.

Atque hoc argumentum de ſuſpenſo jure Epiſcopali & Jurisdictione Eccleſiaſtica, ſi hac ratione ex veris Doctrinæ Politicæ principiis tractamus, in promptu erit adverſariorum ictis excipere, quin in illos ipſos tela fortiter retorquere, quibus incautos impetunt & circumveniunt. In Vindiciis Hildeſienſibus Cantzellarius Zimmermannus magno verborum paratu jactat, ſuſpenſam contra Proteſtantes jurisdictionem Epiſcopalem, His ideo non conferre jus Epiſcopale, neque ideo Principes in locum Epiſcoporum ſuccedere: *Cum in alium non poſſit dici translatum, quod priori nondum ademptum eſt.* Dentur larga manu, contra

tra nos ne hilum quidem profecerit, qui Epiſcopali jure non egemus, in vindicanda Principibus noſtris Eccleſiarum curatione, & directione rerum ſacrarum: Ex quo enim jus Diœceſanum contra hos ſuſpenſum fuit, revixit ſtatim jus eorum territoriale circa ſacra, cui hactenus Clerus Pontificius uſurpatione neſcio cujus generis imperii impedimento fuerat. Ad hanc rem conficiendam nulla translatione Jurisdictionis Epiſcopalis eſt opus, ſed ſaltem ejus ſuſpenſione vel remotione: Uti enim oculi ſuffuſione capti viſum propediem recuperant, quamprimum remota cuticula illa fuerit, quæ potentiæ videndi obſtiterat. Ita ſublata Epiſcopali Juriſdictione, velut caligine, qua ſplendor Civilis Imperii obnubilatur, Majeſtas Principum in orbem quaſi integro fulgore redit, & quod deliquium paſſa erat ab æmula ſed peregrina & adultera poteſtate, recedente oppoſitu adeo diſpellit, ut plano nunc lumine totam per civitatem luceat. Hoc beneficium Principes primis debent Reformatoribus, qui faſcinatione eos exſolvêre, & incantamentis, quibus tenebantur capiſtri inſtar, ut ſentire non potuerint, quantum ſibi liceat. Neque illud turbat, pace religioſa Jurisdictionem Eccleſiaſticam Catholicorum contra Proteſtantes ſuſpenſam eſſe ſaltem in cauſis religionem ipſorum & annexa concernentibus: Pace enim Weſtphalica hoc aliquatenus extenſum, ut tota Juriſdictio Eccleſiaſtica *cum omnibus ſuis ſpeciebus* ſuſpenſa fuerit, quod procul dubio averruncandis illis controverſiis placuit, quæ ex pace religioſa ea occaſione pullulabant, cum quæreretur, num res, de qua lis erat, religionem Proteſtantium præciſe tangeret? Denique ego Catholicis, haudquaquam conſulere vellem, ſi mihi auſcultarent, ut â primis Eccleſiæ tam Judaicæ quam Chriſtianæ temporibus jus ſuum diœceſanum derivarent. Profecto enim ſi ad manus cum adverſariis venirent, vereor ne primo concurſu profligarentur. Minimum hoc loco Zimmermannus cauſam tam male egit, ut dubitem, an etiam apud ſuos hoc diſcurſu multum gratiæ inierit. Prohibitos olim fuiſſe Reges â Deo, ne ædibus ſacris appropinquent, id fateor, me nuſpiam ſacris in Bibliis legiſſe, neque caput 43. Ezechielis hoc dicit, ut nunc taceam, hanc totam prophetiam ad alia longe tempora, quæ nec dum venere, reſpicere. Certe Salomon Rex templum magnifico opere â ſe ædificatum ipſe precibus ad Deum fuſis, mactatisque hoſtiis, & omni ritu ſacro inauguravit, conſtititque miraculoſa nube & tenebris, quibus impleta ædes eſt, Regem â Deo exauditum fuiſſe, neque diſplicuiſſe Numini acta ejus. Neque alia rerum facies, cum primi Imperatores Chriſtiani facti ſunt, id quod Grotius egregio ſcripto, de jure ſummarum poteſtatum circa ſacra poſt multos alios luculenter probavit.

Diœceſanum, & Juriſdictio Eccleſiaſtica ſe contineat. k) Ad conſequendos tamen reditus, cenſus, decimas & penſiones, l) in iis Augu-

bavit. Deſinant itaque nobis antiquitatem objicere, cujus ſuffragiis conſtanter damnantur, qui ſibi præſidium in illa quærunt, niſi forte antiquitatem vocare velis tempus mille & amplius annorum, cum invaleſcente ſuperſtitione, quam facile erat impoſtoribus apud candidos & ſimplices animos ſtabilire, Imperatores & Reges rati, rem Deo gratam ſe facturos, non reverentia modo & dignitate extulere Clerum, verum etiam opibus & novo quodam Imperio adeo auxere, ut paulatim ſupra capita eorum aſcenderet, atque ſtatum abſolutum in ipſo ſtatu reipublicæ moliretur, quæ res deinceps fraudi exitioque Principibus fuit, in quos ſuperbe, avare & crudeliter ſævire, donec iterum illi ipſi ſumma impudentia & libidinibus rem eo deduxere, ut ad contrarias & manifeſtas vexationes atque injurias, quibus totus occidens per multa admodum ſecula ſubactus & velut triumphatus eſt, aperire oculos Principes inciperent, avideque audirent & amplecterentur eos, qui meliori ſacrarum literarum uſu populos ſervitute preſſos ad pileum vocabant, retectis inanibus, & vindicata principum Majeſtate contra neſcio quod ſpectrum imperii in ſpiritualibus, cui ipſi Reges ſubmittere faſces debebant, ſine modo & ſine graſſanti.

k) *Et intra terminos territorii cujusque jus Diœceſanum, & juriſdictio Eccleſiaſtica ſe contineat.*) i. e. jus Diœceſanum, & juriſdictio Eccleſiaſtica Cleri Catholici contra Proteſtantes contineat ſe intra terminos ſui territorii, etſi antehac longius evagata fuerit. Itemque jus diœceſanum & juriſdictio Eccleſiaſtica Statuum Eccleſiaſticorum Proteſtantium erga Catholicos itidem ſe contineat intra ſui territorii terminos, quamvis olim extra illos vim ſuam exſeruerit. Quod vero ad proteſtantes Principes attinet, qui non ſunt Eccleſiaſtici, Illi ſicut in rebus Sacris dirigendis extra territorium ſuum in alieno jus dicere non poſſunt: Ita jure Diœceſano & juriſdictione Eccleſiaſtica ſuo in territorio non indigent, ſed ſua ſibi poteſtate ſufficiunt in omnibus illis jubendis vetandisque, quæ divino jure univerſali contraria non ſunt: Qua ſane in re horum conditio ante Principes Statusque Catholicos non Eccleſiaſticos multis modis eſt melior.

l) *Ad conſequendos tamen reditus, cenſus, decimas & penſiones.*) Habetur hic exceptio, quando ſcilicet Catholici juriſdictione Eccleſiaſtica in ditionibus

nibus proteſtantium uti adhuc poſſint, ubi duo concurrere neceſſe eſt: Scilicet (1) ſi de conſequendis ſaltem reditibus, cenſibus, decimis, & penſionibus agatur: & (2) Si Catholici anno 1624 notorie in poſſeſſione vel quaſi exercitii jurisdictionis Eccleſiaſticæ fuerunt; id quod etiam de Statibus Evangelicis dictum velim, cum, quod uni parti juſtum eſt, alteri etiam juſtum eſſe debeat, ſervata in omnibus quæ Paci Weſtphalicæ contraria non ſunt, æqualitate. Aut ſi hoc jurisdictionis Eccleſiaſticæ exercitium reciprocum non eſſet, confirmaretur hercle hoc ipſo eorum opinio, qui Status proteſtantes jurisdictionis Eccleſiaſticæ inhabiles eſſe volunt, quæ tamen ſententia & rationi repugnat & experientiæ. Scilicet de Proteſtantibus Eccleſiaſticis loquor Statibus, quos in ſuis Diœceſibus jurisdictionem Eccleſiaſticam proprie ſic dictam exercere res ipſa docet. Neque opus eſt ut à Papa illam mandatam ſibi habeant: Nam à territoriali ſuperioritate derivatur, nomenque Eccleſiaſticæ jurisdictionis ex qualitate perſonæ ſumit, quatenus illa eſt Eccleſiaſtica: Cum Principes non Eccleſiaſtici eandem exerceant vi jurisdictionis circa ſacra; quippe inſigniter decipiuntur, qui dulcem hunc ſomnum ſomniant de omni poteſtate circa ſacra à Chriſto primum in Petrum, Apoſtolorum Principem, & ab hoc in Succeſſores ejus Pontifices Romanos translata. De prædicatione verbi & adminiſtratione Sacramentorum non repugno, modo noverimus, quæ Petro data fuere, eadem omnibus Apoſtolis, ac deinde toti Eccleſiæ Chriſtianæ fuiſſe conceſſa, licet conditio ejusmodi cœtus poſtulaverit, ut ordine & decenter omnia fiant. At quæ propriè Jurisdictionis ſunt, illa ſane à primis Imperatoribus Chriſtianis fluxiſſe, & in Epiſcopos collata eſſe, nemo in antiquitate Eccleſiaſtica adeo peregrinus eſt, qui neſciat. Quos Imperatores ego quidem rectius facturos fuiſſe arbitror, ſi hoc imperio omnem Clerum arcuiſſent, cujus ambitio eo ipſo in tantum accenſa eſt, ut mox arma in eos verterent, quorum ductu & auſpiciis iſta primum induere. Profecto enim ſi ſacrificuli illi ſibi ſolis, quales erant à Chriſto inſtituti, relicti fuiſſent, ſacra illa Monarchia Papatus Romani naſci nunquam potuiſſet, qua mox univerſus pene orbis modis fraudibusque indigniſſimis fuit ſubjugatus.

De cætero egregie fallit aut certe fallitur Buckiſch, qui ad hunc locum commentatur, extra religionis materiam jurisdictionem Eccleſiaſticam Catholicorum contra Auguſtanæ Confeſſioni addictos etiamnum hodie ſuſpenſam non eſſe, ſed plenarie exerceri poſſe, atque adeo id, quod hic de reditibus, cenſibus decimis & penſionibus ſtatuitur, tantum exempli loco, non vero per mo-

 dum

dum exceptionis proponi; quod ſane falſiſſimum. In præſentia nunc non urgeam, vix concipi jurisdictionem Eccleſiaſticam poſſe, ubi religionis materia non intervenit, cum religionis cauſa hæc ipſa introducta fuerit, & reliqua jurisdictioni civili etiam apud Catholicos relinquantur, niſi Clerus ad ſe trahere omnia velit. Noſter textus ſufficiat nobis convincendæ hujus hominis impudentiæ, qui *totam* jurisdictionem Eccleſiaſticam cum *omnibus* ſuis ſpeciebus contra Auguſtanæ Confeſſionis Status ſuſpenſam dicit: An non igitur huic legi contradicit ille, qui negat totam jurisdictionem Eccleſiaſticam, nec cum omnibus ſuis ſpeciebus contra Auguſtanæ Confeſſioni addictos ſuſpenſam eſſe, ſed plenarie exerceri poſſe affirmat. Et an non veteratorie agit, qui manifeſtam hoc loco exceptionem de reditibus & cœteris per illud *v. g.* quod in textu non extat, ad exempla refert, cum conjunctio adverſativa *tamen* vim excipiendi, non vero per exempla illuſtrandi habeat: Exceptione autem confirmari regulam in non exceptis vulgati eſt iuris. Quod igitur ad cauſas matrimonii & divortii attinet, quis Statuum Proteſtantium Clero Catholico jus de illis cognoſcendi attribuerit, quis auſcultaverit Epiſcopis aut Prælatis id genus lites ad tribunal ſuum vocantibus. Hoc ipſo enim quod noſter Homo has cauſas *ſpirituales* vocat negatque ullum Magiſtratum ſecularem tractare illas poſſe, non poteſt non easdem ad materiam religionis referre. De jure Patronatus, crimine Simoniæ, & ſimilibus eadem eſt ratio; Quod ſi vero nos hoc titulo ſemel Catholicum Clerum ſubmoverimus, merito illum jubemus ſecurum eſſe, à quibus deinde ſuſcipiatur cognitio, cum ſublata hierarchia propediem omnis poteſtas ad ſecularem Magiſtratum redeat, cujus eſt ſtatuere, num coram ſe, vel in Conſiſtoriis, quæ tamen ſuis auſpiciis jus dicunt, id genus controverſias ventilari oporteat. Denique quod ille Buckiſch Epiſcopum Uratislavienſem cohortatur & inſtigat, ut cauſas divortii inter Conjuges Auguſtanæ Confeſſionis ad ſuum forum revocet, & comparere detrectantes pro violatoribus pacis habeat, ea re dubito ego ſane malitiam ſuam magis prodiderit, an vero ignorantiam. Malitiæ eſt, cum non rogatus intempeſtivis monitis incitat etiam ſponte ſua ruentes. Inſcitia vero negare, præſcribi poſſe, quæ centum annos Civitas Uratislavienſis ſciente Clero Catholico & tacente, uſurpavit, adeoque jure optimo maximo præſcripſit, cum potius hæc ipſa hoc titulo quæſita ad jura & privilegia pertineant, quæ ante bellum obtenta fuere, & in quorum exercitio manutenenda Civitas eſt. *juxta* §.*38. ſupra.*

m) *In iis Auguſtanæ Confeſſionis Statuum ditionibus.*) Ergo ſaltem in iis, & non in aliis, id quod probe notandum

Auguſtanæ Confeſſionis Statuum ditionibus, m) ubi Catholici Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto notorie in poſſeſſione vel quaſi exercitii jurisdictionis Eccleſiaſticæ fuerunt, n) utantur eadem

dum, cum hæc verba memorabilem circumſcriptionem contineant.

n) *Ubi Catholici anno 1624. notorie in poſſeſſione vel quaſi exercitii juriſdictionis Eccleſiaſticæ fuerunt.*) Nimirum pax religioſa, quod jam ſupra tetigimus, de ſuſpenſa jurisdictione Eccleſiaſtica non ſic abſolute ſtatuebat, quam deinde ſtatuit Weſtphalica: Hinc protinus inter Proteſtantes & Catholicos ortæ lites, cum illi iugo Cleri Catholici omnimode ſe exemptos vellent; hi vero negarent iurisdictionem ſuam etiam in Proteſtantes ſuſpenſam eſſe in cauſis, quæ religionem & conſcientiam directo non afficiunt. Paucis ſane annis poſt conventam pacem religioſam Catholici in Comitiis Auguſtanis anno 1559. habitis hoc argumentum inter gravamina ſua magno calore tractarunt, edito 20. Junii ſcripto, ubi inter alia hæc leguntur: Da auch der Buchſtab des verabſchiedeten Friedens in dem Paragrapho: damit auch obberührtes klar und ausdrücklich genug geſetzet, welcher maſſen der Geiſtlichen Jurisdiction ſuſpendiret ſeyn ſolle, nehmlich in denen Fällen, durch welche der Confeſſion Verwandten Lehr und Kirchen Ordnung verhindert werden möchte: Aber in andern Sachen und Fällen die geiſtl. Jurisd. durch die Ertzbiſchöffe, Biſchöffe und andere Prælaten, wie deren Exercitium an einem jeden Ort hergebracht, und ſie dann in Ubung, Gebrauch und Poſſeſſion geweſen, hinführo, wie bißhero unverhindert exerciret, geübet und gebrauchet werden ſolte. So unterſtehen ſich die Confeſſion Verwandte doch, eigene geiſtliche Gerichte und Conſiſtoria auffzurichten, und alſo die Catholiſchen in ihrer rechtmäßigen Jurisdiction, deren ſie zur Zeit des auffgerichteten Friedens noch in Poſſeſſion geweſen / zu entſetzen, und dazu nicht allein ihren eigenen Unterthanen, ſondern auch in denen Gemeinſchafftungen, und da etwan der Catholiſche Stand des Fleckens in totum directus Dominus, der Confeſſions-Verwandter Stand aber entweder Lehens oder Pfandsweiß, gar oder zum Theil, utilis Dominus iſt, die Unterthanen von dem Catholiſchen ordentlichen Conſiſtorio abzuweiſen, und auff ihre neue auffgerichtete Gerichte zu zwingen, ſo ſolches die Religion doch gar nicht angehet; Quod deinde à Catholicis ſæpius repetitum, quamvis neque Proteſtantibus ſuæ rationes

tiones defuerint, quibus ſe defenderent, & ad queremonias hujus farinæ reſponderent. Recocta eadem res inter tractatus Pacis Weſtphalicos. Evangelici conquerebantur gravamine quinto: Es unterſtünden ſich die Catholiſche Ertz- und Biſchöffe, und andere Geiſtliche, der Evangeliſchen Stände Unterthanen an theils Orten die Ehe und andere Sachen vor ihr geiſtlich Gericht zu ziehen, und ſie in ihren Conſiſtoriis zu turbiren. Dringen auch die Evangeliſche an vielen Orthen zu Haltung des neuen Calenders, dadurch ihnen ihre Feſtzeiten und Gottesdienſt verrücket und zerſtöret worden. Ad quæ reſponſum à Catholicis: In welchen Fällen und Sachen die geiſtliche Jurisdiction vermög Religion-Friedens ſuſpendiret ſey, oder nicht, iſt in ſolchen Religion-Frieden §. Damit auch oberührte ꝛc. mit klaren und unverdunckelten Worten ausgedruckt und verſehen: Nemlich wider der Augſpurgiſchen Confeſſion Religion, Glauben, Beſtellung der Miniſterien, Kirchen-Gebräuchen, Ordnung und Ceremonien. Aber in andern Sachen ſolle und mag dieſelbe durch die Ertz-Biſchöffe, Biſchöffe, und andere Prælaten, wie deren Exercitium an einem jeden Ort hergebracht, und ſie in deren Ubung, Gebrauch und Poſſeſſion biß dahin geweſen, exercirt, geübet, und gebraucht werden. Poſt hæc ſequitur ſtatim recriminatio Catholicorum. Nichts deſtoweniger haben die Augſpurgiſchen Confeſſions-Verwandte Stände bald nach dem auffgerichteten Religion-Frieden angefangen, die Ertz-Biſchöffe, Biſchöffe und Prælaten an ſolchen ihren, mit klaren, runden und teutſchen Worten reſervirten exercitio Jurisdictionis Eccleſiaſticæ auff alle Weiß und Wege zu turbiren, einige geiſtliche Gerichte und Conſiſtoria auffzurichten, und an dieſelbe nicht allein diejenige Sachen, welche der Augſpurgiſchen Confeſſion Religion, Glauben, Beſtellung der Miniſterien &c. betreffen, ſondern auch alle andere der Geiſtlichen Jurisdiction und deren Exercitio oblauts reſervirte Sachen zu ziehen, ihre Unterthanen und angehörige, von der Ertz- und Biſchoffen ordentlichen Geiſtlichen Gerichten und Conſiſtoriis mit Gewalt abzuhalten, und alſo die Verordnung des Religion-Friedens auch hierinnen zu eludiren. Hæc prima veluti ſcena fuit; Deinde per gradus itum ad media compoſitionis. Initio perſiſtebant Proteſtantes non aliam eſſe rationem conveniendi, als wann wider die Evangel. es mögen Stände oder privati, oder auch der Hrn. Catholicorum Unterthanen seyn, von denen Hrn. Catholicis keine geiſtl. Jurisdiction angemaſt wird, ſondern dieſelbe mit allen ihren ſpeciebus,

Digitized by Google

bus, wie auch die jura papalia gänzlich auffgehoben ſeyn und verbleiben. Ex adverſo Catholici denuo nitebantur religioſa pace, & negabant æquum eſſe, ſibi nunc eripi, quæ hæc reliquisſet: Ante omnia vero excipiebant, ne ordinariis, vel ad quos ea res alias more majorum pertinet, jurisdictio Eccleſiaſtica in ſuos per id periiſſe intelligatur, quamvis templa, ſacella, monaſteria, ordines religioſi, aliique ex ordine in Proteſtantium ditionibus & territoriis habitent. Deinde concedebant, ut cauſæ matrimoniales, ſi lis fuerit inter duos Auguſtanæ Confesſioni addictos, & Magiſtratus loci posſeſſionem judicandi ejusmodi cauſas habuerit, penes eundem magiſtratum ejusque cognitionem maneant; modo iis in locis, ubi ordinarii adhuc in poſſeſſione cognitionis etiam inter partes Auguſtanæ Confeſſioni utrinque addictas eſſe, deprehenduntur, vel cum utraque pars litigantium aut ſaltem una, ſive actor ſive reus, fidem Catholicam amplexus fuerit, dictis ordinariis judicia ſua & jurisdictio ſalva tectaque maneat; quemadmodum & alias cauſas iisdem illis relinquendas cenſebant, quæ ſua conditione ad Conſiſtoria quidem Eccleſiaſtica pertinent, ſed Proteſtantium religionem, fidem, & cætera pace religioſa deſignata, non afficiunt: Veluti ſunt cauſæ juris Patronatus, decimarum, Sacrilegii, & ſimiles. Quemadmodum igitur ex his patet, Catholicos hac vice non niſi in cauſis matrimonialibus aliquid concesſiſſe: Ita brevis & luculenta denuo ſecuta eſt ad hæc Proteſtantium declaratio, non aliam eſſe hac in re conveniendi viam, quam ſublata prorſus jurisdictione Eccleſiaſtica *cum omnibus ſpeciebus pleniſſime contra Proteſtantes*, neque Catholicis arbitrandi jus eſſe debere, quis Evangelicæ religionis ſit, quemadmodum neque ipſi viciſſim judicare cupiant, quem Catholici ſuo gremio accenſere velint. Denique cum Status Catholici á pacis religioſæ diſpoſitione penitus recedere noluisſent, & inſuper Plenipotentiarii Cæſarei edito gravi libello Evangelicos modeſtiæ admonerent: Tandem hoc modo de re omni eſt conventum, uti hoc noſtro paragrapho legitur, cui rectius intelligendo multa lux affundi poteſt ex iis probe perpenſis, quæ hinc inde agitata & propoſita fuere, antequam tranſigi poterat. Atque ex hoc ipſo obſervamus, cum omne jus Diœceſanum & tota Jurisdictio Eccleſiaſtica cum omnibus ſuis ſpeciebus contra Auguſtanæ Confeſſionis Status eorumque Subditos ſuſpenſa fuerit, nullo cauſarum diſcrimine, manſiſſe tamen aliquam ejus ſpeciem, ad conſequendos reditus, penſiones, cenſus, decimas. Sed neque hanc manſiſſe niſi in iis locis, ubi Catholici anno 24. in poſſeſſione exercitii Jurisdictionis Eccleſiaſticæ fuere; in locis vero aliis

nullus ei locus eſt relictus, quo ipſo ſane quam arctis terminis hæc Juriſdictio Eccleſiaſtica incluſa ſit, nemo non videt. De cœtero hæc verba noſtri textus, *in iis Auguſtanæ Confeſſionis Statuum ditionibus, ubi Catholici anno 1624. notoriè in poſſeſſione vel quaſi exercitii Juriſdictionis Eccleſiaſticæ fuerunt &c.* indicant, exercuiſſe antehæc Clerum Catholicum quibusdam in ditionibus Statuum Proteſtantium Juriſdictionem Eccleſiaſticam adhuc anno 24. ſuperioris ſeculi, id quod ex pace religioſa diverſis modis intellecta provenit: Aliter enim illam hac in parte Proteſtantes interpretabantur, & aliter Catholici. Quibus igitur locis, Hi, Catholici inquam, potentia atque auctoritate prævalebant, interpretatione ſua utebantur in ſuum commodum, nulla Proteſtantium habita ratione: Ubi vero Proteſtantes fidere opibus ſuis viribusque poterant, ſibi utique non defuere in aſſerenda libertate adverſus inimiciſſimam ſuis rationibus dominationem, quæ turbandis magis apud nos rebus, quam ex juſtitia componendis ſtuduit, & quæ hoc ipſo gravius premit, quod ſupra avaritiam aliasque ſordes quicquid eo titulo imperat, vis quædam conſcientiis ſemper infertur, ſive directè id fiat, ſive obliquo modo. Alio enim jure Proteſtantes in cauſis ad Juriſdictionem Eccleſiaſticam ſpectantibus utuntur, alio Clerus Catholicus, cui ex canonibus ſuis larga materies & opportunitas ad intolerabiles concuſſiones, præcipue in matrimoniis aut divortiis, indictione feſtorum, jure Patronatus & ſimilibus. Unde his moleſtiis omnibus reſecandis Weſtphalica Pax nihil reliquit, quam uſum Juriſdictionis Eccleſiaſticæ ad conſequendos reditus, decimas, cenſus, atque penſiones. Neque hoc ipſum aliter, quam ſub his duabus conditionibus (1) Si Catholici anno 24. in poſſeſſione vel quaſi ejus exercitii fuerint, & (2) Si fuerint *NOTORIE* in hoc exercitio. Quæ utique res digna nobis videtur attentiori conſideratione.

Primo de anno quæritur, num hic Calendæ Januariæ præciſe deſignentur; Vel poſſeſſio ſufficiat qualibet anni parte habita: Mihi ſine cujusquam præjudicio prius placet: Quamquam enim indefinite mentio fiat anni, quia tamen hic de poſſeſſione Statuum Imperii agitur, quibus in ſuperioribus toto Inſtrumento pacis Calendæ Januariæ ſunt datæ ad effectum juris conſequendi, non video cauſam, cur hic diverſum ſit ſtatuendum: Nam quod alibi centies dictum, in caſu ſimili repetitum intelligitur. Quid de ſubditis ſit habendum, mox ſequetur: Horum enim conditio paulo diverſa eſt.

Deinde poſſeſſio requiritur vel quaſi poſſeſſio, dicto tempore habita, qua de re aliis locis hoc noſtro articulo quinto ſæpius eſt actum; quo lectorem remittere

eadem poſt hac quoque, ſed nonniſi in exigendis hiſce penſionibus, o) nec procedatur ad excommunicationem, niſi poſt tertiam demum denunciationem p). Catholicorum Auguſtanæ Confeſſioni addicti

mittere præſtat, ne idem toties inculcare neceſſe ſit.

Tertio non ſufficit ſola poſſeſſio Juriſdictionis, ſed opus eſt poſſeſſione exercitii jurisdictionis; Quam igitur jurisdictionem Eccleſiaſticam Clerus Catholicus in terris Proteſtantium Calendis Januariis illius anni non exercuiſſe probari poteſt, eam nec poſſediſſe credendus eſt. Quibus obviam itur familiari Catholicorum objectioni, an potius calumniam dicam, de poſſeſſione juris aut meræ facultatis.

Quarto oportet poſſeſſionem iſtam exercitii eſſe *notoriam*; unde nihil proficit, de qua vel minimum dubium ſupereſt, antequam eo penitus liberetur.

Denique exercitium Jurisdictionis Eccleſiaſticæ hic intelligitur non quodvis de quibusvis actibus, ſed quod occupatum fuit in reditibus & cæteris conſequendis; Nam ſi quis probaret, ſe jurisdictione uſum fuiſſe, v. g. in rebus matrimonialibus, ad illam nunc confugere pro reditibus conſequendis non poterit, cum de poſſeſſione exercitii in cauſa, de qua res vertitur, docere nequeat. Neque vero magis exercitium jurisdictionis circa matrimonia ſupereſt, quia placuit totam jurisdictionem Eccleſiaſticam ſuſpendi in omnibus cauſis, exceptis ſolis reditibus, non attento, an quis de cætero in poſſeſſione exercitii ejus fuerit, an non fuerit.

o) *Utantur eadem poſthac quoque, ſed non niſi in exigendis hiſce penſionibus.)* Hæc clara hercle ſunt, & præciſa. Mirum igitur, quid egregiis illis Interpretibus in mentem venerit, qui ſtupenda impudentia nobis imponere volunt, *extra religionis materiam Jurisdictionem Eccleſiaſticam Catholicis contra Auguſtanæ Confeſſioni addictos etiamnum hodie ſuſpenſam non eſſe, ſed plenarie exerceri poſſe. Buckiſch ad h. §. obſerv. 139.* Equidem huic bono viro facile ignoſco, qui calamo venali ad lubitum Jeſuitarum ſcribere debuit, donatus tandem ab illis gratia, quam omnes Paraſiti reportant, ut contemnantur, & cum ignominia abigantur, poſtquam eorum opera uti deſierimus. Noſtra hæc lex prorſus alia nos docet, quibus enim ſaltem permiſſum eſt, uti poſthæc jurisdictione Eccleſiaſtica non niſi in exigendis penſionibus, illis ſane interdictum omnibus aliis cauſis, ut adeo hic ſolus locus ſufficeret: ſtabiliendæ noſtræ ſententiæ, etiamſi lex in ſuperioribus dubium reliquiſſet.

p) *Nec procedatur ad excommunicationem, niſi poſt tertiam demum denunciatio-*

addicti Status provinciales & ſubditi, q) qui Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto Eccleſiaſticam jurisdictionem agnoverunt,

ciationem.) Hic ingenue fateor, me hujus loci ſenſum, & paciſcentium mentem non penitus aſſequi. Id video, eſſe caſum adhuc aliquem, ſed unicum, quo Clerus Catholicus bruto ſuo fulmine percutere poſſit Auguſtanæ. Confeſſionis Status: ſed qua fini, quove effectu, id me penitus latet, niſi forte dixeris, poſt vibratum hoc fulmen agi poſſe contra excommunicatum iis juris remediis, quæ jure Canonico & in Conſtitutionibus Imperii in ſubſidium comparata ſunt adverſus eum, qui inania illa Jovis Capitolini arma ſpernit; Nam quod ad conſcientiam attinet, illa ſane ad hunc ictum haud valde expaveſcet, ex quo ſemel ludibriis ſuperſtitioſæ reverentiæ ſe liberatam ſentit; aſſuefacti jam ſumus hiſce terriculamentis. Pontifex Romanus ſingulis annis ſtata die Jovis ante Feſtum Paſchatos magno apparatu nos fatuo ſuo igne ferit: Neque tamen quisquam eo doluit, aut mortuus eſt, quamquam id certe memorabile, diem Jovis huic expeditioni electum, ut intelligamus, cujus Numinis ille Vicarium in terris agat.

l) *Catholicorum Auguſtanæ Confeſſioni addicti Status Provinciales & ſubditi.*) Actum eſt hactenus de Statibus Imperii, decretumque, quantum in illos juri Diœceſano, & jurisdictioni Eccleſiaſticæ utrinque liceat. Sequitur nunc de ſubditis, tam Proteſtantium quam Catholicorum Statuum, nam horum paulo alia eſt cauſa & ſors, cum Principes Catholici, etiam non Eccleſiaſtici, ſumma opera id egerint, ut Clero in ſuos ſubditos, Auguſtanæ Confeſſioni addictos, aliqua jurisdictio relinqueretur; id quod imprudentiam libenter dicerem, cum non ſenſerint, incrementa ſuæ poteſtatis eſſe, quæ Clero decedunt. Satis indigna moleſtaque res eſt, huic hominum generi, in Subditos Catholicos imperium relinqui, poteſtate Civili exſolutum, velut diviſo inter Jovem & Cæſarem Imperio. Sed Proteſtantes etiam ſubditos his ſubjicere, quibus nullum cum Clero Catholico commercium, quosque adeo jure optimo maximo eximere, ſibique ſolis reſervare potuiſſent, peculii inſtar, id vero ad oſcitantiam referri merito poſſet, niſi conſtaret, quo devotio in Sacris, cum modum excedit, impellere homines poſſit alibi rerum ſuarum ſat ſatagentes. Enim vero, quia lex ſic ſcripta eſt, ſecundum eam judicari nunc oportet. Igitur primo loco de Catholicorum Statibus Provincialibus & ſubditis Auguſtanæ Confeſſioni addictis.

r) *Qui anno 1624. Eccleſiaſticam Jurisdictionem agnoverunt.*) Quamquam

Digitized by Google

runt, r) in iis caſibus modo dictæ juriſdictioni ſubſint, qui Auguſtanam Confeſſionem nullatenus concernunt, s) modo ipſis occaſione proceſſus nihil injungatur Auguſtanæ Confeſſioni vel conſcientiæ

quam hic iterum totius anni mentio fiat, & lex de ſubditis loqui videatur, ego nihilominus perſvaſum habeo, Calendas Januarias hujus anni deſignari: Nam qui Proteſtantes ſubditi Eccleſiaſticam Juriſdictionem agnoviſſe dicuntur, illos ad ſubeundum hoc jugum uſurpatione coactos eſſe dubium non eſt, cum ſua ſponte huic ſe nunquam ſubjeciſſent. Revera igitur idem eſt, ac ſi lex concepta fuiſſet de Statibus Catholicis Eccleſiaſticis, qui an. 1624. in poſſeſſione exercitii Juriſdictionis Eccleſiaſticæ in Proteſtantes Subditos Catholicorum fuere; Cum vero lex de Statibus immediatis Imperii ſtatuit, atque anni vigeſimi quarti meminit, Calendæ Januariæ ubique ſubintelliguntur ex regula generali, quæ hoc art. §. 2. ſemel ſimulque poſita, & deinde toties repetita eſt, ut etiam quibus locis ſecurius laxiusque loquuntur paciſcentes, ſecundum rationem rectæ interpretationis non poſſint non Calendæ iſtæ indicari.

s) *In iis caſibus modo dicta Juriſdictioni ſubſint, qui Auguſtanam Confeſſionem nullatenus concernunt.*) Enim vero qui ſunt illi caſus, qui Auguſtanam Confeſſionem nullatenus concernunt? Neque enim vocabulum *nullatenus* temere aut fruſtra poſitum hic crediderim. En larga ſeges litium atque rixarum. Mutuari quidem aliquam lucem ex Pace religioſa poſſumus: Wider der Augſpugiſchen Confeſſion Religion, Glauben, Kirchen-Gebräuche, Ordnung, Ceremonien und Beſtellung der Miniſterien. Sed ſub his ipſis nominibus procul dubio una pars contineri multa voluerit, quæ altera negabit iſtis comprehendi. Saltem cauſæ matrimoniales: Feſtorumque diſpoſitus & ordinationes Catholicorum Juriſdictioni Eccleſiaſticæ relinqui non poſſunt: Quo deinde non Calendarii modo cauſa pertinet, verum etiam ratio feriarum, ne cogantur ſubditi Proteſtantes illis feriari diebus, quos non celebrarent ex regulis ſuæ devotionis. Nam profecto grave prudentioribus eſt, Dominici alicujus, Franciſci, Lojolæ, aliorumque ex Sanctis illis Minorum gentium dies inter Feſtos habere, quorum Patroni nobis per totius vitæ curriculum aut crudelitatibus ſuis execrabiles ſunt, aut nugis & fabulis ridiculi, aut denique non niſi ſubtiliori genere impoſturæ commendabiles. Equidem qui ſectari rigorem literæ volunt, Auguſtanam Confeſſionem crepabunt, cui ſi quid ad eſſi nihil imperetur, de cœtero locum Juriſdictioni Eccleſiaſticæ

 fore;

Digitized by Google

tiæ repugnans t). Eodem etiam jure Auguſtanæ Confeſſionis Magiſtra-

fore; Sed objicient alii pro clypeo verba: *nullatenus concernunt*, quibus pluſculum ineſſe videtur. Quod enim rem aliquam *nullatenus* concernere dicimus, id ut ne per indirectum quidem vel conſequentias ad eam referri poſſit, neceſſe eſt; Quocunque enim modo illam concernit, utique oportet aliquatenus concernere, quod hic prohibitum. Adhæc ſi quæſtio eſt, num quid Auguſtanam Confeſſionem concernat, vel non concernat; cujus arbitrium erit? Certe ſi proverbio locus, artifici in ſua arte eſſe credendum, nemo præter confeſſores ejus audiendi ſunt: Nam Pontificios admittere Judices prope ab inſania abeſſet; Secta quæcunque rerum ſuarũ merito callidiſſima habetur. Neque hic audiendi ſunt, qui judicium in propria cauſa arguunt, quoniam nec Pontificii hoc ſibi eripi patientur. Nimirum quoties de religione & conſcientia alterius agitur, nemo aliena ſtare ſententia & arbitrio vult, ſed quod intime bona fide ſentit, hoc rectum piumque putat, neque ab eo ſe dimoveri patitur, donec meliora edoctus fuerit, id quod inſtitutione, non edictis mandatisque obtineri poteſt, cum hoc unum ſit conſcientiæ noſtræ privilegium, humanis imperiis cogi non poſſe. Deus ipſe liberum nobis arbitrium relinquit, malo bonoque in medio poſito, ut eligamus; Quid igitur homines, qui in rebus hujus naturæ ſibi plus licere arbitrantur? Nihil hercle, niſi ut vanam & irritam oſtentent potentiam.

t) *Modo ipſis occaſione Proceſſus nihil injungatur Auguſtanæ Confeſſioni vel Conſcientiæ repugnans.*) Ecce tibi conſcientiam junctam cum Auguſtana Confeſſione, quod modo à me dicta magnifice illuſtrat: Nam ſi Auguſtanæ Confeſſionis ſubditis occaſione ſaltem Proceſſus injungi nihil poteſt conſcientiæ repugnans, quanto minus occaſione Feſtorum & Calendarii id permiſſum? Quæ res ad religionem & ſacra longe majorem habent relationem; Injungitur autem ſubditis etiam aliquid conſcientiæ repugnans occaſione Proceſſus, ſi verbi gratia citentur in termino, cum ipſis aguntur feriæ; Vel cum jurare coguntur in verba Sanctorum. Breviter, cum ſecundum jura Canonica, aut Conſtitutiones Catholicorum Eccleſiaſticas judicatur, quoties illæ principiis religionis Proteſtantium contraria eſſe reputantur; Sed hæc de Catholicis Statibus qui ſimul Eccleſiaſtici ſunt, adeoque ipſi habiles ad exercendam Juriſdictionem Eccleſiaſticam, extra omne dubium ſunt. Ad Status autem Catholicos non Eccleſiaſticos quod attinet, cum hos ipſa ſua religio ab exercitio Eccleſiaſticæ Juriſdictionis arceat, eisque per-

giſtratuum Catholici ſubditi cenſeantur, u) inque hos, qui Anno mille-

perſuaſum religioſe ſit, ſe hanc partem Imperii ſine ſacrilegio tractare non poſſe, occurrere aliquis ſcrupulus poteſt, quid de his ſit ſtatuendum? Quoniam vero in horum etiam ditionibus Conſiſtoria ſunt & judicia id genus Eccleſiaſtica, quæ ſi non Principis auſpiciis judicant; at autoritate ſaltem ejus & permiſſu; Itaque defugere iſta integrum illis non eſt, de quibus reipublicæ viſum, ut hac conditione vivant. Equidem qui defecere ſemel à ſacris Romanis, eos ab his judicari amplius non poſſe, quibus obſequium renunciavere, rationi eſt conſentaneum: Subigendi enim primo ſunt, deinde regendi. Enimvero ſæpe cogimur recedere ab ordinariis regulis, quoties alia ratio non eſt componendi Status publici, per civiles diſcordias turbati: Et hactenus ſubacti derelictique videntur ſubditi, quatenus leges publicæ illis auxilio non ſunt. Sic toleranda erunt, quæ mutare non licet: Sicuti enim qui aliis locis ſub Catholicis Principibus degunt, egregie ſecum agi exiſtimant, ſi ſuæ conſcientiæ relicti de coetero in rebus ad ſubſtantiam religionis non ſpectantibus Imperio Cleri utcunque gravi & ſuperbo proſtituantur; Ita etiam Catholicorum Statuum ſubditis Proteſtantibus in Imperio commendanda eſt patientia, ubi lex non ſubvenit, quibus pro beneficio reputandum, vis à conſcientiis ſuis depulſa, etſi in nonnullis quæ magis ad vitam civilem ſpectant, quam ipſam religionem, ſe premi ſentiant. Et erunt hæc incommoda eo tolerabiliora, quod par Catholicorum ſubditorum ſors in Proteſtantium Principum ditionibus, uti ſtatim videbimus.

u) *Eodem etiam jure Auguſtanæ Confeſſionis Magiſtratuum Catholici ſubditi cenſeantur.*) Quodſi eodem jure Proteſtantium Statuum ſubditi Catholici cenſendi ſunt, qua fronte, obſecro, nunc audent nonnulli jus diverſum, & meliorem horum conditionem præ ſubditis, in Catholicorum Statuum ditionibus degentibus ſibi formare? quod malitioſe tentant ſeparatione verborum, quæ niſi connectuntur, unoque contextu leguntur, nullum commodum ſenſum habere poſſunt, id quod recte notavit Obſervator ad Schützii manuale pacificum; Et frivola ſane atque puerilia ſunt, quæ Buckiſch ad hunc locum obſervat. 141. in contrarium affert; quem præterea etiam deprehendimus paucis lineis ſibi non ſatis conſtare; Quod ſi enim Epiſcopis Catholicis in Proteſtantium Statuum ſubditos Catholicos univerſe jus Dioeceſanum ſalvum eſt, cui ſui adjecta conditio,

milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto publicum Religionis Catholicæ exercitium habuerunt, Jus Diœceſanum quatenus Epiſcopi illud dicto anno quiete in eos exercuerunt, ſalvum eſto. x)

§. 49.

ditio, *ſi illud anno 1624. quiete exercuerunt?*

x) *Inque hos, qui anno 1624. publicum religionis Catholicæ exercitium habuerunt, jus Diœceſanum, quatenus Epiſcopi illud dicto anno quiete in eos exercuerunt, ſalvum eſto.*) Eſt hæc perfecta oratio conſtans omnibus ſuis partibus, quæ ab invicem diſcerpi non poſſunt, niſi vim & verbis & ſenſui inferas. Subjectum eſt, *jus diœceſanum, quatenus Epiſcopi illud anno 1624. quiete exercuerunt.* Prædicatum cum copula: *Salvum eſto.* Objectum ſunt *Subditi Catholici* Proteſtantium Statuum in quos jus Diœceſanum agere poteſt. Modus rei ex parte ſubjecti *quietum exercitium juris Diœceſani anni vigeſimi quarti*; Ex parte objecti, *exercitium religionis Catholicæ publicum.* Cohærent hæc adeo plane & perſpicue, ut mirum hercle ſit, fuiſſe, qui nodum in ſcirpo hic quæſivere. Quæſo enim te, disjunge mihi iſta, duasque ex una fac orationes, ut prima finiat verbo *habuerunt*, & altera incipiat *jus Diœceſanum*, habebis ſtatim diſſoluta omnia & laxata, neque ipſe ſciveris amplius, quid tibi velis. Si pro verbis *inque hos*, ſcriptum fuiſſet, *interque hos*, majorem ſpeciem haberet futilis ſubtilitas: Sed ita legendum, nemo hactenus extitit, qui id affirmare auſus eſt contra omnium librorum conſenſum. Equidem me non latet, præpoſitionem *IN*, non raro apud probos autores ſignificare etiam inter; Sed tum ſemper regit caſum ablativum, nunquam vero accuſativuum, qua de re conſulere poteris lexica latina, quo me compendii cauſa refero. Quoniam vero hic *inque hos*, legimus, non *inque his*, manifeſtum eſt, huic propoſitioni hoc loco non convenire ſignificationem, quæ aliquid alicui includit, ſed quæ pro objecto aliquid habet, in quod aliud agit. Attendite enim vos pueri ſaltem, qui grammaticam didiciſtis, & legite mihi hæc verba: *eodem etiam jure Auguſtanæ Confeſſionis Magiſtratuum Catholici ſubditi cenſeantur, inque hos, qui anno 1624. publicum religionis Catholicæ exercitium habuerunt*, & hic deinde abrumpite; An non deſiderabitis hic quædam integrando ſenſui, dixeritisque, hæc excidiſſe? Quorſum enim, *inque hos*, ſi deinde nihil de his prædicatur? Non ſatis eſt provocare ad exemplaria Inſtrumenti Pacis in vulgari editione Receſſus noviſſimi extantia; Quantis enim & quam multis hæc editio mendis ſcateat, omnium oculis ex-

lis expoſitum eſt. Neque magis concors exemplariorum lectio momentum habet, cum nemo ignoret, quæ imprimuntur, ſic eſſe comparata, ut vitium, quod in æneis typis relinquitur correctorum incuria, non poſſit non in omnia exemplaria propagari. Adhæc divide quæſo interpunctione verbum *habuerunt*, à ſequentibus, ut non cohæreant, ſed à verbis *jus Diœceſanum* nova incipiat oratio, quid facies de propoſitione relativa, *in eos*, quæ deinde ſubſequitur. Et qui ſunt tandem, quos per verba *in eos*, intelligimus; Nam ſi hæc ad præcedentia ſe non referunt, natura orationis utique poſtulaſſet, ut expreſſe nominati fuiſſent. Sed forſan ego in his nugis refellendis operoſior ſum, quam res ipſa deſiderat; Neque enim dubitamus candidos omnes & cordatos lectores hanc cauſam quidem nobis adjudicaturos fore; Cœteros aſſentatores merito relegamus ad Scholas, ut ibi ſub ferula conſtruere verba & orationes melius diſcant. Et vero etiam, quid tandem his omnibus tricis ſuis conficiunt? Illud vero, inquiunt, ut verſiculi hujus ſenſus ſit, *quod Epiſcopis tam in ſuos proprios Auguſtanæ Confeſſioni addictos, quam in Statuum Auguſtanæ Confeſſionis ſubditos Catholicos juriſdictio Eccleſiaſtica, & jus Diœceſanum modo hic limitato ſalvum eſſe debeat.* Sed primo hic verſiculus plane non agit de Catholicorum ſubditis Proteſtantibus, quibus jam in præcedentibus proſpectum fuit; Neque magis, quod ſecundo loco dictum velim, hic conditio ponitur, ne quid eis injungatur conſcientiæ, vel confeſſioni ſuæ repugnans, quæ in ſuperioribus etiam extat. Tertio conditioni, *quatenus Epiſcopi anno 24 exercitium juris Diœceſani habuerunt*, quæ hoc verſiculo tandem extat, vaferrime adjicit Buckiſch adverbium *præprimis*, quod in textu plane non extat. Denique poſtquam omnia magna prævaricatione conquiſivere, improvidi ſuis ipſi laqueis capiuntur, nam quæ in textu ipſo disjunxere in explicatione conjungunt, quæ ſine hoc æque incommodum ſenſum habitura fuiſſet, ac quem textui tribuunt. Sic reſtituto hoc loco ab interpretatione inſidioſa, in promptu erit verum ejus ſenſum aſſequi: Definit enim lex quatenus Epiſcopi Catholici jure Diœceſano in Auguſtanæ Confeſſiones Statuum Subditos Catholicos uti poſſint; ſcilicet tria ad hanc rem concurrere neceſſe eſt. Primo ut ſubditi anno 1624. publicum religionis Catholicæ exercitium habuerint; Secundo ut ipſi Epiſcopi hoc jus eatenus tantum exerceant, *quatenus dicto anno* in Catholicos exercuerunt; & tertio: ut id *quiete* eo tempore exercuerint. Ex quo rurſus tria conſectaria deduco: Unum in ſubditos Proteſtantium Catholicos, qui anno vigeſimo quarto publicum religionis ſuae exercitium non habuerunt, Epiſcopis Catholicis non ſuppe-

§. 49. In quibus Civitatibus vero a) Imperii mixtæ Religionis b) exercitium in uſu eſt, c) Catholicis Epiſcopis contra Cives Augu-

ſuppetere etiam jus Diœceſanum, quia hoc præcipue in actibus occupatur, qui ſunt publici exercitii. Deinde ſi qui Epiſcopi dicto anno in poſſeſſione exercitii juris diœceſani non fuerunt, eos id ſibi vendicare in poſterum nullo titulo poſſe; Denique niſi *quieta* fuerit Poſſeſſio eam nihilomagis prodeſſe; quieta autem intelligitur, quæ nec verbis interpellata contradictaque, nec factis turbata & interrupta eſt: Qua in re ad Calendas Januarias velut terminum fatalem reſpiciendum eſſe, mihi videtur, etſi quæ de ſubditorum exercitio publico hic traduntur, integrum annum, atque adeo quamvis ejus partem pro compendio ſuo nihilominus habeant. Atque tantum commentari nobis viſum eſt ad hunc paragraphum de jure Diœceſano & jurisdictione Eccleſiaſtica, quod ſane argumentum, ſi quicquam aliud, cum ſua natura, tum obſcuritate legis multis difficultatibus & dubiis ſcatere non inficior. Ideoque ſi in explicatione rei tot tricis involutæ hallucinati ſumus, non deerit nobis ab æquo lectore venia; cœteros præjudiciis ſuis aut partium ſtudiis occupatos miſeratione potius, quam noſtra correptione dignos judicamus.

§. 49.

a) *In quibus Civitatibus vero*) Hæc particula adverſativa *vero* ſignificat, hic quædam de Civitatibus Imperii mixtæ religionis traditum iri paulo diverſa ab his, quæ Paragrapho ſuperiori. Et revera res ſic habet; Cum enim in cœterorum Statuum Catholicorum Subditos Proteſtantes certis caſibus Epiſcopis Catholicis Jurisdictio Eccleſiaſtica relicta fuerit, hic placuit, ut illis nulla omnino Jurisdictio ſuperſit in Cives Auguſtanæ Confeſſionis. Ita lex ſcripta eſt, cujus voluntate ſtare nos oportet, quamvis rationem diverſi juris non ubique aſſequi liceat; ſi quid tamen conjecturis datur, dixerim ego, ſtatutum hoc ideo eſſe, ut eo melius mixtis in Civitatibus motus & turbæ compeſcerentur, qui ex hac occaſione oriri ſæpe ſolent, & nullo negotio inter diverſas partes, iisdem pomœriis incluſis, una facile die in ſeditiones & cædes erumpunt; Præcipue Claſſicum canente Clero, quod ipſi in promtu turbulentis ſuis concionibus atque ſecretis colloquiis, quæ flabra ſunt accendendis Civium animis valde opportuna.

b) *Civitatibus Imperii mixtæ religionis.*) De ſignis & natura Civitatum mixtæ religionis actum eſt ſupra ad §. 39. quo nos referimus.

c) *Religionis Exercitium in uſu eſt.*) Religionis, inquam, tam Evangelicæ, quam Romano Catholicæ. Eſt autem in uſu

Auguſtinæ Confeſſionis nulla ſit jurisdictio, d) at Catholici juxta obſervantiam dicti anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi quarti, ſuo jure experiantur. e)

§. 50.

———

in uſu ſecundum obſervantiam & poſſeſſionem Calendis Januariis anno 1624. habitam; neque enim æqualis ubique miſtura obtinet.

d) *Catholicis Epiſcopis contra Cives Auguſtanæ Confeſſionis nulla ſit jurisdictio.*) Interdicitur itaque hoc loco ordinariis Catholicis omni Jurisdictione in Cives Proteſtantes, neque juvat eos, etſi probare poſſent, ſe anno vigeſimo quarto in exercitio ejus fuiſſe, ſaltem enim hoc jus illis in Catholicos ſuos eſt relictum: Proteſtantes penitus ſunt exemti; In quos enim nulla plane ſuppetit Jurisdictio, illi etiam ab obſervantia dicti anni ſunt exſoluti.

e) *At Catholici juxta obſervantiam dicti anni vigeſimi quarti jure ſuo experiantur.*) Hæc verba iterum obſcuritate ſua non carent. Viderint Catholici ipſi, de quorum capitibus & libertate agitur, quem ſuis rationibus commodum ſenſum inde velint exſculpere; nobis hæc interpretatio potior eſſe videtur. *At Catholici* Epiſcopi contra Cives Catholicos *juxta obſervantiam anni vigeſimi quarti ſuo jure* diœceſano & Jurisdictione Eccleſiaſtica, *experiantur.* Quæ verba niſi fallimur hoc volunt: In ejus generis Civitatibus mixtis ne Catholicos quidem Cives admittere Jurisdictionem Eccleſiaſticam Epiſcoporum ſuorum ultra id teneri, quam Epiſcopi obſervantia dicti anni admiſſam docere poſſunt; Quodſi vero ex ſupervacanea quadam devotione, an ſuperſtitione, ſervire cives illi gravius, magisque obnoxii eſſe indebitæ dominationi voluerint, id quidem ut faciant, jugumque lubenter accipiant, per nos eis nulla invidia erit.

Atque hic finire viſum eſt ſpecimen quartum meditationum noſtrarum: Quæ enim deinceps ſequentibus articuli hujus V. paragraphis continentur, non tam religionis, ex ſtatu certi temporis ordinandæ rationem habent, quam de cauſis quibusdam negotiisque aliquid definiunt, ubi ſaltem reſpectus religionis influit, ut paciſcentibus viſum fuerit ſervandæ æqualitatis cauſa certi quid ſtatuere, ne porro una pars alteram odio religionis adeo facile premere poſſit, ut antehæc factum fuiſſe, experientia docuerat. Hinc §. 50. præſcribitur modus & ratio interpretandæ pacis. §. 51. in Deputationibus æquatur numerus deputatorum & ex utriusque religionis proceribus. §. 52. ſtatuitur, quibus in cauſis & negotiis ſententiæ & ſuffragia potioris partis attendi non debeant. Denique reliqua agunt

Digitized by Google

de Camera Imperiali & judicio Aulico, quibus ordinandis reformandisque multa ſalutaria decernuntur pro ſecuritate Proteſtantium, quibus olim hæc tribunalia ſpecie jurisdicundi moleſta admodum & iniqua fuere, manifeſto in Catholicos favore, & ſuperante judiciū Catholicorum numero qui propterea arbitria cauſarum in ſua poteſtate habebant, ut pro amicis, quoties lubitum, judicare poſſent; Cui malo nunc remedium queri ceptum. Sed hæc ſpecimini quinto deſtinari viſum eſt.

BENEVOLE LECTOR.

Nunc promiſſorum memores poſtularet nos ordo rerum, ut duas illas Mantiſſas, quarum in hoc opere mentionem fecimus, quasque ſub finem hic adjicere receperamus, Tibi etiam ſiſteremus. Sed cum inſtantibus Nundinis Bibliopola urgeret, ut hoc ſpecimen quartum, ita confectum daremus, ut ſibi uſui adhuc in Nundinis eſſe poſſit, cujus rei opportunitas interea evaſiſſet, ſi ex prelo etiam modo dictas Mantiſſas expectare eum cum ipſo opere oportuiſſet. Ideoque viſum eſt hac in re ipſi gratificari, & reſecare hoc loco atque omittere, quæ ſero nimis ventura ſpem Bibliopolæ commodaque ejus fruſtrata fuiſſent. Scire tamen Te volumus, dilatam rem in aliud tempus, non negatam eſſe. Et cum ſequens ſpecimen V. quod mox lucem videbit, articulumque hunc noſtrum quintum abſolvet claudetque, reliquis omnibus, niſi fallor, brevius erit: Ideoque illi adjicere animus eſt, quæ hic preſtare anguſtia temporis prohibemur. Niſi forte melius erit, de quo porro conſulturus mecum ſum, totum illud argumentum de ſuperioritate Territoriali ad articulum octavum rejicere, qui locus proprius eſt & genuinus huic rei pleniore calamo pertractandæ.

Digitized by Google

MEDITATIONVM
AD
INSTRVMENTVM PACIS
CÆSAREO-SVECICVM
SPECIMEN QVINTVM.

ANNO M DCC VIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

MEDITATIONUM
AD

INSTRUMENTUM PACIS

CÆSAREO-SVECICUM
SPECIMEN QUINTUM.

Articulus V.

§. 50. XVII.

UTriusque Religionis Magiſtratus ſevere & rigoroſe prohibeat, a) ne quisquam b) publice privatimve c) concionan-

Modeſtia in concionando, diſputando, &c.

a) *Utriusque religionis magiſtratus ſevere & rigoroſe prohibeat.)* Magiſtratus hic pro Statibus Imperii accipitur, vti & §. 48. *v. eodem etiam iure &c.* De inferioribus enim magiſtratibus, qui a Statibus dependent, ſermo eſſe non poteſt. Iſte magiſtratus jubetur, ut omnes contra hanc transactionem diſputationes & ſcripta poſthæc edenda ſevere & rigoroſe prohibeat, quod propoſitis edictis, ſtatutisque in temeratores huius legis gravibus poenis fieri debet.

b) *Ne quisquam.)* Cujuscunque conditionis aut Status fuerit, etiamſi docendo vel conſulendo in publico officio verſetur.

c) *Publice privatimve.) publice,* in Scholis, Academiis, Univerſitatibus: Item in Eccleſia pro concione; *privatim.* Scriptis privatis, aut reſponſis, ad aliorum interrogationem datis, aut quocunque alio modo id fieri poterit.

d) *Con-*

Digitized by Google

nando, d) docendo, diſputando, e) ſcribendo, f) conſulendo, g) Transactionem Paſſavienſem, Pacem Religioſam, vel hanc inprimis ſive declarationem, ſive Transactionem h) uspiam impu-

d) *Concionando.)* Sive ad populum in templis, ſive in ſcholis ad juventutem recitatis pro more orationibus.

e) *Diſputando.)* In Scholis & Academiis ſuperioribus, conſcribendo diſputationes acerbas & turbulentas, easque tumultuoſius ventilando.

f) *Scribendo.)* Editis ſcriptis, ſive auctorum nominibus præfixis: ſive anonymis.

g) *Conſulendo.)* Sive Profeſſores fuerint, qui conſilia & reſponſa petentibus ſuppeditant; ſive Jure Conſulti alii & Advocati, ad quorum officium alias pertinet, conſulentibus conſiliis ſuis non deeſſe.

h) *Transactionem Paſſavienſem, pacem religioſam, vel hanc imprimis ſive declarationem ſive transactionem.)* Videri poſſet hæc cautela ſuperflua eſſe, cum infra art. 17. tota pax Weſtphalica contra omnia attentata & impugnationes egregie munita ſit. Sed exiſtimavere paciſcentes ſe operæ pretium facturos, ſi hanc transactionem in puncto gravaminum, de qua hucusque longo ordine in articulo quinto pacis Weſtphalicæ tractatum fuit, ſpeciali ſanctione a pruritu & impetigine ſcripturientium tutam atque inviolabilem præſtarent. Neque enim obliti erant Proteſtantes, quibus olim calumniantium machinis atque arietibus pax religioſa impetita fuerit, Doctoribus imprimis Burckardo, & Dillingenſibus, qui velut furiis agitati, ille in autonomia: Hi in compoſitione pacis ſcriptis contumelioſis & prorſus inſanis veluti primum claſſicum cecinere ad bellum illud Civile, quod deinde, ubi ſemel flagravit, vix triginta annis finiri potuit, & quod Germaniæ noſtræ non cladibus modo damnisque innumeris, ſed & jactura rerum ſuarum conſtitit, civibus & externis in viſcera noſtra velut ex condicto ſævientibus; Niſi enim Ferdinandus Imperator edicto ſuo propoſito declarare pacem religioſam ad id genus Hominum importunas & infidas ſuggeſtiones animum induxiſſet, quo Germania omnis concuſſa, & ad arma conſternata eſt, nec Gallis nec Suecis invadendi Imperii patefacta janua eſſet, cum motus Bohemici prope jam ſopiti fuerant, & de reſtitutione proſcripti Friderici Electoris, cujus cauſam Angli, Batavi, Statusque Proteſtantes ſuſceperant, bene adhuc ſperare licuiſſet, cum negotium utcunque arduum tanti non erat, ut & Auſtriacis, & univerſæ Patriæ tanti conſtaret. Sed & viciſſim noſtrates vehementia ſcribendi non extra omnem culpam fuiſſe, documento eſt libellus *Syringii de pace religioſa*, de quo ſæpe Catholici conqueſti ſunt. Hac occaſione quærunt de Cantilenis quibusdam Proteſtantium, quibus hi Deum rogant, ut

Digitized by Google

pugnet, dubiam faciat, aut aſſertiones contrarias inde ducere conetur. i) Quicquid etiam contrarii hactenus vel editum, vel pro-

ut ſe a tyrannide Romani Pontificis, ſacrisque ſuperſtitioſis cuſtodiat, an his carminibus probroſis Magiſtratus Catholicus ſubditis ſuis Proteſtantibus interdicere poſſit? Fuere quidam, qui negarunt ea ratione, quod ſubditis liberrimum ſitæ religionis exercitium legibus publicis ſit permiſſum, ideo non prohibendis ab his, quæ religioni ipſorum ſunt conformia. Sed dubito ſane, an non illi ipſi hujus ſententiæ Patroni ſtatim adverſam tuituri forent, ſi quæſtio inverteretur, & aliquis de Magiſtratu Auguſtanæ confeſſionis interrogaret, an fas ſibi ſit coercere ſubditos ſuos Catholicos, cantionibus & precibus publicis Deum invocantes, ut ſe ab immani & impia reformatione: a ſacrilegis templorum deprædationibus; a blaſphemia in Angelos, ſanctos & Sacramenta; ab infinitis & pernicioſis religionis Evangelicæ erroribus, & ſi quid gravius contumelioſiusve eſt, quod Catholici nobis imputant, tueatur, denique ut omnem Proteſtantium cultum evertat atque peſſundet. Hæc ſi nobis ægre facit libertas religionis, quam ſubditi noſtri Pontificii injuriis ſuis vendis forte obtenderent: Quæſo ne ideo Principes Catholicos male habeamus, quoties ſubditos ſuos Proteſtantes ab eadem licentia maledicendi abſtinent.

Hanc imprimis ſive declarationem ſive transactionem.) Nota hic, hunc noſtrum articulum quintum non modo eſſe declarationem pacis religioſæ, verum, etiam novam transactionem in iis capitibus ſcilicet, quando additur aliquid, pace religioſa non comprehenſum: vel quædam etiam ſtatuuntur contra eam, id quod pro meliori intellectu §. 1. hujus articuli, ubi ſaltem declarationis ſit mentio, neceſſario monendum eſt, cum multi interpretes aſſequi non potuerint, qua ratione fiat, ut pax Weſtphalica, quæ multis locis religioſam pacem mutat, eique adverſatur, pro ejus declaratione nobis commendetur.

i) *Uſpiam impugnet, dubiam faciat, aut aſſertiones contrarias inde ducere conetur.)* Igitur pro firmanda pace ſtabiliendaque diſputare, ſcribere, conſulere, concionari permiſſum eſt. Et quia diſputationes exercendi ingenii cauſa inſtituuntur, non peccant contra hanc legem, qui opponentium vices ſubeunt, modo diſputatio ipſa ſit tabulis pacis conſentanea. Alia ratio Conſiliorum, reſponſorum, concionum & ſcriptorum eſt, quorum ſcopus eo tendit, ut pacem impugnent, dubiam faciant, aut aſſertiones contrarias inde deducant. *Impugnant* autem pacem, qui negant, Catholicos cum Proteſtantibus, quos hæreticos appellant, ſine Pontificis auctoritate in detrimentum fraudemque Eccleſiæ ſic paciſci potuiſſe, ſalva fide ſua et conſcientia, qualis fuit ille Erneſtus de Euſebiis, qui pau-

Digitized by Google

promulgatum, publicatumve fuerit, irritum eſto: k) ſed ſi dubii quid

paulo ante confectam pacem ejus turbandæ gratia duo ſcripta publicaverat; Unum, quod vocavit *judicium Theologicum ſuper quæſtione, an pax, qualem deſiderant Proteſtantes, ſit ſecundum ſe illicita?* Et alterum: quod *vehiculum Judicii Theologici inſcripſit*, quibus ſcriptis acriter perſtringebantur, quæ nuper a miniſtris Cæſareis pacis cauſa Suecis atque Proteſtantibus conceſſa fuerant. Inter hos Incentores turbarum ante alios jactabant ſe atque oſtentabant Jeſuitæ, inquietum & vafrum hominum genus, quorum argumentorum ſumma erat, laborare ejusmodi pacem perpetuo & inſanabili vitio, confectam ſcilicet, uti calumniantur, contra bonos mores, contra pietatem, contra religionis Chriſtianæ diſciplinam, & denique contra obſequium, obedientiam & reverentiam, ſummo Capiti Catholicæ Eccleſiæ debitam, quo invito & reclamante impium ſit & nefas Principibus Chriſtianis de ſacrarum rerum ſatis ſtatuere, & quæ ſemel Deo dicata, adeoque commerciis hominum ſubtracta fuere, in profanos iterum uſus convertere, cum his auctoribus præſtaret, ad ſupremum usque ſpiritum, & cum totius reipublicæ excidio potius depugnare, quam committere, ut Eccleſia Catholica inde damnum ſentiat. De quibus ingenue tandem judicat Buckiſch, *intereſſe Imperii turbulentas ejusmodi diſputationes vel ſcripta virulenta prohiberi, quibus non modo indignitas ſumma inſit, verum etiam plurimum periculi, ut merito hæc imprudentia publicis pœnis caſtigetur*, qua tamen confesſione quam gratiam inierit apud ſuos Patronos, ipſe mox magno ſuo incommodo expertus eſt. Deinde *dubiam faciunt pacem*, qui verba ſenſumq; ejus malitioſe corripiunt, & ſiniſtra interpretatione contra mentem paciſcentium alio flectunt, quod non adeo difficile quibusdam in locis, obſcuritate orationis, quam nimia paciſcentium peperit cautio, ut facile decipiantur, quibus acta pacis & cauſæ Status ſatis cognita non ſunt, fatente etiam Bœclero, qui in notis ad jus publicum Ottonis ſcribere non dubitant, *ad Inſtrumentum pacis deſideratur Commentarius, hiſtoriam & rationes Conſultantium decernentiumque complexus.* Denique *contrarias inde* deducunt aſſertiones, qui Tabulas pacis circa hanc de gravaminibus transactionem ſecum pugnare contendunt, ingenioque ſuo abutuntur contradictionibus in ſpeciem fabricandis, hoc ſcilicet fine, ut & authoritatem legis frangant, & ſuſpenſos teneant incautos, ne perſpicere veritatem poſſint; quæ aſtutia & fraus mox improbis auxilio in judiciis eſt, quos favor religionis apud iniquos & prævaricantes Judices commendat, ut eo facilius ſententiam pro amico ferant.

k) *Quicquid etiam contrarii hactenus vel editum, vel promulgatum, publicatumve fuerit, irritum eſto.)* Poſtulavere Pro-

quid l) hinc aut aliunde incidat, m) aut ex cauſis pacem religioſam, aut hanc Transactionem tangentibus n) reſultet, o) de eo in Comitiis vel aliis Imperii Conventibus p) inter utriusque Reli-

Proteſtantes inter tractatus pacis, ut duo illa ſeditioſa ſcripta, *Buckardi autonomia*, inquam & *Dillingenſium compoſitio pacis* decreto publico damnetur & aboleatur. Sed cum hoc a Catholicis impetrari non potuiſſet, qui famæ & exiſtimationi ſuorum, quos tanti hactenus fecerant, conſulere voluere, placuit tandem, ut in genere omnia hujus farinæ utrinque atro notentur calculo & abrogentur.

l) *Sed ſi dubii quid.)* De vero ſenſu hujus transactionis modeſte & ſobrie ſcribere aut conſulere in dubiis non prohibitum, dummodo meminerimus, omnem interpretationem, quæ a privatis fit, ad genus interpretationis doctrinalis pertinere, neq; vim aliquam decidendi ex ſe per id acquirere, quamvis, ſi cum ratione inſtituatur, monſtrare aliquam viam illis poſſit, quorum muneris eſt, cum authoritate de ſuſcitato dubio decernere.

m) *Hinc aut aliunde incidat.) Hinc*, ex ipſa ſcilicet formula pacis, cum verba, eorumque ſtructura ambigua eſt, *aliunde* vero, quoties extra verba movetur ſcrupulus ſpecioſis aliis & fallacibus argumentis.

n) *Aut ex cauſis pacem religioſam aut hanc transactionem tangentibus.)* Id quod hactenus non raro hercle factum, cum dubiis in cauſis Pontificii religioſam pacem appellarent ſuis rationibus magis commodam & propitiam, Proteſtantes vero hac noſtra transactione ſtricte niterentur. Documento eſt Conventus Deputatorum Francofurtenſis, in quo utraque pars magnis ſtudiis hanc ſerram contentionis in omnibus fere cauſis traxere.

o) *Reſultet.)* Paulo ante dictum fuit, *incidat.* hic jam legitur *reſultet.* Non exiſtimo, ſcrupuloſos nos eſſe debere in his duobus verbis, quorum fortaſſis non valde diſpar ſignificatio. Quod ſi tamen placeat conſectari minutias, illud *incidat*, referri poſſet ad ſenſum verborum directum; alterum vero *reſultet*, ad conſequentias, quæ ex ſenſu illo per argumentationes efficiuntur. Uti enim *incidere* eſt, ſi quid ex improviſo in re ipſa contingit, *ita reſultare*, quod velut ex profundo emergit. Sed nolim ego cum quoquam de hac ſubtilitate rixari.

p) *De eo in Comitiis, vel aliis Imperii Conventibus.)* De Comitiis res expedita; Sed quinam ſunt illi alii Imperii Conventus? Conventus Deputatorum imperii ordinarios hic intelligi, non ambigitur, de quibus ſequenti §vo plura. Id vero quæritur, num etiam ultra hæc duo genera alii, & qui? Nobis ex more majorum & ſecundum leges nulli alii cogniti ſunt: Dubitandum tamen non eſt, ſi Imperatori & Statibus placuerit Conventum ſpecialem ad componenda religionis ne-

Digitized by Google

lig'onis Proceres, q) non niſi amicabili ratione tranſigatur. r)

Par numerus deputatorum.

§. 51. XVIII. In Conventibus Deputatorum Imperii a) Ordinariis

negotia inſtituere, & ejus rei cauſa delegare certos quosdam ex Statibus ſive Judices, ſive arbitros, quin id eis permiſſum ſit.

q) *Inter utriusque religionis Proceres.)* Itaque Proceres Imperii, ſive Status ſunt ad quos hæc diſceptatio pertinet, in dubiis neque Viennenſe illud Tribunal, neque Camera Imperialis cum autoritate aliqua authenticæ vel legislatoriæ interpretationis judiciali ſententia finire lites poſſunt, antequam eis conſtet de recto legis ſenſu, ſecundum quam ferenda ſententia eſt. Hoc ſibi imprimis illi Judices dictum putent, qui neſcio qua poteſtate & fiducia in omnibus fere dubiis velut pro oraculo ſe gerunt, & cujus reſponſis ſtare illi etiam debere putant, qui e veſtigio docere poſſunt, contra jura & leges judicatum eſſe.

r) *Non niſi amicabili ratione tranſigatur.)* Neque enim plurium ſententiis ſtatur, neque parti credendum, quæ ſaniorem ſe jactitat; Neque denique vi aut bello eſt locus, ſed placida & amica diſceptatione res ſive componenda eſt, ſive etiam tranſigenda, ſi partes ſuper ſenſu convenire non poſſunt; tum enim neceſſe eſt, ut aliquo dato, aliquo retento de re certi quid ſtatuatur. Id quod multis locis hoc quidem in articulo quinto opus eſſe, tot diverſæ & inter ſe pugnantes opiniones nos monent. Neque Pontificii ſaltem hic nimia ſubtilitate ſua peccant. Eſt etiam cum Proteſtantibus objici cum ratione poteſt, ipſos aliquando ſtudio partium a prima paciſcentium intentione abire, dum verba ſecurius ſectantur. Exemplo eſſe poſſunt quatuor illa decantatiſſima dubia, quæ ſuperioribus Comitiis Status Catholici primum in medium attulere, hac fine, ut de his certi quid ſtatueretur, antequam in cauſis gravaminum decidendis ſecundum Inſtrumentum pacis ferri ſententia poſſit. Uti enim in iis, quæ dubio primo & ſecundo, de ſimultaneo ſcilicet, & mixtæ religionis Civitatibus Imperialibus propoſuere, ſine omni dubio quædam ſunt, quæ videntur Pontificii cum ratione poſtulare: Ita in duobus alteris, de rebus ab utraque parte in communi poſſeſſis, & de reditibus, tam clara pacis Weſtphalicæ verba ſunt & ſenſus, ut niſi vim textui manifeſtam adferas, adeoque non boni Interpretis, ſed malitioſi calumniatoris agere perſonam velis, nihil omnino invenias, quod modo ſpeciem dubii alicujus habeat.

§. 51.

a) *In conventibus Deputatorum Imperii.)* Occaſionem huic legi dederat impar hactenus Deputatorum numerus in ejusmodi conventibus, quo factum, ut Catholici ſuffragiis ſuperiores ubique vincerent Proteſtantes, & negotia Publica a Deputatis tractanda ſui arbitrii pene omnia facerent, ſummo Proteſtantium non

Digitized by Google

non ludibrio modo, ſed & ſæpe damno atque incommodo: Hinc in tractatibus Pacis Weſtphalicæ hæc inæqualitas inter gravamina relata, poſtulatumque, ut numerus Deputatorum ex utraque religione æquetur: Sic enim octavum gravamen in illo ſcripto, quod anno 1645. die 10. Decembris Moguntinis a Proteſtantibus exhibitum fuit, erat formatum: Als auch eine groſſe Ungleichheit ſich bißhero in deme erzeiget, daß auf ordinairen Deputation-Tägen die Evangeliſchen von denen Catholiſchen weit überſtimmet geweſen, halten der Fürſten und Stände Geſandten zu Verhütung allerhand daraus erwachſenden Beſchwerden, und ungleicher Gedancken, rathſam und billig zu ſeyn, daß bey der Reichs-Deputation der Evangeliſchen Deputirten Anzahl verſtärcket, und denen Catholiſchen gleich gemacht: So dann dieſelbe mit ſonderbahren Fleiß erinnert werden, die ihnen in Reichs-Abſchieden geſetzte limites und Schrancken nicht zu überſchreiten, noch ſich ſolcher Sachen anzumaſſen, welche auf Comitia und vor geſambte Stände des Reichs gehören, dergleichen auch bey allen extraordinairen Deputationen zwiſchen dem Churfürſten und Fürſten-Rath, daß nemlich ſelbe von beeder Religion zugethanen Perſonen in gleicher Anzahl jedesmahlen verrichtet werde, inacht zu nehmen von nöthen iſt. Equidem ad hæc reſponderunt tunc Catholici. Bey denen ordinari Deputations-Tagen haben gewiſſe Churfürſten und Stände publica lege Imperii eine alte acquirirte Gerechtigkeit, welche eben damahlen, wie anno 1555. der Religions-Frieden geſchloſſen, unter beederſeits Religions Verwandten Ständen angeordnet und verglichen, wobey es billig zu laſſen. So haben auch die ordinarii Deputati gewiſſe Reichs negotia zu tractiren, dabey ſie ſich zu halten, und die geſetzte limites nicht zu überſchreiten wiſſen werden. Die extraordinariæ Deputationes werden nach Wichtigkeit der vorfallenden Reichs-Sachen jeweilen über den numerum ordinarium bey gemeinen Reichs-Tagen von Kayſerl. Majeſt. Churfürſten, und Ständen verſtärcket, es iſt aber aus vorigen Reichs-Abſchieden vor und nach dem Religions-Frieden biß auf gegenwärtige Zeit nicht zu vernehmen, daß beede Religions-Verwandte in gleicher Anzahl in Verrichtung deren ad viſitationes ordinarias vel extraordinarias gehöriger, oder andern Reichs-Geſchäfften wären verordnet worden. Dahero die Catholiſche ſich diſſeits darüber, und auſſer eines ordentlichen allgemeinen Reichs-Tages nicht zu reſolviren wiſſen. Es erhelle gleichwohl nechſt vorige general-Regul, ad 7. gravamen, daß bey allen Reichs-Conventibus und alſo auch bey denen Deputation-Tägen die majora billig den Entſchied geben, auſſerhalb in denen Sachen, darüber in Reichs-Satzungen andere Verordnung verhanden. Sed perſtitere in ſententia Proteſtantes, quorum conſtantia tandem res ad eum modum definita eſt, uti hoc §vo legitur.

riis, b) numerus ex utriusque Religionis Proceribus æquetur.
c) De

b) *Ordinariis.)* Sunt enim Deputationes Imperii aliæ ordinariæ, aliæ extraordinariæ. Ordinariarum origo recte refertur ad annum 1555. ubi in Conſtitutione de pace publica dicto anno promulgata, prima inſtitutio occurrit. In cauſa erant motus in Imperio, & turbæ internæ, circa illa adhuc tempora non infrequentes, ac adeo validæ interdum, ut unius alteriusve circuli vires ad præſcriptum Legis ſeu Conſtitutionis de executione publicatum ſimul ordinata, non ſufficerent. Hoc enim caſu ingraveſcentes periculi armorum Præfecti & Duces circulorum Moguntinum de diſcrimine, in quo res publica verſatur, certiorem faciunt, cujus eſt indicere hunc conventum. Enim vero eſt hæc cauſa ſaltem ordinaria, cur id genus Comitia oporteat habere. Dantur enim præterea aliæ, prout id utilitati publicæ expedit. Ultimum hujus naturæ conventum habuimus poſt Comitia ſuperiora Francoſurti, qui non modo de publica ſecuritate, ſed imprimis de negotio religionis multa quidem, ſed irrito eventu omnia tractavit. An poſthæc aliquis futurus ſit, merito quis dubitare poterit. Non modo enim Principes admodum invident, Electoribus prærogativam in his Conventibus, quando Hi omnes vocantur, & ſeparata in Curia conſultant, cum ex Principum Comitumque, uti & Urbium Imperialium ordinibus ſaltem certi quidam, neque adeo multi delegentur, unumque ſenatum conſtituant, Urbium etiam Deputatis cum Principibus uno loco ſedentibus, & ſententiam dicentibus pari ſuffragiorum vi & valore, quoties decretum ſit ſecundum ea, quæ pluribus conſulta videntur. Sed & interea in ipſo Collegio Electorali ingens mutatio facta eſt, cum primum morte Caroli Palatini, & ſucceſſore Neoburgico auctus Electorum Catholicorum numerus; & deinde ille idem tranſitione Saxonicis ad Sacra Pontificia majus adhuc incrementum ceperit, ut jam ſolus Brandenburgicus ſuperſit: aut ſi multum dederis Saxonis intuitu, qui hucusque nihilominus a partibus Proteſtantium in ejusmodi cauſis ſtetit, vix ſesqui Evangelici Electores: Ut proinde ego ſpondere non auſim, Catholicos quod olim tribus Electoribus ægre nec ſine publica teſtatione, ne res in exemplum trahatur, conceſſerunt, nunc etiam conceſſuros numero eorum ſupra dimidium imminuto. Scilicet id agitur, ut jam Saxoni & Brandenburgico duo ſuffragia adjiciantur, exæquandis quatuor Catholicorum votis. Hac rerum facie vix erit, ut boni quicquam de futuris Deputationum Conventibus ſperare liceat, antequam Saxo nobis reſtitutus, ſimulque Elector Hannoveranus ad Collegium Electorale fuerit adoptatus, reducta per id proportione, quæ poſt Weſtphalicam pacem inter Electores Catholicos & Proteſtantes ſuperfuit. Neque enim negari poteſt, for-
mam

Digitized by Google

c) De Perſonis autem vel Statibus Imperii adjungendis, d) in

mam reipublicæ ſucceſſione Neoburgici in locum Electoris Proteſtantis quodammodo affectam eſſe, minori nunc multo auctoritate Proteſtantium in Collegio Electorali, quam antea quod tamen Collegium uti inſignis ipſius formæ & regiminis publici pars eſt, ita omnis ſors aut eventus fortuitus etiam, quo temperatura ejus alteratur, non poteſt non in ipſa forma aliquam mutationem parere.

Sed ut ad inſtitutum redeam, jam neminem fore arbitror, qui non intelligat, quam impedita res ſit futura conſilia ſuſcipere de reſtauranda Deputatione ordinaria, ex quo Collegium Electorale huic muneri obeundo prorſus inidoneum factum eſt, antequam nova remedia ſanandis vitiis adhibeantur; Quamquam & iſtorum inventio æque forte difficilis & dubia fuerit, Catholicis Electoribus vix quicquam de eo remiſſuris, cujus compendium fortuna ſic volente fecerunt. Neque video ego aliam rationem expediundæ rei, quam ut confuſis in conſenſu Deputatorum Senatibus, qui ex veteri more duo ſunt, unus inſtituatur, atque hoc modo e Principum Proteſtantium ordine ſuppleatur, quod apud Electores exæquandæ religioni deeſt; quam rem ſuperioribus etiam Comitiis magnopere cupitam Principibus memini quidem, ſed ob Collegii Electoralis repugnantiam eo ſemper exitu, ut nunc deſperandum fere ſit de meliori eventu, cum Electores, utcunque cœtera inter ſe ipſi diſcordes nunquam ferent hujus prærogativæ participationem, qua ſupra hominum memoriam gaviſi hactenus perpetuo ſunt.

c) *Numerus ex utriusque religionis Proceribus æquetur.)* Scilicet prævalebant olim numero Catholici, vincebantque Proteſtantes in omnibus negotiis multitudine ſuffragiorum. Unde vis reipublicæ in ejusmodi Conſesſibus penes illos erat, quorum placitis hi ſtare cogebantur, veluti jure majoris partis victi. Viſum hoc noſtris eo indignius minusque tolerandum, quod ſæpe Catholici tacita quadam inter ſe conſpiratione, nos noſtramque religionem quacunque data occaſione premerent factis arbitratu ſuo decretis iniquiſſimis, quæ deinde Cæſares eo promptius confirmabant ſemper & exæquebantur, quo pejorem ejusmodi Conſultis conditionem Proteſtantium fieri perſpicerent: Quam in rem imagine juſtitiæ parata erant ſumma Tribunalia, quæ deinde ſecundum hæc placita quotidie jus dicerent manifeſta noſtratium injuria atque exitio tandem, niſi tantis adverſariorum auſis tempori obex poſitus fuiſſet redacta in aliquem ordinem illa graſſandi licentia, quam calumnia juris majoris partis Catholici in republica ſibi ſumebant. Cum vero duo imprimis eſſent occaſiones, quibus Catholici cum in legibus ferendis, tum aliis negotiis publicis ægre facere Proteſtantibus poterant, Comitia ſcilicet univerſalia.

d) in Comitiis proximis ſtatuatur, e) in horum Conventibus, f) item-

ſalia, & Deputatorum indicti Conventus; Itaque in illis coercendis præcipua etiam cura fuit, ne illi ubique numero ſuperiores pro lubitu omnia ferrent agerentque. His ſola obſequii gloria relinqueretur, cum diſſenſu ſuo in lege impedienda nihil proficerent, de qua ſæpe inter Catholicos conventum jam fuerat, etiam antequam rogaretur. Enim vero quod ad Comitia univerſalia attinet, quia in illis jus ſuffragii apud omnes Status eſt, ut excludi nemo vel præteriri potuerit, quoties coguntur, in illis Proteſtantibus alia ratione proſpiciendum fuit, cum numeri exæquandi commoda via iniri non poterat: Cujus rei cauſa ſequens paragraphus præcipue eſt compoſitus. At in conventibus Deputatorum cum ſelectus fiat Statuum quorundam ex tribus ordinibus ſeu Curiis, qui numero adeo magno non deliguntur, ut negotium ob exſuperantiam Catholicorum ſua natura exitum habere nequeat, facilior erat ratio exæquandi, adeoque manifeſtior æquitas, ut hoc ſibi dari Proteſtantes contenderent. Itaque Horum poſtulata apud tractatus pacis initio ſtatim fuerant: Es habe eine groſſe Ungleichheit ſich biſhero in deme ereignet, daß auf ordinairen Deputations-Tägen die Evangeliſche von denen Cathol. weit überſtimmet geweſen. Weßhalben zu Verhütung allerhand daraus erwachſenden Beſchwerden und ungleicher Gedancken rathſam und billig ſey, daß bey deren Reichs-Deputationen der Evangel. Deputirten Anzahl verſtärcket, und denen Catholiſchen gleich gemachet ꝛc. Dergleichen auch bey allen extraordinairen Deputationibus in acht zu nehmen, von nöthen ſey. Equidem Catholici hanc rem in reſponſo ſuo ad futura Comitia rejiciebant; Sed perſiſtentibus in propoſito Evangelicis, ut certi quid ſtatueretur, perſcripta tandem lex eſt, de æquali Deputatorum numero ex utraque religione, cui hucusque ſtatur, quamquam aliquando Catholici poſt hæc vocare in dubium auſi fuerint, an etiam extra religionis negotia hæc exæquandi numeri neceſſitas impoſita ſit: Id quod aliquos moviſſe mirum, cum hac ipſa lege diſerte habeatur, *ad quacunque negotia.* Item *quacunque occaſione*, quæ adeo clara ſunt & perſpicua, ut calumniari, non diſputare videatur, cui iſta non ſatisfaciunt. *Proceribus.)* Obſerva hic locum, ubi Procerum nomine etiam Civitates liberæ comprehenduntur; id quod alibi vix, aut raro ſane invenies.

d) *De perſonis autem vel Statibus Imperii adjungendis.)* Scilicet Catholici ante hac in ejusmodi Comitiis Proteſtantes Status ſemper numero ſuperabant. Et quidem anno 1555. in prima Conſtitutione ex Principum Comitumque ordine Deputati omnes Catholici facti; Ut Archidux Auſtriæ, Epiſcopi Herbipolenſis & Monaſterienſis, Dux Bavariæ,

tiæ, Abbas Weingartenſis, Comes Furſtenbergenſis: Quibus ſi adjunxeris tres Electores Catholicos, & Civitatem Coloniam, habebis decem Deputatos Catholicos, cum ex Proteſtantium parte non plus quatuor eſſent, tres nimirum Electores, & Civitas Noriberga. *vid. Receſſ. Imperii de anno 1555. §.* So ſich dann abermahls, quo loco natales quaſi ſunt Deputationis ordinariæ. Erat autem hoc officium primum [perſonale], quod deinde *(Receſſ. Imperii de anno 1559. §.* Auf daß dann diſſfalls ꝛc.) Hæreditarium factum, adjunctis Duce Juliacenſi & Landgravio Haſſiæ; qua tamen re, cum unus eorum religionis Catholicæ fuerit, alter Auguſtanæ Confesſioni addictus, Proteſtantibus in effectu nihil accrevit. Mox Comitiis anno 1570. celebratis adhuc quatuor additi, Epiſcopus Conſtantienſis, Duces Burgundus, Brunſvicenſis, & Pomeranus. *(Receſſ. Imperii de anno 1570. §.* und damit ſolche wichtige Dinge.) pari quidem rurſus numero religionis ſed manente ex prima inſtitutione inæqualitate ſuperiori, ut ſemper Catholici Proteſtantes ſenario vincerentur; Atque hic numerus eadem proportione usque ad Inſtrumentum pacis duravit, Teſte adhuc conventu Deputatorum Spirenſi de anno 1600. ubi accurate eſt ſervatus; nam quod anno 1571. Francofurtum ad illa Comitia plures Deputati convolarint, id extra ordinem fuit, cauſisque peculiaribus datum, cum de rei monetariæ emendatione & cenſus Imperii lis, qui nobis matricula vocatur, æquabiliori deſcriptione ageretur; adjunctis prioribus, duobus Catholicis, Saliſburgenſi atque Leodienſi, nec non tribus Evangelicis, uno Palatino, altero Brunſvicenſi, & altero Haſſo ſuper eos, qui ex his gentibus jam ſinguli lege deſignati erant. Ex quo patet, Status Proteſtantes in actione pacis Weſtphalicæ non injuria de inæqualitate Deputatorum conqueſtos eſſe, cum Catholici ordinarie ſex votis præſtarent Evangelicos, atque adeo duas fere tertias ſuffragiorum totius cœtus in poteſtate ſua haberent, qua prærogativa vim omnem ejusmodi Conventuum ad ipſos devolvi oportuit, ſummo rei Evangelicæ damno & ludibrio, cum Status Proteſtantes irritas ſemper dicerent ſententias & ſteriles, quoties non pedibus in Catholicorum placita irent.

e) *In Comitiis proximis ſtatuatur.)* Catholici initio hoc omne negotium ad proxima comitia rejectum cupiebant. Sed pervicere Proteſtantes, ut de exæquando numero ſtatueretur; de Statibus vero adjungendis res eo dilata; Et acta eſt ſane Comitiis ſuperioribus, anno 1653. habitis hæc cauſa aliquoties a graviſſimis & juris patrii guariſſimis Viris in ſenatibus ſummo fervore, nec minori partium ſtudio, diviſis primo Curiis ſuperioribus inter ſe; Deinde Catholicis adverſus Proteſtantes conjunctis. Inter ipſas curias certamen ex eo ortum eſt, cum Principes ferre amplius nollent, ut in conventibus Deputatorum Electores omnes adeſſe, & ſeparatum atque proprium habere ſenatum poſſent, reliquis omnibus in unum Collegium compactis, nullo

Digitized by Google

nullo Principum & Civitatum diſcrimine. Negabant enim ex Electoribus deputari, ubi omnes comparent: neque Principum dignitatem adeo deſpiciendam, ut conjungi cum eis Electores nolint, quos tamen deinde Civitatibus aggregent; Itaque aut uno corpore & Senatu omnes continendos, quod aliis in Deputationibus fieri conſueverit, aut tria collegia more Comitiorum univerſalium conſtituenda, ut ſuum etiam ſibi Principes cum Prælatis & Comitibus habeant, tertio Civitatibus relicto, quibus cum ſoli miſceri nolint, quando Electores hanc ſocietatem fugiunt. Sed impetrari nihil potuit, cum vetus obſervantia in contrarium iret. Fortaſſe verebantur etiam Electores, ne, ſi his in Conventibus cederent, quæ vice Comitiorum ſunt, cujus Decretis omnes Status non minus tenentur, quam ſi a ſingulis & univerſis in commune conſultum fuiſſet, mox auſuri Principes idem ſint in Comitiis univerſalibus. Deinde inter ipſos Electores non conveniebat, ex quo Collegii ipſorum conditio & rationes poſt pacem Weſtphalicam inſigniter mutatæ fuere. Cum enim ante proſcriptionem Friderici Palatini ſex Electores fuiſſent, pari religionis numero, tres nimirum Catholici, Moguntinus, Trevirenſis & Colonienſis; Itemque tres Evangelici, Palatinus, Saxo, Brandenburgicus, deinde vero inter bella Civilia pulſo Palatino Proteſtante, Bavarus Catholicus in locum illius auctore Cæſare Ferdinando ſucceſſiſſet, qui ſtatione ſe iterum pelli paſſus non eſt, adeoque proſcripti Palatini liberis conſuli alia ratione non poſſet, quam ut novus Electoratus inſtitueretur, ex eo accidere neceſſe fuit, ut ſuffragia Electorum paria, uti hactenus fuerant, eſſe deſinerent, atque Catholici acceſſione Bavari aucti Proteſtantes uno numero vincerent, ſummo rerum noſtrarum incommodo damnoque in iis negotiis, ubi plurium ſententiis ſtatur. Sed tolerandum erat nihilominus hoc malum, quod nobis inflixerat magis Gallorum prævaricatio & favor in Bavarum, quocum ſecreta conſilia ſemper fovebant, & quam hoſtium arma & virtus. Poſtquam vero pace inter alia hoc etiam placuiſſet, ut in Conventibus Deputationum ordinariis, quibus totum Electorale Collegium intereſſe ſolet, numerus Deputatorum ex utraque religione æquandus ſit, nulla Catholicorum hac in re prærogativa; acriter ſtatim diſceptatum fuit, qua ratione huic legi in Collegio Electorali ſatisfieri poſſit, jam diſpari numero, cum præteriri vel omitti ex inſtituto vetere nullus poſſet. Hic proponebant Catholici Electores, aſſumi aliquem poſſe ex Principum Proteſtantium ordine, qui etſi in Curia Electorum locum non obtineat, exæquet tamen Catholicorum numerum facto ad omnes in univerſum Deputatos computo. Enimvero ſicuti hac ratione Electorum Evangelicorum in ipſo Collegio deterior futura conditio fuiſſet, Catholicis numero ſuperioribus: Ita neque Principibus Proteſtantibus id ipſum alio pacto placuerat, quam ſi confuſis duobus ſenatibus in uno, nullo diſcri-

ſcri-

ſcrimine conditionis vel Status, omnes ſententiam ſuo quisque ordine dicerent, collectisque deinde ſuffragiis facto ſtatim decreta Re- & Correlationes, uti vocantur, alias inter duo Collegia inſtitui ſolitæ tollerentur; quo cum nihil peti potuiſſet a prærogativis Electorum alienius, ideoque propediem rejecta res eſt. Tandem tollendæ difficultati hoc medium placuit, ut in ſenatu Electorali tres Electores Evangelici quarto voto alternatim gauderent: Sed hac ſaltem vice, & ſine ullo poſthæc præjudicio vel exemplo, quandoquidem ea ſuper re futuris Comitiis amplius deliberandum eſſe viſum fuerit. Verba Conſtitutionis in Receſſu de anno 1654. §. und dieweil, hæc leguntur. Daß in dem Churfürſtl. Collegio zwiſchen denen dreyen Augſpurgl. Confeſſions-Verwandten und Proteſtirenden Churfürſten ein viertes unter Ihnen alternirendes votum vor dißmahl, weiln in den künfftigen prorogirten Comitiis weiter davon zu reden, bey demſelben Deputations-Tag, keines weges aber bey einiger anderwärtiger Reichs-Verſamlung, Churfürſtl. Collegial oder Wahl-Tage, ſtatt habe. De cœtero quod ad alteram Curiam attinet, in qua Principes, Comites, atque Civitates unum ſenatum conſtituunt, ibi exæquatio ordinum utriusque religionis facta quidem aliqua eſt adjectis ex Principum ordine Altenburgenſi, Culmbacenſi, Megapolitano & Würtebergico; ex Comitibus uno Wetteravicorum, & denique ex Civitatibus liberis Aquisgrano, Uberlinga, Argentorato, atque Ratisbona. Sed neque hoc pacto omne certamen extinctum, reclamante imprimis Vinarienſi & Onoldino, qui ægre ferebant, nullam ſui rationem in lege habitam, cum inter deliberandum Saxonica & Brandenburgica domus indefinite nominata fuiſſet, nulla certa deſignata Linea, quod etiam Decretum in literas redactum, Cæſarique oblatum, nec quicquam amplius complectebatur, ut proinde quærerent, cujus auctoritate quove jure tam inſignis mutatio facta fuerit? Cum potius ad mentem Decreti inter has principales Lineas ante tranſigendum fuiſſet, quam conſtare poterat, quæ alteri eſſet præferenda. Atque hac ratione compoſita nunc eſt tota Deputatio ordinaria ſemptem Electoribus, ſed qui tamen dato Evangelicis voto quarto octonis æquipollent. Sex Principibus Catholicis, Auſtriaco, Burgundo, Herbipolitano, Conſtantienſi, Monaſterienſi & Bavaro, ſeptem Principibus Evangelicis, Altenburgenſi, Culmbacenſi, Brunſvicenſi, Pomerano, Haſſo, Megapolitano & Wurtebergenſi; Uno Abbate, unoque Comite Catholico: Illo Weingartenſi; Hoc Furſtenbergenſi; uno iterum Comite Evangelico ex curia Wetteraviorum, & ſex denique Civitatibus, Colonienſi, Aquisgrano, Uberlingo, Catholicis; Noribergenſi vero, Argentoratenſi & Ratisbonenſi Evangelicis: Qui conjunctim ſi vota numeres, triginta efficiunt: Sin perſonas, vel individua, viginti novem. Quorum omnium in duas claſſes pro religionis diverſitate diſtributorum hæc erit figura:

Evan-

	Evangelici.	Catholici.
Electores.	1. Saxo.	1. Moguntinus.
	2. Brandenburgicus.	2. Trevirenſis.
	3. Palatinus.	3. Colonienſis.
	4. Quartum votum.	4. Bavarus.
Principes.	5. Altenburgenſis.	5. Auſtriacus.
	6. Culmbacenſis.	6. Burgundus.
	7. Brunſvicenſis.	7. Herbipolitanus.
	8. Pomeranus.	8. Conſtantienſis.
	9. Haſſus.	9. Monaſterienſis.
	10. Megapolitanus.	10. Bavarus.
	11. Wurtebergenſis.	11. Weingartenſis Abbas.
Comites.	12. Wetteravicus.	12. Furſtenbergenſis.
Civitates.	13. Noriberga.	13. Colonia.
	14. Argentoratum.	14. Aquisgranum.
	15. Ratisbona.	15. Uberlinga.

Ex his primis octo conſtat Electorale Collegium, reliqui viginti duo alteram Curiam conſtituunt, ſedentes duobus ſcamnis vel lateribus, quorum illud Eccleſiaſticum appellatur, hoc ſeculare, ubi rurſus Eccleſiaſtici Principes apud ſe conſidentem habent Abbatem Weingartenſem, Principes autem Seculares ſuo in ſcamno Comitem. Civitates vero extremum Tabulæ locum occupant. Rogantur de ſuffragiis ordine ſinguli alternis ſcamnis, uti fit in Comitiis. Cumque vota Eccleſiaſticorum, quippe numero pauciorum, citius deſinant, continuatur rogando ſeculares, donec ordo ad Abbatem pervenerit; tum rurſus ille, & deinde duo Comites; Deniq; Civitates vocantur. Decretum fit in utraque Curia ſecundum eos, qui numero plures idem voluere. Deinde fit communicatio eorum, quæ in duobus Senatibus placuere. Hæc ſi utrinque conveniunt, perſcribitur Senatus Conſultum, refertur que ad Cæſarem; ſin vero eſt inter Curias earumque placita diſſenſio, de conciliatione agitur, rationibus & mediis expediendæ rei commodis, donec unam in ſententiam itur. Quod ſi vero hoc poſt omnem adhibitam diligentiam obtineri non poteſt, infecta re ut diſcedatur, neceſſe eſt, cum neutra Curia alteram cogere poſſit, ut ſibi cedat. Neque etiam hoc rerum ſtatu Imperatoris eſt arbitrium, uti cui parti Ipſe accedit, ejus ſen-

Digitized by Google

f) itemque Comitiis univerſalibus, g) ſive ex uno, ſive duobus aut tribus Imperii Collegiis, h) quacunque occaſione, aut ad quæcunque negotia deputandi veniant, i) æquetur Deputatorum

tentia in vim legis valeat; Cæſar enim non judicat de Statuum diverſis ſententiis, utra potior ſit, ſed hoc eſt ejus officii, ut Senatus Conſulta confirmet, ubi autem propter diſſenſum Curiarum fieri Senatus Conſultum ſeu Decretum Imperii nequit, ibi confirmationi Cæſareæ non eſt locus, quamquā decentia & officiū poſtulent, ut per ordines certior fiat Imperator, quo in ſtatu res ſunt, & quod propter ſententias inter ſe pugnantes conveniri inter ipſos non potuerit. Huic fini ſit relatio ad Cæſarem, ſcilicet, non ut ipſe decidat, ſed ut authoritatem ſuam interponat, atque commodis hortatibus Civium diſcordes animos mitiget, & ad unitatem flectat. Quando vero omnes Curiæ cum Cæſare conſentiunt, tum vero ea, quæ ſic per Deputatos ſtatuuntur, poſtquam promulgata ſunt, haut minorem habent autoritatem, quam quæ plenis in Comitiis decreta fuere. Habentur enim pro legibus, quæ univerſim omnes obligant, vel obligare ſaltem debent, quia ſæpe apud potentiores vim ſuam amittunt, quoties illas obſervaſſe non expedit.

f) *In horum Conventibus.)* i. e. in Conventibus Deputatorum Imperii ordinariis, de quibus modo dictum.

g) *Itemque Comitiis univerſalibus.)* Quæ ſunt Comitia univerſalia, alibi traditur; neque hic locus vel opportunitas tam amplo & copioſo argumento defungendi.

h) *Sive ex uno, ſive duobus aut tribus Imperii Collegiis.)* In Conventibus Deputatorum ordinariis, ubi duo ſaltem ſunt Collegia, ſi ex uno horum Deputandi deliguntur, eſt deputatio illius Collegii; ſin ex duobus communi nomine, eſt Deputatio totius Conventus; Ubi vero quodvis Collegium ſeorſim deputat, binæ habentur Deputationes. In comitiis Univerſalibus, quæ tribus conſtant Collegiis ſeu Curiis, evenire idem poteſt; Deputant nimirum aliquando ſoli Electores, non nunquam Principes; Eſt etiam cum Civitates ſeorſim, item Electores cum Principibus, vel Illi aut Hi cum Civitatibus. Plerumque tamen ex omnibus tribus Curiis fit Deputatio, quæ proprie vocatur Deputatio Imperii: Eine Reichs-Deputation, quicquid horum geritur, pari utriusque religionis numero Deputationem inſtitui oportet.

i) *Quacunque occaſione, aut ad quæcunque negotia Deputandi veniant.)* Neque igitur excogitari caſus poterit, ſive ex occaſione ille fuerit, ſive ex cauſis ſeu negotiis, quando diſpari numero locus datur, ut adeo mirum, quo pacto tam clara & perſpicua lege inventi nuper fuerint, qui extra cauſas ad religionem ſpectantes, auſi ſunt aſſirmare, neceſſitatem exæquationis non fuiſſe impoſitam-

torum numerus ex utriusque Religionis proceribus. k) Ubi extraordinariis Commiſſionibus, l) negotia in Imperio expedienda

tam. Quod ſi ignorantia legis dixerunt, condonandum eſt, ſin impudentia & fiducia inſcitiæ noſtræ, ridendum.

k) *Æquetur Deputatorum numerus ex utriusque religionis Proceribus.)* Æquari numerum lex vult; de ratione æquandi hic nihil ſtatuit. Conſentaneum igitur, ut cuique parti libera ſuorum electio relinquatur, neque obſtat, quod ſupra de perſonis vel Statibus adjungendis res ad Comitia rejecta fuerit: Id enim in Conventibus Deputatorum ordinariis ex ſpeciali ratione placuit. Agitata quidem fuit hæc quæſtio his in Comitiis, cum alia occaſione, tum vero acerrime anno 1704. menſe octobri, cum ad Cameræ Imperialis viſitationem decernenda eſſet Deputatio. Illo enim tempore ſumma ope conniximus ſunt Catholici, ut ſibi etiam poteſtas fieret eligendi una Proteſtantium Deputatos, quibus viciſſim aliqua æquitatis ſpecie idem jus in ſuos viſi ſunt velle tribuere, manifeſto ludibrio, cum ſuffragiorum numero ubique ſuperiores, hoc modo omnem Deputatorum conſtitutionem ſui arbitrii facere nullo negotio potuiſſent. Sed depulſi tandem ſunt hoc propoſito conſtantia Proteſtantium, qui nulla iſtorum ratione habita pervicere, ut quos ipſi nominaſſent, recipiendi eſſent ſine ulla mutatione, quamvis, ut aliqua in his fieret, Catholici initio deſideraſſent. De cætero vero haut curabant Proteſtantes, quos ſuo ex ordine alii admittendos vel rejiciendos cenſeant, modo ipſi ab his cogi non poſſint, judicio eorum ſtare; nam conſilii dandi facultas cuique libera eſt Magiſtratum vel dictatorem ferre grave & indignum inter pares autoritate & Statu, neque etiam periculo caret. Haud alienum ab argumento fore arbitror, ſi ſub finem hujus ſpeciminis adjiciamus, quæ in utramque partem ſummo fervore pro defendenda cujusque ſententia in Curia Principum prolixis ſcriptis hinc inde ventilata fuere, ut æquus Lector, & ſtudiis partium vacuus, ſtatuere apud ſe poſſit, penes quem jus injuriave ſtiterit. Vix enim alibi reperies hanc cauſam ullo tempore majori cura & contentione fuiſſe actam, cujus hic tandem exitus fuit, ut alteram partem & pœnitere litis inceptæ & pudere merito debuerit.

l) *Ubi extraordinariis Commiſſionibus.)* Quia Commiſſiones cum Deputationibus nullam habent convenientiam, ſed hæc duo toto cœlo inter ſe diſtant, rectius meo quidem judicio facturi illi fuiſſent, qui hunc articulum in tot paragraphos diſtinxere, ſi huic argumento novum paragraphum aſſignaſſent, neque id cum Deputationibus conjunxiſſent. Sed non eſt, cur nunc mutemus, ex quo altera partitio tot annis jam recepta, & uſu univerſali jam confirmata eſt.

Extraordinariis Commiſſionibus.) Quid ſint Commiſſiones, aliunde ex Juris-

da occurrunt, m) ſi res inter Auguſtanæ Confeſſionis Status verſatur,

riſprudentia privata petendum, de quo argumento Rulandus integrum & ingens opus labore haud pœnitendo edidit. Agitur autem hic de Commiſſionibus ſaltem *extraordinariis*, quæ aliis appellantur Commiſſiones von Hoffaus: ut ab ordinariis diſtinguantur, quas Camera vel Judicium aulicum decernit litibus inſtruendis vel exequendis ſententiis. Audiebant ſane quondam peſſime iſtæ Commiſſiones extraordinariæ, atque exſtant plurimæ Statuum, imprimis Proteſtantium, querelæ de incommodis atque injuriis, quas ſe judicio adeo præcipitato, neque minus ſibi ſuſpecto atque captioſo perpeti opporteat; Præcipue vero quoties in cauſæ diſceptatione reſpectus aliquis ad religionem interveniebat, ægerrime ferebant hos judices, qui manifeſto in Catholicos affectu res & jura Proteſtantium, iniquiſſimis pro amico ſententiis, modo plane intolerabili premebant affligtabantque, præjudicio haud facile reparabili, cum ab his judicibus provocatio non eſſet, remedium vero ſupplicationis inane & ludicrum, eodem judice, qui ante pronunciaverat. Atque hoc genere judicii erepta ſunt Onoldinis Principibus jura omnia & actiones, quæ in Civitatem Kitzingenſem olim habuere, & de quibus fidem facere idoneis documentis in continenti poterant. Eodem agendi modo Civitas Donawerda in ſtatum Municipalem redacta, data Bavaro poteſtate ejus occupandæ, cum ex formula juris id genus Executiones Circulo Suevico mandandæ fuiſſent. Neque edictum illud Ferdinandeum, anno 1629. propoſitum alia animo agitaverat, in quo Imperator inter alia non diſſimulat, firmum ſibi decretumque eſſe, Commiſſariis per univerſum Imperium dimittendis executioni ſine mora mandare, quæ decreto illo ſine legitima cauſæ cognitione, neque auditis partibus placito plus quam herili ſtatuerat. Atque hinc Proteſtantes paulatim aperire oculos, & pericula ſua animo ſollicitius volvere, experientia docti, de libertate ſua & religione illo tempore actum fuiſſe, niſi Sueci & Galli, veluti ex machina Dii, ſuſcepto cum Auſtriacis bello deſtinata tam immania intervertiſſent. Tolli nihilominus non poterat omnis Commiſſionum iſtarum uſus, ſive id minus e republica viſum, ſive Catholicis contra tendentibus Auſtriacorum gratia. Proximum igitur fuit, ut tam inſolens & capitalis poteſtas in ordinem aliquem, atque eos intra carceres redigeretur, ne poſt hæc tam facilis occaſio pateat ſpecioſo juris prætextu vexandi alios, & de Statuum Proteſtantium fatis pro libidine animi decernendi, agendo ferendoque res eorundem ex inſtigatione privatarum rationum, aut quodam faſcino religionis.

m) *Negotia in Imperio expedienda occurrunt.)* Negotia intellige litigioſa, imprimis ſi modus inde in Imperio ex-

ſatur, ſoli eidem Religioni addicti deputentur, n) ſi inter Catholicos, ſoli Catholici, o) ſi inter Catholicos & Auguſtanæ Confeſſionis Status, utriusque Religionis pari numero Commiſſarii denominentur & ordinentur. p) Placuit etiam, ut Commiſſarii qui-

timeſcendi, ut remediis ſubitaneis atque extraordinariis ſit opus. Addicunt hanc prærogativam decernendi Commiſſiones ſoli judicio aulico. Cameram vero inde excludunt, quam negant jus dicere poſſe aliter quam via ordinaria & ad præſcriptum Legis. Vix igitur invenies, a Camera ſive proprio motu, ſive ad partis petitionem decretas remiſſasque alio fuiſſe Commiſſiones ad cognoſcendum de cauſis vel litibus forte exortis, & occaſionem turbis daturis, niſi præveniantur initia. Sed inſtruenda ibi ſemper lis eſt libello ſupplici ad mandata vel Citationes impetrandas judicii exhibito.

n) *Si res inter Auguſtanæ Confeſſionis Status verſatur, ſoli eidem religioni addicti deputentur.)* Grave quondam erat Statibus Proteſtantibus & valde moleſtum, controverſias ſuas, quæ aliquando inter ipſos vertebantur, aut ſibi cum Catholicis intercedebant, ſinere judicari tractarique a Commiſſariis Catholicis aut partium ſtudiis occupatis, aut vafro conſilio committendi magis inter ſe partes, minuendique ex eo vires atque conjunctionem Proteſtantium hoc ſuo munere fungentibus. Itaque huic etiam vulneri medicina adhibita, ut ſi res inter Auguſtanæ Confeſſionis Status verſatur, ſoli Proteſtantes Commiſſarii admittantur.

o) *Si inter Catholicos, ſoli Catholici:)* Hoc æquitas poſtulat, quamvis forte periculum non erit, Cæſarem Catholicis facile Judices daturum ex Evangelicorum numero. Quid vero ſi partibus hoc ipſum placuerit? Vel ſi ipſi litigantes aliud deſideraverint? Mea ſententia poterit eis Cæſar ſalva hac lege gratificari, ſi velit; cogi non poteſt. Sin vero altera ſaltem pars hoc ipſum petierit, invita altera aut reclamante, aut erit integrum a legis formula abire, id quod nuper vidimus in cauſa ab Aſſeſſore Wigando contra Epiſcopum Herbipolenſem intentata, illo ſcilicet actore, fruſtra poſtulante, ut Commiſſariis Epiſcopo jam conceſſis, qui omnes Catholici erant, adjungerentur quidem ex Proteſtantium ordine quod contra morem legemque peti exiſtimatum fuit.

p) *Si inter Catholicos & Auguſtanæ Confeſſionis Status, utriusque Religionis pari numero Commiſſarii denominentur & ordinentur.)* Quando partes litigantes diverſarum ſunt religionum, Commiſſarii etiam ad cauſam cognoſcendam dati utriusque religionis pari numero eſſe debent. Atque hoc inter Catholicos & Proteſtantes dubio caret. Quid vero ſi partes ipſæ quidem Proteſtantes ambo ſint, alia vero reformatis ſacris, alia Luthera-

Digitized by Google

quidem res a ſe geſtas referant, & vota ſubjungant, inſtar tamen ſententiæ nihil definiant. q)

§. 52.

theranis addicta. Non exiſtimo, hoc caſu paritatem religionis utriusque in Commiſſariis ſpectari oportere. Interea non eſt dubium, Cæſarem prudenter & rectius facturum, ſi hac etiam parte judicio æquabili inſtituto apud contendentes fiduciam ſibi famamque arbitri vel judicii integri conciliet.

Utriusque religionis pari numero.) Volunt hic in numero etiam comprehendi authoritatem & gratiam, ne ſcilicet validior & potentior Catholicus infirmior Evangelicus delegetur, quod aliquando tentatum novimus, ac ſi numerus ſufficeret, nulla qualitatis perſonarum habita ratione, quæ cum diverſæ ſunt, ſæpe etiam effectu imparem numerum faciunt. Fac enim cum Electore Catholico, forte Moguntino aut Palatino, urbem aliquam liberam Imperii, e. g. Wetzlariam, Wormatiam, vel ſimilem a Cæſare delegari: Nemo profecto erit, qui legi hoc modo ſatisfactum dixerit, utcunque Commiſſarii pari utriusque religionis numero eſſe videantur. Cum enim hoc modo ratio legis, quæ unica fuit, cur par numerus ſtatueretur, manifeſto ludibrio fraudeque circumveniatur, verba merito interpretanda ſunt ex mente & intentione paciſcentium. Neque enim fore quemquam arbitror, affectibus ſuis adeo captivatum, quin ſi de cauſa rogaretur, cur hoc noſtro caſu lex parem Commiſſariorum utriusque religionis numerum requirat, reſponſurus fuerit, hoc ideo cautum eſſe, ne inter controvertentes duos alter ob religionis favorem vel odium altero potiori ſit aut deteriori conditione ex diſpari Commiſſariorum affectione. Poteſt autem hoc incommodum vel periculum non ex diſpari tantum numero provenire, ſed multo magis etiam ex prævalida unius gratia vel auctoritate ante alium, cui ſæpe metus aliquis reverentialis aut pudor obſtat, quo minus ſua libertate in dicendis ſententiis integre ſemper, cordate & firmiter utatur, cum Dii majorum gentium & poſſint facile & ſoleant inferioribus voce nutuque ſilentium imponere. Neque enim ſibi quisquam libenter negotium faceſſit, aut ſe cum potentiore committit alterius gratia, ſi obſequio quodam aut indulgentia redimere ſimultates & odia poterit, ex libertate agendi oriunda. Sæpe enim imputari trahique in crimen contemptæ dignitatis noſtræ ſolent, quæ ab aliis ex officio & dictamine conſcientiæ fiunt, ſi nobis ingrata ſunt, minusque rationibus noſtris commoda: Et quamquam principio diſſimuletur concepta ex hoc ira & indignatio, res tamen ipſa manet plerumque alta mente repoſta, cujus alia occaſione ſic reminiſcimur, ut alter ſuo damno ſentiat ſibi nunc luendam eſſe integritatem ſuam priorum temporum; Id quod inter duos potentia & auctoritate pares non

Pluralitas votorum.

§. 52. XIX. In cauſis Religionis, a) omnibusque aliis negotiis,

non adeo eſt extimeſcendum, cum & liberior vox minori cum offenſa ſit, & nemo cupiditatem ultionis in eum diutius ſervat, quem non in promptu eſt impune laceſſere, cum amicitia ejus mihi prodeſſe ſoepius poſſit. Denique in univerſum ſic eſt comparatum, ut veritatem ab æqualibus ſine moleſtia audiamus, quam nobis dicere inferiores aut non facile audent, aut ſine periculo ſuo atque offenſione non poſſunt contra nos fortiter defendere. Ut adeo cum ſumma ratione interpretentur legem noſtram, qui Commiſſarios utriusque religionis pari numero non de quantitate modo, ſed & qualitate intelligunt, ut conſtet utrisque cum par libertas in ſententia dicenda, tum vero authoritas æqualis in toto negotio tractando; Quid enim prodeſt vox libera, ſi mox metu aut reverentia alteri cedendum eſt etiam contra animi ſenſum. Melius fuiſſet propediem in alterius ſententiam iviſſe pedibus, quam inani contradictione id egiſſe ut victi videamur.

q) *Placuit etiam, ut Commiſſarii quidem res a ſe geſtas referant, & vota ſubjungant, inſtar tamen ſententiæ nihil definiant.)* Agitur hic de poteſtate Commiſſariorum, qui referre quidem ad Cæſarem res a ſe geſtas, votaque ſua de eo, quod ipſis juſtum videbitur ſubjungere relationi poſſunt: Nihil tamen definire, neque ſuper cauſa ferre ſententiam posſunt, quæ res Principi reſervata eſt; an bono Proteſtantium, dubito: Cum in judicio aulico Imperiali nunquam non eorum deterior ſit conditio, quoties contra Catholicos agendum eſt, qui religionis favore nitantur, & occultis ſtudiis: Cum ſi Commiſſariis etiam ſententiæ ferendæ aliquando facultas eſſet, ſaltem ex partium conſenſu, nec ambitu nec corruptione tam facilis peccandi foret opportunitas. Cæterum de relatione Commiſſariorum ſciendum, fieri eam communi nomine, quando in cauſa & ordine rerum geſtarum votis ſuis concordant; Sin vero ipſi inter ſe diſſentiunt, tum utraque pars ſeparatim & diverſe refert, ſuamque ſententiam & vota collectis rationibus firmare conatur.

Inſtar ſententiæ.) Puta definitivæ, aut quæ vim definitivæ habet, nam interlocutoriis Commiſſarii uti non prohibentur, quibus ſæpe opus eſt, cum ſine illis negotia haud commode expediuntur; Sunt enim ſubinde commonefaciendi officii per id genus ſententias, qui jus fugiunt aut tergiverſantur, quoties id parti adverſæ fraudi eſt. Neque enim quicquam frequentius in ejusmodi Commiſſionibus, quam per ſententias interlocutorias facilitare negotii tractationem, ad ſcopulos forte alliſi.

§. 52.

a) *In cauſis Religionis.)* Jam ſequitur, quid de Comitiis ſtatuendum ſit, in quibus par numerus Statuum utriusque religionis obſervari non poteſt, cum omnes vo-

tiis, ubi Status tanquam unum corpus conſiderari nequeunt, b) ut etiam Catholicis & Auguſtanæ Confeſſionis Statibus in duas

vocari moris ſit? Hic regula quidem obtinet, plurium ſuffragiis eſſe ſtandum. Sed excipiuntur tres caſus, & quartus in dubio relinquitur. Unus agit *de cauſis religionis*, ubi conſtituitur, *ut ſola amicabilis compoſitio lites dirimat, non attenta votorum pluralitate.* Intelliguntur autem cauſæ religionis, quoties Proteſtantium ſacris & conſcientiis ſuffragia Catholicorum, numero ſemper plura, fraudi ſunt & noxæ, quocunque modo id fiat; ſive directo: ſive per indirectum: Veluti ſi forte Catholici incolas quosdam, quos Proteſtantes ſuo cœtui aſſociant, nollent numero eorum haberi, factoque eam in rem per majora concluſo eos beneficio pacis religioſæ & Weſtphalicæ excludere conarentur. Neque enim Catholicis dari arbitrium ulla ratione poteſt ſtatuendi, qui accenſendi Proteſtantium Eccleſiis, & qui rejiciendi ſint, cum hæc facultas vnice ad Proteſtantes pertinere debeat. Meminimus hac de re diſceptatum fuiſſe noſtris temporibus, cum Archi-Epiſcopus Salisburgenſis quibusdam ſuis ſubditis Vallem Teſſeranam inhabitantibus, quos religionis cauſa perſequebatur, emigrandi libertatem negabat, ſe debere, quod pravis opinionibus, nec Lutheranorum doctrinæ congruis ſint infecti, adeoque præſidio legum indigni. Sed recte reſponſum eſt a Proteſtantibus, penes Catholicos non poſſe judicium eſſe hujus cauſæ, ſed ſufficere Proteſtantium auctoritatem, qui miſeros iſtos pro conſortibus religionis ſuæ habeant, quorum cœtui ſe illi ipſi ſtatim aggregant, quamprimum eis mutandi ſoli eſt facultas, neque obſtare, quod erroneis quibusdam opinionibus dicantur imbuti. Nam has propediem ipſos deponere, ſeque in omnibus fidei articulis conformare ad Proteſtantium ſenſum, quando liberi ſuique ſunt juris: Docilitate itaque ſua & informationis admiſſione Fratrum loco merito cenſeri, quibus damno eſſe nequeant errores, ad primam inſtitutionem expugnabiles, cum mirum potius ſit, ſimplices iſtos & agreſtes, nulla Doctorum copia tantis in tenebris ſolo Bibliorum & quorundam aliorum librorum adminiculo ac ductu aperire oculos ad lucem aliquam potuiſſe, luculento Dei auxilio manuque, qui avidos veritatis conſtanti & mirabili armavit propoſito, ut eam quærerent & conſectarentur, etiamſi neceſſe fuit bonorum omnium jacturam facere. Hos ita affectos & nihil ardentius expetentes, quam ut primo quoque tempore ſalutaria ſibi recte intelligant, quis invitis nobis judicio ſuo eripiet, aut qua ratione impediet, quominus ad perfectiorem cognitionem adſpirent, cum etiam Catholicos, mutare religionem volentes, prohibere ab inſtituto nefas ſit, quod longe pluris eſt, cum minore invidia retineamus in officio eos,

Digitized by Google

duas partes euntibus, c) ſola amicabilis compoſitio lites dirimat,

eos, qui a noſtris partibus defectionis conſilia agitant, quam ut arcere tibi alienos liceat, ad me tranſituros, quo minus & illis ſit integrũ de conſcientiis ſuis ſtatuere, & mihi conſulere velut dedititiis.

b) *Omnibusque aliis negotiis, ubi Status tanquam unum corpus conſiderari nequeunt.)* Hic alter caſus: Ratio igitur, cur in cauſis religionis majora ſuffragia non attendantur, eſt, quia in his Status tanquam unum corpus non poſſunt conſiderari. Hoc jam porrigitur ad omnia alia ſimilia negotia; ſed quænam illa ſint, impeditum ſatis eſt, dictuque difficile. Quæſivi hactenus apud omnes hujus loci interpretes exempla: Sed fere inveni nulla; Communiter ajunt, legem de negotiis intelligi, ubi jura ſingulorum verſantur, de quibus cognoſcere Status in Comitiis & decernere non ſit patrii inſtituti. Sed præterquam quod hæc opinio fortaſſis cautioni adhuc ſubjecta ſit, cum videamus, Cæſarem de jure ſingulorum judicare, quidni igitur Status cum Cæſare, præſertim in rebus majoris momenti, ubi ille ſub jurejurando ſpopondit, ſe hos conſulturum. Mihi cauſa etiam non apparet, cur Status tanquam unum corpus nequeant conſiderari, quoties de jure tertii conſultatio inter Collegia inſtituitur. Debet autem hæc eſſe natura negotii, ut Status in Comitiis congregatos ſeparet quaſi, & corporis ſeu Collegiorum vincula communia ſolvat, ut non amplius totius, ſed ſingulorum ratio habeatur. Quid ſi dicamus, negotia intelligi, de quibus in Comitiis deliberari non eſt receptum. Sed hoc reſponſo utcunque defuncti hærebimus ſtatim, cum exempla poſtulamus, niſi forte novorum vectigalium conceſſio huc pertinet, quæ res non modo Collegio Electorali propria, reliquis Statibus excluſis; Verum etiam in illo ipſo Collegio non aliter quam conjunctis omnium ſuffragiis expedienda, ut vel uno diſſentiente, cæterorum ſuffragia, in idem conſpirantia ad Decretum perſcribendum nihil valeant. Hæc ſi tibi non placent, cogita de exemplis aliis, modo memineris non eundem eſſe caſum, ubi Status non conſiderantur ut unum corpus: & cum Catholici & Auguſtanæ Confeſſioni addicti in partes eunt. Nam ſi hæc duo pro uno liceret reputare, ut ultimum eſſet prioris velut explicatio, res tantis dubiis involuta non foret; Sed videtur lex aliter loqui, atque tres caſus a ſe invicem diſtinctos exprimere, id quod illa voces, *ut etiam*, ſatis clare oſtendunt.

c) *Ut etiam Catholicis & Auguſtanæ Confeſſionis Statibus in duas partes euntibus.)* Tertius caſus: In duas partes ire eſt ire in diverſas ſententias, & pro illis adeo pugnare, ut neuter alteri concedere velit. Requirit autem Lex, ut Catholici omnes ex una parte, rurſumque omnes Proteſtantes ex altera contraria ſentiant, & veluti acies diverſæ præ-

Digitized by Google

prælia inter ſe miſceant, tanta utrinque conſtantia, ut poſt omnia tela emiſſa ambo nihilominus ſtent in propoſito, neque gradu ſe dimoveri patiantur. Nam ſi inter concertationes Proteſtantium quidam Catholicis, viciſſimque nonnulli ex his ſe Proteſtantibus adjungant, ita ut partes quidem aut ſententiæ diverſæ ſint in Senatu, ſed non in Proteſtantes & Catholicos, quatenus conſiderantur ut Status utriusque religionis: Tum vero hæc diſceſſio ad vim impediendorum majorum non adeo valebit. Ex quo apparet, cum initio horum Comitiorum de perpetua capitulatione in Curia Principum ageretur, atque ibi duæ eſſent factiones, quarum altera Electorum prærogativas tuebatur, quæ numero vincebat, altera vero dignitati famæque Principum ſecularium conſultum cupiebat, quibus plerumque poſt habitam deliberationem adverſa decreta ſunt facta. Hanc ſane partem ex noſtra Lege decreta iſta ſibi ſuisque rationibus minus commoda impugnare cum ratione non potuiſſe; quamvis enim tum duas in partes itum fuerit, diviſio tamen neque ex cauſa religionis fuit, neque inter Proceres utriusque religionis. Sed uti Principibus Eccleſiaſticis Catholicis, qui Ducem Auſtriacum ſequebantur, multi Proteſtantium acceſſere, ex illis præcipue, quibus curæ fuit defendere Majeſtatem Electorum, ordinisque hujus ſumma in republica jura, tempore immemoriali exercita; Ita ex adverſo Principibus ſecularibus Proteſtantibus non modo Catholici Principes ſeculares, verum etiam aliqui ex Eccleſiaſticis ſeſe adjunxere. Quamobrem fruſtra illi, quibus ut numero ſententiarum inferioribus ingrata decreta plerumque fiebant, auxilium hujus legis imploravere. Hoc enim pacto itur quidem in partes, ſed non ex ſenſu legis, quæ partes deſiderat, hinc omnium Proteſtantium, inde Catholicorum: Non diviſionem Statuum ſimpliciter, ſine ullo reſpectu religionis ſecedentium: Hoc enim ſic placuiſſet, quid, obſecro, opus fuiſſet, tres tantum caſus nominaſſe, quibus ad plurium ſuffragia non attenditur, cum hac ratione una opera in negotiis omnibus jura & prærogativæ majoris partis ſubverſæ fuiſſent: Quamquam etiam hic cautione opus, ne calumniis & malitia hominum fraus legi ſtruatur. Quemadmodum enim hæc tota lex bono & in gratiam Proteſtantium Statuum ſcripta eſt, ita providendum curatiſſime erit, ne penes aliorum ſit arbitrium vim illius dolo vel aſtutia labefactare. Sufficiet igitur omnes Proteſtantes una ex parte ſtare: neque hoc præſidium contra majora tollit, quamvis etiam unus alterve Catholicorum illis ſe aggregaverit, ſiue bona fide, & ex animi ſententia, ſive callido conſilio, quoties nihilominus reliqui Catholici numero ſententiarum prævalent. Secus ſi foret, haberent Catholici in poteſtate ſua quovis tempore opportunitatem eludendi hoc omne beneficium, quibus id modo inter ſe agendum eſſet, ut ex condicto quosdam ſubornarent, qui in Proteſtantium partes irent, quod eis tanto numero ſuperioribus nullo damno

majoris partis in promptu eſt tentare. Cum ex adverſo id genus ſubornationes Proteſtantibus nihil proderunt, quibus ſaltem cauſa Catholicorum validior efficeretur, iſtorum ſuffragiis. Quanta hæc lex ſudes in oculis Catholicorum ſit, vel ex eo conſtat, quod varias hactenus artes machinasque adhibuerint ejus enervandæ: Inter quas præcipuo loco hoc aſtu ſunt uſi, ut operam darent, qua ratione corrumpere quosdam & ſeducere ex ordine Proteſtantium, ſuasque in partes pertrahere poſſent, qui defectione a ſuis impedirent, ne viderentur Status utriusque religionis in duas partes ire. Neque ſane negandum eſt, hunc ipſis dolum nonnunquam proceſſiſſe, cui tamen nunc opportunum remedium inventum, voto illo communi Evangelicorum, quod inter ſe plerumque componunt, antequam rem patiantur in Senatibus ad communem deliberationem trahi. Quonam enim in cœtu Proteſtantium, quando ſeparatim de negotio aliquo, & quo pacto ſe gerere in illo tractando debeant, agitur, majoris partis ſententia ſtatur, atque ſecundum eam fit decretum, vitari per id commode poteſt, ne qui alias forte, dum ſinguli ferunt ſuffragia, reſpectu quodam privatæ utilitatis, aut vafri conſilii, terga Catholicorum demulcere vellent, a Decreto in cœtu facto non adeo facile abeant, neque illi contradicant, cum iſtud omnium Proteſtantium nomine deinde in Senatibus pro voto communi recitatur. Certe hoc inſtitutum hactenus alteri parti rationes illi ſuas multum turbaſſe, illi ſciunt, quibus non eſt ignarum, quantopere laborarint Catholici illi infringendo; Culpabatur ex eo maxime, & in cauſam facti illiciti trahebatur, quod in Senatibus ſinguli ſententiam dicant, commune autem votum non admittatur. Verum enim vero uti Statibus licet in partes ire, ita commodior nulla eſt oratio, ex quo partes ſemel formatæ ſunt, unius, alteriusve exponere ſententiam, quam voto aliquo communi. Poſſunt hoc Proteſtantes ſuo jure facere, & cum eadem in re Catholicis non obſint, quo minus eodem conſilio utantur, æquum certe eſt, ne Hi ſibi eandem ob rem negotium faceſſant, vel invideant libertati, qua abſolute opus eſt eis pro conſervatione & ſalute ſuarum rerum. Supereſt adhuc dubium aliud: An id quod hic de Statibus in partes euntibus dicitur, intelligendum ſit de *toto abſoluto cujusque partis;* Vel etiam *de parte partis.* Forſan non ſatis intelligor, quid mihi velim, itaque me ſic explico: Cum in Comitiis negotia publica tractentur, non uno in Corpore vel Senatu, ſed in tribus diverſis Curiis, quarum una Electores complectitur, altera Principes; Tertia Civitates, quæſitum memini, an huic Legi ſingulis in Curiis ſua conſtet auctoritas, an vero oporteat, ut totum corpus Proteſtantium, nulla habita Collegiorum ratione, cum toto Corpore Catholico in partes ſcindatur. Agitata fuit hæc quæſtio acerrime anno 1665. menſe Julio in Senatu Principum, cum quæſtio eſſet de conſilio aliquo bellico formando, quod Proteſtantes pari religionis numero compoſitum volebant,

Digitized by Google

Catholicis opinantibus, ut hoc poſtulatum in Decreto omitteretur, quibus Directores in conſcribendo decreto aſſenſi ſunt, idque eo excuſavere, quod major Senatus pars hoc non neceſſarium duxerit. Cum itaque Proteſtantes contenderent, non potuiſſe decretum ſecundum majora fieri, quod Status utriusque religionis hic in partes eant, reſponſum fuit a Catholicis, Electores hac in re jam ſecum conſentire: ad Civitates autem nondum de ea fuiſſe relatum, ut de Earum ſententia conſtare non poſſit. Dici vero ſecundum Inſtrumentum pacis *ire in partes*, cum ex una parte omnes ſimul ſumpti idem volunt noluntque, non cum in uno ſaltem Senatu diverſæ ſunt partium ſententiæ. Sed affecit hæc interpretatio magna moleſtia Evangelicos, qui noluere hoc ipſum in dubium vocari, affirmante Altenburgico, in Comitiis ipſam rationem hoc velle, ubi Status nullo alio pacto, quam in Collegio quisque ſuo res tractent, ut, niſi in ſingulis ſciſſio in partes obtineat, legi nunquam locus ſit futurus, cum ſcripta jure majoris partis decreta infirmari deinde non facile poſſint, ſed ſtatim niſi hæc inter ſe diſcrepent, in Decretum totius Imperii, ſive Senatus Conſultum abeant. Mea ſententia eſt, aut acquieſcere debere Catholicos his rationibus, certe non contemnendis: aut non morari amplius Proteſtantes, quo minus in hiſce negotiis, ubi in partes itur, voto communi utantur, cum alia ratio non ſuperſit, cepti hujus exæquendi: Nam re- & correlationes, quas vocant, ubi Trium Collegiorum eſt quædam quaſi conjunctio, prorſus non ſunt aptæ natæ negotio expediundo; quia niſi antequam ad hanc actionem venitur, in uno quoque Collegio impediri decreta, quo minus jure majoris partis conſcribantur, hoc remedio ſciſſorio, ſi ita appellari fas eſt, poſſint: apud re- & correlationes, quo ſingula Collegia ſuis decretis inſtructa accedunt, non ſane integra erit ſuſcipiendæ rei facultas: Nam totus ille actus conſtat lectione Concluſorum, quæ Collegia ſibi communicant, & ſi parte aliqua diverſa fuerint, quadam actione pro conciliandis ſententiis. Jam vero vellem quidem ego cupidiſſime doceri, quo pacto Proteſtantibus integrum maneat hoc beneficium *eundi in partes*, ex quo illi, in ſuis quisque Collegiis, jure majoris partis adeo vincuntur, ut decreto, quod plurium ſuffragiis factum, ſibi quoque ſtandum eſſe intelligant, ex ea ratione, quod multitudo ſuffragantium paucioribus utcunque diſſentientibus imponat neceſſitatem ſequendi, & quia jura totius in poteſtate majoris partis eſſe credantur, reliquis non aliter habitis, ac ſi idem voluiſſent, quamquam ſummo ſtudio & ardore de diſſenſu ſuo fuerint teſtati. Quod enim Concluſum vel Decretum ego juris quadam præſumptione acceptaſſe juvaſſeque arguor, quibus argumentis ego id ipſum deinceps impugnare potero re non amplius integra, ſed transacta? Itaque aut permiſſum eſſe debet Statibus, ut partes in Collegiis quisque ſuis facere poſſint, hac fine, ne Decretum per majora fiat, aut ſane poſt

Digitized by Google

mat, d) non attenta votorum pluralitate. e) Quod vero ad pluralitatem votorum in materia collectarum attinet, cum res hæc in præ-

Decreta ſemel facta non ſuppedit alia occaſio utendi remedii, cum multo difficilius reſcindantur, quæ recte & ex ordine ſunt geſta: quam impediuntur aut repellentur cœpta quidem, ſed nondum perfecta. Adhæc dantur quædam negotia, quæ uni Collegio ſæpe propria ſunt, neque cum aliis duobus communicantur. Ita Electorale jus Teloniorum, jus Electionis Regis Romanorum, aliaque multa habet præcipua; neque forte Principibus interdici poterit deliberatione rerum, ad ſuum ordinem & dignitatem pertinentium. Civitates vero aliquando capiunt conſilia de commerciis promovendis, de libertate ſua tuenda, & aliis. In his omnibus quin eveniente caſu legis etiam beneficio ſit locus, ne dubitandum quidem eſt. Denique habent certe Catholici, quo ſuæ potentiæ jacturam, quam in duobus ſuperioribus Collegiis hac seceſſione videntur facere, æquius tolerent, cum illis hoc damnum reſarciatur commodo ſuorum in Collegio Civitatum. Ibi enim Civitates Proteſtantes numero adeo ſuperiores ſunt Catholicis, ut cum jure majoris partis agitur, vim omnem Collegii in manu ſua habeant. Neque ſiſti facile hæc illarum præpotentia aliter poterit, quam Catholicis in partes euntibus, quo ipſo ſtatim ſufflaminantur majora. Fac enim in duobus ſuperioribus Curiis victor eſſe Proteſtantes Catholicorum ſuffragiis, in Senatu Civitatum vero Catholicos Proteſtantium, quis erit rei exitus? Non moris eſt prius referri ad Civitates, quam Electores & Principes ex ſuis Decretis unum commune fecerint. Hoc vero cum diſcrepat cum Civitatum concluſo, quamdiu Hæ in propoſito manent, quod ſuggeſtione Evangelicorum ex duobus ſuperioribus Collegiis fieri façile poterit, nunquam ad Decretum Imperii pervenietur, quia Civitates etiam habent votum deciſivum, nec invitis illis, cogi au[illegible] no[illegible] poſſunt, ſtatui de republica aliquid poteſt. Sed longe conſultius eſt non ſinere rem eo deduci, ut Civitates ſentire incipiant, quid ſibi liceat in negotiis publicis, quam ut periculo ſemel facto audaciores reddantur.

d) *Sola amicabilis compoſitio lites dirimat.)* Id eſt bonis conditionibus inter partes tranſigendum eſt ſuper dubiis aut litibus: neutra vero pars cogenda, ut alterius ſententia ſtet, utcunque numero ſuffragiorum potiore.

e) *Non attenta votorum pluralitate.)* qua ſuperiores ubique fere in Comitiis ſunt Catholici. Neque enim ulla in legibus ſecuritas foret, ſi a plurium calculis dependerent negotia religionis, aut alia ejuſdem generis. Non diu eſt, cum ex hoc præſidio egregie Proteſtantes ſe tutati ſunt. Agebatur ſcilicet, quod jam paulo ante etiam diximus in Comitiis de Deputatis ad Viſitationem Cameræ nominan-

præſenti congreſſu decidi non potuerit, ad proxima Comitia remiſſa eſt. f)

§. 53.

nandis, ubi diſceptatum fuit, an hoc negotium communi deliberatione expediendum, vel utrique parti electio ſuorum eſſe debeat? Hoc Proteſtantibus juſtum æquumque eſt viſum: diverſum Catholici cenſuere. Isque tandem fuit hujus certaminis exitus, ut cum pro autoritate definiri nihil poſſet, transactione tandem lis ſublata fuerit, idque ex voto Proteſtantium, quos propoſiti compotes haud certe pœnituit ſuſceptæ diſceptationis, quamquam Catholici inanibus verbis decreto adjectis litis temere ſuſcitatæ exprobrationem viſi ſunt amoliri voluiſſe, manifeſto ludibrio, eoque minus invidendo.

f) *Quod vero ad pluralitatem votorum in materia Collectarum attinet, cum hac res in præſenti congreſſu decidi non potuerit, ad proxima Comitia remiſſa eſto.)* In tractatu pacis Osnabrugenſi magnopere contendebant Status Proteſtantes, *Collectas* Imperii jure majoris partis non poſſe imperari. Sed hanc omnem rem voluntariam eſſe debere, adeoque inter Status amice de ea conveniendum. Et ſane ut hæc poſtularent, ſumma ratio fuit, poſtquam experientia edocti totiis erant, Auſtriacos egiſſe plerumque clam cum Catholicis, ut ſummas fere immenſas facile ſuis juvarent atque comprobarent ſuffragiis, recepta fide, aut nihil a ſe, aut modicum quid exactum iri, cum interea a Proteſtantibus ſolutio acerbe & rigoroſe petebatur, quamvis nihil, aut tolorabiliora conceſſiſſent, veluti ipſis neceſſitatem imponat inſidioſa Catholicorum promptitudo & liberalitas. Hinc publicis ſcriptis leguntur graviſſimæ querelæ, eam ob cauſam factæ, quod negarent Proteſtantes, ferendum ſibi eſſe, ut fortunarum ſuarum omnium arbitrium in poteſtate Catholicorum ſit, qui ſe mox hoc ſpecioſo majoris partis jure bonis omnibus forent everſuri. Die Catholiſche könten Sie ſolchergeſtalt mit Ihren majoribus von Land und Leuten hinaus votiren. Sed cum illo tempore conveniri hac ſuper re non poſſet, res ad proxima Comitia rejecta fuit. Atque ſane in illis tractatum eſt hoc negotium inter utriusque religionis Proceres, magna accuratione ſummisque ſtudiis, & dictæ graviſſimæ hinc inde ſententiæ, Catholicis inter Collectas voluntarias & neceſſarias diſtinguentibus, cum ex adverſo Proteſtantes repudiata illa diſtinctione rem omnem ſingulorum Statuum libertati atque liberalitati committendam eſſe cenſerent: Id quod forte cum caſu ſuperiori ſecundo incidit, & inter exempla eſt, quando ſcilicet Status tanquam unum corpus conſiderari nequeunt, quia hic conſenſus ſingulorum, qui tributa ſibi ipſi imperant, non vero judicio aliorum neceſſitatem ſibi imponi patiuntur, obligationem parit, ut exigi poſſint. Enim vero tum etiam ob ſententiarum

Digitized by Google

rum diverſitatem decerni nihil potuit, utrisque partes ſuas obſtinatiſſime tuentibus; neque deinceps omni reliquo tempore usque huc de negotio iſto relatum aut conſultatum amplius fuit, cum ſpes nulla eſſet, rem ex voto Catholicorum ſucceſſuram. Fuit igitur hic tandem exitus, ut integra omnia parti utrique manerent, hoc tamen Proteſtantium compendio, ut donec certi quid in Comitiis ſtatuatur, majora Catholicorum interea his fraudi aut oneri eſſe nequeant. De cætero dum res hæc ad proxima Comitia rejicitur, id non ita accipiendum, ac ſi ibi de illa ſtatui quid poſſit ex majoris partis ſententia. Sed ut ſecundum ea, quæ paragrapho 50. habentur, inter utriusque religionis Proceres *amicabili* ſaltem *ratione tranſigatur*, uti in omnibus illis cauſis fieri debet, quando *dubii quid hinc aut aliunde incidit*, *aut ex cauſis pacem religioſam*, *aut hanc transactionem tangentibus*, *reſultat*. Certe enim ridiculum foret, & Proteſtantes manifeſtum deberent ludibrium, ſi de quo concedere in tractanda pace noluerunt, conſtantia ad ultimum usque ſervata: Id credere mox voluiſſe ipſos Catholicorum arbitrio committere, in Comitiis ſuffragiorum numero adeo ſuperioribus, ut quamcunque legem vellent dicere eis, hac prærogativa poſſent. Atque hac ſane ratione ego inducor, ut fere affirmare auſim, omnia, de quibus inter actionem pacis Weſtphalicæ conveniri non potuit: quæque adeo pax illa ad Comitia remittit, ipſis illis in comitiis, cum opus eſt, ſic eſſe tractanda, ut libero conſenſu inter partes conficiantur, non vero ut inito ſuffragiorum calculo paucioribus invitis etiam obtrudantur conditiones, quas ſibi per pacem dici prorſus non ſunt paſſi. Et profecto facit hæc conſideratio, ut denuo mente revolvam caſus illos, quando Status *tanquam unum corpus* conſiderari nequeunt, & mihi magis magisque probetur hæc ſententia, in omnibus, quæ pax ad futura Comitia eam ob cauſam remittit, quod de his convenire in ipſa pacis actione non integrum fuerit, huic exceptioni contra plurium ſuffragia locum eſſe, quia plane non eſt veriſimile, paciſcentes partem imbecilliorem, quam inter tractandum tutati ſunt, & cujus jura eo ipſo integra cupiebant ſervari, voluiſſe mox arbitratui partis adverſæ validioris exponere, in dubio perdendæ cauſæ eventu. Cogitent de his alii melius: mihi interea liceat petere, ut has meas cogitationes, velut poſteriores, æquus lector eum in locum transferat, quo ſupra hac de re ex profeſſo ad verba: *Omnibusque aliis negotiis* &c. commentati ſumus. Firmant certe hanc opinionem plura exempla, quæ ſuperioribus proximis & his Comitiis obvia nos docent, nihil quicquam eorum quæ pax ad Comitia rejecit, abſolvi & perfici potuiſſe alia ratione, quam libero utrinque conſenſu. Apparuit hoc imprimis in actione, quæ perpetuæ Capitulationis conſcribendæ cauſa ſub initium præſentium Comitiorum inſtituta, & per annos ſat multos continuata fuit diverſis partium

tium ſtudiis & artibus. Erant in Collegio Principum duo veluti factiones. Auſtriaci cum Eccleſiaſticis fere omnibus Principibus, multisque ex ordine ſeculari ab Electorum ſtabant, partibus, eorumque deſtinata haud occultis promovebant officiis, numero ſuffragiorum ubique ſuperiores. Ex altera parte erant Principes nominum gentiumque antiquitate & ſplendore illuſtres, quos ſtudium tuendæ communis dignitatis contra Electorum potentiam & prærogativas in ſocietatem conſiliorum collegerat, neque animi deerant conatusque perficiundæ rei. Sed paucitate premebantur, quoties de aliquo Capitulo relatum fuit, cum alteri conſpirantium ſententiarum multitudine decreta ſuo arbitratu cuderent. Hoc vero Illi indignum clamare, nec ferendum, ut quam ſibi ſpem pax Weſtphalica de emendanda Capitulatione, propiusque ad formam reipublicæ refigenda fecerit, ea protinus excidendum ſit propter modum tractandi in Comitiis & ambitum partis majoris, qui omnia ſuæ poteſtatis facere, atque pro lubitu de iis ſtatuere animum inducant. Quamobrem ſingulis Decretis, quæ hac ratione facta ſunt, contradictum ab his fuit, negatumque, illis ſe teneri poſſe. Eſſe enim vel cogitatu abſurdum, negotium aliquod impeditum & difficile ideo dicere a Pacificatoribus ad Comitia remiſſum, ut legem accipiat jure majoris partis, quam autoritate paciſcentium ſibi imponi paſſi non ſunt, quorum rebus conſuli placuit. Nam ſi de ratione & ſcopo quærimus, cur cauſam aliquam vel controverſiam ab pacificatione ad Comitia ablegari oportuerit, ut ibi finem accipiat, lex ipſa reſpondet, *rem in congreſſu decidi non potuiſſe.* Cur vero decidi res non potuit? Hoc acta docent: Quia ſcilicet Catholici pro jure majoris partis certarint; Proteſtantes Status vero recuſarint ferre, ut hoc pacto regnum aliquod Catholicorum in ſe ſuasque facultates ſtabiliatur. Itaque cum de cætero urgeret utrinque ratio belli, cujus utraque pars pertæſa ſumme fuerat, finem propere imponi negotio pacis, atque ſeponi quædam transactioni alio tempore & loco majori otio & commoditate ſuſcipiendæ, quæ ſic dilata in aliud tempus ſunt, cenſeri ſane debent hoc pacto dilata, ut neque modus tractandi mutetur, neque dilatione iſta conditio cujusquam deterior fiat, quam inter pacificationem fuerat. Neque enim neceſſario ſequitur, ſi de re quadam proximis Comitiis agendum placuit, placuiſſe etiam, ut in deliberatione deſuper inſtituenda mos Comitiorum per omnia ſervetur. Quia probabilius eſt, locum ſaltem tractationis per id indicatum, modum vero tractandi ex proxima ſuperiori actione continuari. Nam ex quo Status adeo duas in partes diſceſſere, ut inito etiam bello ſibi invicem hoſtes ſint facti, utique per ſe patet, ipſos eum in Statum inter ſe veniſſe, ut quotias de rebus illis, ſuper quibus ſumpta ſunt arma, deliberatio conciliationis cauſa inſtituenda, illi ſane tanquam unum corpus conſiderari nequeant, qui in duas factiones per certamina civilia diviſi

ſunt,

ſunt, mutuiſque odiis pro ſua quiſque cauſa pugnant. Quicquid igitur nomine *gravaminum* in actionem pacis eſt deductum, & quarum rerum compoſitio conditionibus præpoſitis tentata eſt, etſi inter pacificationem perfici non potuerit, in aliud tempus locumque rejecta ejus tractatione, id, ubicunque etiam poſthæc de integro incipitur, retinet modum agendi priorem, neque de eo aliter quam conventione amicabili tranſigi poterit, autoritate, vi & coactione omni excluſa. Donec autem hac ratione conventum erit, manet res in Statu *gravaminis*, licetque de iis conqueri, qui impedimento ſunt, cur pax executione hactenus caruerit. Allegavimus ſupra Capitulationis perpetuæ negotium pro exemplo, de quo ut adhuc verbum dicam, non abs re fuerit. Conventa fere erant omnia inter Electores & Principes hujus Legis regiæ capita, totaque res tantum non pro abſoluta habita fuerat, cum in exordio ſuper jure adcapitulandi, uti vocabant, controverſia ex inſperato mota eſt, tantopere ab utraque parte exercitata, ut tandem negotio ad hunc ſcopulum alliſo hærenteque partes a ſpe ſumma conficiendæ feliciter rei contra expectationem repente delapſæ, de conciliatione deſperare inceperint; Neque viſum ſuffeciſſe, quod major pars Collegii Principum cum Electoribus ſteterit, eamque in ſententiam plurima decreta fuerint facta adverſus reliquorum deſideria. Quoniam enim Hi iidem illi erant, qui inter pacificationem negotium illud urſere, & quorum gratia illud ipſum ad Comitia proxima remiſſum fuit, non potuit profecto illis numero ſuffragantium fraus fieri, qui jam ex pace quæſitum jus habuere, ut pati non teneantur obtrudi ſibi invitis conditiones ingratas minusque ſuis rationibus idoneas. *De jure Majorum* circa collectas idem eſto judicium. Catholicis cum Imperatore æquum eſſe viſum, ut quod in tributis imperandis majori parti viſum, eo pauciores tenerentur. Ex adverſo Proteſtantes deprecati ſunt hanc neceſſitatem ſequendi, quod animadverterent, Comitia hic de ſuis Capitibus agi, idque velle Catholicos, ut ex corio alieno lora in gratiam Auſtriacorum ſecentur. Multum diuque tractata hæc res in Conventu Osnabrugenſi; Sed irrito ſucceſſu. Oportuit igitur illam ad Comitia cum aliis remitti. Sciendum interea, quamdiu in his de negotio ſtatui ex utriusque partis voto non licet, cuique integram quidem ſuam cauſam manere, ſed meliori Proteſtantium conditione, quibus Catholici Status jure majoris partis nihil quicquam oneris imponere poterunt, etiamſi centies ſuffragiorum calculo alteros viciſſent. Ratio eſt, quia Status in hoc genere conſultationis tanquam unum corpus conſiderari non poſſunt:Ypereſſe enim videntur veluti reliquiæ partium aut factionum ex bello, per pacem non omnino ſublatæ, ſed ad Comitia, ut ibi ſibi concilientur, remiſſæ. Atque hac conditione ſunt, quod quidem ad negotium illud imperfectum attinet, quamdiu inter eos transactum non fuerit. Hinc viderint, quibus penitior cogitatio, & ſubactius

§. 53. XX. Præterea, a) cum ob enatas ex præſenti bello mutationes, b) & alias cauſas, c) de Judicio Cameræ Imperialis d) ad alium univerſis Imperii Statibus commodiorem locum transferendo, e) & Judicem, Præſides, Aſſeſſores, & quoscunque Justitiæ

Translatio Cameræ Imperial.

actius judicium, an valde a ſcopo aberraverit, ſi quis in univerſum dixerit, omnes controverſias, quas pacificatores a pace ad Comitia aliosve Conventus ablegavere, ut ibi definiantur, ita tractandas eſſe, quo pacto lex vult tractari ea, quæ ſic comparata ſunt, ut reſpectu eorum Status tanquam unum corpus non poſſint conſiderari.

§. 53.

a) *Præterea.)* Quæ reliqua ſunt in hoc articulo quinto ad Cameram Imperialem pertinent: Cujus occaſione deinde non nulla etiam adduntur de Judicio aulico.

b) *Cum ob enatas ex præſenti bello mutationes,)* Ex quo enim Briſacum & Philippoburgum Gallis pace Weſtphalica ceſſum fuerat, non viſum eſt, potuiſſe Spiræ Hoc ſummum Imperii Tribunal libere & pro dignitate ſua verſari, cum Philippoburgum, ubi præſidium Gallicum manebat Spira Civitate non integro milliari abſit, ac proinde huic urbi adeo incumbat, ut horis omnibus miles Gallus ad portas usque excurrere poſſit.

c) *Et alias cauſas.)* Nimirum fuit Spira Civitas ab omni tempore, quo pro ſede Cameræ eſt electa, minus opportuna habita, ut perpetuo hoc Tribunal ibi conſideret. Non modo enim deſideratum, ut loco munitiore pro ſecuritate ſua ageret. Verum etiam conqueſti ſunt inferiorum Circulorum Status, abeſſe id ipſum a ſe paulo remotius, atque adeo ſumtus nimios ſibi faciendos, quoties jure experiri velint.

d) *De Judicio Cameræ Imperialis.)* De hoc conſulendi ſunt Cameraliſtæ ſcriptores. Uberius enim eſt argumentum, quam ut hoc loco tractari poſſit. Præſtat itaque nihil dicere, quam pauca, nec ſufficientia.

e) *Ad alium univerſis Imperii Statibus commodiorem locum transferendo.)* Tentatum hoc ſæpius: Sed irrito ſemper eventu: nec dubito quin Judicium ipſum in cauſa & mora fuerit, cum Aſſeſſores aliæve Perſonæ, ad Cameram pertinentes Spiræ domus prædiaque ſibi compararint, atque ſic inſtruxerint ſuas habitationes, ut ſine maxima incommoditate rerumque ſuarum damno inſigni non potuerint alio migrare. Experientia enim conſtat, quam ægre & moleſte ſuſcipiant migrationem, qui ſemel domicilium fixere eo loco, quo eis bene eſt. Donec ſuperiori bello incenſa Spira Galli huic Tribunali neceſſitatem impoſuere relinquendi locum, qui habitabilis eſſe deſierat miſeranda deflagratione. Diſperſa enim primum ejus membra ſe Fran-

Digitized by Google

ſtitiæ miniſtros, pares numero utriusque Religionis præſentando, f) ſicut etiam de reliquis ad judicium Camerale ſpectantibus, quædam in medium allata fuerint, g) ſed in præſenti congreſſu ob negotii gravitatem, non tam plene expediri queant, h) in proxime indi-

Francofortum contulere: Deinde Wezlariam, quæ urbs nunc receptaculum eis præbet; cum aliæ Civitates ſe excuſaſſent: Francofurto imprimis & Hannovia omnes lacertos movente, ne cogerentur receptum judicio dare.

f) *Et Judicem, Præſides, Aſſeſſores, & quoscunque Juſtitiæ miniſtros pares numero utriusque Religionis præſentando.)* Quod ad Judicem attinet, quia numero unus ſaltem eſt, deſideravere initio Proteſtantes, ut alternis vicibus ille nunc Pontificiis Sacris, nunc Auguſtanæ Confeſſioni ſit addictus. Sed reclamantibus Cæſareis ſtatim hoc poſtulato deſtitere. De præſidibus vero & Aſſeſſoribus, ut ex utraque religione pari numero præſententur, facilius convenit, quamquam hic etiam Imperatori permiſſum, duos Aſſeſſores ſuæ religionis præſentare, ut adeo toto numero ad quinquaginta usque aucto, & Statibus Evangelicis viginti quatuor: ac Catholicis totidem præſentantibus, ſi his illos duos Cæſareos addas, Catholici nihilominus binis ſint ſuperiores. Quod autem de cæteris Juſtitiæ Miniſtris hic placuit, id imprimis ad Cancellariam Cameræ pertinet, cujus directionem uti Elector Moguntinus munere niſi fallor, Archi-Cancellariatus ſibi ſoli arrogat, ita ab Eo hactenus impetrari non potuit, ut id genus Juſtitiæ Miniſtri, qui Cancellariæ expeditionibus operam navant, ex utraque religione aſſumerentur, quicquid etiam Proteſtantes ſuperioribus Comitiis dixerint, molitique fuerint. Manſit ergo in hanc usque diem hoc negotium imperfectum, non levi ſane Proteſtantium moleſtia & præjudicio, quibus aliquando a Cancellaria in expediendis rebus haud mediocres fieri injurias vulgatiſſima eſt querela.

g) *Sicut etiam de reliquis ad Judicium Camerale ſpectantibus quædam in medium allata fuerint.)* Habentur hæc reliqua longo ordine art. 10. gravaminum, a Statibus Proteſtantibus anno 1645. decima Decembris Plenipotentiariis Cæſareis & Directorio Moguntino apud tractatus Weſtphalicos exhibitorum. Qua de re agunt *Præliminaria pacis*, typis publicata, ſub titulo: Vierzehender Tractat. Quibus addi poteſt, quæ Theatrum Europæum, & Londorpii acta publica eadem de re tradunt.

h) *Sed in præſenti congreſſu ob negotii gravitatem non tam plene expediri nequeant.)* Gravitas negotii obtentui eſt ſumpta. Vera cauſa fuit Catholicorum, & Moguntini imprimis repugnantia, qui noluere Proteſtantes in functionibus Can-

indicendis comitiis de his omnibus agi & conveniri, i) deliberationesque k) de Reformatione Juſtitiæ in Deputatorum Imperii Conventû Francofurtenſi habitæ, effectu dari, & ſi quæ in deſiderari videntur, ſuppleri & emendari debere, conventum eſt. Ne tamen res hæc prorſus in incerto maneat, l) placuit præter Judicem

Cancellariæ æquo cum Catholicis jure & munere eſſe, cumque id inter pacis actionem honeſte & cum ratione recuſare non poſſent, allatæ in medium vel ſuſcitatæ ſunt difficultates aliæ, ut aliqua rationabilis eſſet differendæ rei cauſa: Quod enim Moguntinus obtendebat, ſibi ut Archi-Cancellario optionem perſonarum, Cancellariæ inſervientium, religionis prætextu eripi non poſſe, id vero nullius eſt momenti, cum Catholici Status omnes ferre debuerint, ut multis in rebus exæquatio partium utriusque religionis fieret, in quibus ante pacem Hi meliore conditione fuiſſent: neque ſane apparet, cur Moguntinus in ordinanda Cancellaria, non ſua, ſed Imperii, cui originem ſuam & auctoritatem hoc Tribunal debet, ſtatuere quicquam liberius poſſet: eo ipſo enim, quod eſt Archi-Cancellarius, eſt ſane Miniſter Cæſaris & Imperii, quorum auſpiciis res gerit, & cujus adeo mandatis ſubmittere ſe tenetur.

i) *In proxime indicendis Comitiis de his omnibus agi & conveniri.)* De his omnibus ex formula pacis actum fuiſſe non facile dixerim. De multis vero conveniri non potuiſſe, res ipſa loquitur. Saltem negotium de Cancellariæ perſonis utriusque religionis infectum manſit, neque fere quicquam ſuperioribus proximis Comitiis actum, quam quæ ad ordinem formamque lites inſtruendi judicandique commodius faciunt, aut ſalaria Aſſeſſorum in tuto locant. Cætera neglectui habita vel transmiſſa.

k) *Deliberationesque.)* Hoc magna ex parte præſtitum fuiſſe docet. Conſtitutio inſerta nupero Receſſui, quæ omnem fere ejus paginam adeo implet, ut ſi hoc ſine negotio fuiſſet, reliqua vix unam aut alteram plagulam abſolverent, adeo ſicco pede præterita, aut in aliud tempus rejecta fuere, de quibus pax illis in Comitiis ſtatui juſſerat.

l) *Ne tamen res hæc prorſus in incerto maneat.)* Bene factum, quod ſaltem aliqua ad emendationem juſtitiæ pertinentia hic conventa ſint: Abs hoc enim ſi fuiſſet, mihi perſuaſiſſimum eſt, nihil quiquam eorum poſtea fuiſſe placiturum. Conſtat enim, poſtquam Catholici ſemel deducto milite Svecico metu liberati ſunt, infecta omnia & irrita manſiſſe, aut inventis cavillis eluſa, quæ bona fide & arbitrio boni viri per pacem præſtari debuiſſent.

Digitized by Google

cem & quatuor Præſides, m) & quidem duos horum ex Auguſtana Confeſſione n) a ſola Cæſarea Majeſtate conſtituendos, o) numerum Aſſeſſorum Cameralium ad quinquaginta in univerſum adaugeri, p) ita, ut Catholici, computatis duobus Aſſeſſoribus Imperatoris præſentationi reſervatis, viginti ſex, q) Auguſtanæ Con-

Præſentatio Aſſeſſorum.

m) *Placuit præter Judicem & quatuor Præſides.)* De Judice res explicata eſt, qui ſemper Pontificiis ſacris addictus: Præſides vero hactenus, non niſi duo officium ſuum obiêre, reliquis penuria ſalariorum neglectis.

n) *Et quidem duos horum ex Auguſtana Confeſſione.)* Nimirum ut paritas religionis ſervetur. Auguſtana autem confeſſione hic etiam comprehenduntur Reformati, qui hiſce in rebus omnibus beneficiis juribusque cum Reformatis gaudent.

o) *A ſola Cæſarea Majeſtate conſtituendos.)* Hic probe duo notanda. Primo Præſides, ut Judicem creari a ſolo Cæſare; & deinde *conſtitui* Præſides non præſentari ad exemplum Aſſeſſorum. Videtur autem inter Conſtitutionem & Præſentationem aliqua inſignis eſſe differentia. Qui enim præſentantur Judicio Camerali Aſſeſſores, examini ejus & probationi ſubjacent, atque inidonei comperti ad hoc munus, rejici poſſunt: Sed Præſides a Cæſare conſtituti nullum ſubeunt examen, neque alia receptione a judicio opus habent; quod ſi vero Hoc contra perſonam eorum aut habilitatem excipiendum ſibi eſſe arbitratur, libello ſupplice id Principi exponendum; cujus erit ſtatuere de hoc ipſo negotio. Cum igitur jure ordinario ejus ſit aliquem ab officio removere, cujus in arbitrio fuit conſtitutio; utique non ſine ratione, quin multa cum veriſimilitudine agunt illi, qui affirmant, Præſides etiam a ſolo Cæſare, ejusque arbitratu exauctorari, atq; illis Magiſtratum abrogari poſſe, nec conſulto Collegio Camerali: imo invito etiam, quæ res hoc tempore materiam multorum ſermonum præbuit, Præſide Ingelheimio contra Cæſarem inſurgente, ejusque auctoritatem multis indignis modis laceſſente, ut nunc imputationes malæ adminiſtratæ juſtitiæ taceam, quibus prolixo Catalogo oneratus eſt. Sed quia adhuc ſub Judice hæc eſt lis, diviſis inter ſe eam ob cauſam Statibus, nos ſententia noſtra neutri parti præjudicio eſſe cupimus.

p) *Numerum Aſſeſſorum Cameralium ad 50. in univerſum augeri.)* Hoc etiam executione caruit, cum vix quarta pars eorum hactenus compleri potuerit, indigentia ærarii Cameralis, quod conferentium malignitate tot perſonis pro dignitate ſuſtentandis non ſufficit.

q) *Ita ut Catholici computatis duobus Aſſeſſoribus Imperatoris præſentationi reſervatis viginti ſex.)* Mirum qui factum

Digitized by Google

feſſionis Status viginti quatuor Aſſeſſores præſentare poſſint & teneantur, r) atque ex ſingulis Circulis mixtæ Religionis, s) non tantum-

ctum ſit, ut cum Imperator debuerit ex quatuor Præſidibus, quos ſolus conſtituit, duos Auguſtanæ Confeſſioni addictos, ſervandæ æqualitatis in religione cauſa, nominare; Eidem permiſſum ſit duos Aſſeſſores Catholicos præſentare, quo pacto numerus Catholicorum binis vincit Evangelicos Aſſeſſores: non obſtante, quod Aſſeſſores juris dicundi poteſtatem habeant, qua Præſides carent. Eſt autem longe periculoſius in illis inæqualitatem ferre, quam his, qui directione ſua non ita nocere partibus poſſunt, quam Aſſeſſores in cauſis judicandis, quoties una pars numero alteram ſuperat. Et quamquam inſtitutis Senatibus huic metui aliquatenus proviſum ſit: prævalere nihilominus ſemper Catholici videntur, quando omnes Aſſeſſores in unum conveniunt, de re quadam deliberaturi, ſi tam majoris partis ſententia eſt ſtandum. Sed quia lex ita ſcripta, ſequenda nobis eſt, non convellenda.

r) *Auguſt. Confeſſionis Status viginti quatuor Aſſeſſores præſentare poſſint & teneantur.)* Illud *poſſint*, hic ad facultatem pertinet: *teneantur*, ad obligationem. Neque enim res in cujusquam poteſtate relicta: ſed lex obligationem atque neceſſitatem imponit præſentandi ex præſcripto, prout unicuique ratio officii ſui dictitat, quod negligere non poteſt abſque nota deſerti muneris.

s) *Atque ex ſingulis Circulis mixtæ Religionis.)* Jus præſentandi Aſſeſſores aliquando Circulis competit: aliquando ſingulis Statibus, quod ultimum de Electoribus intellectum velim. Eſt enim hæc præcipua Electorum prærogativa, ut ſinguli binos præſentent, Status reliqui ſuo quisque in Circulo jus ſuum exercent. Et quidem de Circulis pure Catholicis res expedita eſt, quibus ſingulis binos ſuæ religionis licet nominare, excepto Bavarico, qui quatuor deſignat. Horum tres recenſentur, Auſtriacus, Burgundicus, Bavaricus. Circulis autem pure Evangelicis, quorum duo ſunt, data eſt novem Aſſeſſorum præſentandorum poteſtas: nimirum præſentat ſuperior Saxonicus quatuor: itemque quatuor Saxonicus inferior: & præterea unum adhuc alternis vicibus unusquisque horum. Quod vero ad Circulos mixtæ religionis attinet, ſcilicet Franconicum, Suevicum, Rhenanum, & Weſtphalicum, quoniam iſti non tantum duos Catholicos, ſed & binos Auguſtanæ Confeſſioni addictos una cum alio uno pariter alternis inter ſe vicibus nominando aſſumere & eligere poſſunt, itaque inito Calculo Hos quatuor ſeptendecim aſſeſſores ſuppeditare debere convenit: qua ratione numerus quinquagenenarius ita conficitur, ut viginti ſex cum Imperatore Catholici: & viginti quatuor Evangelici Status præſentent:

Digitized by Google

tantum duos Catholicos, ſed etiam binos Auguſtanæ Confeſſioni addictos t) aſſumere & eligere fas ſit, u) cæteris ad judicium Camerale

tent: id quod Tibi Schema ſubjectum clarius demonſtrabit: nam in Inſtrumento pacis §vo 57. tantum Evangelicorum fit mentio. Scilicet exhibent

Catholici.	
Cæſar - - -	2.
Elector Mogunt.	2.
Elect. Trevir -	2.
Elect. Col. - -	2.
Elect. Bavar. -	2.
Circul. Auſtr.	2.
Circ. Burgund.	2.
Circ. Bavar.	4.
Circul. Franc.	2.
Circul. Suevic.	2.
Circ. Rhenan.	2.
Circ. Weſtph.	2.
	26.

Evangelici.	
Elect. Saxon.	2.
Elect. Brand.	2.
Elect. Palat.	2.
Circul. Sax. ſuper.	4.
Circul. Sax. inf.	4.
Circul. Franc.	2.
Circul. Suevic.	2.
Circul. Rhen.	2.
Circul. Weſtphal.	2.
	22.

Quibus ſi addideris illos duos, quorum unum adhuc ſuperior & inferior Circulus Saxonicus alternis: & unum iterum alternis circuli mixti præſentant, habebis numero 24.

Notandum autem eſt, alternationem illam apud Circulos mixtos ſtabilitam, non niſi Evangelicis competere, neque illic Catholicorum haberi rationem, quibus alias numero proviſum ſatis ſuperque fuit.

t) *Non tantum duos Catholicos, ſed etiam binos Auguſtanæ Confeſſioni addictos.)* Imo, uti jam dictum, ſupra illos binos adhuc unum partium Proteſtantium, quem quatuor illi circuli alternatim deſignant, hoc pacto, ut primo Franconicus, deinde Suevicus, tertia vice Rhenanus, & quarta denique Weſtphalus nominandi jus habeant, quod hic non moneri mirum eſt.

u) *Aſſumere & eligere fas ſit.)* i. e. *præſentare*; nam proprie aſſumit Camera poſt legitimum examen. Status vero præſentant: itaque etiam id, quod de Electione dicitur, ſic intelligendum, ut

merale pertinentibus, ut dictum eſt, ad proxima Comitia rejectis. x)

§. 54. Ac proinde circuli de præſentandis mature in locum demortuorum novis ad Camerale Judicium Aſſeſſoribus, a) ſecundum Schema ſubſequens b) admoneantur. c) Catholici etiam ſuo tempore de ordine præſentandi convenient, d) Cæſareaque Majeſtas mandabit, ut non ſolum in iſto judicio Camerali cauſæ Ec-

ut ſic electi pro re nata reprobari adhuc poſſint.

x) *Cæteris ad Judicium Camerale pertinentibus ad proxima Comitia rejectis.)* Sed fuerunt ita rejecta, proh dolor! ut pleraque jam ſpe dejecta videantur, fore aliquando, ut ex intentione paciſcentium componantur.

§. 54.

a) *Ac proinde Circuli de præſentandis mature in locum demortuorum novis Aſſeſſoribus.)* De Circulis ſaltem Evangelicis & mixtis hic eſſe ſermonem, oſtendit Syſtema, quod hic allegatur, & §. 57. ſubjicitur. Nam quod ad tres Catholicos attinet Circulos, ex quibus Auſtriacus atque Burgundicus, ſinguli binos, Bavaricus quatuor Aſſeſſores ſuppeditant, ea res demum nuperis Comitiis eum ad modum compoſita eſt, quem Schema receſſus §. 169. exhibet.

b) *Secundum Schema ſubſequens.)* Habetur illud paulo infra, §. 57.

c) *Admoneantur.)* Fit hæc admonitio per Judicem Cameræ, ſub comminatione, niſi intra ſex menſes a die admonitionis computandos, novus præſentetur Aſſeſſor, Cameram de loco vacuo poſt elapſum adhuc menſem ſine mora proſpecturam. Scribitur autem a Camera Directoribus Circuli, per quem Aſſeſſor eſt præſentandus. Qui deinde Status ſui circuli, quos ordo præſentandi tangit, de officio admonent. Neque enim hoc munus in Directorum poteſtate eſt poſitum, neque eam ob rem conventus Circuli indicitur. Sed nuperis Comitiis teſte Receſſu §. 29. certum quoddam ſchema præſentantium in quovis Circulo confectum fuit, quamquam illud ob Statuum quorundam contradictiones & querelas, de quibus ibi §. 30. perfici prorſus non potuerit. Neque rem adhuc omni ex parte ſuis difficultatibus carere oſtendit Blumius *Proceſſu Camerali Tit. 7. num. 13.* qui, utut alias rerum Cameralium peritiſſimus, fatetur tamen ſe latere; quibus Statibus extra Circulum Auſtriacum, Burgundicum, & Rhenanum in reliquis jus præſentandi competat.

d) *Catholici etiam ſuo tempore de ordine præſentandi convenient.)* Factum hoc, ut jam præcepimus dicere, nuperis Comitiis. Teſte Receſſu ſvo 169.

e) *Ca-*

Digitized by Google

Eccleſiaſticæ e), ut & Politicæ f) inter Catholicos & Auguſtanæ Conf.

e) *Cæſareaque Majeſtas mandabit, ut nonſolum in iſto judicio Camerali cauſa Eccleſiaſticæ.)* Cauſas Eccleſiaſticas in Judicio Camerali agitari poſſe, dicunt hic paciſcentes. Negat Blumius ad Proceſſum Cameralem tit. 43. num. 19. additis tamen duabus exceptionibus: 1) ſi de poſſeſſione rerum Eccleſiaſticarum agatur: & 2) ſi quæſtio ſuper re ſpirituali vel Eccleſiaſtica mota conſiſtat in facto. *ibid.* num. 20. & 21. De veritate ſidei, religionis, doctrinæ, Cameram judicare non poſſe in confeſſo eſt: Pertinent enim hæ cauſæ ad forum Eccleſiaſticum cujusque Sectæ. Interea judicat nihilominus Camera non modo de quæſtione facti, ſi dubium fuerit, an & cui quis cœtui trium religionum, in imperio toleratarum ſit adnumerandus. Verum etiam de cauſis omnibus ad religionem aliquem reſpectum habentibus, quoties alicui contra pacem religioſam, & hanc Weſtphalicam transactionem in libertate religionis,ejusq;exercitiopublico vel privato, itemq; templis,cœmiteriis,reditibus,ceremoniis,vel alia quacunq; re contumelia infertur, vel injuria. Itaque quod hic Cæſar juſſus eſt mandare, id præſtitum videtur Receſſu noviſſimo §vo 193. ubi omnibus vi interdicitur ex lubidine quicquam authoritate propria contra pacem Weſtphalicam attentandi, monitis Statibus & ſubditis, ut unusquisque proditis juris remediis, quoties ſe gravatum ſentit, ſatiari patiatur.

f) *Ut & politicæ.)* Deckherrus hæc verba *Conſult. Forenſ. part. I. cap. 63.* ſic limitat: *ſi reflexionem aliquam ad intuitum ſive intereſſe qualificatum religionis habeant.* De obſcuritate ſermonis jam nihil dico, aſſueti ſatis ſumus ſtylo Viri tumido, confuſo, moleſto & vix intelligibili, qui tum Tacitum imitari vult affectata infeliciter gravitate crucem ubique Lectoribus figit verborum incondito ordine & difficultate conſectandi intellectus. Sed tranſeant hæc: Hanc certe ejus limitationem ferre plane non poſſumus, etiamſi centies quærat, *quis enim idem in aliis dixerit?* Nos ſane, nos, illi ſumus, quibus idem dicere in aliis cauſis politicis, illis etiam, quæ nullam omnino relationem ad religionem habent, optimo maximo jure juſtum & æquum videtur. Nam in Judice favor religionis pro ſuis, & odia in adverſos non ſiſtuntur intra conſiderationem rerum cum ſacris connexarum: Sed triſti teſte experientia in ipſos potiſſimum valent perſonas, quibus hoc pacto pro diverſa illarum conditione male aut bene cupimus: Atque ſunt hercle iſti affectus eo flagrantiores, quo magis cœca & miſeranda ſuperſtitione perſuaſi ſunt plerique, rem Deo gratam fieri etiam cum adverſus juſtitiam commodo noſtræ religionis judicamus: quaſi cum illis, qui paulo aliter de rebus divinis ſentiunt, nullum juris ſit nobis aut humanitatis commercium, quod interea cum

illis

Conf. Status, g) vel inter hos ſolos vertentes, h) vel etiam quando Ca-

illis exercemus, qui jurati ſunt ex profeſſo Chriſtiani Nominis hoſtes. Hinc conducit omnino tam improbo & inſano ardori relinquendo, ut quem furorem & amentiam, ratio non ſanat & reſpectus juſtitiæ: illam temperet ordo Judicum ex utraque religione compoſitus, quoties res eſt inter eos, qui diverſa ſacra ſectantur.

g) *Inter Catholicos & Auguſtanæ Confeſſionis Status.)* Proponuntur hic quatuor caſus, quando in cauſa aliqua ſive Eccleſiaſtica ſive politica judicanda par numerus ex utraque religione aſſeſſorum adhiberi debet: primo quando cauſa illa inter Catholicos & Auguſtanæ Confeſſionis Status vertitur. Secundo, quando inter ſolos Auguſtanæ Confeſſionis Status. Tertio, cum Catholicis contra Catholicos Status litigantibus Tertius interveniens Auguſtanæ Confeſſionis Status fuerit: & quarto, quando Proteſtantibus inter ſe litigantibus inter ſe litigantibus Tertius interveniens eſt Catholicus. Ratio caſus primi ex paulo ante dictis ſatis manifeſta eſt, & in æquitate fundata. Nunc de reliquis.

h) *Vel inter Hos ſolos vertentes.)* Cur hic placuerit, ut cauſæ inter ſolos Auguſtanæ Confeſſionis Status vertentes a Catholicis & Evangelicis Aſſeſſoribus pari religionis numero judicentur, cum magis expedire videatur, ut apud ſolos Proteſtantes iſtæ maneant, mihi adeo non liquet. Catholici certe hoc jure non utuntur, quibus ſatius viſum, judicio ſuorum ſtare. Dicet forſan aliquis, quia Status Proteſtantes inter ſe etiam in ſenſu religionis ſunt diviſi, majori ubique Lutheranorum numero, quibus in Reformatos non minora ſunt odia: ideoque Hos, Reformatos inquam, maluiſſe ſe cauſasque ſuas Catholicis ſimul credere, quam Lutheranorum æquitatem experiri. Sed dubito an hac ratione ipſis melius ſit conſultum, ex quo Catholici a multo jam tempore ſimultates inter ipſos artificioſe ſerere, & Lutheranis plerumque aſſentari occeperint, ut hoc magis in Reformatos concitarent, utrosque ex occaſione oppreſſuri, quanquam nec Reformatis deſint in Lutheranos inflammandis, quando commodum aliquod rebus ſuis hac deſultoria calliditate ſperare poſſunt. Neque enim ipſos latet, quam vim habeat inter duos religione diſcretos, adeoque ſibi alias inviſos æſtimatio & judicium tertii, utut ambobus inimici, quoties teſtatur, honoratius ſe de una parte quam altera ſentire. Cum enim Pontificii aliquando ſcriptis veteratoriis & nequam, opiniones Lutheranorum laudaſſent ut tolerabiliores Reformatorum doctrina, Illi ſtatim erigere criſtas, atque adeo immoderate plaudere, ut non modo vice verſa præferrent longe Pontificium, cultum horum religioni: Verum etiam editis libris non erubuerint publice profiteri, malle

Catholicis contra Catholicos Status litigantibus, tertius interveniens Auguſtanæ Confeſſionis Status erit, i) & viciſſim quando Au-

malle ſe Judæorum vel Muhametarum ſuperſtitiones ſectari, quam Calvinianorum impietates & monſtra opinionum, uti loquebantur. Extant ſane ejus generis ſcripta virulenta & inſana, & veluti Duces olim ſe præbuere illi turbidi Theologi, Hojus, Polycarpus Leiſerus, & multi alii. Sed nos miſſis querelis redeamus in viam. Profecto tanto magis mirari ſubit, quo pacto hic placuerit cauſas inter ſolos Status Proteſtantes vertentes lectis ex utraque religione pari numero Aſſeſſoribus diſcuti & judicari, cum paulo ante §vo 51. in negotiis per Commiſſiones extraordinarias expediendis ſolicite proviſum ſit, ut ſoli Auguſtanæ Confeſſioni addicti Status deputentur, quoties res inter Auguſtanæ Confeſſionis Status verſatur. Cum enim illæ etiam Commiſſiones ſint loco Judicis, neque minus grave præjudicium Proteſtantibus fieri poſſit in ordinariis judiciis non recte conſtitutis, quam a Commiſſionibus Extraordinariis, æquum ſane fuiſſet, utrobique curatiſſimam diligentiam adhibere, ut omnia procul odio & vaſtitie tractentur. Denique ſi nihil omnino eſſet, quod movere Proteſtantes debuiſſet, cur cavendum ſibi exiſtimarent, ſaltem honoris & exiſtimationis cauſa curandum ipſis fuiſſet, ne viderentur deteriori conditione haberi, quam ſunt Catholici, quorum cauſis judicandis Aſſeſſores Proteſtantes non recipiuntur: atque hoc ipſum illis tanto minus denegari cum ratione potuiſſet, quod non modo initio hujus articuli noſtri quinti multa circumſpectione actum fuerat, ut inter utriusque religionis Status omnes & ſingulos exacta ſit mutuaque æqualitas, ut quod uni parti juſtum, alteri quoque ſit juſtum: cujus rei hic tam cito dememiniſſe non oportuerat. Verum etiam quia Catholicorum plane nihil intererat, quo Judice cauſæ Proteſtantium inter hos ſolos vertentes, diſceptarentur. Sed conſideranda hæc fuiſſent, antequam lex ſcriberetur: nunc ſcripta nobis utendum: niſi forte dicimus, verba legis, *inter hos ſolos*, tam ad Catholicos quam Proteſtantes Status ſeſe referre, & hoc ſenſu intelligenda eſſe, ut ſive cauſæ inter ſolos Catholicos, ſive inter ſolos Auguſtanæ Confeſſionis Status vertantur, ſemper iſtæ adlectis ex utraque religione pari numero Aſſeſſoribus judicandæ ſint. Quæ explicatio etſi mihi nondum omni ex parte probetur, quia hoc modo tertio caſu plane opus non fuiſſet, nihil tamen incommodi vel abſurdi habet, neque deerunt forte quærentibus exempla apud latinos ſcriptores, qui cum una oratione duos diverſos copulant, utrosque ſequenti oratione per pronomen *Hos* rurſus complectuntur, quoties nihil eſt quod cogat credi, de altero ſaltem eſſe ſermonem.

i) *Vel etiam quando Catholicis contra Catho-*

Auguſtanæ Confeſſionis Statibus contra ejusdem Confeſſionis Status litigantibus, tertius interveniens erit Catholicus, k) adlectis ex utraque Religione pari numero Aſſeſſoribus, l) diſcutiantur & judicentur, m) ſed idem etiam in judicio Aulico obſervetur; n) huicque fini aliquot Auguſtanæ Confeſſionis doctos & rerum

Catholicos Status litigantibus tertius interveniens Auguſtanæ Confeſſionis Status erit.) Hic tertius eſt caſus. Quid autem ſi Catholicis contra Catholicos litigantibus Tertius interveniens itidem fuerit Catholicus? Certe reſpondendum eſſe videtur, non opus eſſe Aſſeſſoribus ex utraque religione pari numero, ſed cauſam illam ſolis Catholicis demandari poſſe. Enim vero ne ſtatim pronunciemus: hic etiam hærere nos facit caſus proxime ſequens quartus, quando ſcilicet Proteſtantibus Statibus inter ſe litigantibus Tertius interveniens eſt Catholicus, qui ſuperfluus videtur, ex quo jam ante conſtitutum fuerat, ut ſive Proteſtantes cum Catholicis, ſive inter ſe ſoli litigent, utroque caſu neceſſe ſit Aſſeſſores judicio adhiberi non modo ex utraque religione, verum etiam pari utrinque numero. Quocunque enim modo vel reſpectu hunc intervenientem conſideres, non videtur cauſa fuiſſe, cur ſingularis caſus conſtitueretur, cum ex duobus primis ſuperioribus reſponderi ſatis poterit.

k) *Et viciſſim, quando Auguſtanæ Confeſſionis Statibus contra ejusdem Confeſſionis Status litigantibus Tertius interveniens erit Catholicus.)* Quartus denique caſus; ſed quia de hoc modo dictum eſt, repetitione moleſti eſſe nolumus.

l) *Adlectis, ex utraque religione pari numero Aſſeſſoribus.)* Itaque non ſufficit, Aſſeſſores ex utraque religione adhiberi: ſed opus etiam eſt, ut pari ſint utrinque numero: ne in votorum computo pars una alteram affectu religionis vincere poſſit.

m) *Diſcutiantur & judicentur.)* Sunt hæ judicii omnis duæ principales partes. Quæcunque enim cauſæ in judicium deducuntur, de iis primo debite cognoſci, & poſt cognitionem ferri ſententia ſolet.

n) *Sed idem etiam in Judicio Aulico obſervetur.)* Utinam obſervetur! Sed tot querelæ ab illo tempore in hanc usque diem catervatim quaſi productæ, & publici juris etiam factæ, documento ſunt, pacem nulla magis re, quam hoc in articulo ſervari. Sed nos manum de Tabula: periculoſum enim eſt in eos ſcribere, qui poſſunt proſcribere. Et poſſunt utique tacere homines, ubi lapides etiam loquuntur. Mantiſſa hujus Speciminis Vti ſecunda exemplo erit, non vanas eſſe neque inofficioſas id genus querelas.

o) *Huic-*

rerum Imperii peritos viros, o) ex iis Imperii circulis, ubi vel ſola Auguſtana Confeſſio vel ſimul etiam Catholica viget Religio, adſciſcat, p) eo quidem numero, ut eveniente caſu pariter Judicantium

o) *Huicque fini aliquot Auguſtanæ Confeſſionis doctos, & rerum Imperii peritos viros.)* Hic addendum fuiſſet pios & religionis, atque ſacramenti memores, quo ſe obſtringi patiuntur. Neque enim ſufficit doctos eſſe & rerum Imperii peritos, niſi probitas etiam adſit & integritas. Nam in hoc munere obeundo ſcientia abſque conſcientia obeſt magis juſtitiæ, quam ut eam juvet. Sed malumus alios teſtari, quo pacto hanc circa rem ſit comparatum. Nam ſi ipſa in urbe Principali, unde in omnia regimen, lippis etiam & tonſoribus impune narratur, quid munera poſſint; Qui mirum, ſi locis remotioribus iſta non diſſimulantur, cum ſcribæ etiam & amanuenſes, quoties poſt diuturnius paulo ſervitium & admiſſionem interiorem alio ſe conferunt, ſecreta Dominorum relevent. Et profecto ſi luxum Civitatis, ſi ſumptuoſum vivendi morem; ſi convivia fere quotidiana, ſi paratum veſtiendi pretioſum, qui fere ſine modo & fine eſt, denique ſi ſuperba imperia fœminarum, quarum prodigalitati & profuſionibus eſt miſere ſerviendum, cum ſumma rerum omnium caritate loci, & mediocritate ſtipendii conferas, res utique miraculo ſimilis eſt, qui fieri poſſit, ut non modo illi juſtitiæ Miniſtri vitam ſine maximo ære alieno tolerent: Verum ut poſtquam paucos annos Magiſtratum geſſere, domibus magnifice & regali fere pompa inſtructis habitent, hortisque & prædiis opulentiſſimis luxurientur, relictis inſuper poſt mortem multis centenis millibus aureorum, quibus hæreditatem auxerint, ut illis opulentia magis oneri & faſtidio fuiſſe videatur, quam antea paupertas fuerat, niſi forte ipſis ex fabula Fortunati pileus privilegio quodam contingit, cujus munere quicquid ſibi optant, compotes ſtatim fiunt. Et ſane proverbium illud, quo id genus officia commendantur, *in magnis ſcilicet lacubus capi magnos piſces*, haud obſcure indicat, quibus fontibus iſtæ ſtupendæ divitiæ ſcaturiunt. Et arguuntur præterea reliqui quorundam, utut ſane pauciſſimorum, religioſitate, an dicam imprudentia, quibus animus integer & incorruptus hanc unicam dotem, egeſtatem, inquam & nomina maxima attulit. Quid multis, eo ſuſpicionum eſt, proh dolor! proceſſum, ut apud gnaros rerum opes hoc in munere comparatæ, & gratia in Aula judex infallibilis eſſe videatur, non bonis ubique artibus, & ex dictamine conſcientiæ iſta quæri.

p) *Ex iis Imperii Circulis, ubi vel ſola Auguſtana Confeſſio, vel ſimul etiam Catholica viget religio, adſciſcat.)* Igitur ad Judicium Aulicum vocantur Aſſeſſores, vel Conſiliarii, uti appellantur, Auguſtanæ Confeſſioni addicti, ex circulis non

Digitized by Google

tium ex utraq; Religione Aſſeſſorũ obſervari poſſit. q) Idem etiam quo-

non niſi pure Evangelicis, aut ſaltem mixtis. Cujus rei cauſam non aliam habeo, quam teporis & indifferentiæ ſuſpectos fuiſſe, qui ex Circulis pure Catholicis aſſumptis vigilare debent, ne Statibus & ſubditis Proteſtantibus jurisdicundi prætextu ex odio religionis injuria fiat. Sed infirma admodum eſt hæc cautela, cum nihil ſit facilius, quam asſuefacere eos ad captandam Aulæ auram, qui omnes ſuas fortunas votaque ab illius gratia ſuſpendunt, namque his tentationibus poterit quis ſuccumbere, etiamſi in Cathedra Lutheri fuerit educatus. Non idem periculum a Catholicis ex Proteſtantium provinciis evocatis, quos & ſuæ religionis amor, & Majeſtas Aulæ: & ſubdoli illi ex ſacerdotio, qui confeſſionibus ſecretis præſident, nullo negotio in officio retinent.

q) *Eo quidem numero, ut eveniente caſu paritas judicantium ex utraque religione Aſſeſſorum obſervari poſſit.)* Numerus Conſiliariorum Aulicorum, uti in univerſum non eſt definitus, ita nec conſtitutum, quod inter eos ex religione Proteſtantium eſſe debeant. Aliqui putarunt tertiam partem ſufficere; ſed neque hæc proportio ſemper obſervata. Et quamquam huic incommodo mederi velint quadam juris fictione, qua Catholicis pluribus & paucioribus Evangelicis Aſſeſſoribus diverſa ſentientibus nihil decerni poſſe perhibent, ratione tamen & experientia docemur, paucitatem ſuffragantium longe facilius a multitudine abripi, & in ſuam ſententiam trahi poſſe, quam cum ex ipſo numero vires & auctoritatem intuentur. Documento fuere ultima tempora Regiminis Leopoldi, quibus Conſiliarii Aulici Pontificiæ religionis in tantum ſuccreverant, ambientium cupidine & importunitate, ut Proteſtantium pauci illi vix ſentirentur. Sed quamquam aliquando etiam ex his unus alterve famæ cauſa adlectus fuerit, id data opera actum, ut vel imperitos rerum neque juris patrii ſatis gnaros deſignarent: vel pinguibus promiſſis jam ante tentatos, & ſic ad Conſilia Aulæ faciles atque opportunos. Qua ratione utroſque in poteſtate habebant, cum illi juſti atque injuſti ignorantia: Hi ſtudio adulandi, & conſcientia pactorum pedibus in omnia irent, quæ grata acceptaque fore principi noverant. Reliqui ſi qui forte ſunt fide & doctrina conſpicui, & ob id metuendi, per diverſa negotia ablegantur a Judicio, quæ eo lubentius ſuſcipiunt, quando non modo privatis ſuis rebus conſulere hac ratione poſſunt: Verum etiam quia ſibi videntur ex abſentia juſtam inveniſſe excuſationem, quo minus invidiam ſubire neceſſe ſit, alias maxime timendam queretur rerum grave judicatarum. Quibus ſic comparatis quid eſt cur miremur, Proteſtantes in Judicio Aulico pejore ſemper conditione eſſe, neque unquam fere jus æquum cum Catholicis impetrare, præcipue quo-

Digitized by Google

quoad paritatem Aſſeſſorum obſervetur, quoties Auguſtanæ Confeſſionis Status immediatus a mediato Catholico, vel immediatus Catholicus a mediato Auguſtanæ Confeſſionis Statu Judicio convenitur. r)

Proceſſus judiciarius in Aula Cæſar. idem qui in Camera eſto.

§. 55. Quoad Proceſſum Judiciarium, Ordinatio Cameræ Imperialis etiam in Judicio Aulico ſervabitur per omnia, a) tum ut ne partes ibidem litigantes omni remedio ſuſpenſivo deſtituantur, loco Reviſionis in Camera uſitatæ licitum eſto, parti gravatæ a ſententia in Judicio Aulico lata, ad Cæſaream Majeſtatem ſup-

---

quoties religionis aliqua conſideratio vel reſpectus intervenit. Tum enim hucusque ad ſtuporem usque vidimus, Hos juſtiſſima etiam & liquidiſſima cauſa plerumque cecidiſſe.

r) *Idem etiam quoad paritatem Aſſeſſorum obſervetur, quoties Auguſtanæ Confeſſionis Status a mediato Catholico, vel immediatus Catholicus a mediato Auguſtanæ Confeſſionis Statu judicio convenitur.)* In præcedentibus propoſiti caſus pertinuere tantum ad cauſas inter Status immediatos diverſæ religionis vertentes. Hic jam ſtatuitur, ut idem obtineat, ſi Status immediatus a Catholico mediato vel vice verſa convenitur. Debet autem idem obtinere, tam in Camera quam judicio Aulico. Quid autem juris, quando uterque litigantium eſt Status mediatus? Quia privatis eadem fide & exactitudine jus dicendum, quam Statibus, non dubito ego, ſubditos etiam hoc gaudere beneficio, ne ſint, quibus ob religionis ſuæ profeſſionem extimeſcendus Judicis affectus. De quo plura §vo 56.

§. 55.

a) *Quoad Proceſſum Judiciarium ordinatio Cameræ Imperialis etiam in Judicio Aulico ſervabitur per omnia.)* Non ſine omine hic dictum eſt futuro tempore *ſervabitur*. Huc usque enim profecto apud Judicium Aulicum in judiciario proceſſu nihil minus actum, quam ut ordinatio Cameræ ibi per omnia ſervata fuerit, cum lites nullo fere ordine inſtruantur, & agitentur, prout una alterave pars favorem Judicum experitur. Sed quid multis opus. Oſtendit vel ſola Ordinatio Judicii Aulici, Ferdinando III. publicata, quomodo plurimis in rebus ab ordinatione Cameræ abeatur. Neque negant ipſi Conſiliarii Aulici, ſe ad omnia ſolennia & formulas agendi non eſſe adſtrictos. Id quod ſane diverſum eſt ab illo, *ſervabitur per omnia.* Denique quid opus Ordinationem Aulicam ſeparatim publicare, ſi Camerali per omnia eſt inhærendum? Verba igitur nobis dantur ſpecie magnifica, re inania.

b) *Tum*

Digitized by Google

ſupplicare b) ut acta judicialia denuo adhibitis aliis gravitati negotii paribus, neutrique partium addictis, c) ex utraque Religione

b) *Tum ut ne partes ibidem litigantes omni remedio ſuſpenſivo deſtituantur, loco reviſionis in Camera uſitatæ licitum eſto parti gravatæ a ſententia in Judicio Aulico ad Cæſaream Majeſtatem ſupplicare.)* Ab iniqua ſententia in Camera lata dari remedium reviſionis tralatitium eſt. Hoc remedium habebat olim, & adhuc tempore factæ pacis, effectum ſuſpenſivum excutionis: Sed cum animadverſum eſſet, partem ſententia victam ſemper fere ad illud remedium convolaſſe, ut vim judicati fruſtraret, poſt pacem noviſſima Conſtitutione, quæ in nupero Receſſu ſuper emendanda Camera lata extat, placuit, ne reviſionibus effectus ille ſuſpenſivus poſthæc relinqueretur: Sed ut continuo ſententia executioni mandetur, interpoſita cautione ab eo, contra quem reviſio petitur, ſe rem cum omni cauſa reſtituturum, ſi in reviſorio aliter judicatum fuerit. Atque hinc exorta fuit difficilis & implicata quæſtio, an hæc lex in Judicio etiam Aulico nunc obtineat. Auctores communiter negant dicta lege hoc Judicium teneri, cum hic expreſſe remedio ſupplicationis ad Cæſarem tribuatur effectus ſuſpenſivus. Sed nobis contraria placet ſententia; Manifeſtum enim, quod hic idem de reviſione dicatur: Cui vero quoniam lege poſteriori effectus ille ſuſpenſivus abrogatus fuerit ex cauſis in commune ſalutaribus, apparet & ſupplicationi eundem fuiſſe ſubtractum. Neque credo repertum iri, qui negare auſus ſit, ea, quæ in proximis præteritis Comitiis pro emendatione juſtitiæ in legem ſancita ſunt, partem Ordinationis Cameralis facere. Enim vero ſi hæc Ordinatio in Judicio Aulico per omnia eſt ſervanda, neceſſe erit eam ſervari etiam in hoc articulo: nam ratio utrobique eadem: ut præſcindantur litium ambages ſublato indiſcreto uſu talium remediorum, & ne eandem ob cauſam Judices nimiis obruantur laboribus, qui vix præſentibus ſufficiunt. Dempto enim reviſionibus & ſupplicationibus effectu ſuſpenſivo, vix decimus erit amplius, qui his remediis uti voluerit, cum noverit, contra ſe nihilominus executioni paratæ locum fore.

c) *Ut acta Judicialia denuo, adhibitis aliis gravitati negotii paribus, neutrique partium addictis.)* Scopus & finis ſupplicationis eſt, ut revideantur acta judicialia modo & ordine hic præſcripto: Igitur primo adhibendi ſunt alii, gravitati negotii pares, i. e. non modo docti & rerum imperii juriſque periti, verum etiam probitate & conſcientia commendabiles. Deinde debent neutri partium eſſe addicti. Utinam inveniri etiam poſſent, quos tempore reviſionis addicere ſibi muneribus neuter partium poſſit.

d) *Ex*

Digitized by Google

gione æquali numero d) Conſiliariis, e) & qui concipiendæ & ferendæ priori ſententiæ non interfuerint f) aut certe Referentium & Correferentium partes non ſuſtinuerint, g) revideantur, h) liberumque ſit Suæ Majeſtati in cauſis majoribus, i) & unde

d) *Ex utraque religione æquali numero.)* Hoc tertium requiſitum tum demum neceſſarium ego dixerim, quando partes litigantes diverſæ ſunt religionis.

e) *Conſiliariis.)* Poſſunt ergo Conſiliarii alii Aulici actis revidendis adhiberi, qua in re iterum ab Ordinatione Cameræ abitur, ubi ad reviſiones certi Status delegantur, præteritis Aſſeſſoribus: Id quod longe tutius, cum inter Collegas amicitiis multum detur, neque cornix facile cornici eruere oculos ſoleat. Lavat potius manum manus, neque quiſquam ferme eſt mortalium, cui non mutuis officiis vacillet fides, ubi male ſibi conſcium ſollicitat ſpes gratia gratiam aliquando repenſum iri.

f) *Et qui concipiendæ & ferendæ priori ſententiæ non interfuerint.)* i. e. qui una cum referentibus & correſerentibus autores non fuere, ut ſententia ſic nec aliter conciperetur ferreretur que. Neque enim concipiendis ferendisque ſententiis univerſum intereſt Collegium Aulicum; Sed uti in Camera relationes fiunt, in ſuo cujusque Senatu, ita videtur in Judicio Aulico eſſe receptum, ut quidam ex Collegio audiendis Relationibus deputentur, quibus auctoribus concipiuntur poſt Relationem, feruntur que ſententiæ. Atque hi ſunt, quos Reviſionibus non patitur Lex de integro adhiberi.

g) *Aut certe Referentium & Correferentium partes non ſuſtinuerint.)* Hæc verba, *aut certe*, ego ſic explico, quaſi dictum fuiſſet, *multo minus;* Nam ſi correctoria ſuperiorum eſſent, eumque ſenſum haberent, præſtare quidem rectiusque fieri, ſi ad reviſiones non admittantur, qui concipiendis ferendisque ſententiis interfuerunt. Sed eos tamen abſolute non prohiberi, modo prorſus arceantur illi, qui partes Referentium & Correferentium ſuſtinuere, fraus legi per id fieri nullo negotio poterit, cum credibile non ſit, diverſum jus dicturos a ſuperiori ſententia, quæ ipſis illis auctoribus eſt lata. Nam & exiſtimationi ſuæ volunt conſulere: & litigantium parti, quæ ante vicerat, ſi quos forte ſibi ex illis muneribus addictos fecit, facilis eſt & cognita ratio integritatem eorum iisdem artibus expugnandi.

h) *Revideantur.)* i. e. denuo & ex integro diligenter atque cum fide examinentur. Quia tamen hic acta Judicialia ſuperiora revideri ſaltem jubentur, non videtur in judicium novi quid adferri, & ſuper eo cognoſci poſſe. Id enim tantum agitur, an injuſte ſit pronunciatum ſecundum acta & probata; non vero,

Digitized by Google

unde tumultus in Imperio timeri poſſent, k) inſuper, etiam quorundam

vero, an forte altera pars Advocatorum aut ſua negligentia vel culpa in lite inſtruenda ſibi defuerit.

i) *Liberumque ſit ſuæ Majeſtati in cauſis Majoribus.)* Satius fuiſſet, ſic legem ſcribi: *Teneaturque ſua Cæſerta Majeſtas.)* Certe enim res periculi plena, Judicio Aulico id genus magna & dubia negotia committere. Neque hac ratione lites feliciter finiuntur, quin plerumque committitur Majeſtas Cæſaris & variis exponitur inſultibus, quos vitare prudenter licet, adhibitis in Conſilium expediundæ rei quibusdam Statibus, qui cum opus eſt aliquanto plus poſſunt in re judicata exequenda, quam fulmina illa ex Senatu Aulico vibrata, quæ terrent magis quam feriunt potentiores. Haud ita multi ſunt anni, cum vidimus illuſtre & memorabile exemplum in Domo Megapolitana. Scilicet lite inter duos Agnatos ſuper Ducatu Guſtravienſi orta, cum Aulicum Conſilium ſua unius auctoritate, & præteritis Circuli Directoribus ſequeſtrare totam illam religionem vellet, ejusque rei cauſa Comitem Eccium Commiſſarium conſtituiſſet. Statim Circuli Directores, ex hac prætetitione offenſa contracta, quam in ſuam injuriam interpretabantur, collecta manu & vi adhibita, Ducatum illum omnem jam ab Eccio occupatum rurſus in poteſtatem ſuam redegere; Excivit quidem hæc expeditio ingentes in Aula Cæſaris clamores. Sed hæc omnis ira intra verba ſtetit, omnibusque magnifico ſpecimine patuit, non deeſſe Statibus animos & vires, quibus jura ſua contra id genus attentata Aulicorum tuerentur: Inter ea hic nihilominus locus inſigne nobis argumentum præbet diſputandi contra eos, quibus antiquum illud jus Principum adhuc ante oculos verſatur, eorumque cogitationes & vota implet. Scilicet aut negant hoc abrogatum: Vel denuo introductum volunt. Ego uti ultimis non repugno, qui novi maximas olim & graviſſimas cauſas hoc judicio feliciter eſſe compoſitas. Ita vereor, ne hoc textu noſtro arguantur erroris, qui contendunt, ſupereſſe hoc ipſum judicium, neque Cæſarem ſine eo decernere in arduis rebus quicquam poſſe: Hic enim id ei liberum relinquitur; quod ſane neceſſitatem tollit. Et hercle, ſi in reviſorio judicio, quod ultimum omnium eſt, & contra quod nullum aliud remedium juris proditum, penes Imperatorem ſtat, exquirere quorundam Electorum & Principum ſententias, ſi velit: Neque neceſſarium eſt, ut id fiat, cum rem omnem Aulico ſuo judicio poſſit committere: quis ei hanc neceſſitatem faciet in cauſis, quæ prima vice aut per appellationem in judicium deducuntur, & a quibus male judicatis ſupereſt auxilium reviſionis.

k) *Et unde tumultus in Imperio timeri poſſent.)* Num hæc ſit deſcriptio cauſarum majorum, an ſaltem præcipua

rundam l) utriusque Religionis m) Electorum & Principum n) ſententias & vota requirere. o)

§. 56

pars, exempli loco adducta, ambigi poteſt. Poſſunt vero cauſæ majores appellari, tum a ſubjecto, quando inter Status majores, qui difficulter in ordinem redigi poſſunt, res verſatur, tum ab objecto, ſi quæſtio ſit de integris provinciis, vel urbibus & oppidis, nec non arcibus munitis, adeoque conſideratu dignis. Denique poteſt etiam cauſa major videri ex præjudicio in alios redundante, quorum ob conſequentiam plurimum intereſt, utro modo judicetur. Ita exempli gratia Monaſterium Falkenhagen, de quo inter Comitem Lippiacum & Patres Societatis Paderbornenſis certatur, res eſt ex ſe non ejus pretii, ut inter cauſas graviores numerari debeat. Quoniam vero omnium Statuum Evangelicorum maxime refert, ne ſententia feratur ex iis principiis & argumentis, quibus Jeſuitæ totam Conſtitutionem pacis Weſtphalicæ de Monaſteriis mediatis anno 1624. poſſeſſis, calumniantur atque fruſtrantur, cum initio ſemel facto nemo ſecurus ſit, quin alio tempore & occaſione iisdem cavillis & prævaricatione Judicum de ſuis etiam hujus generis rebus periclitari poſſit: Ideoque Status Evangelici merito ſuo hanc litem ad cauſas graviores referunt, atque quovis modo intercedunt, ne ſollicitetur pax prava & veteratoria Jeſuitarum interpretatione, vel judicio aliquo pro amico, facturo præjudicium adverſus reliquos omnes.

l) *Inſuper etiam quorundam.)* Electio tamen & arbitrium, quorum ſententias & vota velit requirere, videtur eſſe Imperatoris, neque hic Circulorum rationem oportet haberi, uti in exequendo judicato opus eſt.

m) *Utriusque religionis.)* Si nimirum lis ſuper cauſa graviore ſit inter Status utriusque religionis. Nam ſi ſoli Catholici inter ſe litigent, nihil impedire videtur, quo minus ad ſolos etiam Catholicos ea de re referatur. Idem dictum velim, ſi inter ſolos Evangelicos eſt certamen; tum enim expedit Evangelicos conſulere: Periculoſum enim, adhiberi etiam Catholicos, quibus forte alter litigantium facta ſpe mutandæ religionis ſubrepere facile poterit, ut pro ſe feratur ſententia.

n) *Electorum & Principum.)* Cur non etiam Civitatum? Credo hoc ex antiquo jure Principum, quod appellatur das Fürſten-Recht, eſſe reliquum, ubi Civitates non admiſſæ.

o) *Sententias & vota requirere.)* A quibus ut facile recedatur, Imperatori non eſt integrum. Quamvis enim iſti Electores & Principes judicio ſic adhibiti Aſſeſſorum munere fungi videantur, eorum tamen actoritati aliquanto plus tribuendum eſt, quam ut exiſtimari poſſint, in nudum conſilium eſſe vocati. Enimvero illud hic non ſatis definitur, an neceſſe ſit Electores illos & Principes in

§. 56. Viſitatio Conſilii Aulici a) fiat ab Electore Moguntino b) toties, quoties opus fuerit, c) obſervatis iis, quæ in proximis Comi-

in unum convocari dicendæ ſententiæ cauſa: Vel ſufficiat ſingulorum ſententias & vota ſuper actis judicialibus per literas, quibus hæc communicantur, exquirere? Si ad formam judicii Principum hæc res tractanda foret, ſine dubio convocatione eſſet opus. Neque nego, quin hoc ex dignitate Imperatoris ſit futurum, qui tantus Judex inter tantos Aſſeſſores ſedet. Quoniam vero ob diuturnitatem litium id genus judicia exerceri commode non poſſunt, ideoque plerumque fit, ut transmittantur ſingulis acta, ſententiam ſcripto dicturis, poſtquam ea probe per ſuos Conſiliarios expendi curarunt.

§. 56.

a) *Viſitatio Conſilii Aulici.)* Quo modo & ordine Camera Imperialis viſitanda ſit, ordinatione Cameræ & aliis Conſtitutionibus Imperii prolixe habetur: De viſitatione vero Conſilii Aulici nihil certi ad hoc tempus ſtatutum eſt. Nam quæ hoc paragrapho leguntur, etiam nunc exitu carent.

b) *Fiat ab Electore Moguntino.)* Cameram viſitant Status per certos deputatos. Sed in acta Conſilii Aulici inquirere ſoli Electori Moguntino eſt datum, qua in re procul dubio ratio habita fuit muneris ejus, quo Archi-Cancellariatum obit. Equidem auctor eſt Buckiſch ad hunc locum, petiiſſe quondam Status Noribergæ congregatos, ut Viſitatio iſta fiat per Electores, Principes & Status pari numero religionis. Et utinam tum æquo deſiderio ſatisfactum fuiſſet! Procul dubio enim hoc judicium majori ſanctitate ageret, ſi meminiſſent, rationem ſibi judicatorum Statibus aliquando eſſe reddendam. Nunc longius a metu abſunt, quando eis cum ſolo Moguntino res eſt, quem unum multa diſſimulaturum transmiſſurumque ſperant, quæ tam facile plures alii non condonarent, præcipue ſi qua in cauſa ex odio religionis perperam forte judicatum fuerit.

c) *Toties, quoties opus fuerit.)* Centies profecto millies fuit opus, neque tamen Judicium Aulicum in hanc usque diem viſitatum meminimus: neque ſpes eſt, viſitatum poſthæc iri. Aucti potius ſunt in immenſum nævi & vitia, quibus ſcatet, eoque nunc fere eſt ventum, ut Status Evangelicos ſerio pœniteat deſerti propoſiti, quod inter tractatus pacis cœptum erat agitari, de duobus adhuc aliis, præter hoc judicium, inquam, & Cameram, inſtituendis ſummis Imperii Tribunalibus, atque aſſignandis ſingulis eorum certis circulis, ubi Status eorumque ſubditi judicari, nec alibi uſpiam poſſint. Dici non poteſt, quantum juſtitiæ nocitum ſit hujus conſilii abdicatione, & quantopere juſtitiam in patria promoturum fuerit, ſi reſumere illud atque abſolvere placeat. Et profecto eo

Tttt 2 jam

Digitized by Google

Comitiis de communi Statuum placito obſervanda eſſe videbuntur, d) ſi quæ vero dubia circa interpretationem Conſtitutionum ac Receſſuum Imperii publicorum occurrunt, e) aut in di judicandis

jam neceſſitudinis eſt ventum, ut brevi fore perſpiciam, cum periculum commune admonebit omnes Evangelicos, huic morbo medicinam præſentem quærere, quæ alia vix eſſe poterit, quam ut inito fœdere rotunde denunciari curent, ſibi ratum obſtinatumque eſſe. Hoc foro nec actorem nec reum amplius agere, antequam ſeria & gravi hujus judicii reformatione aliquam fiduciam in Judicum integritatem ſibi collocare liceat. Id quod qua re alia poſt tam diuturnam & prævalidam ſuſpicionem aſſequi poſſibile ſit, quam æquabili & fida adminiſtratione Juſtitiæ, non video. Neque enim his in rebus adeo cœci ſunt homines, ut iniqua etiam ſententia jus ſibi dictum putent, aut pro oraculo adorent, quicquid ex hoc tripode eſt dictum. Cum divinarum atque humanarum rerum notitia, juſti atque injuſti ſcientia alios etiam non lateat, neque ita cum Conſilio Aulico comparatum ſit, ut cum Pontifice, quem aſſentatores ejus negant errare poſſe, quoties pro Cathedra decernit.

d) *Obſervatis iis, quæ in proximis Comitiis de communi Statuum placito obſervanda eſſe videbuntur.)* Enimvero neque in proximis, neque in his, quæ adhuc habentur, Comitiis quicquam ſtatui potuit, Auſtriacis id ſedulo agentibus, ut ejus rei relationem impedirent; Quo ipſo fruſtrata ſimul viſitatio fuit, quam ſuſcipere non licet, antequam in Comitiis Statutum ſit, quæ in ea peragenda obſervari debeant. Ita per dimidium ſeculum res protracta, eamque adhuc integrum ſeculum iri extractum, magna eſt probabilitas. Sic itur continuum per Circulum egregia fruſtratione legis.

e) *Si quæ vero dubia circa interpretationem Conſtitutionum ac Receſſuum Imperii publicorum occurrunt.)* Qva ratione dubia circa interpretationem pacis Weſtphalicæ mota, ſint componenda? ſupra §vo 50 eſt traditum. Hic ſtatuitur, quid faciendum ſit de dubiis, circa interpretationem Conſtitutionum & legum Imperii oriundis, & quidem, quod ad Judicium Aulicum attinet. Scilicet non datur huic Judicio interpretandi authoritas, ſed ſi de Statuum Imperii juribus rebusque controverſia eſt, ex dubio Conſtitutionum loco judicanda, deciſio cauſæ remittitur ad Comitia Imperii univerſalia. Miſeret me hic turpiſſimæ aſſentationis, qua ſe Buckiſch torquet, atque pudorem ſumm proſtituit; Scilicet ponit *extra omnem controverſiam, in caſu tali interpretationem ad Comitia ſpectare:* Sed putat *majoris eſſe dubitationis, an hoc modo ad Comitia pertineat, ut neceſſario ibi tractetur, nec coram Impera-*

peratore in Ejus Aulico conſilio proponi, atque decidi poſſit: Sed præciſe ad Comitia inde debeat remitti? Quid eſt obſecro cum ratione inſanire, ſi hoc non eſt? Et an non ex Comico hic liceat breviter reſpondere, næ, Tu vero jam facis intelligendo, ut nihil intelligas. Vapulaſſet hercle graviter homo ineptus, & ex ponte Aſinorum dediſſet pœnam, ſi apud Jeſuitas Præceptores ſuos talem orationem de neceſſitate Confeſſionis auricularis habuiſſet. Dubium quidem non eſſe, quia omnes oporteat coram Sacrificulo peccata ſua confiteri, ab eoque abſolutionem petere. Sed an hoc modo confiteri eos oporteat, ut neceſſario & præciſe ad illum ſit eundum, neque quisquam ſe ipſum adhibito amicorum conſilio abſolvere poſſit, majoris eſſe dubitationis. Quis hæc abſurda ferre poteſt, aut pueriliter adeo ratiocinantem non protinus exſibilaret? Nam quod ait, invidiæ plenum eſſe, *ſuum vel affirmativa vel negativa adjicere calculum*, id denuo Hominis imbecillitatem animi arguit, qui offenſam veritus adulationi potius quam conſcientiæ voluit ſatisfacere. Eſto apud Tyrannos ſacrilegium, de Majeſtate Imperatoria diſputare; Certe ſacrilegium non erit de uſu legitimo ex legibus publicis ferre ſententiam, vindicandis Statuum juribus, qui partem regiminis ex forma reipublicæ noſtræ conſtituunt. Præſertim cum ipſe autor hic fateatur, *non levius ſacrilegio eſſe crimen, Comitiis quid detrahere velle.* Neque vero Status ſecuri ſibi eſſe videntur propria illa laudatiuncula, Principem ſupra omnes affectus eſſe poſitum. De Principe nihil dico, ubique ejus nomen venerabile & ſacroſanctum eſſe debet. Sed quia ipſe negotiis omnibus vacare non poteſt, adeoque in plurimis miniſtrorum ſuorum fidei ſe committere neceſſe habet; An hi etiam extra omnes affectus ſint poſiti ſemper & in omnibus cauſis, quis facile dixerit? Certe Status Evangelici plus centies ſunt magno ſuo malo experti, quid apud Aulicum Conſilium poſſint affectus & ſtudia in judicandis cauſis religionis. Nihil Principi hac in re imputatur; abſit omnis calumnia. Sed quia hic in id genus negotiis Judicialibus a relatione aliorum dependet, qua enim ratione fieri aliter poterit, crimini vertendum non eſt, ſi Status poſt tot experimenta & accepta damna eandem de Conſiliariis ejus opinionem integritatis concipere non poſſunt. Denique deſtruit autor ſuperiora omnia diſtinctione ſua *inter cauſas ex ipſis legum fundamentalium verbis jam decifas, & alias, non tam ex verbis, quam obſcuro ſenſu, latenteque altius conſequentia deductas, vel etiam noviter, ex occaſione novi caſus ſupervenientis decidendas* i. e. inter cauſas ex jure perſpicuo judicandas: & illas ex jure dubio. Sed uti hoc pacto nobis non adverſatur, ita contra ſe ipſum manifeſto diſputat: Sicuti enim jus perſpicuum & certum nulla interpretatione opus habet, ſed ex legis verbis ſenſu facili & aperto profluit; Ità qui *ambiguas* nec dum deciſas, vel non clare nec ſine dubietate conceptas leges negat ab imperatore vel

Aula ejus poſſe interpretari, ſed ad Comitia univerſalia remittit, is nobiscum eadem ſentit, modo teneamus, cauſas deciſas non præjudiciis, quæ alibi forte judicata fuere, æſtimandas: Sed interpretatione authentica, qua opus non foret, ſi ex ſententiis Judicialibus peti illa poſſet: Cum ſic judicibus daretur, quod omnium eſt Statuum. Videtur nimirum imponere nobis voluiſſe autor, dum cauſarum facit mentionem, cum facere juris debuisſet. Neque enim cauſæ opus habent interpretatione, ſed jura ſenſu dubia. Itaque etiam hoc noſtro in textu objectũ interpretationis ſunt *Conſtitutiones ac Receſſus Imperii publici*, non vero cauſæ forte alias judicio deciſæ; quæ præjudicium quidem judicando facere poſſunt, ſed nullum in jure interpretando, cum hæc poteſtas Imperatoris ſit & Statuum, in Comitiis congregatorum; in quo ſi convenimus, initio autor noſter abſurde quæſivit, an interpretatio dubiorum ita pertineat ad Comitia, ut neceſſario ibi ſit tractanda, nec coram Imperatore in Conſilio ejus Aulico proponi atque decidi poſſit. Nam hoc ipſum ſine diſtinctione eſt abſolute affirmandum, non modo ex hoc noſtro loco, verum etiam ex art. 8. §. gaudeant 2. ubi de legum interpretatione diſerte cavetur, ne illa fieri unquam vel admitti poſſit, niſi de Comitiali liberoque omnium Imperii Statuum ſuffragio & conſenſu. Quæ lex utique facere ruborem aliquem Noſtro debuit; Et feciſſe etiam ex eo conjector, quod tam perplexe & confuſe hoc argumentum tractarit, neque ſibi in omnibus ſatis conſtet; Incertum an ipſe ſciverit, quid ſibi voluerit: an vero crediderit, de id genus dubiis dubio etiam ſermone & judicio eſſe agendum. Quis enim unquam dixit, *decidere interpretationem?* Quis ubi de dubiis in lege quæritur, diſtinguit inter cauſas dubias ex legis verbis jam deciſas? quo abſurdius excogitari nihil poteſt, etſi hæc imprudentioribus ipſa obſcuritate poſſint impedimento eſſe. Denique plane non cohærent, quæ initio ſunt dicta, cum iis, quæ in fine leguntur, uti jam monui: Sed eſt hæc utique ſors eorum, qui malam cauſam adverſus conſcientiam ſuam quorundam commodorum reſpectu defendunt, ut ubique fere ſeſe implicent magis, quam ut rem tractandam explicent; quoties utrique parti ambigua ſententia litare volunt. Itaque paulo quidem imprudentius, ſed longe tutius, & meliori etiam gratia fungitur, officio malitioſi calumniatoris alius autor, cujus nomini famæque nunc parco, qui leges, quas ſuis rationibus obſtare videt, ſecando nodum Gordium, non ſolvendo, protinus uſu abrogatas ſcribit, an garrit magis, quod non uno loco in ſcriptis ejus obſervare licet. Velut hoc ipſum ſit abrogare leges, quoties Senatus ille Aulicus incredibili quadam audacia & temeritate contra ipſas illas leges, poſthabita earum religione & ſanctimonia, judicium fert, cum in aliis judiciis bene formatis ſententiæ contra jus Conſtitutionum latæ ipſo jure nullæ ſint. Et eſt hercle hæc expeditiſſima, ſi Diis placet, ſolvendi Imperatorem legibus ratio, ſi ſe-

Digitized by Google

dis cauſis Eccleſiaſticis vel Politicis f) inter partes ſupra expreſſas g) vertentibus, ex paritate Aſſeſſorum utriusque Religionis, h) poſtquam in pleno etiam Senatu, pari tamen ſemper utrinque Judicantium numero i) examinata fuerint, k) contrariæ oriantur ſen-

ſemel iterumque in leges peccando mox in fraudem legum allegare uſum contrarium, & hoc pacto ex perfidia facere compendium licet, dignis tam egregii inventi autoribus, quibus aqua & igne interdiceretur, cum Principibus ea inſpirant, quæ concordiam Ordinum & publicam tranquillitatem peſtifero auſu convellunt.

f) *Aut in dijudicandis cauſis Eccleſiaſticis vel Politicis.)* Duo igitur hic exprimuntur caſus, quoties de dubiis in dijudicandis cauſis ad Comitia referendum. Alter, cum circa interpretationem legum oritur dubietas. De quo modo dictum: & alter, quoties in judicandis cauſis Judices ſententiis ſibi ſunt contrarii. Neque intereſt, cauſæ Eccleſiaſticæ vel Politicæ fuerint, modo lis ſit inter partes diverſarum religionum. Utrobique enim Proteſtantibus, periculoſum & grave foret ſtare plurium ſententiis, Catholicis hoc in judicio numero absque ullo fere modo ſuperioribus.

g) *Inter partes ſupra expreſſas.) ſupra*, inquit lex i. e. §. 54. ubi quatuor caſus recenſentur, de quibus illo loco actum.

h) *Ex paritate Aſſeſſorum utriusque religionis.)* Adſciſcendi enim in Judicium Aulicum ſunt aliquot Auguſtanæ Confeſſionis Aſſeſſores, atque eo quidem numero, ut eveniente caſu paritas Judicantium ex utraque religione Aſſeſſorum obſervari poſſit, ſupra §. 54.

i) *Poſtquam in pleno etiam Senatu, pari tamen ſemper utrinque judicantium numero.)* Enim vero ſi in pleno Senatu, quomodo pari utrinque judicantium numero? Cum Catholici Aſſeſſores reliquos Auguſtanæ Confeſſionis numero indignis modis ſuperent. Scilicet examinantur quidem id genus cauſæ in *pleno Senatu*, ſed non judicantur *a pleno Senatu*, cum par ſemper utrinque judicantium numerus eſſe debeat. Nimirum fac eſſe in Senatu pleno ſex Aſſeſſores Proteſtantes, & forte duodecim Catholicos, adjungendi erunt ex his in judicando Illis non ſupra ſex: quorum deligendorum arbitrium aut penes Catholicos, aut ſaltem Præſidem Judicii eſſe crediderim. Reliqui examinandæ cauſæ intereſſe poſſunt, ſed in judicando ferre ſententias non poſſunt.

k) *Examinata fuerint.)* Aliud eſt ex hujus legis ſenſu examinare cauſas: aliud judicare. Examinant, qui de meritis cauſæ inter ſe colloquuntur. Judicant, qui ſententiam concipiunt feruntque: Illos oportet quidem etiam eſſe utriusque religionis, ſed non pari numero. Hi ut numero ſint pares, abſolute requiritur;

Digitized by Google

ſententiæ, l) Catholicis quidem in unam, Auguſtanæ vero Confeſſionis Aſſeſſoribus in aliam abeuntibus, m) remittuntur ad comitia Imperii n) Univerſalia. Sin autem duo pluresve Catholici cum

ritur; quamquam etiam, quod ad primos attinet, videntur cenſeri pares hoc effectu, ut etſi plures Catholici in cauſa examinanda diverſam a paucioribus Proteſtantibus dixerint ſententiam, propterea præjudicium cauſæ multitudine ſuffragiorum ſuorum non faciant, cum æqua lance rem omnem conſpirantia. Evangelicorum vota ſuſpendant, donec in Comitiis ex integro de cauſa actum fuerit.

l) *Contrariæ oriantur ſententiæ.)* Tribus fere modis contraria ſententia vocari poteſt. Uno, cum pauciores quidem diſſentiant, ſed quorum hæc eſt conditio, ut diſſenſu ſuo impedire nequeant, quæ plures cenſuere; Id quod fit, cum diſcinduntur Aſſeſſores in diverſa partibus imparibus, ſed nullo religionis reſpectu, cum hinc & inde ex utraque religione ſint, qui aliud ſentiunt. Altero, quoties duo pluresve Catholici cum uno vel altero Auguſtanæ Confeſſionis Aſſeſſore, & viciſſim, unam, reliqui vero totidem numero, quamvis religione diſpares, alteram amplectuntur ſententiam. Et tertio, quando Catholici omnes in unam: Auguſtanæ vero Confeſſionis Aſſeſſores in aliam abeunt ſententiam. Quomodo duobus ultimis caſibus tollenda difficultas ex votis contrariis orta, hic certi quid ſtatuitur. Sed de primo nihil invenies: Credo, quoniam Paciſcentes non dubitavere, quin ſecundum plurium ſententiam expedienda res ſit, & de cauſis politicis quidem res omni dubio caret. Neque etiam in Eccleſiaſticis aliud videtur dicendum. Quamquam enim ſupra §vo 52. ſtatutum fuerit, ne in cauſis religionis attendatur votorum pluralitas, id tamen eo pertinet, cum de religione diverſum a legibus eſt ſtatuendum, vel lex dubia explicanda. Non quando ſecundum leges in judicio ferenda ſententia, Aſſeſſoribus in duas partes ita diviſis, ut appareat opinionum varietatem magis ex jure aut facto dubio, quam ſtudio vel affectu in religionem provenire: Cujus rei non aliud certius indicium erit, niſi forte, quod vix tamen erit, colluſio intervenerit, quam ſi utriusque religionis Aſſeſſores ab utraque parte ſtant, & contraria opinantur, ita tamen, ut una pars numero fortior alteram pluribus ſententiis vincat.

m) *Catholicis quidem in unam, Auguſtanæ vero Confeſſionis Aſſeſſoribus in aliam abeuntibus.)* Hæc enim diviſio maniſeſtiſſimum eſt ſignum, in cauſa judicanda prævalere ſtudia partium, neque tam juſtitiæ quam religionis haberi rationem.

n) *Remittuntur ad Comitia Imperii.)* Qvinque igitur circumſtantias concurrere oportet, ut huic remiſſioni locus ſit. 1. ut inter Aſſeſſores contrariæ oriantur ſen-

Digitized by Google

cum uno aut altero Auguſtanæ Confeſſionis Aſſeſſore, & viciſſim unam, reliqui vero totidem numero, quamvis Religione diſpares alteram amplexi fuerint ſententiam, o) indeque contrarietas oria-

ſententiæ, 2. ut hoc fiat ex paritate Aſſeſſorum utriusque religionis, 3. ut paritas ſic intelligatur, ſi Catholici in unam & Proteſtantes Aſſeſſores in aliam ſententiam abeunt. 4. poſtquam dubia in pleno etiam Senatu examinata fuerint, & 5. denique, pari tamen ſemper utrinque judicantium numero. Hic igitur eſt ordo. 1. occurrunt dubia circa interpretationem juris; aut 2. in dijudicandis cauſis Eccleſiaſticis vel Politicis, *inter Status* utriusque religionis vertentibus, contrariæ oriuntur ſententiæ. 3. Hæc contrarietas provenit ex paritate Aſſeſſorum utriusque religionis. 4. Poſtquam tamen dubia illa in pleno Senatu, quamvis pari ſemper utrinque judicantium numero examinata fuerint. Denique ut poſt examinatam in pleno Senatu cauſam dubia nihilominus maneant inter Aſſeſſores Catholicos & Proteſtantes hoc modo, ut Catholici omnes in unam, & Proteſtantes omnes in aliam contrariam abeant ſententiam: Et ſic demum res remittitur ad Comitia Imperii.

Ad Comitia Imperii univerſalia.) Quid de Conventibus Deputationum ordinariis dicendum, qui ſunt loco Comitiorum univerſalium. Hi cum non habeant legum ferendarum poteſtatem, conſequens eſt, ut nec jus habeant interpretandarum. Itaque nupero Receſſu §. 191. Deputatis tum conſtitutis hæc agendi regula inter alia eſt præſcripta, ut in caſibus dubiis, quorum interpretatio ante omnia ex Inſtrumento pacis petenda, ſi deputati de ſenſu legis non poterint convenire, de negotio omni in Comitiis proximis referatur. Qui tamen locus hoc etiam velle videtur, ut ſi Deputati de vero ſenſu convenire poſſint, illis non omnem interpretationis faciendæ facultatem ademptam eſſe, neque enim fruſtra jubentur tentare conciliationem opinionum, quæ ſuper diverſo legis intellectu forte incidunt.

o) *Sin autem duo pluresve Catholici cum uno aut altero Aug. Confeſſionis Aſſeſſore, & viciſſim unam, reliqui vero totidem numero, quamvis religione diſpares, alteram amplexi fuerint ſententiam.)* Superior caſus fuit, cum omnes Catholici Aſſeſſores in unam, & omnes Evangelici in contrariam ſententiam diſceſſerint. Hic jam alter proponitur, cum Aſſeſſoribus quidem inter ſe non convenit. Sed ab utraque parte ſint ex utraque religione, qui pro ſua pugnant ſententia: mixtis nimirum hinc inde Catholicis cum Proteſtantibus, & vice verſa; ita tamen ut utrinque numero ſint pares quamvis religione diſpares. Qua ratione neutra quidem pars alteram vincit votorum numero. Sed tamen æqualitas idem utrinque ſentientium non provenit ex aliquo religionis reſpectu.

oriatur, p) hoc caſu, juxta ordinationem Cameræ, lis terminabitur, ulteriori remiſſione ad Comitia ceſſante. q) Et hæc omnia in cauſis

ſpectu. Verbi gratia: Sint decem Aſſeſſores ad judicandam certam cauſam delegati, atque ex iis quinque pro hac pugnent ſententia; pro diverſa autem reliqui quinque. Quodſi nunc pro una omnes ſtent Evangelici, pro altera omnes Catholici, tunc ſecundum ſuperius dicta res ad Comitia remittitur; Sin vero cum tribus Evangelicis duo ſe conjungant Catholici; & viciſſim, cum ex altera parte duo Evangelici cum tribus Catholicis ſe conjunxerint, ut hoc pacto negotium utrinque æqua lance libretur, ceſſat relatio ad Comitia, & res alio modo finem accipit, de quo mox.

Et viciſſim.) i. e. Si duo pluresve Auguſtanæ Confeſſionis Aſſeſſores cum uno & altero Catholico unam amplectantur ſententiam.

Reliqui vero totidem numero.) Ut ſcilicet paria utrinque vota exiſtant.

Quamvis religione diſpares.) Neque enim refert, ſi ex una parte unus ſaltem Proteſtantium ſe cum reliquis Catholicis conjunxerit, & ex altera duo Catholici cum reliquis Proteſtantibus, modo utrinque pares numero maneant. Nam ſi numero etiam diſpares fuerint, alius itidem & diverſus fit caſus, quo pertinet quæſtio, quid Majora valeant?

p) *Indeque contrarietas oriatur.)* Oritur nimirum contrarietas ex diverſis ſententiis, dum pro ſua quisque certat, eamque juri convenientiſſimam, adeoque ſecundum illam pronunciandum contendit.

q) *Hoc caſu juxta ordinationem Cameræ lis terminabitur, ulteriori remiſſione ad Comitia ceſſante.)* Ceſſat hoc caſu remiſſio ad Comitia, quia non eſt ſuſpicio, in cauſa judicanda affectibus & ſtudiis in religionem aliquid datum fuiſſe, quoniam hinc & inde ſunt ex utraque religione, qui diverſa cenſent, quod conſpirationis ſuſpectionem tollit. Quod autem dicitur, litem eſſe terminandam *juxta ordinationem Cameræ*, per id remittimur ad illam legem, quæ modum præſcribit tractandi cauſam in Camera, cujus deciſio paribus Aſſeſſorum ſuffragiis vel votis ſuſpenditur. Extat autem illa lex ordinatione Cameræ part. 1. cap. 13. §. 10. Weiter ſetzen, ordnen und wollen wir. ibi: und ſo ſichs begebe, daß die Aſſeſſores in votis ſpännig und in zwey gleiche Theile zerfielen, ſo ſolle alsdann die Sach oder Punct, darin ſie ſtreitig, an den Cammer Richter und die andern Aſſeſſores gelangen, und zu derſelben Ermeſſenheit ſtehen, zu ſolcher ſtreitigen Sach oder Puncten, nach Gelegenheit, Gröſſe oder Wichtigkeit derſelben etliche aus denen Beyſitzern zu verordnen, oder aber dieſelben in dem andern definitiv Rath, oder, ſo es für gut angeſehen, im vollem Rath fürzunehmen, die Relationes wiederum anzuhören,

Digitized by Google

cauſis Statuum, comprehenſa immediata Imperii Nobilitate, ſive actores illi, ſive rei, ſive intervenientes fuerint, obſerventur, r) Si vero inter mediatos vel actor, vel reus, vel tertius interveniens fuerit Auguſtanæ Confeſſionis s) & paritatem judicantium ex utrius-

hören, und ſich einer Urtheil zu verglei-chen ꝛc. ꝛc. Igitur paribus ſententiis Aſſeſſorum de re ad Judicem & reliquos Aſſeſſores a diſſidentibus refertur, quorum arbitrio vel a pluribus Aſſeſſoribus, vel alio in Senatu, vel denique in pleno conſeſſu ſub incudem denuo revocatur, atque ex integro deliberatur: manente ratum firmumque, quod hoc modo judicatum fuerit. Idem etiam obtinet, cum ex voto Aſſeſſoribus tres juſtis & gravibus de cauſis diverſum ſenſerint. Quæ vero ratio expediundæ rei, ſi omnes Aſſeſſores forte paribus ſententiis in duas partes ſcindantur; vix crediderim hoc eventurum. Quod ſi tamen contingit, olim ordinatione Cameræ 1495. Wormatiæ deſcripta, articulo: Wie das Cammer-Gericht ꝛc. ꝛc. ſancitum fuit, ut illa ſententia prævaleat, cui judex aſſenſerit. Verba legis hæc ſint: und was die ſechzehen Urtheiler oder der mehrere Theil in Sachen erkennen, dabey ſoll es bleiben; und ob ſie ſpännig und auf jeglichen Theil gleich wären, welchem denn der Richter einen Zufall thut, dabey ſoll es auch bleiben. Quod ultimum tamen an hodie etiam obtineat, dubito; Scripta enim fuit illa lex ante religionis diſſidia, & cum Cæſarum liberior adhuc erat in administranda republica atque juri dicundo auctoritas, quorum perſonam judex præſentare viſus. Hodie cum gaudeamus illa Conſtitutione: *gaudeant*, qua legum interpretandarum poteſtas communicatur Statibus cum Imperatore, hac interdictione ne poſthæc quicquam horum aut ſimile unquam fiat vel admittatur, niſi de Comitiali liberoque omnium Imperii Statuum conſenſu & ſuffragio, Judici Cameræ ea vix promiſſuri ſumus, quæ in ipſo Cæſare non ferimus.

r) *Et hæc omnia in cauſis Statuum comprehenſa immediata Imperii nobilitate, ſive actores illi, ſive rei, ſive intervenientes fuerint, obſerventur.)* Ergo ſuperiora hæc omnia ita obtinent in cauſis Statuum immediatorum, quibus & immediata Imperii Nobilitas comprehenditur. Sufficit autem, ſi unus litigantium ſit Status immediatus, ſive actor ille fuerit, ſive reus, ſive interveniens, quamvis reliqui forte ſint mediati, non enim oportet eſſe utrinque Immediatos.

s) *Si vero inter mediatos vel actor vel reus, vel tertius interueniens fuerit Auguſtanæ Confeſſionis.)* Quodſi lis inter mediatos ſit, ſive Status Provinciales, ſive alios ſubditos, & litigantes diverſæ fuerint religionis, ut vel actor, vel reus, vel

tertius

utriusque Religionis Aſſeſſoribus poſtulaverit, t) adhibeantur pares: u) Eveniente autem tunc votorum paritate, ceſſet remiſſio ad Comitia, x) & lis juxta ordinationem Cameræ terminetur. y)

tertius interveniens ſacra Proteſtantium ſectetur, tum vero ſi hic paritatem Judicantium ex utriusque religionis Aſſeſſoribus poſtulaverit, tum ſatisfaciendum quoque ejus deſiderio, & pares adhibendi: Sed quid ſi non poſtulaverit? Videtur dicendum, id non eſſe neceſſarium, ſibique eum, qui beneficio legis uſus non eſt, imputare culpam debere.

t) *Et paritatem judicantium ex utriusque religionis Aſſeſſoribus poſtulaverit.)* Præſtitiſſet ſane hic legem ferri, de paribus adhibendis ſine conditione, ſi alter poſtulantium hoc poſtulaverit. Habere enim ſæpe privati cauſas poſſunt, cur hac poſtulatione ſuperſedeant, veriti offenſam Cæſaris, & invidiam Judicii Aulici, in quo Catholici numero & auctoritate ſemper prævalent, negotiumque irritati faceſſere poſſunt, etiamſi judicandis cauſis non adhibeantur. Qui metus non urgeret pudorem Proteſtantium, ſi lex numeri æqualis in judicando neceſſitatem feciſſet, ſub pœna irriti judicii, ubi ſecus factum.

u) *Adhibeantur pares.)* Sic lex quidem jubet; Vereor autem, ne hoc & reliqua omnia, quæ mox ſequuntur de privilegiis primæ inſtantiæ, juribus Auſtregarum, privilegiis de non appellando, ordine exequendi, & cætera. Nonnulli interea referant, quæ nunc uſu abrogata ſunt invita etiam pace.

x) *Eveniente autem tunc votorum paritate ceſſet remiſſio ad Comitia.)* Atque hac quidem in re deteriori ſunt conditione Mediati, quam Status immediati. Ratio, cur hæc differentia in jure inter Status privatosque dicundo placuerit, eſſe videtur, quod non ſit e dignitate Imperii, privatorum negotiis & litigiis, quæ infinita fere ſunt, Comitia occupari. Quo pacto igitur factum, ut Capitulationibus caveatur, ne quisquam non modo Statuum, ſed & nec ſubditorum proſcribi poſſit absque Statuum, ad minimum Electorum ſcientia, Conſilio & conſenſu? Niemanden hohen und niedern Standes Chur-Fürſt, Fürſt, Stand, oder anderer. Cum haud magis ſit e dignitate Imperii, quoties forte infimæ ſortis homines ea perpetrant, quæ digna ſunt, ut Banno Imperiali feriantur, eam ob rem indicere Comitia, vel Electorum Conventus cogere. Mihi ſane Exemplum non ſuccurrit, cum mediatis ſubditis hoc modo actum fuiſſe, etſi non deſint forte exempla proſcriptorum, ſub his etiam Comitiis, quæ adhuc habentur. Itaque ſæpius ego dubitavi, annon verba Capitulationum, utcunque generalia, ad Status immdiatos reſtringenda ſint, vix certe Nobilitate comprehenſa, quæ ſicuti omnes propemodum fortunas ſuas fidei Imperatoris committit, atque rationes ſuas a Statuum rationibus ſeparat: ita

Digitized by Google

y) Cætera in aulico non minus, quam in Cameræ Imperialis judicio z) privilegium primæ inſtantiæ, Auſtregarum Jura, & Privilegia de non appellando a) Statibus Imperii illibata ſunto, b) nec per mandata aut commiſſiones, aut avocationes, aut quovis alio modo turbantor. c) Denique, cum etiam de abolendis curia Imperiali Rottwillæ, judiciis provincialibus Sueviæ, d) & aliis hinc inde per Imperium hactenus uſitatis, e) mentio injecta fuerit, f) res-

---

ita æquum eſt, ut in publicis delictis, iis imprimis, ubi læſæ Majeſtatis vel perduellionis crimen verſatur, arbitrio Cæſaris absque Statuum auxilio relinquantur. Sed hæc ſine cujusquam præjudicio aut fraude dicta velim intelligi.

y) *Et lis juxta Ordinationem Cameræ terminetur.)* Hac de re paulo ante abunde eſt dictum.

z) *Cætera in Aulico non minus quam Cameræ Imperii Judicio.)* Superiora omnia, quæ hoc paragrapho continentur, Aulico judicio rectius formando proprie inſerviunt; quamquam negare nolim eſſe de quibusdam ſic etiam comparatum, ut applicari Cameræ poſſint; ſed reliqua, quæ nunc ſequuntur, utrumque judicium ſibi dicta putet, etiamſi per verba *non minus* attentio Aulici Judicii præcipue excitari videatur, utpote quod id genus monitis tanto magis habebat opus, quo minus inſolitum apud illud ipſum erat, arbitraria licentia in hæc peccaſſe.

a) *Privilegium primæ inſtantiæ, Auſtregarum jura, & privilegia de non appellando.)* Quæ hæc ſint privilegia & jura ab aliis docetur: Hæc noſtri muneris jam non ſunt.

b) *Statibus Imperii illibata ſunto.)* Niſi enim delibata ante ſæpe fuiſſent, non opus foret, ut hic lege munirentur.

c) *Neque per mandata, aut Commiſſiones, aut avocationes aut alio quovis modo turbantor.)* Mandata, Commiſſiones & avocationes hæc fere erant artificia, quibus Statuum jura turbari contigit. Sed ne novis nominibus repertis legi nova fraus fiat, additum, *aut alio quovis modo*, quo excluduntur quæcunque inventa, quibus præjudicium in his rebus metui poteſt.

d) *Denique cum etiam de abolendis Curia Imperiali Rotbwilæ, judiciis provincialibus Sueviæ.)* De his duobus foris plurimæ hactenus per Imperium querelæ auditæ, quæ nec dum ceſſant, Auſtriacis, quorum auctoritatem & potentiam iſta fulciunt injuriis aliorum Statuum vix tolerandis, ſumma ope id ſemper agentibus, ut infecta re dilatum ſit negotium.

e) *Et aliis hinc inde per Imperium hactenus uſitatis.)* Tale eſt Onoldi, quod vocatur Provinciale Judicium Burggraviatus Noribergici. Tale etiam Herbipoli, Provinciale Judicium Ducatus Franconi-

Digitized by Google

reſque hæc gravioris viſa ſit momenti, g) de his quoque ulterior deliberatio ad proxima Comitia remiſſa eſt. h)

§. 57.

Aſſeſſores Auguſtanæ Confeſſionis præſententur a)

ab

Electore Saxonico Brandenburgico Palatino	6.	
Circulo Superioris Saxoniæ	4	1. alternando per hos duos Circulos.
Inferioris Saxoniæ	4	

Circuli Franconici Statibus.

Auguſtanæ Confeſſionis	2	1. alternando per hos quatuor Circulos.
Suevici	2	
Superioris Rhenani	2	
Weſtphalici	2	

§. 58.

conicæ; Fortaſſis etiam alia adhuc aliis in locis: quæ dum quisque Statuum, qui ea in poteſtate ſua habet, conſervare quovis modo ſibi cupit; non attenta Vicinorum moleſtia, ſimul Auſtriacis occaſionem præbent, excuſandi ſe, cur pacem hoc in articulo exequi nondum paſſi ſint.

f) *Mentio injecta fuerit.)* Factum id inter pacis Tractatus illo loco, ubi de juſtitia ejusque emendatione agebatur. *vid. præliminaria pacis tractatu 22. n.* 54. ubi hæc habentur: Das Rothweiliſche, Schwäbiſche, Hagenauiſche, und dergleichen Gerichte, ſollen hiemit caſſiret und abgethan ſeyn.

g) *Resque hæc gravioris viſa ſit momenti.)* Plurimæ ſane res, quæ longe gravioris momenti fuerunt, pace compoſitæ. Sed quod Gallorum, Svecorumque parum intereſſet de his conſtitui: Auſtriaci vero multum laborarent, ut actio in aliud tempus rejiceretur, excuſatione ſaltem placuit pudori conſulere.

h) *De his quoque ulterior deliberatio ad Comitia proxima remiſſa eſto.)* Sed pleraque horum, quæ ſic remiſſa ſunt, remiſſa intelligi debent ad Calendas græcas. Hanc vocem liberam experientia abſolvet a calumnia.

§. 57.

a) *Aſſeſſores Auguſtanæ Confeſſionis præſententur.)* Eſt hoc illud Schema, cujus mentio fit ſupra §. 54. in quo tamen id hodie deſideres, quod Evangelicorum Electorum numerus ſit diminutus,

tus, quando interea Palatino Carolo, improle mortuo, quo cum linea Simmerenſis extincta eſt, gens Neoburgica ſucceſſit, Sacris Pontificiis addictiſſima. Ut nunc Saxonem taceam, incertum ad hanc usque diem, quo ſit referendus, cum non obſtante fidei Romanæ profeſſione publica, Saxoniæ nomine nihilominus & remanere inter Evangelicos ordines voluerit & Directorium hac ratione ut ante retinuerit. Quo id etiam conſecutus eſt, ut in Deputationibus Evangelicis ſemper adnumeretur, atque non ita pridem ab his unus ex ſuis Deputatis delectus fuerit ad componenda religionis gravamina. Adeo ei religionis mutatio non obfuit, quin tam grave & perplexum negotium ipſi committeretur. Liceat igitur hunc adnumerare adhuc Evangelicis Statibus, quamdiu non conſtat, quid de Principe ſuo Electoratus Hærede ſit facturus, quem Regina mater ſuæ curæ & fidei concreditum Sacris Proteſtantium huc usque imbui juſſit. Quid vero Palatino Neoburgico fiet, qui ſucceſſione in Palatinatum palam ſtatim fecit, ſibi Catholicis partibus accedere conſtitutum eſſe, ex quo Deputatis eorum nomine Cæſareæ Lutræ (Pfaltzlautern, niſi fallor:) voluit accenſeri, cum ante hac Electores Palatini hujus agri cauſa perpetuum & ordinarium inter Deputatos Evangelicorum locum obtinuiſſent. Hac ratione enim dum Palatinus huic ſchemati noſtro jam exemptus cum duobus ſuis Aſſeſſoribus, quos præſentare poteſt, non modo numerum Evangelicorum minuit, ſed & ſimul illum Catholicorum auget, neceſſe eſt contingere, ut Hi, qui jam binis ſuperabant, nunc aliis binis aucti ad viginti octo excreſcant, Evangelicis ad viginti duos redactis. Atque ſic turbato ſchemate proximum eſt, malo remedium quærere, ut vetus maneat proportio, nec Catholicorum Aſſeſſorum numeroſior ordo fiat eo, quem lex publica perpetuo manſurum præſcripſit. De augendis ſupra quinquaginta Aſſeſſoribus fere non licet cogitare, cum jam vix quartam eorum partem publicis ſumptibus ſuſtentemus. Sed & hoc modo quatuor Evangelicis forent dandi, loco duorum. Cum enim duo Palatini non decedunt modo Evangelicis, ſed & accedunt Pontificiis, quibus eorum numerus viginti octo conficitur, cum Evangelicorum ordo reducatur ad viginti duos, palam eſt, minus quatuor ipſis non poſſe concedi, ſi manere proportio debeat, qua Catholici ſaltem duobus excedunt Evangelicos. Itaque magis expedit retento legali numero de alia ratione conciliandæ rei eſſe ſollicitum. Hic nihil commodius ſuccurrit, quam novus Electoratus, quo Duces Brunſvicenſes Imperator olim ornavit: Subſtitue hunc Palatini loco, & Evangelicis numerus ſuus manebit integer. Sed forte inquis, ne ſic quidem rei penitus conſultum eſſe, cum nihilominus Catholicorum numerus acceſſione Palatini augeatur duobus, & ſic non modo turbetur proportio, ſed & loco quinquaginta evadunt quinquaginta duo Aſſeſſores. Recte mones: Igitur Catholicis alibi detrahendi duo erunt. Cujus rei jacturam nullus Circulorum minus ſentit quam Bavaricus, qui quatuor Aſſeſſoribus quaſi luxuriat, cum reliquis Catholicis ſupra duos non ſint dati. Quod ſi igitur hunc etiam Circulum in eundem redigimus ordinem, plana forent omnia, confecto tali ſchemate.

Catholici.		Evangelici.	
Cæſar	2.		
Elect. Mogunt.	2.	Elect. Saxon.	2.
Elect. Trevir.	2.	Elect. Brandeb.	2.
Elect. Colon.	2.	Elect. Brunſvic.	2.
Elect. Bavar.	2.	{ Circul. Sax. Super.	4. } 1.
Elect. Palat.	2.	{ Circul. Sax. Infer.	4. }

Cir-

§. 58. Et quamvis ſub ſchemate a) nulla fiat mentio Statuum Imperii Auguſtanæ Confeſſionis, qui ſub Circulo Bavarico comprehenduntur, nihil tamen ex eo ipſis præjudicetur, ſed ſalva maneant horum jura, privilegia & libertates.

Circul. Auſtriac	2.
Circul. Burg.	2.
Circul. Bavar.	2.
Circul. Franc.	2.
Circul. Svevic.	2.
Circul Rhenan.	2.
Circul. Weſtphal.	2.
	26.

Circul. Franc.	2.	1.
Circul. Svevic.	2.	
Circul. Rhenan.	2.	
Circul. Weſtphal.	2.	
	22.	

His adde illos duos, quorum unum adhuc circuli Saxonici alternis & unum iterum alternis circuli mixti præſentant, & habebis numerum eundem 24.
De reliquo nihil habeo quod ad hunc parapr[illegible] moneam.

§. 58

a) *Et quamvis ſub ſchemate.*) Status Evangelici in circulo Bavarico huic paragrapho occaſionem dedere, quibus ægre fuit, Bavaricum Circulum inter Circulos pure Catholicos referri; non habita ratione ſui. Sunt autem in Circulo Bavarico Status Evangelici tres. Comites duo Ortenburgenſes & Wolffſteinienſis: Tum Civitas Ratisbona: cujus monito & interceſſioni hoc præcipue eſt datum. Conſcripta interim hæc cautio valde eſt ambigua, neque enim dicitur, ne ex eo Circuli naturæ vel conditioni præjudicetur: ſed ne juribus, privilegiis & libertatibus Statuum Auguſtanæ Confeſſionis, qui ſub Circulo Bavarico comprehenduntur. Interim habet tamen Circulus Bavaricus, quod Circulum mixtum ſapiat, illud, quia huic uno inter meros Catholicos datum, ut quatuor Aſſeſſores præſentare poſſit, cum reliqui non niſi duos præſentent; Mixti vero omnes quatuor. Quoniam autem omnes illi quatuor ex Circulo Bavarico præſentati ſunt Catholicæ religionis, ideoque vel hoc ipſo iterum mixti naturam exuit. Sed tollit omne dubium Claſſis, qua ſub Catholicis ſolus continetur, cum mixti utrinque participent.

MAN-

Digitized by Google

MANTISSA I.
VOTA STATUUM
Quorundam
IMPERII
Utriusque religionis in Comitiis
Super Ratione & Modo Deputandi in
æquando numero Deputatorum ad Deputationes ſive
ordinarias, ſive extraordinarias, complexa,
PRO SENSU
INSTRUMENTI
PACIS
Weſtphalicæ ad Art. V. §. 51.

Digitized by Google

D. 1. October. 1704.

1. Saltzburg. Dieſeits hält man vor richtig und auſſer Zweiffel, (1.) daß vor dem Weſtphäliſchen Friedenſchluß die Deputati von beeden Bäncken, id eſt, von der Geiſt- und Weltlich Fürſtlichen Banck, auf den Reichstägen, und zwar faſt allezeit die 4. Ordinarii, als die 2. vorſitzende von jeder Banck, mit adjunction ein, oder mehrer Stände von beeden nachſitzenden neben den Prælaten und Graffen-Stand libere denominirt, und per majora ausgeſprochen worden, wie das Reichs Fürſtenraths Protocoll de Anno 1640. & 1641. bezeigte.

2. Wäre bekant, daß erſt hernach per dictum Inſtrumentum Pacis art. 5to. die paritas Religionis eingeführet, mithin die conſueta forma Deputationis geändert worden. Gleichwie aber

3. Das Inſtrumentum Pacis dicto loco nichts bey der Deputation, als nur allein die beſagte paritatem ſtatuiret, und in tantum priorem formam geändert, conſequenter tanquam lex quaſi correctoria ſtricte, & non ultera literam zu verſtehen, und zu vernehmen. Alſo wäre.

4. Unlaugbahr, daß der modus & forma Deputandi im übrigen in vorigen Stand gelaſſen, folglich denen Proteſtirenden oder Catholicis die Ihrige, beſonders & privative zu denominiren, keineswegs verordnet, oder zu verordnen jemahls gedacht worden, und dieſes demonſtrirten die Actus ſubſequentes Deputationum de Anno 1653. & 54. Woraus zu ſehen, daß de Deputandis ordentlich deliberiret, concludiret, und die per majora heraus kommene Deputandi ausgeſprochen, oder wohl auch, daß die Denominatio jeden Theil der Religions-Verwanden anheim gegeben werden möchte, per majora beliebet worden.

5. Könte mit Fug wider die gepflogene deliberationes & actus nicht wohl excipirt werden, weiln die vornehmere Herren Geſandte, die das Inſtrumentum Pac. machen geholffen, bey denen nachgehenden Comitiis Anno 1653. & 54. noch ſelbet geweſen, und ſonder Zweiffel mentem Inſtr. Pac. in hac materia Deputationis wohl gewuſt haben würden, und ſolchem wäre.

6. Das geſamte Fürſtliche Collegium ſeu omnes Status illius Catholici & Proteſtantes ſimul, & non ſeparati in poſſeſſione, vel quaſi Juris denominandi Deputandos per deliberationem & vota, juxta tamen paritatem Religionis, aus welcher poſſeſſion ein theil dem andern nicht ſetzen könte, niſi ex novo & legitimo titulo, quem aſſerens probare teneretur.

7. Daß aber die Fürſtliche Proteſtirende contra Catholicos in caſu præſenti keinen titulum allegiren könten, und die vorſchützende actus poſteriores voluntarios & permiſſivos, præſertim adjecta a potiori Catholicorum reſervatione, de non præjudicando vel in conſequentiam trahendo, propter continuam malam

 fidem

Digitized by Google

fidem zum behelff nicht anziehen, noch eine præſcription daraus erzwingen möchten, brauchte keiner weitern Ausführung, wäre man alſo ſchließlichen der Meynung, man hätte ſich über den punctum Deputationis nicht aufzuhalten, ſondern gleichwol jeden Stand des Fürſtlichen Collegii ſich ſeines Juris ſuffragii in denominatione Deputandorum utriusque Religionis ohne des andern Hinderung zu gebrauchen, und den Ausſpruch ſecundum majora zu erwarten, wolte man aber den Anno 1654. beliebten modum, ſo bey errichtung der Fünff Claſſen ad viſitandum Cameram gebrauchet werden, wiederum zur hand nehmen, da das Oeſterreichiſche Directorium die beyderſeits Religions-Verwandte Deputirte unvorgreiflich vorgeſchlagen, ſo hätte man auch dißmahln kein Bedencken, um deſto ehender aus der Sache zu gelangen.

Münſter. Dieſſeits müſte man dafür halten, daß das Recht nominationis promiſcuæ Deputandorum von beeden Fürſtlichen Bäncken, auf beede Bäncke in dieſer den punctum Religionis nicht concernirenden Sache inconteſtabel ſeye, weil es ſo wohl ante & poſt diſſidium Religionis, als ante & poſt pacem Weſtphalicam inconteſtabiliter von beeden Bäncken alſo iſt obſerviret, und per Inſtrumentum dictæ pacis Weſtph. nicht aufgehoben worden, auch was etwa von einer bey dem noch für wehrenden Reichs Convent in Contrarium vermeindlich acquirirten poſſeſſion darwider movirt werden möchte, um ſo viel weniger gegründet ſich befindet, als aus den gemeinen Rechten bekant, was es mit den actibus meræ facultatis für eine Bewandnüß habe, ubi unica, etiam minima, reſervatio aut contradictio contra poſſidere aut præſcribere volentem eundem ab omni, ne dum poſſeſſione, ſed etiam initio poſſidendi aut præſcribendi repellit; Solte aber wider Verhoffen dieſes inconteſtable recht der Geiſtlichen Banck von der Weltlichen dennoch ſtreitig gemachet werden wollen, ſo würde Ihro Keyſerl. Majeſtät, als Supremo legum interpreti, die cognition und judicatur darüber billig bevor bleiben, der §vus in cauſis &c. aber art. 5ti Inſtr. Pacis Weſtph. anhero nicht applicirt werden können, allermaſſen, was in denſelbigen §vo verordnet wird, daß Catholicis & Auguſtanæ Confeſſionis Statibus in partes euntibus ſola amicabilis compoſitio platz haben ſolte, der geſunden Vernunft nach ſuper ſolo puncto facti, und keines weges ſuper puncto Juris (wie gegenwärtiger Caſus iſt) zu verſtehen ſey, dann wofern derſelbe §vus auch über den punctum Juris, und der Stände gerechtſame verſtanden werden könte, oder müſte, ſo würde es keine Mühe gebrauchen, alle des Reichs fundamental-Geſetze, mithin das gantze Syſtema Imperii übern Hauffen zu werffen, zudeme wann, und ſo offt denen Catholiſchen Ständen der Augſpurgiſchen Confeſſions-Verwandten gerechtſame & vice verſa, denen Augſpurgiſchen Confeſſions-Verwandten, deren Catholiſchen gerechtſame nicht gefallen oder anſtändig ſeyn

möchte,

Poſt verb. vor allen Dingen uns) add. und dem Reich.

Poſt verba: Schenckung annehmen) add. noch die ihrige annehmen laſſen.

Pro verb. acht) pon. Zehen.

§. Nachdem ſich auch 17.

Pro verb. anderer Geſchäfften und Commiſſionen) pon. erheblichen Verhindernissen.

§. Hergegen wollen 18.

Poſt verba finalia: Und ſprechen mögen) add. und weil der Reichs-Vice-Cantzler wegen dieſes ſeines Amts Unſern lieben Neven dem Churfürſten zu Maynz einen beſondern Eyd zu leiſten pflegt, ſo ſoll er in Sachen dabey S. Liebden intereſſirt, ſich des Raths, votirens und expedirens enthalten.

§. Desgleichen ſollen 20.

Poſt verb. Potentaten) add. Churfürſten.

§. Und dieweil demnach 21.

Verb. Unſers Obriſten Hofmeiſters und) omitt.

Ad Tit. II.

§. In unſern 1.

Poſt verb. Confirmation) add. Conceſſiones dignitatum & exemtionum, ſonderlich die dem tertio zum præjuditz gereichen können.

Poſt verba: wie ſolches Nahmen haben mag) add. betreffende, es gehe gleich die expedition wohin ſie wolle, an inn- oder ausländiſche, und concernire das publicum oder allein privat-Partheyen.

Pro verb. und in Summa, was nach der unfehlbahren Juſtitz dirigiret und deliberiret werden ſoll) pon. und in Summa, worin unſer Keyſerl. Amt erfordert wird, in ſo weit dieſelbe Sachen anderſt nicht auf einen Reichs- oder Deputations-Tag, und alſo vor die Stände gehörig.

Poſt verba finalia: und die Nothdurfft ausgefertiget werden,) add. und wollen wir nicht geſtatten, daß andere unſere Räthe und Miniſtri, wie die Nahmen haben mögen, ingeſamt, oder jemand derſelben ſich der Sachen, ſo vor den Reichs-Hofrath gehören, anmaſſen, darin ſich einmiſchen, oder auf einigerley Weiſe den Reichs-Hofrath eingreiffen, vielweniger mit Befehligen oder Decreten beſchwehren oder irren, oder ihm in cognoſcendo vel judicando oder ſonſt in

in einige Wege, Maaß oder Ziel geben, noch auch daß einige Proceß, Mandata, Commiſſiones, Reſcripta, Promotoriales, Decreta, Erkäntniſſen und Verordnungen, wes Nahmens oder Geſtalt dieſelbe ſeyn mögen, anderswo denn in unſerm Reichs-Hofrath reſolvirt, oder ohne deſſen Vorbewuſt expedirt werden ſollen. Wann auch dem allen zu entgegen, ichtwas widriges vorgenommen werden oder ergehen möchte, das ſoll an ſich ſelbſt null und nichtig, auch unſer Præſident und Reichs-Hofräthe ſamt und ſonders pflichtig und verbunden ſeyn, bey uns deswegen geziemende Erinnerung zu thun, die wir denn damit allergnädigſt anhören, und ſie nechſt ungeſäumter Abſtellung der angezeigten Eingriffe und Beſchwerden wider männigliches anfeinden Keyſerlich ſchützen, und das geſamte Reichs-Hofraths Collegium bey der ihm gebührenden autorität gegen andere unſere Räthe und Miniſtros ernſt- und kräfftiglich handhaben wollen.

§. Wir befehlen auch 2.

Poſt verb. Jura Auſtregarum) add. denen auch unter dem prætext der continentiæ cauſæ nicht derogiret werden ſoll.

Poſt verb. an höhere Gericht bringen kan) add. ſo wohl die Privilegia de non evocando, electionis fori und dergleichen.

Poſt verb. beſchweren, ſondern) add. vielmehr was dargegen vorgangen, wieder abthun, deren Violatores mit geziemender Straf anſehen und insgemein.

Poſt verba: Gemäß verhalten) add. inſonderheit auch keine ſonſt zuläßige appellationes annehmen, wenn nicht der Appellant nach Inhalt der R. A. de anno 1654. §. und nach dem allen ꝛc. bey dem judice a quo die ſolennia appellationis præſtiret, und deswegen glaubwürdigen Schein vorgezeiget.

Poſt verba: fürkehren, darinnen) add. die nechſte ordentliche Obrigkeit und Gericht überſchritten und umgangen, ſoll unſer Reichs-Hofrath dieſelbe Partheyen für gemeldte ihre Obrigkeit, Gericht und Regierung, wohin ſie gehören, weiſen; wann aber

Poſt verba finalia) angenommen werden ſollen) add. Sonſten ſollen an unſerm Reichs-Hofrath denen Unterthanen und Bürgern wider ihre Obrigkeiten die Proceſſe nicht leichtlich erkannt, noch ad nudam inſtantiam, ſonderlich wenn es die Landesherrliche Obrigkeit und Regalien, als in ſpecie die jura collectarum, armaturæ, ſequelæ, Landes defenſion, Beſetzung der Feſtungen, und Unterhaltung der Garniſonen, nach Inhalt des R. Abſchieds de A. 1654. §vo. und gleichwie ꝛc. und dergleichen betrifft, Mandata ertheilt, ſondern nach laut jetztgedachten R. A. §. beneben ſoll ꝛc. und §. was den Churfürſten und Stände ꝛc. zuförderſt die Austräge in acht genom̃en; Wo aber die Juriſdiction fundirt, dennoch ehe und bevor die Mandata ergehen, die beklagte Obrigkeit mit ihrem Bericht und Gegen-Nothdurfft vorher vernommen, und wenn ſich alsdenn befinden würde, daß die Unterthanen billige Urſach zu klagen haben, dem Proceß ſchleunig doch mit Be-

obach-

Digitized by Google

obachtung der ſubſtantialium abgeholffen, immittelſt gleichwohl ſie zu ſchuldigem Gehorſam angewieſen werden.

§. Und zu deſto richtiger 3.

Pro verb. Die im Reichs-Deputations-Abſchied geſetzte 300. Flor. Rheiniſch) pon. die im R. A. de anno 1654. geſetzte 400. Thaler im Capital.

Pro verb. Der Appellations-Proceſſen) pon. der Proceſſen.

§. Dieweil auch in unſerer ꝛc. 4.

Poſt verba: Zuläßig, beobachtet) add. auch im übrigen dasjenige, was im vorbemeldten R. A. de anno 1654. von den Proceſſibus mandatorum ſine vel cum clauſulâ weiter verordnet, obſerviret.

§. Dieweiln aber 5.

Poſt verb. Auf der Partheyen anruffen) add. wenn die Jurisdictio fundirt.

Pro verſ. und weil auch dabey ſehr gut ꝛc. usque ad fin. §. pon. dabey aber die Clauſul, in Verbleibung der Güte, was Recht iſt zu erkennen und auszuſprechen, ferner nicht gebraucht, ſondern ſolche Commiſſiones zur Güte dahin eingerichtet werden ſollen, daß in Verbleibung der Güte die Partheyen an den gehörigen Richter zu verweiſen.

§. Und weil auch 6.

Verb. Oder da wir als unmittelbahrer ꝛc. usque ad verba: Römiſchen Keyſer gehörig) omitt.

NB. Dieſem §. 6to iſt weiter nachzudencken wegen der Commiſſionen, weil die Partheyen dadurch zuweilen ſehr verkürtzt werden.

§. Wann nun 7.

Poſt verba: In gleicher Anzahl) add. auch ſo viel möglich von gleichem Stande und Qualität.

Poſt verba fin. noch erkennen ſollen) add. da ſich auch ein oder ander der alſo verordneten Commiſſarien der Commiſſionen entſchlagen oder ſonſt abgehen würde, ſoll an deſſen Stelle ein ander verordnet und von dem noch übrigen Mit-Commiſſario allein und einſeitig in der Sache weiter nicht verfahren, vielweniger exequirt werden.

§. So wollen wir auch 8.

Verba: ſonſten und) omitt.

Pro verb. darinnen) pon. die.

Pro verb. unſerm Cammer-Gericht Concurrentem &c. usque ad verba: mitgetheilt) pon. Uns vermög der Cammer-Gerichts-Ordnung abſonderlich nicht vorbehalten.

Verba: ſo viel möglich) omitt.

Verba: in allen Sachen) omitt.

Verba: inſonderheit ꝛc. usque ad verba: zu befahren) omitt. & pon. und.

§. Dieweil auch von Alters 10.

Verb. Jedoch die Haußgeſeſſene ꝛc. usque ad fin. omittantur.

Digitized by Google

Poſt hunc §. addatur §. novus: So ſollen auch unſer Reichs-Tax-Amt und die Reichs-Hof-Cantzley in ſtreitigen Fällen nicht ihre eigene Richter ſeyn, ſondern ſich der Cognition unſers Reichs-Hofraths gebührend unterwerffen, und ſich, nach deſſelben Deciſis und Decretis zu richten haben.

Tit. III.

In Rubrica verb. Gerichtlichen, omitt.

§. Es ſollen die geſchwohrne 1.

Verb. ſoll unſern Reichs-Vice-Cantzler usque ad fin. §. omitt. & pon. ſo jedoch im Reichs-Hofrath zu berathſchlagen, ſoll bey unſerm Reichs-Hofraths-Præſidenten oder deſſen Amts-Verwalter eingegeben werden.

§. Geſtalt auch 7.

Poſt hunc §. pon. novus: So viel ſonſt die communicationes zwiſchen den Partheyen insgemein betrifft, ſoll denen Agenten und Procuratoren frey bleiben, entweder unter ſich oder durch den Thürhüter die communication zu thun, welchem letztern Falls denn für eine Inſinuation ein mehrers nicht, als was bey vorigen Zeiten gebräuchlich geweſen, gefordert werden ſoll.

§. So offt auch ein Lehen. 9.

Poſt verba: Wieder geſucht und erneuert) add. jedoch die vorhin Coinveſtirte mit keinen neuen Lehns-Taxen und Anfalls-Geldern beſchwehret.

Poſt §. Wie denn auch 14.

Ponatur §. novus: Sonſten wollen wir nicht geſtatten, daß der Stände Belehnungen bloß um des Tax-Amts prætenſion willen aufgehalten, und die Stände durch Verweigerung der Inveſtitur zu Entrichtung illiquider taxen genöthiget, ſondern es ſoll in ſolchen Fällen das liquidum ab illiquido, wie billig, ſepariret, und die über dem illiquido ſich ereignende Irrungen zu ein und andern Theils Ausführung und des Reichs-Hofraths Ausſpruch (als zu Ende des vorgehenden Tituls bedeutet) verwieſen, inzwiſchen aber nichts deſtoweniger mit der Belehnung verfahren werden.

§. Wann um Kauf. 15.

Verb. Aber in den von unſern ꝛc. usque ad verba: eingerückt. omitt.

§. Wann nun obgedachte 16.

Pro verb. aufzuzeichnen) pon. aufzeichnen, alſo alle Sachen ohne Unterſcheid, was oder wen die betreffen, ad referendum von ſich geben, und keine hinter ſich behalten, ſondern vielmehr inſonderheit auf Anhalten der Partheyen, die Erledigung befördern.

§. Geſtalt denn auch 18.

Verb. oder Reichs-Vice-Cantzlern) omitt.

§. Dafern auch den Præſident. 19.

Poſt verb. verweiſen würde) add. welches beedes jedoch auſſer den ferien ohne höchſtdringende Urſach nicht geſchehen, noch von uns geſtattet werden ſoll.

§. Wann auch vor der Relation. 20.

Poſt

Poſt verba: von jeglicher Banck einen) add. und zwar nach Beſchaffenheit der Partheyen mit obſervirung der Religions-parität.

Tit. IV.

§. Die Austheilung. 1.

Verba: Da nicht etwan von uns eine ſonderbahre Verordnung gethan würde) omitt.

Poſt verba: zu ſich nehmen) add. noch in andere Wege ſich zu ein und andern Sachen Relation eindringen.

Pro verb. anſetzen) pon. dergeſtalt anſetzen, daß jedesmahls der Referent von der Religion, dero der Kläger zugethan, genommen, auch die Relationes anders nicht als in Gegenwart beeder des Re- und Correferenten abgeſtattet werden.

§. Und ſoll unſer 7.

Pro verb. welche wir vermög 2c. usque ad fin.) pon. welche keinen Verzug leiden, inſonderheit darbey motus in Imperio zu befürchten.

§. Zum andern. 8.

Verba: welche Sachen keinen Verzug leiden und) omitt.

§. Hierauf ſollen. 11.

Pro verb. ohne andere Befehl) pon. ohne Noth.

§. Es ſollen auch ſo wohl. 14.

Poſt verba: ihren Pflichten und Eyden nach) add. ihre Relationes und Vota ſelbſt verfertigen, und zu ſolchem Ende.

§. Die Sachen aber 19.

Verba: von unſerm Præſidenten 2c. usque ad verb. ſpecial-Befehl) omitt.

Tit. V.

§. Wann dann auf. 1.

Pro verb. mündlich oder aber ſummariter) pon. wie im vorhergehenden Titul gemeldet.

§. Unſer Præſident. 9.

Poſt verba: Und gemeinen Rechten) add. auf Maaß und Weiſe, wie Tit. 1. §. und weil denn allein uns 2c. angezeigt.

§. Jedoch da einer. 10.

Verb. nach gehaltener Umfrage) omitt.

§. Wann wir in unſer 13.

Poſt verb. Einen Rath) add. wie Tit. 1. §. Jedoch mag der Præſident &c. gemeldet.) reflectiret ſich auf das monitum ad iſtum §.

§. Ob denn wohl einem 14

Poſt. verb. fin. Dargegen vorzunehmen) add. allermaſſen wir auch die unzuläßige Communicationes und votorum occupationes, die zuweilen vor dem Rathgang der vorhabenden Sachen halber vorzugehen pflegen, keinesweges zu leiden, ſondern gegen die ſchuldig befundene, bevorab, da ſie auf gleichmäßige

Digitized by Google

des Præſidenten Erinnerung davon nicht abſtehen, mit gebührender animadverſion zu verfahren gemeint ſeynd.

§. Da auch unterſchiedliche. 16.

Poſt verba: unſer Præſident) add. nach Geſtalt der Sachen, und wann nemlich die diſcrepanz nicht zwiſchen beederſeits Religions-Verwandten Räthen beſtehet.

Poſt verb. Als das mehrere ſchlieſſen) add. doch vorhero ſich der ihm beywohnenden Meynung nicht mercken laſſen.

§. Den Schluß aber. 17.

Verba: Wann es eine hochwichtige Sach betrifft) omitt.

Ad verb. fin. wiederum verleſen) add. wie wir denn hiemit die Reichs-Hofräthe ſamt und ſonders allergnädigſt ermahnt haben wollen, daß ein jeder, wenn ihm entweder bey Begreiffung des Concluſi die Vota nicht recht eingenommen, oder ſonſt ein Irrthum oder ichtwas ungleiches vorgangen zu ſeyn bedüncket, ſolches ungeſcheut, und mit geziemender Beſcheidenheit anzeige. Welches ihm auch weder unſer Reichs-Hofraths Præſident, noch jemand anders mißdeuten, vielmehr mit Gedult und gutwillig anhören, und nach Befindung die Nothdurfft in acht nehmen und verfügen; Darauf auch und eher nicht, als biß Præſident und Räthe ſothane Concluſa approbiret, dieſelbe protocolliret, und der Gebühr nach ausgefertiget werden ſollen.

§. Wo aber die Stimmen. 18.

Poſt verba: am fleißigſten erwogen) add. und ſo wohl von ihme als von dem mehrern Theil der Räthe die Sach uns vorzutragen vor nöthig erachtet worden.

§. Was auch einmahl. 19.

Poſt verb. Cauſæ Cognitione) add. debita.

Verba: Und mit unſern Vorwiſſen) omitt.

Pro verb. von niemand anders) pon. nirgend anders, es ſey denn durch den vorhin bemeldten Weg der Supplication.

Poſt verb. gehindert) add. vielweniger durch andere aus der Cantzley, oder von andern unſern Räthen angegebene Decreta caſſiret, geändert, oder dem Reichs-Hofrath von den vorigen Schlüſſen abzugehen auferleget.

§. Und demnach es ſich. 20.

Pro verſ. So wollen wir darauf ꝛc. usque ad fin. ponatur. So wollen wir uns ſolches in keines andern Beyſeyn, als unſers Reichs-Hofraths Præſidenten und Re- und Correferenten oder anderer Reichs-Hofräthe beeder Religionen vortragen laſſen, und uns mit denenſelben allein und ſonſt mit keinem andern unſerer Räthe und Bedienten darüber berathſchlagen und reſolviren.

§. Und was wir uns 21.

Poſt verb. jedesmahls) add. alſo wie vorſtehet.

Verba: zu deſſen Nachrichtung der Inhalt) omitt.

Pro

Pro verb. Oder) pon. auch.

§. Da über den Verſtand. 22.

Poſt verba: Der Cammer-Gerichts-Ordnung nach) add. part. 1. Tit. 13. §. weiter ordnen.

Iſt ferner nachzudencken.

§. Und damit um ſo viel. 23.

Poſt verba finalia add. benebenſt auch denen Reichs-Hofraths Secretarien mit allem Ernſt einzubinden, daß ſie in ein Neben-Protocoll ſo in geheim zu halten, und niemanden auſſer den Räthen zu weiſen iſt, eines jedwedern Votum mit Fleiß aufzeichnen ſollen.

Tit. VI.

§. Was Sachen dann. 1.

Pro verb. oder denjenigen Gelehrten usque ad verba: deputiren wird, incluſive) pon. und Correferenten.

§. So dann ſolches. 3.

Verba: Es wäre dann von uns, usque ad verb. verordnet) omitt.

Poſt verba finalia add. auſſer dem ſoll ſich dieſelbe unſere Reichs-Hofraths Cantzley in keinerley Weiß einige Sach, von was Eigenſchafft dieſelbe ſey, vor ſich ſelbſt zu expediren, ſondern in allen Dingen, und Stücken unſers Reichs-Hofraths Schluſſes Anordnung und Autorität erwarten und wahrnehmen, hingegen aber auch die in den Reichs-Hofrath und ſelbige Cantzley gehörige Sachen, nirgend anders als daſelbſt ausgefertiget, noch durch einige andere expeditiones bemeldter Reichs-Hofraths-Cantzley Eintrag gethan werden.

§. Diejenige End-Urtheil. 5.

Verb. zwiſchen Ständen des Reichs) omitt.

Poſt verba; Von dem Secretario) add. in Beyſeyn des Præſidenten und der Reichs-Hofräthe bey eröffneter Thür.

Poſt verb. verleſen) add. und dergeſtalt publiciret.

§. Die Gemeine. 7.

Poſt verb. dem Regiſtratori) add. der die Acta in vollkommener guter Ordnung zu halten hat.

§. So bald nun 8.

Poſt verba: Unſere Secretarien) add. zum längſten.

Verba: oder da die Sachen, usque ad verb. vierzehn incl.) omitt.

Poſt verba: als was die) add. von geſamten Chur-Fürſten und Ständen des Reichs auf öffentlichen Reichs-Tag beliebte und verglichene.

NB. Wegen des *Tax*-Amts denen ungeheuren *Taxen* und Überſetzungen zu *remediren*.

Poſt verba: abfolgen zu laſſen) add. und immittelſt auf ihr Begehren das Protocoll ohne entgeld vorzulegen.

Ad

Ad finem ſvi zu bedencken, wie das Geſchenck nehmen, und die exactiones, ſo bey der Expedition in der Cantzley vorgehen, zu coërciren.

Könte etwa dergeſtalt gefaßt werden: und dieweil deſſen ungeachtet das Geſchenck-nehmen und geben dißfalls ſo gemein worden, daß in wichtigen Sachen faſt keine Parthey, wenn ſie nicht vorhero ſich gegen den Secretarium und andern Cantzley-Bedienten mit Verehrungen eingeſtellet, zu ihrem Recht und verlangten Ausfertigung gelangen kan; ſo ſollen alle ſolche Geſchencke zunehmen hiemit nicht allein ſub pœna infamiæ gäntzlich verboten, ſondern auch unſerm Keyſerlichen Fiſco ohne einige exception adjudicirt und zugeſprochen ſeyn, und unſer Reichs-Hofraths-Fiſcal, wo er etwas in Erfahrung bringt, wider den accipienten ernſtlich und ohne Anſehung der Perſon zu procediren befugt und ſchuldig ſeyn.

§. Wofern aber eine 9.

Verb. Der nicht aus rechtmäßigen Urſachen herflieſſet) omitt.

§. So ſollen auch 12.

Poſt verb. fin. add. und ſollen uns obbemeldte und andere Cantzley-Bediente ihre Eyde und Pflichte thun, und dem Reichs-Hofrath, wie andere zu demſelben gehörige Perſonen, verwandt und zugethan ſeyn, auch bey ihrer Beſtellung die parität der Religionen in acht genommen werden. Und da ſie ihren Aemtern nicht der Gebühr abwarten, ſondern die Ordnung überfahren würden, ſollen ſie durch den Reichs-Vice-Cantzler oder nach Gelegenheit des Verbrechens durch den geſamten Reichs-Hofrath gebührend beſtrafft werden.

§. Und gleichwie wir 13.

Poſt verba fin. add.) zu deſſen allen mehr und ſteifferer Veſthaltung wir uns noch eine beſondere Cantzley-Ordnung mit der Chur-Fürſten und Stände Einrath und Bewilligung förderlichſt aufzurichten und zu publiciren vorbehalten.

Tit. VII.

§. Wir ſetzen, ordnen ꝛc. 1.

Poſt verba: Præſident hierzu) pon. vornemlich von der Religion, welcher der Examinandus zugethan.

§. Nach ſolchen verrichteten 2.

Ad verb. fin. add. Und ſoll der Religion halber keinen, der qualificirt befunden, die Annehmung verweigert oder ſchwer gemacht werden.

§. Und ſollen ſich die 4.

Poſt verba: Ehrerbietung) add. und guten Willens, & omittatur in priori particula: und

§. Wir haben uns aber 5.

Verſiculus initialis: wir haben uns ꝛc. usque ad verba: und vorgebracht ꝛc. omitt.

Pro verb. ſoll) pon. dargegen wir die Verordnung thun laſſen wollen, daß ihnen jedesmahls nothdürfftige, und nach Gelegenheit der Orten bequeme Quartier verſchafft, weniger nicht dasjenige, was ſie an Mobilien und zu ihrer Nothdurfft an Getranck und Victualien mitführen, überall Zoll, Aufſchlag und Mauth-frey paſſiret, und ſie zu ſolchem Ende auf ihr gebührendes Anſuchen aus unſer Keyſerlichen Hof-Cammer mit gehörigen Paß-Brieffen verſehen werden ſollen.

§. Da auch ein Chur-Fürſt 9.

Poſt verba: Stand des Reichs) add. die freye Reichs-Ritterſchafft mit eingeſchloſſen.

Poſt verba: des Examinis) add. und der Eydes-Leiſtung.

Digitized by Google

§. Es ſolle auch 10.

Poſt verba: Nicht angefochten) add. ſondern einem jeden nach Inhalt des erſten Tituls dieſer unſerer Reichs-Hofraths Ordnung (præſupponitur Monitum ultimum ad tit. 1. §. wir wollen 3) bey dem freyen Exercitio und was dem anhängig, gelaſſen.

§. Ferner ſollen 19.

Wäre zu bedencken, ob die extrajudicial-informationes nicht gar abzuſtellen.

§. Und hierauf 18.

Poſt verba: in alle Weg) add. mit der Chur-Fürſten und Stände Einrath- und Bewilligung.

§. 20. Sive ad formulam des gerichtlichen Gewalts.

Poſt verba: So von nöthen begehen) add. das remedium Supplicationis ergreiffen.

§. 21. Sive ad Juramentum der Reichs-Hof-Räthe.

Poſt verba: meinen allergnädigſten Herrn) add. und dem Heil. Reich.

Poſt verba: Seiner Majeſtät) add. und des Reichs.

Poſt verba; beſchriebenen Rechten) add. auch jedes Landes hergebrachten rechtmäßigen Statuten und Gewohnheiten.

Poſt verba: nützlichſte zurathen) add. inſonderheit in Juſtitz-Sachen die Gerechtigkeit eyfrig handhaben zu helffen, darbey mich keiner Parthey mehr als der andern ungebührlich, auch keine Verehr- oder Schenckung anzunehmen, ſondern die Sachen, ſo jederzeit vorfallen, ſie betreffen hohe oder niedere Standes-Perſonen, Geiſt- oder Weltliche, Reich- oder Arme, mit treuen unpartheyiſchen Gemüth fürzunehmen, und mit höchſtem Fleiß anzuhören, zu berathſchlagen und zu erledigen.

§. Demnach dann 22.

Poſt verba: In alle Weg von nöthen) add. als wollen wir, daß dieſer unſer Reichs-Hofraths Ordnung treulich und fleißig in allem nachgelebet, und derjenige, ſo darwider handelt, ohne Reſpect gehöriger Orten angezeigt, doch auch mit ungleichen Verdacht niemand übereilet, ſondern zu rechtmäßiger Verantwortung gelaſſen, und im Fall der befundenen Ubertretung, wie ſich zu Recht gebühret, und unſers Keyſerlichen Gerichts Hoheit erfordert, unverſchont geſtrafft, hergegen alle falſche Calumnianten nach aller Strenge des Rechtens angeſehen, und alſo unſer Keyſerlicher Reichs-Hofrath und alle deſſelben Glieder und Angehörige bey ihrem guten Nahmen, Autorität und Reſpect beharrlich erhalten werden, & poſtea Pro verb. und dieſelbe) pon. und weil die Handhabung guter Ordnung.

§. Und ſollen die ſechs 23.

Poſt verb. und ihnen der) add. dritte, ſechſte und

§. So viel aber 25.

Poſt verba: Aufgerichteten Frieden-Schluſſes) add. und weſſen ſich hierauf Chur-Fürſten und Stände nach deſſen Veranlaſſung ſolcher Viſitation halber verglichen.

Ad verba finalia: Allerdings verbleiben) add. daß nemlich dieſelbe von unſerm lieben Neven, dem Churfürſten zu Mayntz, nebenſt unſerm Keyſerlichen Commiſſario, den wir jedesmahl darzu verordnen wollen, und mit Zuziehung noch eines Churfürſten nach der Ordnung wie ſie bey Reichs-Conventen ſitzen, in gleicher Anzahl der Religion ſo offt es die Nothdurfft erfordert, wenigſtens alle 3. Jahr einmahl vorgenommen, und darbey dasjenige, was die Cammer-Gerichts Ordnung part. 1. tit. 50. und darauf fol-

Des Grafen-Standes hierbey nicht zu vergeſſen.

folgende Reichs-Abſchiede vermöge deß, ſo weit ſich daſſelbe auf unſerm Reichs-Hofrath appliciren läſt, beobachtet werden ſollen.

§. An dem allen 26.

Poſt verb. gefallen nach) add. mit Einrath und Bewilligung der Churfürſten und Stände.

Finis

Verbal-Erinnerungen und die ordinem concernirende.

Ad Tit. I.

§. Wir wollen 3.

Poſt verba: Ohnmittelbahrer Stand) add. von einem mittelbahren Catholiſchen.

§. Und weil dann 16.

Pro Verbis 17. art. §. 1. & 2.) pon. 17. art. §. pro majori & ſeqq.

§. Da auch jemand 19.

Pro verb. Freundſchafft: pon. Feindſchafft.

Ad Tit. II.

§. Wir befehlen auch 2.

Verſiculus: Und da etwan in unſerm Reichs-Hofrath rc. transponatur poſt §. 3.

§. Wann nun 7.

Poſt verb. Wann nun in ſolchen rc. usque ad verb. fürfielen) pon. Es ſollen aber bey Ertheilung der Commiſſionen in Sachen.

Et poſtea.

Pro verb. verſirten, ſollen) pon. verſiren.

Tit. III.

§. Damit auch die Expeditiones 2.

Verb. ſtets) omitt.

Ad verba finalia) transferatur huc ex tit. 6. §. 10. Verba: und in Verbleibung deſſen rc. usque ad finem §vi & dictus §. 10. totus omittatur.

§. Dabey die Procuratores 4.

Poſt verba finalia apponatur ex tit. 6. §. 11.

§. Es ſollen auch die Agenten 8.

Pro verb. im Churfürſtl. Maynz. zu Speyer am) pon. in der.

Pro verb. ſolchem vorigen) pon. dem vorigen.

§. Wann nun obgedachte 16.

In p: pro Schrifft) pon. Schrifften.

Tit. IV.

§. Die Austheilung. 1.

Tit.

Pro verb. zu inrotuliren) pon. inrotuliren.

§. Welche Sachen. 12.

Pro verb. zeigen) pon. ziehen.

§. Da auch ein Referent. 17.

Pro verb. Wann dem Einrath) pon. ſo offt aber ſolche.

§. Die Sachen aber 19.

Pro verb. die wir) pon. die angefangene, & poſtea verba: in angefangener oder ziemlich fortgeſchrittener Relation) omitt.

Tit. V.

§. Wann dann auf 1.

Poſt verb. eingeliefert) add. vorgeſtellet.

§. Es ſoll auch. 4.

Pro verb. aus) pon. auſſer.

§. Wo dann einer. 5.

Pro verb. Noth werde) pon. Noth wäre.

§. Dafern ſich nun. 7.

Poſt verb. durch die an) add. Unſerm.
Pro verb. Hofgericht) pon. Reichs-Hofrath.
Et hoc item altera vice.

§. Unſer Præſident. 9.

Poſt verb. zufolg) add. und.

§. Welcher aber. 11.

Pro verb. auf) pon. aus.

§. Wenn denn nach. 15.

Pro verb. und andern) pon. oder auch obbemeldter andern.

§. Was auch einmahl. 19.

Hic §. ponatur poſt §. 21.

§. Da über den Verſtand. 22.

Pro verb. obbeſagten Theilen) pon. beederſeits Religions-Verwandten.

§. Es ſollen auch unſere. 24.

Pro verb. in geheim) pon. eine Geheimniß.

§. In Summa. 25.

Poſt verb. zu ihren) add. und.

Tit. VI.

§. Die Gemeine. 7.

Pro verb. gegeben) pon. gegebenen.

Pro verb. Schluß) pon. Schluſſes.

§. Wofern aber eine. 9.

Pro verb. Ein Parthey) pon. einer Parthey.

§. Ein jedweder Parthey. 10.

Initium §. usque ad verbum: eingehändiget, Superfluum, ſteht ſchon Tit. 3. §. 2. reliqua transferantur ad d. tit. 3. poſt §. 2.

§. Wann auch in unſerm. 11.

Hic §. transponatur ad tit. 3. poſt §. 4.
Pro verb. anbefohlen) pon. ertheilt.
Verba: gebeten wird) transponantur poſt verba: ernſtl. Reſcript.

§. So ſollen auch. 12.

Pro verb. unſerm Præſidenten und Reichs-Hofräthen) pon. unſer Præſident und Reichs-Hofräthe.
Pro verb. verpflichtet) pon. verwieſen.

§. Und gleich wie wir. 13.

Verba: der Referent) omitt.
Poſt verba: und der Cantzley) add. Bediente.

Tit. VII.

§. Wir ſetzen, ordnen, 1.

Pro verb. vor unſere Reichs-Cantzley) pon. bey unſer Reichs-Cantzley.

§. Weiters ſollen wir. 6.

Pro verb. poſterioribus: ihren Principalen) pon. denenſelben.

§. Gleichergeſtalt. 8.

Pro verb. zu ſolcher) pon. zu der.

§. Da auch ein Churfürſt. 9.

Pro verb. Ihren) pon. einen.
Poſt verb. ſolle) add. derſelbe.

§. Im Fall auch. 17.

Poſt verb. vorhero) pon. ehe.

§. 19. & ſeqq.

Dieſe juraments- und Vollmachts-Formulen könten zu Ende der Reichs-Hofraths Ordnung, und zwar die formula juramenti der Reichs-Hofräthe voran geſetzt, und andere mehr hinzu gethan werden.

Digitized by Google

MEDITATIONVM
AD
INSTRVMENTVM PACIS
CÆSAREO-SVECICVM
SPECIMEN SEXTVM.

A. MDCCIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

MEDITATIONUM AD INSTRUMENTUM PACIS CÆSAREO-SUECICUM, SPECIMEN SEXTUM.

ME quoque juvat, velut ipſe in parte laboris tædiique Tractatuum fuerim, ad finem ſcabri adeo atque difficilis negotii de gravaminibus Religionis perveniſſe. Nunc reliqua eo majori facilitate exequi licet, quanto meliori fide conventa & præſtita ſunt. Eſt enim hæc humanæ naturæ conditio, ut ex quo ſuperſtitione ſemel imbuti ſumus, inter officia pietatis numeremus, ſi alios religionis cauſam, cum opus eſt, promiſſis ambiguis & pactis dubiis fallere poſſumus; quo pacto cum Proteſtantibus ſuperiori articulo omnibus fere capitibus actum fuiſſe docuit extemplo multiplex fraus, qua pacis executionem maligna & ſubdola interpretatione ludificati ſunt. Sic vaticinium Volmari, Miniſtri Cæſarei, ad pacis Tractatus ablegati, egregie probavit exitus, qui amico de jactura, quam Religionem Catholicam hac transactione facere oportuit, dolenti, reſpondiſſe fertur: non eſſe, cur animo valde angeretur: nam pleraſque pacis leges ſic eſſe ſcriptas, ut Catholicis nunquam defutura ſit occaſio excuſandi ſe a præſtatione, eo modo, quo Proteſtantes pactum fuiſſe forte nunc ſibi perſuaſum habeant, neque ex hac mala fide Catholicis periculum creatum iri, cum pace ſemel concluſa, & deducto utrinque milite, bellum non ita facile renovetur, quam nondum extinctum continuetur, Coronis præſertim exteris opimis adeo ſpoliis ditatis, de quibus denuo aleam jacere periculoſum fuerit. Status vero Proteſtantes, quos belli tædium jamdiu cepiſſet, poſtquam dulcedine pacis capti ſunt, poſſe nullo negotio, ſpe permulceri, proximis Comitiis ſatisfactum iri deſide-

riis ſuis: atque hac arte, cum primi motus paulatim deferbuiſſent, mox ipſis in Comitiis difficultates alias ſuper alias naſcituras, quæ rem ad Comitia proroganda iterum remittant, donec mortuis plerisque, qui actioni pacis interfuere, & mentem paciſcentium recte cognitam habuere, cum poſteris ſpecioſiore calumniandi pacem compendio agi poſſit. Et tractata ſane fuere his ſecretis conſiliis negotia religionis in hanc usque diem, deſtinatis Catholicorum magis magisque ſe aperientibus, cujus rei eximium ſpecimen dedere nupera pace Ryswicenſi, dum vernili ſubornatione Clauſulam illam, quæ hactenus tot ſermonum & querelarum materiem præbuit, ſummo Pacis Weſtphalicæ præjudicio, & manifeſta Proteſtantium injuria atque ludibrio proponi, atque intentato a Gallis metu, evinci curavere. De reliquis indignis longum eſſet conficere Catalogum. Sed ſint pro exemplo, quæ in ſuperioribus jam dicta fuere, quando nos tædio quæſtionum in irritum cadentium, merito nobis gratulamur, quod defunctis tandem moleſtia tam faſtidioſi incepti, jam veluti ex carcere in liberiorem aërem, campumque lætiorem liceat excurrere, atque poſt tot exantlatos in hoc ſtabulo purgando labores ſpiritum & vires reficere.

ARTICULUS VI.

Mirum videri poterat, qui factum, ut hic articulus de libertate Helvetiorum hoc loco poneretur, habiturus commodiorem locum infra poſt res Germanorum compoſitas. Sed, niſi fallor, præbuit anſam connexionis materia de Camera Imperiali, ejusque jurisdictione, in fine ſuperioris articuli tractata, qua Baſileenſes aliquando vexati ſunt, & nunc captata temporis opportunitate hac moleſtia liberari cupiebant, Suecorum Gallorumque interceſſionibus atque officiis adjuti, quibus non ſatis erat, Imperium ampliſſimis juribus & ditionibus in proprium compendium ſpoliaſſe, niſi illos etiam tuerentur & manumitterent quaſi, quos inconſultus libertatis amor ad pileum vocare ceperat. Qua occaſione univerſa ſimul Helvetia deſiit in ditione Imperii eſſe, ſuique Juris facta eſt; manifeſto quidem Gallorum commodo, ut ſibi gentem arctius devincirent, mox cum opportunum erit ſubjugandam. An & Helvetiorum bono? magis forte dubites. Eſt ſane ſpecioſum libertatis nomen, ſed qui ſoli non ſufficiunt ſibi ad illam contra finitimos potentiores tuendam, non ſane habent, cur Clientelam Imperii faſtidiant, ubi non minore libertate, ſed majori ſecuritate vivitur, quando omnes periclitantis partis defenſio-

ſenſionem communi nomine ſuſcipiunt, haud quaquam ita prompti in auxilium aliorum, quorum ſalutem ratio quidem ſtatus aliqua commendat, ſed ad quam curandam propius fovendamque nullo vinculo aut nexu ſocietatis adſtringimur: Nec jura amicitiæ aut vicinitatis eo ſemper valent, ut aliorum pericula facile noſtra faciamus; præſertim cum experientia hactenus docuerit, Helvetios etiam rebus noſtris dubiis, & quoties diſcrimina Imperium verſavere, ſane parum motos, neque unquam ita ſe geſſiſſe, ac ſi intelligerent, mala noſtra ad ſuam etiam Rempublicam pertinere, ut hercle mirum non fuerit, ſi Germani viciſſim caſu ſic ferente Helvetios etiam cum anguſtiis ſuis aliquamdiu colluctari patiamur, quos jam, nimium quam par eſt, inter ſacrum & ſaxum conſtitutos Gallus aliquando certo premet, ut rationem exigat tot ſtipendiorum & fuſi ſanguinis a Rege caro emti totius Europæ malo. Sane hucusque Helvetiis res non male ceſſit, de libertate ſibi apprime gratulantibus. Sed quid futuro tempore expectandum habeant, præcipue cum Galli ad arbitrium rerum plenis greſſibus, uti cepere, ſic ire pergant, poſterior ipſos ætas docebit, triſti forſan & exitioſo fine. Nam miſeris hoc etiam in parte ſolatii eſt, ſi eos una perire videant, a quibus cum de ſumma rerum decerneretur, in communi periculo derelicti fuere; fatali ignavia, an credulitate ſtultiore, cum cantibus ſirenum deliniti, aut fulgidi auli ſplendore perſtricti, nec oculis ſibi nec animis ſatis conſtabant, quoties obverſante utriusque pernitie, ſed ab altero paulo adhuc remotiore, de eo ſaltem deliberare videntur, non uti ſe mutuis opibus & auxiliis a peſte liberent, ſed quis eorum ultimus ſit devorandus.

VI.

Cum item Cæſarea Majeſtas ad querelas, (a) nomine Civitatis Baſileenſis & univerſæ Helvetiæ coram ipſius Plenipotentiariis ad præſentes congreſſus deputatis, propoſitas ſuper non- Querelæ Helvetiorum.

(a) *Cum item Cæſarea Majeſtas ad querelas, nomine Civitatis Baſileenſis & univerſæ Helvetiæ.)* Libellum memorialem, quo iſtæ querelæ propoſitæ fuere exhibent *Acta Lundorpii Tom. VI. lib. 3. cap. 69. &c.* ubi Senatus Conſultum Statuum ad Plenipotentiariorum Cæſareorum relationem factum legitur, mirante non ſine cauſa Cæſarino Fürſtenerio, qui factum ſit, ut Helvetiis plus Weſt-

nonnullis proceſſibus & mandatis executivis, (b) a Camera Imperiali contra dictam Civitatem, aliosque Helvetiorum unitos Can-

Weſtphalica pace ſine ulla neceſſitate fuerit datum, quam ipſi exigere fuiſſent auſi, quibus a Camerali jurisdictione eximi ſatis erat, ſalvis de cetero Imperii juribus. Mihi magis adhuc mirum videtur, Cæſareanos in ſtabilienda Helvetiorum libertate faciliores longe atque liberaliores ipſis Statibus Imperii fuiſſe; Cum enim Hi initio articulum hunc de Helvetiis ad futura Comitia rejectum, vel ſaltem ita circumſcriptum cuperent, ut Imperio Majeſtas etiam ſua ſarta tecta maneret, Baſileenſibus ſaltem a Jurisdictione Camerali eximendis, cujus rei cauſa tota hæc actio ab illis ſuſcepta fuerat, miſſo ad locum Tractatuum Cive & Conſule ſuo Wettſteinio: Auſtriaci, quorum maxime ante alios intererat, ne nimium indulgeretur, contra ſententiam & vota Statuum de omnimoda libertate Helvetiis proſpiciendum eſſe contendebant, adducta ratione plane ſingulari, ne Cæſarem adſtringi oporteat, *ad Helvetios iterum ſub Imperii obſequium revocandos, quod nullo modo, nec citra graves motus fieri poſſe videatur.* Simulatus etiam aliquis a Gallis metus, non paſſuris, ut Helvetiorum poſtulata inſuper habeantur, id quod ſane mihi parum e dignitate Cæſaris dictum videtur. quid enim opus fuit, plura ultro dare, quam initio poſtulata ſunt? & quid rei Gallis cum hac cauſa, quibus commendare quidem Helvetios licuit: ſed nulla ratio erat, cur ad injuriam ſuam referrent, ſi Cæſar & Imperium de Juribus ſuis noluiſſent prodigi eſſe in aliorum gratiam. Neque enim Helvetii in partem belli venerant, ut pace ſibi etiam conſuli poſtulare cum ratione potuiſſent, ſi alteri parti id e re ſua minus eſſe viſum fuiſſet, quippe ſtatim exordio Tabularum Pacis recenſentur, inter quos actio de pace futura ſit. Alii, qui inter Tractatus ſuperveniunt, & aliena ab inſtituto Conventus in medium proferunt, recipi niſi utriusque partis conſenſu non poſſunt. at ambobus idem volentibus, & Cæſarianis inprimis, non Baſileenſium modo, ſed totius Helvetici corporis cauſam liberalem ſummo ſtudio agentibus, haud difficile erat, etiam adverſus Statuum placita de re tranſigere, Catholicis a nutu Auſtriacorum pendentibus, Proteſtantibus vero verentibus, ne ſi contra tenderent, Gallos Suecosque offendere neceſſe ſit, quorum officiis hoc negotium ſimul promovebatur. Unde etiam Imperatori obſiſtere, nullo operæ pretio, a rationibus tandem ſuis alienum habebant.

(b) *Super nonnullis proceſſibus & mandatis executivis.)* Querelæ igitur Baſi-

Cantones, eorumque Cives & ſubditos emanatis, (c) requiſita Ordi-

Baſileenſium & Helvetiorum ſaltem Proceſſus & mandata executiva reſpiciebant, a Camera Imperiali contra illos emanata: His querelis ſiſtendis ſufficiebat Imperator & Imperium, prohibendo Cameram judicare de cauſis Helvetiorum: præterea urgebat nihil, ut cauſa ſtatus libertatis eorundem ſimul decideretur, id quod hactenus adeo factum non erat, ut potius illud ipſum Privilegium Sigismundi, quo Baſileenſes a Judiciis Imperii eximebantur, & ad quod iſti provocabant, diſerte exciperet caſum denegatæ juſtitiæ, argumento haud quaquam ſpernendo; Tempore Sigismundi Baſileenſes fuiſſe adhuc in ditione Imperii, atque tum Judicia eorum fidei magis eſſe concredita, ſi illa recte exercerent, quam ut hoc privilegium documento ſit ad libertatem eorum probandam. Quos enim ego in plenam libertatem reſtituo, & omni nexu atque vinculo obſequii & ſubjectionis exſolvo, quo mihi antea tenebantur, in illos hac manumiſſione ſui juris factos nullum imperium, nulla jurisdictio mihi ſupereſt, neque denegatæ juſtitiæ caſu, neque ullo alio excepto. Quoties vero mihi ejusmodi quid reſervo, res ad claſſem privilegiorum pertinet, quæ vel ſolo nomine, & cum ſunt privilegia, reſpectum ad ſuperiorem habent, cujus auſpicio iſtis fruuntur, & quæ uſu indebito amitti iterum poſſunt, quæ omnia ſtatui & conditioni liberi populi non conveniunt. Ille enim comiter quidem venerari poteſt alterius populi majeſtatem, ſed ab illo quicquam ſibi imperari aut ullo pacto jus dici non patitur. Quare cum talis civitas meis ſubditis juſtitiam denegat, illam eam ob rem ad me in jus vocare non poſſum, multo minus mandatis vel decretis forenſibus cum ea agere; ſed opus eſt, ut iis coercendi mediis utar, quæ inter liberas gentes adhiberi moris eſt, facto plerumque a pignorationibus initio, donec de altera parte conſtat, an jus perſolvere velit. Itaque cum peterent ſaltem Baſileenſes, ne contra privilegia ſua in jus vocarentur apud Imperii tribunalia, hoc vero articulo declararentur eſſe *in poſſeſſione vel quaſi plena libertatis & exemtionis*, quis non videt, plus eſſe in hac declaratione, a Cæſareis liberalius, quam opus erat facta, quam in petitione Baſileenſium fuerat.

(c) *A Camera Imperiali contra dictam Civitatem, aliosque Helvetiorum unitos Cantones, eorumque Cives & ſubditos emanatis.)* Occaſionem igitur huic legi dedit Cameræ Imperialis paulo ferventius ſtudium in jure dicundo, cum nulla temporum habita ratione, Proceſſus & mandata contra Baſileenſes aliosque Helvetios decerneret, qui inde usque a longo tempore negabant

Ordinum Imperii ſententia & conſilio, (d) ſingulari decreto (e) die decimo quarto Menſis Maji, anno proxime præterito, declaraverit, prædictam Civitatem Baſileam, cæteroſque Helvetiorum Cantones (f) poſſeſſione vel quaſi plenæ libertatis & exemtionis (g) ab imperio eſſe, ac nullatenus & judiciis ejuſdem Imperii dicaſteriis ſubjectos, (h) placuit hoc idem publicæ huic Paci-

ſe teneri apud Imperii judicia cauſam dicere. Satius fuiſſet diſſimulare quædam, & in tanta tempeſtate obliquis velis paulisper navigare, cum ex adverſo, dum contra flumen tendimus, ab ipſo plerumque deorſum ferimur.

(d) *Requiſita Ordinum Imperii ſententia & conſilio.)* Sed hæc ordinum ſententia & conſilium initio longe aliud erat, donec Cæſarianorum hortatibus velut coacti ſunt mutare.

(e) *Singulari decreto.)* Quod apud Lundorpium loco ſupra citato etiam extat.

(f) *Prædictam Civitatem Baſileam, ceterosque Helvetiorum Cantones.)* Primæ querelæ, uti diximus Baſileenſium fuere, deinde data ſemel via omne Helvetiorum nomen ſibi pariter proſpectum voluit, de quo forte ſiluiſſent, niſi illi Baſileenſes inquam, intempeſtivis judiciis ad tollendum clamorem fuiſſent incitati.

(g) *In poſſeſſione vel quaſi plenæ libertatis & exemtionis ab Imperio eſſe)* Nota hic, non dici Helvetios eſſe in plena libertate & exemtione ſed in poſſeſſione ſaltem vel quaſi libertatis & exemtionis, quæ declaratio de poſſeſſione an ſufficiat ad Jus ipſum Imperii, ſi quod erat tollendum viſi ſunt alii dubitare: quam in cauſam nunc penitius inquirere non lubet.

(h) *Ac nullatenus ejusdem Imperii dicaſteriis & judiciis ſubjectos.)* Ecce alia hujus libertatis & exemtionis circumſcriptio, vel ſi mavis, explicatio. Sic enim Helvetii declarantur eſſe in poſſeſſione libertatis & exemtionis ab Imperio, ut nullatenus ejuſdem Imperii dicaſteriis & Judiciis ſubjecti ſint. Aliud autem eſt, a Judiciis Imperii eſſe exemtum: & aliud, finibus Imperii non contineri, neque in ejusdem ditione eſſe. Illud enim hoc multo eſt minus, & dantur adhuc indubitati Status Imperii, quorum hoc eſt privilegium, ut neque in Camera neque Aulico Judicio jure experiri teneantur, quo totum Circulum Burgundicum, & nunc etiam Bohemiam refero. Sed quicquid horum ſit, & quanta cum probabilitate iſta diſſerantur, nobis nihilominus eorum ſententia non aſpernanda videtur, qui de Helvetiorum omnimoda libertate pronunciant. Ita enim & ante Pacem Weſtphalicam & poſt hanc Helvetii ſe geſſere, ut amicos quidem ſe nobis & fidos vicinos eſſe velle oſtenderint; de cete-

Digitized by Google

Pacificationis Conventioni inſerere (i), ratumque & firmum manere (k), atque idcirco ejuſmodi Proceſſus, una cum Arreſtis eorum occaſione quandocunque decretis prorſus caſſos & irritos eſſe debere. (l)

VII.

cetero vero rationes ſuas omnes a noſtris adeo ſepararint, ut ſupra vicinitatis & amicitiæ officia nullo arctiori vinculo aut nexu velint eſſe conjuncti, niſi quem forte ex fœderibus contraxere. Itaque utcunque Germania hactenus bellis exterorum arſerit, illi medii ſemper agunt, & nullarum partium ſunt, etiamſi res noſtræ aliquando haud longe ab interitu & dominatu Gallorum ex prævalida horum potentia abfuiſſe viſæ fuerint, qui tepor & indifferentia officio Civis non congruit, quem mala reipublicæ & pericula non ſinunt otioſum ſpectatorem agere.

(i) *Placuit hoc idem publicæ huic Pacificationis Conventioni inſerere)* id quod hoc ipſo articulo factum eſt.

(k) *Ratumque & firmum manere)* atque hoc ab Helvetiorum parte huc usque adeo fideliter & ſancte ſervatum, ut iniquiſſimis etiam temporibus noſtræ Reipublicæ, cum Galli nos de ipſa etiam ſalute periclitari cogerent, nullo nos ope vel auxilio unquam juverint, tantum abeſt, ut arma nobiscum atque vires voluerint conjungere, ſervandæ communis patriæ cauſa.

(l) *Atque idcirco ejuſmodi Proceſſus, una cum Arreſti eorum occaſione quandocunque decretis prorſus caſſos & irritos eſſe debere.)* Denuo in fine repetitur, quod jam ſupra de proceſſibus & arreſtis, ſive mandatis dictum fuerat, ut planum ſit, hanc unam cauſam Helvetiis & Baſileenſibus inprimis ante alia curæ fuiſſe, quos proinde credibile eſt, cetera eos ſilentio transmiſſuros facile fuiſſe, ni vexati litibus a Camera, dum de remediis cogitant, ad ſpes majores paulatim erigere animos cepiſſent.

ARTICULUS VII.

§. 1.

(a) *Unanimi quoque.)* Hunc articulum cetera ſatis planum, vexatiſſimum fecit quæſtio de Reformatis, an ſcilicet ex hoc loco probari poſſit, Hos, Reformatos inquam, hic ſub nomine Statuum & ſubditorum Auguſtanæ Confeſſioni addictorum, etiam comprehendi. Videbimus de eo in ipſo textu, nunc id ſaltem moneo, potuiſſe utramque partem hac diſceptatione ſuperſedere, ac præcipue Reformatos in eo acquieſcere, quod ſe hic videant participes factos omnis juris & beneficii, quicquid cum omnes aliæ Conſtitutiones Imperii, tum pax religioſa & publica hæc transactio,

Digitized by Google

VII.

§. 1. Unanimi quoque (a) Cæſareæ Majeſtatis, omniumque

actio, in eaque deciſio gravaminum ceteris Catholicis & Auguſtanæ Confeſſioni addictis Statibus & ſubditis tribuunt: Hoc enim meo judicio aliquanto plus eſt, quam ſi lex de ſolis Auguſtanæ Confeſſioni addictis Statibus & ſubditis locuta fuiſſet, cum nunc Reformati, juribus, privilegiis & beneficiis gaudeant non modo Lutheranorum ſed & Catholicorum: quod de illis, Lutheranis inquam, ita expreſſe & verbis diſertis nuſquam legitur ſtatutum. Nam quod de mutua & exacta æqualitate inter utriusque religionis proceres & ſingulos ſervanda art. 5. §. 1. habetur, ſaltem hanc limitationem habet, *quatenus formæ Reipublicæ, conſtitutionibus Imperii, & præſenti Conventioni conformis eſt.* At hic ſine ulla exceptione vel reſtrictione Reformatis tribuitur, quicquid juris aut beneficii ceteris *Catholicis & Auguſtanæ Confeſſionis Statibus & ſubditis* ſive ex pace Weſtphalica ſive alia quacunque Imperii conſtitutione debetur: ſingulari prorſus prærogativa ante utrosque. Nam ſi quid præcipui forte Catholici & conſtitutionibus Imperii, pace Religioſa, aut hac Weſtphalica habent, quo Lutherani Auguſtanæ Confeſſioni addicti non fruuntur, de eo Reformatos etiam participare, ex hoc quidem loco non eſt dubium. Sin autem Lutheranorum ante Catholicos potior fuerit aliquando conditio, illi ſane multo minus Reformatos a juris illius communione arcere poſſunt. Si lubitum eſſet, poſſem hoc argumentum longe fortius urgere, & exemplis hujus compendii opportunitatem demonſtrare. Sed quia Reformatis ſatis eſt, æquo cum Lutheranis jure uti, & præterea his temporibus non disjungendis, ſed ſociandis animis partium utriusque Proteſtantium agitantur conſilia, ideoque ne a cauſa communi videamur nos ſeparatæ noſtra velle, hæc ſaltem indicavimus, ut fervidi nonnulli & zelo inconſiderato abrepti, expendere ſecum incipiant, Reformatorum meliorem multis pactis fore conditionem, quando eos Lutherani ſegregant a ſe, neque ſub Auguſtanæ Confeſſionis appellatione volunt contineri: quam ſi retinent eos apud ſe, & ſic utrique ſociatis animis conſiliisque Pontificios doceant, inutilem operam collocari ferendis diffidentiis & fovendis ſimultatibus. Et eſt ſane conſenſus noſter atque amicitia res adeo neceſſaria amborum ſaluti, & reprimendis inſidiantium auſibus nefariis, ut niſi ſint ex ſacro ordine quidam male temperato, vel inſano potius ſtudio, qui ex turbido piſcatum captant, & inter factiones nominis celebritatem

Digitized by Google

que Ordinum Imperii conſenſu, placuit, (b) ut quicquid juris aut

tatem quærunt, fieri non poſſit, quin cuique ſanæ mentis hæc mutua concordia atque fraternitas manifeſto ſe fructu commendet. Scimus enim adverſarios noſtros in perpetua eſſe ſpecula, atque a capite regi & incitari, cujus vigilantia indefeſſa rimatur omnia & explorat, unde credit impetum ſe in nos cum aliquo ſucceſſu facere poſſe, id quod recenti in Scotiam expeditione perſpicuo documento teſtatum fecit. Quamobrem eo magis eſt cavendum, qui unius ductum & auſpicia non ſequimur, ſed ſocietate & fœderibus opus habemus, ut his ſaltem libertatem conſcientiarum & avita ſacra tueamur, quando nemo eſt, qui unus imperio & auctoritate omnium ſaluti conſulere poteſt.

(b) *Unanimi quoque Cæſareæ Majeſtatis, omniumque Ordinum Imperii conſenſu, placuit.)* Fuit ſanæ hæc res difficilis & impeditæ tractationis, antequam ſic placuerat, imprimis Saxone multum diuque reclamante, ne hoc pacto transfigeretur, ut revera conſtantiæ & fidei Electoris Brandenburgici hoc quicquid eſt, acceptum ferre debeamus. Hic ſapientiſſimus Princeps maluiſſet initio, hanc rem omnem, cum de eo, an Reformati ſub Auguſtanæ Confeſſionis nomine comprehenſi ſint? tum de alio dubio ſimul exorto, an nimirum Statibus Reformatis jus reformandi religionem eadem libertate, & amplitudine competat, qua Lutherani eo uti poſſe prætendunt, ſilentio transmiſſam nec motam unquam fuiſſe. Sed motam ſemel deſerere noluit, cum id abſque maximo Reformatorum præjudicio fieri amplius non poterat. Ideo ſuſcipienda erant hac ſuper re cum Saxone & aliis quibusdam Lutheranis, certamina, ingenti Pontificiorum lætitia, qui certa ſe ſpe ſuſtentabant, fore tandem, ut ex iſtis diſſidiis Evangelicorum, ipſi compendium ſuum facturi ſint. Hinc in occulto & per emiſſarios ſollicitabantur Lutheranorum Antiſtites, quorum aliqua in aulis & conſiliis erat gratia atque auctoritas, ut ſpecie tuendæ religionis ſuæ, omnes concordiæ cum Reformatis ineundæ vias diſſuaderent ſuis Principibus, quaſi luci cum tenebris commercium eſſe non poſſit. Ab hoc enim hominum genere ex inſtituto ſuperbo & contumaci, quoties publicis rebus imprudentia noſtra, aut pia ſimplicitate eos miſceri patimur, nihil recti, nihil moderati expectaveris. Prodeunt quippe ex pulvere Scholaſtico, unde nihil præter linguam dicacem & rixandi artes ſibi compararunt, de cetero rerum gerendarum ignariſſimi & temperandis conſiliis plane inepti. Quo fit, ut dum obtentu Religionis, pro cauſa DEI pugnare volunt videri, cum revera omnia eorum deſtinata ad ornandum ſuum ordi-

ordinem, eumque honoribus atque opibus beandum tendant, temporibus cedere neſciant, ſed defixis in ſua commoda & dignitates unice oculis reliqua inſuper habeant, tanto in adverſarios ſuos odio, ut cum illis perire etiam malint, quam communi amborum ope ſalvari: quamvis hoſtis ante manus & oculos verſetur, utriſque ſubvertendis vigilantiſſimus, ac proinde omnes temporum occaſiones captans. Atque ex hac animorum ſtulta obſtinatione provenit etiam, ut horum ſuggeſtionibus & pravis conſiliis tunc faſcinatus Saxo in hunc articulum penitus conſentire noluerit, facta etiam ad acta publica declaratione qua teſtatus eſt, nolente ſe & invito hanc legem de exæquandis per omnia Reformatis cum Lutheranorum juribus circa religionem hoc modo eſſe latam, nec commiſſurum ſe unquam, ut ad illam acceptandam cogi poſſit, quicquid etiam Paciſcentes ſuper hac cauſa decreturi ſint. Cujus rei indigniſſimæ culpam Puſendorfius in Hiſtoria de rebus Brandenburgicis *lib. 2. §. 69.* liquido in concionatorem aulicum Wellerum confert, qui propterea atrox ſcriptum condiderat, quo Electori perſuadere eſt auſus, non poſſe ipſum ſalva conſcientia in eam formulam conſentire. Operæ pretium erit, ipſam hujus Proteſtationis formulam hoc loco ſubjicere, ut conſtet, quæ mala & tempeſtates buccinnatores illi ſtolati apud Principes conflare valeant, quoties verbis eorum fucatis aures præbemus, vel ſententias eorum de republica exquirimus, quos neque ſeipſos neque Eccleſias ſuas, neque denique familiam commode & prudenter regere poſſe quotidie videmus. Eſt autem conceptum & ſub ipſa pacis concluſione Miniſtro Leubero in acta relatum carmen ſub titulo *Eventualis Proteſtationis*, his verbis: *Sacri Romani Imperii Illuſtriſſimorum & Celſiſſimorum Principum, Illuſtriſſimorum & Generoſiſſimorum Comitum, ac reliquorum, invariatæ Auguſtanæ religioni addictorum Statuum, generis & virtutis ſplendore Nobiliſſimi, Conſultiſſimi, præſtantiſſimi Domini Legati.*

Sereniſſimus & Potentiſſimus Elector Saxoniæ, Dominus meus Clementiſſimus in hac perſtat ſententia, quod beneficia, quæ Conſtitutio Religionis in Comitiis Auguſtanis anno 1555. promulgata, Auguſtanæ Confeſſioni addictis concedit, magni ſint æſtimanda, & de iſtis ſine Cæſareæ Majeſtatis & omnium Imperii Statuum conſenſu nihil remittendum, quamvis cauſæ prægnantiſſimæ remiſſionem urgeant; Unde eſt, quod Electoralis ipſius Celſitudo conſentire non poſſit, ut præſenti pacificatoria transactione & beneficio mutandæ & introducendæ religionis, Statibus Imperii Auguſtanæ Confeſſioni addictis, ex prædicta Conſtitutione religionis, in terris & provinciis ſuis, quas vel jam poſſident, vel per hereditariam ſucceſſionem, aut alium titulum legitimum acquirent, competenti, in gratiam illorum, qui Reformati dicuntur, quicquam derogetur, nec ulla ratione admittendum, ut Reformati, qui in-

varia-

Digitized by Google

variatam Auguſtanam Confeſſionem, Imperatori Carolo V. anno 1530. in Comitiis exhibitam non amplectuntur, & pace Religionis comprehenſi non ſunt, ex pacificatione jam ineunda invariatæ Auguſtanæ Confeſſioni addictos, qui pace Religionis una cum Catholicis Pontificiis ſoli comprehenſi ſunt; facultatem in exercitio juris ſui impediendi conſequantur: idque ob cauſas magni momenti, quas hoc loco adducere nec animus nec locus eſt. Verum poteſtas hæc manibus Reformatorum crederetur, ſi ſecundum pactionem, quam Domini Legati, cum Dominis Legatis fecerunt, & literis conceperunt, Auguſtanæ Confeſſioni addictis Statibus vel iis, qui ex Reformatorum caſtris ad ſacra Auguſtanæ Confeſſioni addictorum tranſituri eſſent, qui ſucceſſionis vel alio legitimo titulo Principatum aut ditionem, ubi Reformatorum ſacra de præſenti vigerent, nacti fuerint, vel poſſederint, fas eſſe non deberet, publicum Reformatæ Religionis exercitium ex Principatu aut ditione iſta eliminandi, & Auguſtanam Confeſſionem introducendi. Quapropter Electoralis ipſius Celſitudo mihi clementiſſime demandavit, ut in hanc curam incumberem; (1) ut verba, quæ initio iſtius §vi, qui mentionem facit Reformatorum, puta, unanimi quoque Cæſareæ Majeſtatis, omniumque Imperii ordinum conſenſu &c. expungerentur. (2) ut verſiculus ille in quo jus reformandi Auguſtanæ Confeſſioni addictis vigore pacificationis Religioſæ competens, amputetur, ex allegato §vo totus conſcinderetur, nec Inſtrumento Pacis insereretur. Quod dum exequor mandatum, & indigitatorum verborum, & verſiculi expunctionem ac conſciſſionem ea, qua par eſt, animi ſedulitate & diligentia deſidero & moneo, in ſpem erigor certam, admonitioni meæ, nomine Electoralis ipſius Celſitudinis factæ, locum datum iri. Si vero Dominis Legatis aliud quid placuerit, & ipſi a projecto Concluſo recedendum non eſſe exiſtimaverint, eum in eventum contra Concluſum iſtud, & omnia ejus contenta ſolenniſſime proteſtor, & quod Electoralis ipſius Celſitudo ſibi & omnibus Imperii Statibus in ſuas partes deſcendentibus, jura, quæ Tranſactio Paſſavienſis & pax Religionis, Auguſtæ an. 1555. ſancita, largiuntur, omni meliori modo potius reſervet, quam ex iſtis aliquid remittat, publice per has literas demonſtro & declaro. Quam reſervationem nullum Jus, privilegium, vel Edictum, nec etiam in ſpecie Clauſula illa, Inſtrumento pacificatoriæ Tranſactionis inſerta, videlicet, quod contra iſtud concluſum nullæ Proteſtationes & contradictiones aliquid præſtare debeant, nec impedire valeant, nec ullo tempore valebunt. Actum Oſnabrugis die 14. Junii. Anno 1648.

Sereniſſimi & Potentiſſimi Domini
Electoris Saxoniæ
Conſiliarius & p. t. Legatus
Johannes Lauber, D.

Hæc tum Saxo per Legatum ſuum, ſecreto Pontificiorum gaudio, qui ſibi meri-

merito gratulabantur de egregia hac Proteſtantium concordia, plaudebantque de fabula tam feliciter acta. Sed ut conſilia Saxonis & ſequacium ſuorum eo melius perſpiciantur, operæ pretium eſſe duco; ſi totius rei geſtæ ſeries ex Pufendorfio & Pfannero, qua licet, brevitate delineetur, antequam in ipſo textu explicando pergamus; quo peracto non vulgare reliqui laboris compendium facere poſſum. Itaque ſciendum eſt, primam ejus rei mentionem a Suecis eſſe factam, qui cum de pace ineunda ad Cæſareanos retuliſſent, inter alia capita de Reformatorum etiam ſecuritate propoſuere, *quos pace religionis comprehenſos, eoque omnium ſupra infraque de Evangelicis dictorum pari cum iisdem jure participes volebant*. Reſpondebant Cæſarei ſe non adverſari, *quo minus illius & hujus pacis beneficio, ſi ipſi velint, & quiete vivant, uti frui poſſint*. Conſulti Status hac ſuper re Catholici facile concedebant: ſed inter Lutheranos & Reformatos aliqua diſceptatio exorta. Equidem illi, Lutherani inquam, non abnuebant, quin Reformati ſacra ſua tuto exercere poſſent, quod Sueci poſtulaverant, & Cæſareani non invidiſſe videbantur. Hoc etiam illis non diſplicuit, tollenda eſſe invidioſa verba, *ſi ipſi velint, & quiete vivant*, cum tacitam exprobrationem habeant præteritorum, quæ ſilentio ſepelienda erant. Sed hoc diſplicebat Lutheranis, ut Reformati per omnia pacis religioſæ beneficio frui, ac præcipue jure reformandi religionem, atque per id ſacra mutandi, gaudere poſſent, metu ſuæ religionis, ne illa a Reformatis æque ac Catholicis data occaſione poſthæc premeretur, facto nuper e Clivia periculo, unde Lutheranorum querelæ ad Suecos delatæ fuerant. Hinc æquum cenſebant, ſibi a Reformatis ſufficienter, & ſcripto caveri, ſubditis Auguſtanam Confeſſionem profitentibus liberum exercendæ religionis ſuæ arbitrium ſuis in ditionibus relictum iri, ſive jam poſſeſſis, ſive aliquando obventuris. Enim vero diſſuadentibus Suecis, & verentibus ne Evangelici hoc diſſidio, alieno maxime tempore Pontificiis ſpectaculo ſint futuri, ingenti horum lætitia, Lutherani hoc omne negotium ſilentio transmiſere, ne Reformatorum deſtinata aperte probare viderentur, ex adverſo vero Reformatis conſilia Lutheranorum ſuſpicantibus, & poſtulantibus, ut mentem ſuam candide ac ſine fuco aperirent. Inde formulis certatum, cumque neutri illa placeret, quam alterutra in medium tuliſſet; diutina lis inter utroſque manſit, Brandenburgico inprimis & Haſſo partium ſuarum ſtudia defendentibus, cum rem indignam & nullo modo ferendam cenſerent, ſi qui ſe ejusdem confeſſionis ſocios publice profiteantur, atque etiam in omnibus Imperii conventibus inter ordines Auguſtanæ Confeſſioni addictos hactenus relati fuerint, nunc propter opiniones quasdam poſt illam Confeſſionem demum motas, & inter Theologos hactenus ventilatas, deteriore conditione

ne cum Lutheranis vivere cogerentur, manifeſto non modo honoris & famæ ſuæ detrimento, ſed & in fraudem territorialis jurisdictionis, quam detractione ejus libertatis quæ ſibi cum Lutheranis ex æquo competit, minui ea parte, quæ circa ſacra ornanda ordinandaque verſatur ignominioſum & intolerabile prorſus fore clamitabant. Erant prætere a leviora quædam, & verbis ſaltem ludentia, quæ nihilominus eam ob cauſam Reformatos male habebant, quod intelligerent, Lutheranos quacunque occaſione captata hoc agere, ut ſibi moleſti eſſent, & negotium faceſſerent, a quibus in cauſa communi & populari quodvis auxilii genus ſperare debuiſſent. Cum enim in Suecica propoſitione vocabulum præſentis temporis, *comprehenduntur*, poſitum fuiſſet, illi futurum, *comprehendentur*, ſubſtituere, eo ſenſu, ac ſi Reformatis, antea Pace Religioſa excluſis, novum nunc beneficium daretur. Deinde Confeſſionem Auguſtanam, cui ſe addictos jactabant, *invariatam* appellavere, nomine non modo Receſſibus Imperii incognito, & quod non ante diu per Pacem Pragenſem obrepſerat: verum etiam Reformatis contumelioſo, veluti ipſi aliam Confeſſionem & adulteratam ſequerentur. Denique ſuſpectum etiam erat Reformatis vocabulum, *fruendi*, veluti uſufructu ſaltem Religioſæ pacis, ejusque ſecuritate, non vero ceteris etiam commodis & privilegiis pleno jure gaviſuris, tanquam tolerati magis per pacem, Lutheranorum gratia, quam iſtius Pacis conſortes ex æquo jure cum Lutheranis facti eſſent. Quo pertinebat imprimis illa cautio de non reformando, quam Lutherani a Reformatis poſtulabant, ut ſupra dixi, & quam illi exigere ſe ab his merito ſuo poſſe credi voluere, in vicem gratitudinis, pro tanto beneficio communicatæ Pacis Religioſæ & præſtatæ ex illa ſecuritatis: quæ omnia tamen Reformati ſuo jure ſibi vendicabant, negabantque ſe propterea cuiquam ad referendam gratiam obligatos, niſi quantum officia aliorum cum ſuis benigne & fideliter conjuncta promovendo negotio utriusque partis momentum facerent, quæ uti in re communi dum ambabus proſunt, ita ut iſta invicem nobis reciproce etiam accepta feramus, rationem & æquitatem velle. Viſa hæc æqua & juſta fuere non modo multis ex Lutheranis, ſed & ipſis Catholicis; quominus tamen illi, Lutherani inquam, manus darent, obſtabat perpetuus ille ex reformatione metus, contra quem munire ſe cautione illa, initio ſtatim ab ipſis propoſita, intendere, cujus ſumma capita hæc tria eſſe debebant; 1. ut Reformati Principes Lutheranis petentibus exercitium ſuorum ſacrorum concederent. 2. ut præſentem ſacrorum ſtatum apud ſe intactum relinquerent. 3. ut in futurum, ſi Reformati novas ditiones acquirant, integrum quidem ipſis ſit, ſua ibi ſacra exercere, ita tamen ut & Lutheranorum ſacra, in eo, quo iſta invenirent

rent ſtatu, relinquerent. Sed jubebat Brandenburgicus Lutheranos hoc metu ſecuros eſſe, neque enim ſibi unquam placuiſſe vim, quæ conſcientiis ſubditorum adferretur; quin hoc ſibi propoſitum, ut Evangelici omnes nullo diſcrimine & inter ſe amice atque fraterne agant, & apud ſe æquo jure ac conditione ſint. Optare eundem Lutheranis animum, qua ratione utrique parti optime cautum fore: ſaltem deprecari Reformatos invidiam, qua ſe Lutherani onerare intendant, cum illos non minor metus ab his urgeat, experientia edoctos, quam male ubique & indigne Reformati habeantur a Lutheranis, ubi copia datur iſtis nocendi, itaque non convenire, ut quam una pars ſibi legem circa jus reformandi imponi nolit, eam velit alteri dicere: cum potius hoc utriſque providendum ſit, ut mutuo metu ſi quem utique eſſe oportet, in officio contineantur, aut altera pars forte exorbitans oſtentatione ſimilis in ſuos periculi reduci ad meliorem mentem poſſit. Quod ad ſuos ordines Provinciales atque ſubditos attineat, iis abunde jam literis reverſalibus cautum eſſe, ut nihil ſit, cur a reformatione ſibi timere debeant: multo minus æquum eſſe, ut alii ea cura ſe exerceant, ad quos nihil pertineat, qua ratione ipſe ſuis imperet. &c. Inter hæc certamina Caſſellani in medium attulere, cum reformandi vocabulum ſit exoſum, inter partes ſuper ſecuritate ſubditorum conventionem ineundam, ut omnes & ſinguli ſacris ſuis relinquantur, ita ſubditis utrinque adverſus reformationem caveri, & Statibus Jus Territoriale ſalvum manere; & Elector quidem Brandenburgicus hanc rationem ſe accipere ſtatim teſtatus eſt, ſed hærentibus adhuc Lutheranis, & cauſantibus ſibi ante omnia Theologorum ſuorum conſilio opus eſſe, interceſſere Sueci, atque cenſuere, hanc rem ita temperandam, ut ſalvo cujusque partis jure Territoriali, quod neutri ob reformationis cauſam minui oporteat, ſaltem ſubditis utrinque caveatur, de libero religionis exercitio, & ut ab omni vi conſcientiis eorum inferenda tuti ſint: de cetero Magiſtratibus Jura Patronatus integra relinquenda, uti & Communitatibus jus præſentandi, quibus invitis Paſtores non ſint obtrudendi. Reditus vero Templorum, uti nunc ſunt, manſuros, & ſubditos diverſæ a Domino religionis, ſi novo templo opus ſe habere exiſtiment, id ſuis ſumtibus extructuros, qui etiam miniſtris Eccleſiæ ac Scholarum de ſuo ſalaria expedire debeant ſine alterius partis detrimento. Ita paulatim miteſcentibus animis, & inprimis Altenburgico ac Vinarienſi a fervore ſuo, aliorum Lutheranorum hortatu, remittentibus, placuit in univerſum, jus Ordinum Territoriale intactum relinquere, ac ſubditis tantum ita conſulere, ne quoties Domini diverſæ religionis ſubditos ſortiuntur, religionem etiam eos mutare oporteat. Ad hunc ſenſum cum Salvius, Orator Suecicus, formulam quandam

dam concepiſſet, Reformatis ideo non probatam, quod non modo ſe opponi adverterent Auguſtanam religionem profeſſis, verum etiam Lutheranis per eam inſignis prærogativa circa jus reformandi quæretur, cum eo, quod illis, Reformatis inquam, forte in terras, ubi Lutherana religio ſolum viguit, ſucceſſuris, facultate ſacra ſua introducendi interdicat, cujus rei Lutherani eodem caſu ſibi liberum arbitrium relinqui poſtulabant; tum etiam eo, quod Nobilibus, Civitatibus & Vicanis Lutheranis, ſub Reformato Principe degentibus, poteſtatem faceret publici exercitii ſui inſtituendi, quo Jure excluderentur Reformati ſub Principe Lutherano: Reformati pari utrinque jure agendum eſſe contendentes aliam proponebant formulam, quam hic integram ex Pufendorfio deſcribere non pigebit, cum fundamentum fuerit ſuper quod articulus noſter deinde conſtructus eſt. ita enim ambo inter ſe comparati facilius nos docebunt, quam demum in legem onventum ſit. Eſt autem hæc: *Quamvis ante hac, & præſertim in Comitiis Auguſtanis 1566. quæſtio a nonnullis moveri cœperit, utrum Reformati, qui & ipſi Auguſtanam Confeſſionem, Carolo V. Imperatori exhibitam ſe toto pectore amplecti conſtanter aſſeverabant ac etiamnum publice profitentur, a pace religioſa excludi deberent; tamen ut omnis omnino diſſenſionis materia tollatur, conſtans tam Imperatoriæ Majeſtatis, quam omnium Electorum, Principum atque Statuum, conciliante id Regia Majeſtate Suecica, mens atque publica conventio hæc eſt, quod dicti Reformati cum ſuis ditionibus ac ſubditis a Pace Religioſa neutiquam excludi, ſed quæſtione illa penitus rejecta, atque abolita prout & hoc ipſo rejicitur atque aboletur, tam Pacis Religioſæ, utpote illa comprehenſi, quam hujus Pacificationis, omniumq; Articulorum in utraque Pace exiſtentium pleno & pari cum ceteris ſtatibus Jure participes eſſe debeant.* Hic primo diſplicebat Lutheranis ex hac formula videri poſſe deciſam illam quæſtionem de Reformatis pace Religioſa jam olim complexis, quam tangi nolebant, re potius ſic adornata, ut declaratio fieret, Reformatos jam ſine omni dubio pacis Religioſæ beneficio ex hac Transactione gaviſuros, relicto in medio, an etiam ante hac ea gaviſi ſint. Deinde in eo maxime dicti Lutherani repugnabant, ne tam luculentis verbis & clara ſententia ſtatueretur, Reformatos Auguſtanam Confeſſionem toto pectore amplecti atque profiteri, oſtendentes, ſalva ſe conſcientia in hoc aſſertum conſentire non poſſe, longe alia opinione hac ſuper re præventos; itaque hunc locum ita eſſe temperandum, ut Reformati Pacis Religioſæ præſidio & beneficiis contenti, ſibi neceſſitatem non imponant faciendæ contra animi ſententiam confeſſionis neque enim ſibi integrum eſſe, profiteri diverſa ab his, quæ ſentiant. Sed negante Electore Brandenburgico, Reformatis aliorum opiniones nocere poſſe, quominus eis fidem ſuam

ſuam Auguſtana Confeſſione tueri, atque per id participare etiam Nominis ejus honorem liceat; nulla alia ratio expediendi negotii inveniri poterat, quam dictio quædam obſcura & ambigua, ab utrisque ſuas in partes pro cujusque ſenſu facile trahenda: id quod per verba, *inter illos*, factum, quæ dum Reformati ad verba proxime præcedentia, *Auguſtanæ Confeſſioni addictis*, referre volunt, illi, Lutherani inquam, ad paulo remotiora, *Ordinum Imperii*, trahunt, quaſi per verba *inter illos* dictum fuiſſet Ordines Imperii, non vero, *Auguſtanæ Confeſſioni addictos*. qua de re plura infra dicenda erunt. Atque hac ratione tandem compoſitus fuit ille Articulus de Reformatis & Lutheranis, non ſine multis moleſtiis, neque etiam ſine omni Pontificiorum ipſorum offenſa & ſcandalo, quibus hæc Evangelicorum vecordia, & disſenſio in promovendis mutuis commodis vel reprehenſione etiam digna viſa eſt, increpante Volmario Saxonicos præcipue, & monente, hanc non eſſe viam ad pacem promovendam; Quodſi vero Proteſtantes eandem impedire hoc pacto ſtudeant, Catholicos quidem facile ſpectaculo iſto frui poſſe, ut ipſi mutuis ſe laceſſent conviciis, ſed tandem ambo viſuros eſſe, quos inde fructus ſint reportaturi. Quamvis nec ſalutaria hæc præcepta Saxonem, Theologorum ſuorum opinionibus obnoxium, a ſententia dimovere potuerint, quin ſaltem Proteſtationem illam, de qua ſupra dictum, interponeret, tanto Auſtriaci Volmarii indignatione, ut teſtaretur, ſe illam ab actis rejecturum fuiſſe, ſi præſente ſe fuiſſet exhibita, quamobrem facta etiam ab ipſis Catholicis declaratio, a ſe ejus rationem nullam habitum, ſed hunc articulum ſeptimum ea per omnia formula, qua conceptus eſſet, relictum iri, non aliter ac ſi hæc proteſtatio nunquam interveniſſet, quam præterea in acta referri & apud ea cuſtodiri nefas eſſe ducerent. Et hæc quidem illo tempore acta. Sed poſthæc deferbuit paulatim iſte ardor, ut jam noſtra ætate nemo ſit, qui hunc articulum impugnare hac ratione audeat, quod omnium Statuum conſenſu de eo transactum non fuerit. Quin eo potius jam eſt deventum, ut ipſi Lutherani Reformatis non amplius quæſtionem de eo moveant, an comprehenſi hi etiam ſint ſub appellatione eorum, qui ſe Auguſtanæ Confeſſioni addictos profitentur. Et profecto re probe expenſa cauſæ fuere, cur aliquid ab hoc abſurdo rigore Lutherani remitterent: nam utriusque partis ſumme refert, ſe contra Pontificiorum infauſta molimina, quanta maxima prudentia & cura poſſunt, munire, eamque in rem ſocietatem arctiſſimam contrahere, quo præcipue conducit, nominum atque appellationum ſimilitudo, quemadmodum diverſa nomina ſtatim pro Claſſico ſunt ad ſimultates & odia inter partes. neque eſt cur una pars ſe teneritudine ſuæ conſcientiæ impediri cauſetur, quo minus unionem cum altera ſanciat. Nihil

aut benefiicii, (c) cum omnes aliæ Conſtitutiones Imperii, (d) tum

hil ineptius minusque congruum hac excuſatione dici potuit, qua tamen illi conſcientioſi, ſi Diis placet, quaſi pro arce, vel potius ſtratagemate circumveniendis Principibus, uſi ſunt, non alio fine, quam ut inter factiones, quas acerbis & contumelioſis titulis nominibusque faciunt & propagant, ipſi apud ſuos eo ſecurius atque majori cum auctoritate regnent, velut unici & neceſſarii cuſtodes religionis, quos perpetuo in ſpecula ſtare oporteat, proſpecturi, ne res divina detrimentum capiat. Atque profecto mirum eſt, oculos Principum hac ſimulata ſollicitudine & devotione obliniri poſſe. Maneamus ſaltem in noſtro exemplo, de iis, qui Auguſtanæ Confeſſioni addicti ſunt, vel non ſunt. Hic cum ipſi illi Barbatuli non ignorent, Confeſſionem Auguſtanam ſenſu paulo latiore nomen eſſe vel ſignum, quo ſe Proteſtantes omnes a Pontificiis diſtinguunt; alio vero ſtrictiore ſignificatu inter Lutheranos & Reformatos ex poſt ſecuta Apologia atque Concordiæ formula, quibus ſcriptis de nonnullis controverſiis & opinionibus eſt ſtatutum, facere diſcrimen, quæ obſecro invidia eſt, innocui nominis, & laxiori illo ſenſu venientis gratiam nobis facere nolle, cum nos illis intellectum ſtrictiorem libenter volentesque remittamus. Quot ſectis & opinionibus hodie res omnis Chriſtiana turbata & diviſa eſt? Habet una quæque pars ſua ſymbola, ſuas formulas, & confeſſiones: imo lacerant ſe & proſcindunt invicem indignis modis. Neque ideo tamen cuiquam Chriſtiani nominis appellationem denegamus, qui Chriſtum Meſſiam ex Sacro Codice profitentur, mortuum ſub Pilato, & tertia die reſuſcitatum, poſtquam multis miraculis in vita ſua, quam cum hominibus ſub imagine carnis humanæ, duxerat, inclaruiſſet. Reliquæ opiniones de fide & ſacris dividunt quidem Chriſtianos in partes & ſectas, ſed alius alium ideo jure & communione Civitatis Chriſtianæ non privat, quamdiu Chriſtum auctorem ſuæ religionis & Dominum agnoſcit. Quidni igitur eodem pacto Proteſtantes ſe invicem Auguſtanæ Confeſſionis Socios ferrent, dum utrique illam ſectantur, idque ſe facere ex animi ſententia publice confitentur, utcunque inter illos, ſeu eorum potius Theologos adhuc ſuper quibusdam doctrinis certamina ſuperſint, lingua profeſſoria exercenda, quæ arma huic hominum generi dulciora ſunt vel ipſa vita.

(c) *Ut quicquid juris aut beneficii.)* Hic exæquantur Reformati Status & ſubditi per omnia, ſive jura ſint ſive beneficia, Catholicis & Lutheranis, ut Hi duo præ illis præcipui nihil arrogare ſibi poſſint: quod olim multis modis factum fuiſſe meminerant Reformati, neque

tum Pax Religionis & publica hæc Transactio, (e) in eaque deciſio Gravaminum (f) cæteris Catholicis, & Auguſtanæ Confeſſioni addictis Statibus & ſubditis tribuunt, (g) id etiam iis, (h) qui inter illos

que a Catholicis tantum, qui eos beneficiis pacis religioſæ privare conabantur, eo prætextu, quod hac pace comprehenſi non eſſent: verum etiam a Lutheranis ipſis, quæſtionem moventibus de Jure reformandi, an hoc æque Reformatis Statibus in Lutheranos ſubditos competat, quam ipſi hoc ſibi liberum in Reformatos relinqui volebant. Nam quod ad Catholicos ſubditos attinet, de eo neutri haud valde laborabant. Itaque hoc tandem modo transactum, ut Status Evangelici utriusque religionis jure reformandi in Catholicos ſubditos gaudeant, quo Catholici Status in ſubditos Evangelicos, nulla Lutheranorum ante Reformatos prærogativa. At vero inter Proteſtantes ipſos hactenus jus reformandi ceſſet, quatenus neutri partium ſubditos diverſæ Religionis ad ſua ſacra cogere fas eſt, etiamſi an. 1624. in poſſeſſione exercitii non fuerint: data tamen ſubditis libertate mutandi religionem, quod ſi aliqua communitas fecerit, id ei liberum eſt, neque propterea exercitio ſuis ſumtibus & citra reliquorum præjudicium inſtituendo prohiberi debet.

(d) *Cum omnes aliæ Conſtitutiones Imperii.)* Igitur nihil omnino excipitur, quo vel Catholicis vel Lutheranis per Leges publicas conditionem ſuam præ Reformatis facere meliorem liceat, præterquam ſi cui quid ex ſpeciali privilegio tribuitur, quod nec omnibus Catholicis, nec omnibus Lutheranis, qua tales ſunt, & hoc ſtatu gaudent, commune eſt.

(e) *Tum pax Religioſa & publica hæc Transactio.)* De *Pace Religioſa* in ſuperioribus ſatis eſt dictum. *Publica* autem *hæc Transactio*, quæ hic nominatur, omnem ambitum Pacis Weſtphalicæ exhaurit, ut ubicunque aliquid in gratiam Catholicorum vel Lutheranorum conſtitutum reperitur, id etiam commodis Reformatorum inſervire debeat, atque adeo ab his allegari pro cauſa ſua poſſit.

(f) *In eaque deciſio Gravaminum.)* hæc verba faciunt, ut proxime ſuperiora, de totis Tabulis Pacis intelligamus; alias nos non latet, verbum *Transactionis* dici aliquando etiam ſpecialiter de conſtitutione art. V. & ſignificare transactionem de gravaminibus.

(g) *Ceteris Catholicis & Auguſtanæ Confeſſioni addictis Statibus & ſubditis tribuunt.)* Nobilitatem nominaſſe non fuit opus, quamvis neque excluſam exiſtimare debeamus. Saltem enim Status Catholici & Lutherani, ut & eorum ſubditi pro exemplo hic ſunt vel menſura, ut ex eorum ſtatu vel conditionem intelligamus, quantum Juris vel bene-

Digitized by Google

illos Reformati vocantur, (i) competere debeat. Salvis tamen ſem-

beneficii Statibus Reformatis eorumque ſubditis ſit tribuendum.

(h) *Id etiam iis, qui inter illos Reformati vocantur, competere debeat.)* Intelligenda hæc tamen ſunt terminis ſemper habilibus, & pro ſubſtrata, ut ajunt, materia, ut nimirum maneamus in cauſa religionis ejusque exercitii: inprimis vero reſpiciendum ad jus reformandi, qua in re hic Status Reformati Catholicis & Lutheranis per omnia exæquantur, ut horum nulla ratione melior conditio in reformanda religione adverſa eſſe poſſit, quam illorum eſt. alias multis modis Catholicis & Lutheranis Statibus, extra religionis reſpectum in aliis politicis negotiis competere quædam jura & beneficia poſſunt, quæ Reformatis ſua facere non licet: uti & Reformatis quædam præcipua poſſunt eſſe, absque communione cum reliquis Statibus. Fit enim hoc ex diverſa conditione Civium, qua in Republica ſunt, cum fieri non poſſit, ut æquo omnes jure vivant.

(i) *Qui inter illos Reformati vocantur.)* En tibi verba, quæ in hanc usque diem materiem præbuere magnæ & impeditæ contentionis, dum ſcilicet hoc, *inter illos*, Reformati ad Status Auguſtanæ Confeſſioni addictos referunt; Lutherani vero ad paulo ſuperiora, ut Catholici etiam ſubintelligantur; diverſa explicatione. Illi enim, Reformati, per hæc verba probare volunt, ſe Statibus Auguſtanæ Confeſſioni addictis hic adnumerari, adeoque ſibi dubiam hujus participationis gloriam fieri jam non poſſe. Quibus Lutherani reſpondent, partem adverſam falſa interpretatione ſibi placere, cum id actum nullo modo fuerit, ut per hæc verba, *inter illos*, Reformati declarentur conſortes Auguſtanæ Confeſſionis: in hoc enim ut conſentirent, Lutheranos inter tractandum præfracte reſtitiſſe. Sed hoc ſaltem per ea indicatum, Reformatos æquo cum Catholicis & Lutheranis, ſive Auguſtanæ Confeſſioni addictis, jure poſthæc uſuros nulla horum prærogativa. Ideoque noluiſſe Lutheranos, ut verba ſic conciperentur, *inter HOS*, ne ſpeciem haberent, de ſolis Lutheranis, ſeu Auguſtanæ Confeſſioni addictis agi; ſed poſt longam diſceptationem ſcribendum fuiſſe, *inter ILLOS.* Scilicet Catholicos & Auguſtanæ Confeſſioni addictos, quod idem ſit, ac ſi dictum fuiſſet in Imperio, ſeu inter reliquos Status & Cives, vel ſubditos Imperii, quo ſenſu Reformatos in communionem Auguſtanæ Confeſſionis non magis recipi, quam ſe propterea Eccleſiæ Romanæ adnumerari velint. Si dicere libere permiſſum eſt, quod ſentio, mihi certe videtur, non eſſe cur Reformati eam ob rem cum Lutheranis tantopere contenderent. Neque enim illis quicquam perit, ſive Auguſtana Confeſſione comprehenſi

 ſint

ſemper (k) Statuum, qui Proteſtantes nuncupantur, (l) inter ſe & cum ſubditis ſuis conventis pactis, privilegiis, reverſalibus & diſpoſitionibus aliis, quibus de Religione ejusque exercitio & inde dependentibus, ejusque loci Statibus & ſubditis hucusque

ſint, ſive non, ex quo ſemel participes facti ſint omnium jurium & beneficiorum, quæ Catholicis & Lutheranis ex pace tributa inveniuntur. De cetero non fuit omnino de nihilo, quod Lutherani contra Reformatos ex his verbis, *inter illos*, olim diſputavere: nam ex actis conſtat, de induſtria hæc ipſa verba ſic fuiſſe quæſita, & in lege poſita, Reformatis fruſtra urgentibus, ut pro, *ILLOS*, ſcriberetur, *HOS*, quod impetrari a Lutheranis nulla ratione potuit, hanc unicam ob cauſam, ne hoc pacto viderentur ſe Reformatos in ſocietatem Auguſtanæ Confeſſionis adſciviſſe: Verum enim vero quæ lis illis temporibus ſub judice eſt relicta, noſtra tempora tantum non deciſam habent, cum remittentibus paulatim certaminibus jam Auguſtanæ Confeſſionis nomen & honorem utrique ſibi publicis ſcriptis communicant, ſeque appellant Socios Auguſtanæ Confeſſionis ex utraque parte: **Der Augſpurgiſchen Confeſſion verwandte Stände zu beeden Theilen**, uti nuper adhuc factum illis literis, quas Status Proteſtantes nomine communi pro Sileſiis ad Cæſarem & Regem Succiæ dedere. Equidem maluiſſent Reformati, ut verba paulo diſtinctius conciperentur, hoc modo: **Augſpurgiſchen Confeſſions-Verwandte Stände Lutheriſche und Reformirten Theils**; neque res ipſa diſplicebat Lutheranis, ſed offenſæ fuit nomen *Lutheranum*, quo noluere uti, ne religio ſua argui poſſit nominis ab humana autoritate aſſumti. Si abs hoc fuiſſet, vel alia commoda appellatio reperiri potuiſſet, qua ſe a Reformatis diſtinguerent, integra de cetero Auguſtanæ Confeſſionis ſocietate, cui fraudem fieri cum alterius præjudicio noluere, dubitandum non eſt, quin apertius etiam locuti fuiſſent. Denique monendum adhuc exiſtimo, verba illa, *qui inter illos Reformati vocantur*, ſic accipienda eſſe, ut id exprimant, quod revera eſt, remoto illo ſenſu, qui alias ex uſu loquendi contemptum vel deſpicientiam ſecum trahit.

(k) *Salvis tamen ſemper)* Poſtquam Status Reformati, eorumque ſubditi, in ordine tam ad Catholicos quam Lutheranos declarati ſunt capaces omnium jurium & beneficiorum, quibus hi fruuntur, jam ſequuntur ſpecialia quædam, ad ſolos Proteſtantes, tam Lutheranos, quam Reformatos æquo itidem jure ſpectantia, quibus neque Catholicis adverſus Proteſtantes, neque his adverſus illos uti neceſſe eſt; inter quæ primo

mo loco ſunt pacta & conventiones omnis generis, quæ olim inter Status eorumque ſubditos inita fuere, quæque ſalva manere jubentur, nulla ratione ad ſtatum anni 1624. habita, quod ſemper fieri oportet, quoties Proteſtantibus cum Catholicis negotium eſt.

(l) *Statuum, qui Proteſtantes nuncupantur.)* Hic ſolus eſt toto Inſtrumento Pacis locus, ubi Evangelici Status nomen & appellationem *Proteſtantium* ſortiti ſunt. Nusquam enim alibi hæc vox occurrit, Evangelicis non usquequaque grata, quamquam non habeant, cur hoc adeo defugere vel deprecari opus ſit. Cauſam hujus nominis, cetera in Tabulis pacis inſoliti, hanc fuiſſe puto, quod nunc de Evangelicorum rationibus ſtatuatur, quæ ad illos ſolos inter ſe pertinent, quo reſpectu cum duas partes conſtituant, quos Lutherani forte communi Auguſtanæ Confeſſionis Sociorum nomine deſignari noluere, nulla commodior vox inventa eſt, quæ utramque partem una ſignificatione complecteretur, quam nomen *Proteſtantium*, cujus origo ab eo tempore repetenda, quando poſt inſtitutam a Luthero in Germania Reformationem illi Status, qui Lutheri partes ſecuti ſunt, Decretis Comitiorum ſuper religione per Catholicos majori numero factis, ſtare noluere, quod primo Comitiis Spirenſibus anno 1529. celebratis accidit, ubi interpoſita Proteſtatione diſceſſere, teſtati, ſe curaturos, ut Religio Chriſtiana ſuis in territoriis interea ſic ordinetur, ſacraque adminiſtrentur, prout confidant a ſe rationem ejus rei & DEO reddi, & per id ſuis etiam conſcientiis ſatisfieri poſſe. Ab hac Proteſtatione *Proteſtantes* appellati ſunt; nomine haud quaquam contumelioſo, ſed quod de magnitudine animi & conſtantia eorum in defendenda veritate illuſtre teſtimonium exhibet, ſumma apud poſteritatem gloria, quæ intrepidæ eorum perſeverantiæ hoc nunc debet, ut conſcientiarum libertate & pace religioſa fruatur, exſoluta tyrannide pontificia, qua olim totus occidens miſerrime ingemiſcebat, & qua nunc etiam nos hodiernum in diem premi oportuiſſet, niſi fortes illi & æterna laude digniſſimi majores noſtri excutere hoc intolerabile jugum auſi fuiſſent, initio a *Proteſtatione* facto, quæ primum velut claſſicum defectionis a Romano Pontifice fuit, quod mox per univerſam Germaniam excitavit, qui ſequerentur primos illos Duces. Quemadmodum igitur apud omnes populos ſacra ſunt & memoranda ea principia, quæ occaſionem dedere pellendis tyrannis & recuperandæ libertati: ita quo carior nobis eſſe debet libertas religionis, qua conſcientiis noſtris conſulitur, quam civilis illa, in effrenam ſæpe & male ordinatam licentiam deſinens; Hoc certe magis æſtimanda eſt Proteſtatio illa Confeſſorum noſtrorum, quæ glaciem fregit ad magnum illud & ſalutare reformationis opus generoſa audacia. Itaque ſi a magnis aliquando & heroicis

que proviſum eſt, (m) ſalva itidem cujusque conſcientiæ libertate.

factis derivatum cognomentum multis gloriæ & honori fuit, quid Evangelicis eſſe glorioſius poteſt, quam ab illa Proteſtatione, qua fundamenta evertendi Papatus jecere, *Proteſtantium* nomen & titulos gerere?

(m)*Inter ſe & cum ſubditis ſuis conventis pactis, privilegiis, reverſalibus & diſpoſitionibus aliis, quibus de religione ejusque exercitio, & inde dependentibus cujusque loci Statibus & ſubditis hucusque proviſum eſt.)* Cum inter Proteſtantes & Catholicos ſive Status ſive ſubditos cauſa vertitur, conventum eſt articulo V. §. 33. ut pacta, transactiones, & cetera, quæ inter tales immediatos Imperii Status eorumque ſubditos de publico, vel etiam privato exercitio Religionis introducendo, permittendo & conſervando ante hac interceſſerunt, initæ & factæ ſunt, non aliter ratæ ac firmæ maneant, quam *quatenus obſervantiæ anni 1624. non adverſantur.* Hic autem cum inter Proteſtantes ipſos res agitur, pacta, privilegia, Reverſales & diſpoſitiones aliæ ſalva rataque maneant, ſive huic obſervantiæ conformia ſint, ſive adverſentur. Cauſa hujus differentiæ eſt, quod Proteſtantibus inter ſe terminus ille regulativus & fatalis poſitus non fuerit, adeoque illis in controverſiis ſuis judicandis neque proſit neque noceat. de quibus ex hoc noſtro potius loco eſt contendendum: idque ſive cauſam ſtatus *inter ſe* habeant, ſive *cum ſubditis ſuis*, & quidem *cujuscunque loci* ſint ſtatus & ſubditi: ut adeo etiam in Auſtriacis Provinciis, ſi quid inter Reformatos & Lutheranos eſt negotii, res non aliunde quam ex hoc articulo ſit definienda. Nihil enim Catholici Principis refert, quibus legibus & pactis per pacem Weſtphalicam introductis ſubditos Proteſtantes inter ſe in controverſiis religionem concernentibus judicare oporteat, modo eorum Imperium & jus territoriale, quatenus illud eadem pace aliqua ſui parte non eſt delibatum, non minuatur, aut in deteriorem conditionem redigatur. Nam abſolutam de eorum cauſis judicandi poteſtatem, nulla pacis habita ratione concedi illis ideo nequit, quia alias facilis & expedita ratio eſſet, ſub ſpecie juris dicundi utramque partem ſenſim evertere, regnante apud illos quis ſacris præſunt, & his in rebus plerumque conſuluntur, indomita atque effreni vecordia, ut ſæpe nihil dubitent de propria ſecuritate periclitari, & cum tempore una perire, modo in præſens, aut ſaltem dum ipſi cum ſpe aliqua commodorum ſuorum ſe ſuperſtites fore confidunt, inimicis ſuis ægre facere poterunt. cujus peſtiferæ & inſanæ æmulationis exemplum his temporibus in Palatinatu inferiore habemus, ambitione eorum, apud quos ſi ſtaret, jam certe Reformati toto illo Palati-

tate. (n) Quoniam vero controverſiæ Religionis, quæ inter modo dictos Proteſtantes vertuntur, hactenus non fuerunt com-

latinatu exturbati, aut ſaltem omnibus bonis Eccleſiaſticis, quæ illis pax Weſtphalica reſtituit, ſpoliati eſſent: tantum apud eos invidia poteſt, & habendi aliena cupiditas.

(n) *Salva itidem cujusque conſcientiæ libertate.)* Per hæc verba ſubditis Proteſtantibus contra Status Dominos Territoriales ſuos itidem Proteſtantes, ſed qui diverſæ ab illis ſunt religionis, paulo magis eſt cautum, quam ſi Catholico Statui res eſt cum ſubdito Proteſtante, vel vice verſa. Quamvis enim hoc ultimo caſu ſubditi etiam a Dominis Territorialibus libertati conſcientiæ quisque ſuæ ſint relinquendi, neque ad ejurandam religionem ſuam, amplexandaque ſacra Domini Territorialis cogi poſſint, illi tamen, qui neque publicum neque privatum ſuæ religionis exercitium an. 1624. habuere, juberi poſſunt ut emigrent, vel etiam expelli, ſi præfracte noluerint: at Proteſtantibus ſubditis a Principe Proteſtante religionis cauſa migratio indici non poteſt, ſed tolerandi etiam ab invito ſunt, & ſuæ conſcientiæ permittendi, ac velut a poteſtate territoriali emancipandi, ut ab omni metu reformationis liberi tutique agere ibi poſſint. Quoniam autem his ſubditis emigratio imperari nequit, quæritur an ſi voluntarie migrare, & vertere ſolum velint, Dominum oporteat hoc eis concedere, neque jus impediendi ut, veluti art. 5. de iis ſtatutum eſt, qui ſive a Catholico ſive Proteſtante Domino emigrationem petunt religionis cauſa? Mihi ſane videtur, ceſſante ratione illius legis ceſſare etiam jus ex illa lege debitum: Fuit autem ratio legis ſuperioris, ut ſubditi diverſæ a Domino Territoriali religionis ab omni vi conſcientiis ſuis metuenda ſecuri præſtentur. Quare ſi Status Catholicus ſubditum Proteſtantem tolerare amplius non vult, niſi mutet religionem, ut ſaltem ei hoc permittat, ut emigrare ſalva religione poſſit, quod etiam de Statu Proteſtante & ſubdito Catholico intelligendum. Enimvero inter Proteſtantes ipſos hoc non eſt extimeſcendum, ubi ſalva conſcientia cujusque libertas eſt ſtabilita, ut ſubditus opus non habeat, eam ob cauſam beneficio emigrationis uti. Meo itaque judicio diſpiciendum, quid juris Princeps vel Status extra reſpectum religionis in retinendo ſubdito migrationem moliente habeat: quid item juris ſubditus in civitate mutanda? quod fere unice ex conditione ſubditorum & obſervantia loci, ſeu uſu definiendum erit. Jura enim civilia & aliarum gentium conſuetudines hac in cauſa eo minus præjudicium faciunt, quod ne quidem in Germania noſtra ubique idem jus dicatur: cum alibi difficilius dimittan-

Digitized by Google

compoſitæ, ſed ulteriori compoſitioni reſervatæ ſunt, (o) adeo·

tantur. Subditi, alibi facilius. quo ipſa ſubditorum natura facit, inter quos ſunt Statu plene liberi, alii dicuntur Homines proprii aut glebæ addicti. Alias ſi extra conſuetudinem vel uſum, ratione pugnandum eſt nullo ad particulares circumſtantias habito reſpectu, dicendum videtur, ſicuti Principi non facile licet civem vel ſubditum civitate vel ditione ſua expellere, atque veluti abdicare, nulla legitima cauſa exiſtente: ita viciſſim in poteſtate ſubditorum & libero eorum arbitrio eſſe non debet, manere in civitate velit, vel mutare locum, quæ proprie inquilinorum & peregrinorum eſt optio atque libertas; quos vero rurſus Princeps etiam nullis ex cauſis ad vaſa colligenda & profectionem adornandam poteſt adigere. Subditorum diverſa eſt ratio. Hi enim cum Statum in civitate habeant, quæ Patria ipſis ex jure civitatis eſt, uti a Principe petere poſſunt, ut hunc ſibi ſtatum incolumem ſervet, atque in eo ſe defendat. ita iniquum eſſet, ſi Princeps jus ſuum in ſubditos, quod fidelitate, obſequio & præſtatione onerum tam perſonalium quam realium, aliiſque multis inſignibus titulis ſe commendat, & quo fere omnis ejus potentia & opes nituntur, precarium habeat, & ad ſubditorum nutum revocabile. Uno verbo, uti omnes ſubditi ſimul renunciare Principi ſubjectionem, & uno agmine migrare nequeunt, id quod nemo forte negare auſus fuerit, ita nec ſingulis hoc concedi poteſt, quia jus quo ſinguli utuntur, univerſitati magis eſt adſerendum. Sed, uti dixi, hæc ex civili ſaltem ratione ita diſputantur, nos hodie in Germania aliis moribus vivimus, ubi ſubditi pro lubitu ſedes mutant laresque alio transferunt, ubicunque eis hac licentia ex conſuetudine non eſt interdictum, quæ una totum hoc negotium conficit. De cetero hoc mihi adhuc objici poſſe video, poſſe ſubditum Proteſtantem aliquando cauſas habere, cur etiam in Status Evangelici ditione migrationem ſuſcipiat: veluti ſi ibi ſuæ religionis exercitium publicum non habeat, neque alii eo numero ibi ſint, ut exercitium inſtituere, ſuisque ſumtibus habere poſſint. Eſt etiam cum indiſcretus religionis ardor, autoritate publica fretus, paulo gravius vel indignius eos tractat, quos Eccleſiaſtici illi, flabra & fomites perſecutionis, ſub imperium ſuum redigere nequeunt. Eſt denique cum inter ipſos Cives odia & ſimultates ex religionum diverſitate naſcuntur, quibus certaminibus ſemper illa pars inferior, & contemtui expoſita, quæ numero minor, præcipue, quoties Dominus territorii, forte ipſe etiam ſtudio partis præventus, non omnes æquali benevolentia complectitur, ſed una ante alteram cum in adminiſtranda juſtitia, tum in petendis honoribus

bus, insignibus prærogativis pollet: quam indignitatem & imparem in diſpenſandis rebus rationem patienter tolerare non cujusvis eſt ingenii. Hoc caſu moderate ſaltem utendum erit Principi ſuo, ne difficilem ſe præbeat in ejusmodi cive vel ſubdito dimittendo, dummodo magnas & prægnantes cauſas non habeat, cur ei veniam abeundi dare non poſſit. Alias enim & in univerſum ſic comparati ſumus, ut quos religionis cauſa odimus, eos abigere etiam a nobis magis ſtudeamus, quam ut valde laboremus, quo pacto retinere illos jus faſque ſit. adeoque uti eorum expulſionibus invidiam ſæpe non timemus & exprobrationes; ita veritati conſentaneum eſt, ſibi gratulaturos eſſe potius, quibus occaſio offertur ejusmodi ſubditi cum bona gratia dimittendi, quem forte manſurum ipſe per vim etiam, ſi liceret, ejecturus fuiſſet.

(o) *Quoniam vero controverſiæ religionis, quæ inter modo dictos Proteſtantes vertuntur, hactenus non fuerunt compoſitæ, ſed ulteriori compoſitioni reſervatæ ſunt.)* Hoc jam loci ineptum eſt agi de jure reformandi inter Proteſtantes ipſos, de quo Paciſcentibus paulo alia placuere, quam quæ hanc circa rem Catholicis contra Proteſtantes, & his contra illos ſunt præſcripta. De cetero ſunt pleræque controverſiæ religionis, quæ inter modo dictos Proteſtantes vertuntur, nullius fere ponderis, & parvi adeo momenti, ut niſi Theologos inſana rixandi ſcabies teneret, qua una re maxime autoritatem ſuam fulciunt, ſuique ordinis neceſſitatem commendant. præſtigium certe eſſet, cur ſe invicem tantis probris & conviciis proſcindant, nullo fine maledicendi, niſi ubi Principes ipſi ſalubriori inſtituto hos animi motus prudentibus edictis compeſcunt. Difficillima omnium eſt controverſia de abſoluto DEI decreto. Enimvero ô ſtolidos homines, qui antequam intime ſibi & in ſpiritu conſcii ſunt, quid ſit Deus, de æterno ejus & abſoluto decreto certamina miſcent, & conſectanea cudunt rationis ſuæ ductu. quicquid enim de captanda ratione garriant, & ſe verbo Dei niti glorientur, hæc tamen omnia paulo oculatioribus ludibrium ſaltem debent. Nam cum utraque pars idem Dei verbum; eandemque ſcripturam ſuam in cauſam trahat, & nihilominus ambo ex hoc ipſo ſcripto verbo diverſas atque inter ſe pugnantes opiniones defendunt, ſibique mutuo conſequentias atroces & blasphemas imputent, obſecro, quid eſt, quod hæc certamina facit, ſi ratio non eſt, quam ſaltem neutra pars in eruendo Scripturæ ſenſu captivat, aut captivare poteſt, ſi vult interpretem agere. nam interpres ſine ratione videtur mihi eſſe campana ſine piſtillo; ad altiora enim ipſi non recurrunt, & fanaticiſmi protinus arguunt, cum aliquis opinioni ſuæ inſtinctum divinum obtendit. Jam quæ de Sacra Cœna ſupereſt contentio, de ea ſic comparatum, ut Jovem Lapidem jurarem, Lutheranos in hanc ſuam ſen-

Digitized by Google

tentiam lapſos nunquam fore, ni inter Pontificiorum transſubſtantiationis monſtrum & doctrinam Reformatorum, qui nonnunquam de Sacramento iſto paulo ſecurius ſunt locuti, media via incedere voluiſſent, non advertentes in fervore diſputationis, illud figmentum *conſubſtantiationis*, uti nobis proponunt, æque magnis, ſi non majoribus, difficultatibus laborare, quam doctrinæ Pontificiorum de transſubſtantiatione objici ſolent, cum interim Reformatos ſenſum verum & genuinum, utut figuratum, ſequi vel ex eo clarum ſit, quod in toto rerum natura, omniumque linguarum generibus, exemplum dari non poſſit, ut in aliqua oratione, ubi ſubjectum diverſæ eſt cum prædicato naturæ, ſenſum ſine tropo inveniamus. Hoc enim velle eſt contra rectæ rationis principia agere. Atque certus ego ſum, Lutherum, qui initio Reformationis, quamdiu cum Pontificiis de abroganda Miſſa præliabatur, longe alia de hac cauſa ſentiebat, bellum propterea nemini indicturum fuiſſe, niſi adverſariorum ſuorum importunitate, ut erat vir acer & cedendi neſcius, provocatus fuiſſet; impegit igitur illum ardor diſputandi in hunc ſcopulum, quem procul dubio declinaſſet, ſi lenibus mediis & aliquo obſequio, quo inprimis delectabatur, ipſum demereri ſtuduiſſent, qui eo tempore cum illo rem habebant. Præjudicium in hac cauſa facit, quod videam, fere omnes ſive Lutheranos, ſive Pontificios, qui paulo interiores Sapientiæ Theologicæ receſſus ſcrutati ſunt, & myſteria Dei ductu Spiritus ſui intelligere incipiunt, neglectis formulis & ſymbolis humanis, ſtatim & transſubſtantiationis & conſubſtantiationis idola ſua abjiciant, & frangant, illumque ſectentur ſenſum, quem ordo verborum naturalis ex ſubjecti & prædicati diſparitate producit, & quo ipſi quotidie in ſermone familiari millies utimur aperto & plano ſenſu, quem obſcuraturi eſſemus, aut ſaltem nos deridendos præbituri, ſi ubique verborum proprietatem absque tropo, qui hoc caſu velut ſal eſt & anima illorum, conſectari, atque orationi liberæ & eo ipſo intelligibili vim inferre ſenſumque peregrinum affingere vellemus; Interea non diſplicet Reformatis, ſi Lutherani in ſua perſiſtant ſententia. quin hoc ipſum eos bona ſua gratia facere poſſe teſtantur. Hoc ſaltem rogant, ne ſibi invidiæ ſit & fraudi diſſenſus ſuus, neve materiem odii ſuppeditet, cum in noſtra poteſtate non ſit, quæ credenda ſunt, ex præſcripto aliorum credere, antequam id nobis etiam ex animi noſtri ſententia ita viſum fuerit.

Atque hæc de duabus principalibus controverſiis inter Reformatos & Lutheranos vertentibus, reliqua revera dixeris de lana caprina eſſe. Quæ enim Hi, Lutherani, de communicatione Idiomatum ſomniant, eam circa rem profecto ipſi neſciunt, quid ſibi velint, tam confuſa ſunt & obſcura, quæ de hoc argumento literis conſignavere. Reliqua

Digitized by Google

liqua ne memoratu quidem digna cenſeo. Scilicet grande nefas eſt, ſi ſolidum panem, non ſpumoſum & ſignatum communicamus; ſi exorciſmum in baptiſmo infantum, ſi auricularem confeſſionem, reficiendo loculo egregium inventum, & puerilia alia, ex medio Papatu deprompta, non obſervamus, quæ Lutherus ipſe certo certius abrogaturus fuiſſet, ni conſilia ejus præveniſſent & turbaſſent alii intempeſtivo calore. Unde vir præreptæ ſibi laudis & gloriæ impatiens vel cum damno veritatis æmulis obſiſtere maluit, quam ope communi & auxilio Eccleſiam a reliquiis fermenti Pontificii purgare. Hoc Statu manſere partes Proteſtantium amplius ſesquiſeculo. Neque ſane ego facile dixerim, num compoſitio aliqua controverſiarum inter illos optanda ſit. Mea certe ſententia eſt, fruſtra omnem in conciliandis religionibus moveri lapidem, quamdiu opinionibus & ſententiis de credendis certatur, agenda tranſmittuntur. Non dicam hac concordia rei Chriſtianæ non valde conſultum fore, qui tamen ſcopus & finis ultimus eſſe debet. Hoc ſaltem pro certo affirmare auſim, quascunque mihi formulas & ſymbola confeceris, & quantamcunque huic operæ diligentiam atque accurationem contuleris, impoſſibile fore, neque ulla humana arte aut ſapientia evitari poſſe, quin de illis ipſis novæ diſputationes & controverſiæ ſint metuendæ. Neque enim compeſcere ingeniorum intemperiem ulli mortalium licet: neque Principes Proteſtantes, ſi vel omnes hoc tempore bona fide & conſtanti propoſito ſibi invicem promitterent, ſe non commiſſuros, ut quisquam ſuorum a formula noviter recepta diſcedere, vel docere aliud auſit certi eſſe poterunt eandem Succeſſoribus ſuis mentem atque conſtantiam fore. Capit enim facile novitas homines, neque unquam deerunt, qui prurientium auribus adrepant inſidioſis libellis, & ſtatim certamina naſcentibus, quibus claſſicum canitur ad bellum Civile Theologorum, gentis ſua natura præliorum avidæ, nec ferentis diuturnam quietem. Quid igitur conſilii? & num ideo ſpes omnis de conciliandis religionibus eſt abjicienda? Si per religionem ſectas diverſas intelligimus, quæ erunt, donec homines, oleum profecto operamque perdimus. Sed alia & diverſa eſt ratio concordiæ inter ſectas illas ſtabiliendæ. Scilicet hæc una eſt via & ſola MUTUA TOLERANTIA. Eſſe quidem oportet in unaquaque gente religionem *Dominantem* quam vocant. Sed hæc dominans religio appellationem ſuam a domino territorii habet, cui ille eſt addictus, non ut dominetur aliis religionibus, easque reformet, vel aliis indignis modis vexet, atque ludibrio habeat, uti nunc ſunt tempora & mores. Quodſi vero omnino certandum eſt inter ſectas, certemus invicem non inanibus & otioſis quæſtiunculis, quibus excitantur & foventur ſimultates nemo melior efficitur: Sed virtutibus Chri-

Digitized by Google

tum Pax Religionis & publica hæc Tranſactio, (e) in eaque deciſio Gravaminum (f) cæteris Catholicis, & Auguſtanæ Confeſſioni addictis Statibus & ſubditis tribuunt, (g) id etiam iis, (h) qui inter illos

que a Catholicis tantum, qui eos beneficiis pacis religioſæ privare conabantur, eo prætextu, quod hac pace comprehenſi non eſſent: verum etiam a Lutheranis ipſis, quæſtionem moventibus de Jure reformandi, an hoc æque Reformatis Statibus in Lutheranos ſubditos competat, quam ipſi hoc ſibi liberum in Reformatos relinqui volebant. Nam quod ad Catholicos ſubditos attinet, de eo neutri haud valde laborabant. Itaque hoc tandem modo transactum, ut Status Evangelici utriusque religionis jure reformandi in Catholicos ſubditos gaudeant, quo Catholici Status in ſubditos Evangelicos, nulla Lutheranorum ante Reformatos prærogativa. At vero inter Proteſtantes ipſos hactenus jus reformandi ceſſet, quatenus neutri partium ſubditos diverſæ Religionis ad ſua ſacra cogere fas eſt, etiamſi an. 1624. in poſſeſſione exercitii non fuerint: data tamen ſubditis libertate mutandi religionem, quod ſi aliqua communitas fecerit, id ei liberum eſt, neque propterea exercitio ſuis ſuintibus & citra reliquorum præjudicium inſtituendo prohiberi debet.

(d) *Cum omnes aliæ Conſtitutiones Imperii.)* Igitur nihil omnino excipitur, quo vel Catholicis vel Lutheranis per Leges publicas conditionem ſuam præ Reformatis facere meliorem liceat, præterquam ſi cui quid ex ſpeciali privilegio tribuitur, quod nec omnibus Catholicis, nec omnibus Lutheranis, qua tales ſunt, & hoc ſtatu gaudent, commune eſt.

(e) *Tum pax Religioſa & publica hæc Tranſactio.)* De *Pace Religioſa* in ſuperioribus ſatis eſt dictum. *Publica* autem *hæc Tranſactio*, quæ hic nominatur, omnem ambitum Pacis Weſtphalicæ exhaurit, ut ubicunque aliquid in gratiam Catholicorum vel Lutheranorum conſtitutum reperitur, id etiam commodis Reformatorum inſervire debeat, atque adeo ab his allegari pro cauſa ſua poſſit.

(f) *In eaque deciſio Gravaminum.)* hæc verba faciunt, ut proxime ſuperiora, de totis Tabulis Pacis intelligamus; alias nos non latet, verbum *Tranſactionis* dici aliquando etiam ſpecialiter de conſtitutione art. V. & ſignificare transactionem de gravaminibus.

(g) *Ceteris Catholicis & Auguſtanæ Confeſſioni addictis Statibus & ſubditis tribuunt.)* Nobilitatem nominaſſe non fuit opus, quamvis neque excluſam exiſtimare debeamus. Saltem enim Status Catholici & Lutherani, ut & eorum ſubditi pro exemplo hic ſunt vel menſura, ut ex eorum ſtatu vel conditionem intelligamus, quantum Juris vel bene-

illos Reformati vocantur, (i) competere debeat. Salvis tamen ſem-

beneficii Statibus Reformatis eorumque ſubditis ſit tribuendum.

(h) *Id etiam iis, qui inter illos Reformati vocantur, competere debeat.)* Intelligenda hæc tamen ſunt terminis ſemper habilibus, & pro ſubſtrata, ut ajunt, materia, ut nimirum maneamus in cauſa religionis ejusque exercitii: inprimis vero reſpiciendum ad jus reformandi, qua in re hic Status Reformati Catholicis & Lutheranis per omnia exæquantur, ut horum nulla ratione melior conditio in reformanda religione adverſa eſſe poſſit, quam illorum eſt. alias multis modis Catholicis & Lutheranis Statibus, extra religionis reſpectum in aliis politicis negotiis competere quædam jura & beneficia poſſunt, quæ Reformatis ſua facere non licet: uti & Reformatis quædam præcipua poſſunt eſſe, absque communione cum reliquis Statibus. Fit enim hoc ex diverſa conditione Civium, qua in Republica ſunt, cum fieri non poſſit, ut æquo omnes jure vivant.

(i) *Qui inter illos Reformati vocantur.)* En tibi verba, quæ in hanc usque diem materiem præbuere magnæ & impeditæ contentionis, dum ſcilicet hoc, *inter illos*, Reformati ad Status Auguſtanæ Confeſſioni addictos referunt; Lutherani vero ad paulo ſuperiora, ut Catholici etiam ſubintelligantur; diverſa explicatione. Illi enim, Reformati, per hæc verba probare volunt, ſe Statibus Auguſtanæ Confeſſioni addictis hic adnumerari, adeoque ſibi dubiam hujus participationis gloriam fieri jam non poſſe. Quibus Lutherani reſpondent, partem adverſam falſa interpretatione ſibi placere, cum id actum nullo modo fuerit, ut per hæc verba, *inter illos*, Reformati declarentur conſortes Auguſtanæ Confeſſionis: in hoc enim ut conſentirent, Lutheranos inter tractandum præfracte reſtitiſſe. Sed hoc ſaltem per ea indicatum, Reformatos æquo cum Catholicis & Lutheranis, ſive Auguſtanæ Confeſſioni addictis, jure poſthæc uſuros nulla horum prærogativa. Ideoque noluiſſe Lutheranos, ut verba ſic conciperentur, *inter HOS*, ne ſpeciem haberent, de ſolis Lutheranis, ſeu Auguſtanæ Confeſſioni addictis agi; ſed poſt longam diſceptationem ſcribendum fuiſſe, *inter ILLOS.* Scilicet Catholicos & Auguſtanæ Confeſſioni addictos, quod idem ſit, ac ſi dictum fuiſſet in Imperio, ſeu inter reliquos Status & Cives, vel ſubditos Imperii, quo ſenſu Reformatos in communionem Auguſtanæ Confeſſionis non magis recipi, quam ſe propterea Eccleſiæ Romanæ adnumerari velint. Si dicere libere permiſſum eſt, quod ſentio, mihi certe videtur, non eſſe cur Reformati eam ob rem cum Lutheranis tantopere contenderent. Neque enim illis quicquam perit, ſive Auguſtana Confeſſione comprehenſi

ſemper (k) Statuum, qui Proteſtantes nuncupantur, (l) inter ſe & cum ſubditis ſuis conventis pactis, privilegiis, reverſalibus & diſpoſitionibus aliis, quibus de Religione ejusque exercitio & inde dependentibus, ejusque loci Statibus & ſubditis hucusque

ſint, ſive non, ex quo ſemel participes facti ſint omnium jurium & beneficiorum, quæ Catholicis & Lutheranis ex pace tributa inveniuntur. De cetero non fuit omnino de nihilo, quod Lutherani contra Reformatos ex his verbis, *inter illos*, olim diſputavere: nam ex actis conſtat, de induſtria hæc ipſa verba ſic fuiſſe quæſita, & in lege poſita, Reformatis fruſtra urgentibus, ut pro, *ILLOS*, ſcriberetur, *HOS*, quod impetrari a Lutheranis nulla ratione potuit, hanc unicam ob cauſam, ne hoc pacto viderentur ſe Reformatos in ſocietatem Auguſtanæ Confeſſionis adſciviſſe: Verum enim vero quæ lis illis temporibus ſub judice eſt relicta, noſtra tempora tantum non deciſam habent, cum remittentibus paulatim certaminibus jam Auguſtanæ Confeſſionis nomen & honorem utrique ſibi publicis ſcriptis communicant, ſeque appellant Socios Auguſtanæ Confeſſionis ex utraque parte: **Der Augſpurgiſchen Confeſſion verwandte Stände zu beeden Theilen**, uti nuper adhuc factum illis literis, quas Status Proteſtantes nomine communi pro Sileſiis ad Cæſarem & Regem Sueciæ dedere. Equidem maluiſſent Reformati, ut verba paulo diſtinctius conciperentur, hoc modo: **Augſpurgiſchen Confeſſions-Verwandte Stände Lutheriſche und Reformirten Theils**; neque res ipſa diſplicebat Lutheranis, ſed offenſæ fuit nomen *Lutheranum*, quo noluere uti, ne religio ſua argui poſſit nominis ab humana autoritate aſſumti. Si abs hoc fuiſſet, vel alia commoda appellatio reperiri potuiſſet, qua ſe a Reformatis diſtinguerent, integra de cetero Auguſtanæ Confeſſionis ſocietate, cui fraudem fieri enim alterius præjudicio noluere, dubitandum non eſt, quin apertius etiam locuti fuiſſent. Denique monendum adhuc exiſtimo, verba illa, *qui inter illos Reformati vocantur*, ſic accipienda eſſe, ut id exprimant, quod revera eſt, remoto illo ſenſu, qui alias ex uſu loquendi contemptum vel deſpicientiam ſecum trahit.

(k) *Salvis tamen ſemper)* Poſtquam Status Reformati, eorumque ſubditi, in ordine tam ad Catholicos quam Lutheranos declarati ſunt capaces omnium jurium & beneficiorum, quibus hi fruuntur, jam ſequuntur ſpecialia quædam, ad ſolos Proteſtantes, tam Lutheranos, quam Reformatos æquo itidem jure ſpectantia, quibus neque Catholicis adverſus Proteſtantes, neque his adverſus illos uti neceſſe eſt; inter quæ primo

mo loco ſunt pacta & conventiones omnis generis, quæ olim inter Status eorumque ſubditos inita fuere, quæque ſalva manere jubentur, nulla ratione ad ſtatum anni 1624. habita, quod ſemper fieri oportet, quoties Proteſtantibus cum Catholicis negotium eſt.

(l) *Statuum, qui Proteſtantes nuncupantur.)* Hic ſolus eſt toto Inſtrumento Pacis locus, ubi Evangelici Status nomen & appellationem *Proteſtantium* ſortiti ſunt. Nusquam enim alibi hæc vox occurrit, Evangelicis non usquequaque grata, quamquam non habeant, cur hoc adeo defugere vel deprecari opus ſit. Cauſam hujus nominis, cetera in Tabulis pacis inſoliti, hanc fuiſſe puto, quod nunc de Evangelicorum rationibus ſtatuatur, quæ ad illos ſolos inter ſe pertinent, quo reſpectu cum duas partes conſtituant, quos Lutherani forte communi Auguſtanæ Confeſſionis Sociorum nomine deſignari noluere, nulla commodior vox inventa eſt, quæ utramque partem una ſignificatione complecteretur, quam nomen *Proteſtantium*, cujus origo ab eo tempore repetenda, quando poſt inſtitutam a Luthero in Germania Reformationem illi Status, qui Lutheri partes ſecuti ſunt, Decretis Comitiorum ſuper religione per Catholicos majori numero factis, ſtare noluere, quod primo Comitiis Spirenſibus anno 1529. celebratis accidit, ubi interpoſita Proteſtatione diſceſſere, teſtati, ſe curaturos, ut Religio Chriſtiana ſuis in territoriis interea ſic ordinetur, ſacraque adminiſtrentur, prout confidant a ſe rationem ejus rei & DEO reddi, & per id ſuis etiam conſcientiis ſatisfieri poſſe. Ab hac Proteſtatione *Proteſtantes* appellati ſunt, nomine haud quaquam contumelioſo, ſed quod de magnitudine animi & conſtantia eorum in defendenda veritate illuſtre teſtimonium exhibet, ſumma apud poſteritatem gloria, quæ intrepidæ eorum perſeverantiæ hoc nunc debet, ut conſcientiarum libertate & pace religioſa fruatur, exſoluta tyrannide pontificia, qua olim totus occidens miſerrime ingemiſcebat, & qua nunc etiam nos hodiernum in diem premi oportuiſſet, niſi fortes illi & æterna laude digniſſimi majores noſtri excutere hoc intolerabile jugum auſi fuisſent, initio a *Proteſtatione* facto, quæ primum velut claſſicum defectionis a Romano Pontifice fuit, quod mox per univerſam Germaniam excitavit, qui ſequerentur primos illos Duces. Quemadmodum igitur apud omnes populos ſacra ſunt & memoranda ea principia, quæ occaſionem dedere pellendis tyrannis & recuperandæ libertati: ita quo carior nobis eſſe debet libertas religionis, qua conſcientiis noſtris conſulitur, quam civilis illa, in effrenam ſæpe & male ordinatam licentiam deſinens; Hoc certe magis æſtimanda eſt Proteſtatio illa Confeſſorum noſtrorum, quæ glaciem fregit ad magnum illud & ſalutare reformationis opus generoſa audacia. Itaque ſi a magnis aliquando & heroicis

que proviſum eſt, (m) ſalva itidem cujusque conſcientiæ libertate.

factis derivatum cognomentum multis gloriæ & honori fuit, quid Evangelicis eſſe glorioſius poteſt, quam ab illa Proteſtatione, qua fundamenta evertendi Papatus jecere, *Proteſtantium* nomen & titulos gerere?

(m) *Inter ſe & cum ſubditis ſuis conventis pactis, privilegiis, reverſalibus & diſpoſitionibus aliis, quibus de religione ejusque exercitio, & inde dependentibus cujusque loci Statibus & ſubditis hucusque proviſum eſt.)* Cum inter Proteſtantes & Catholicos ſive Status ſive ſubditos cauſa vertitur, conventum eſt articulo V. §. 33. ut pacta, transactiones, & cetera, quæ inter tales immediatos Imperii Status eorumque ſubditos de publico, vel etiam privato exercitio Religionis introducendo, permittendo & conſervando ante hac interceſſerunt, initæ & factæ ſunt, non aliter ratæ ac firmæ maneant, quam *quatenus obſervantiæ anni 1624. non adverſantur.* Hic autem cum inter Proteſtantes ipſos res agitur, pacta, privilegia, Reverſales & diſpoſitiones aliæ ſalva rataque maneant, ſive huic obſervantiæ conformia ſint, ſive adverſentur. Cauſa hujus differentiæ eſt, quod Proteſtantibus inter ſe terminus ille regulativus & fatalis poſitus non fuerit, adeoque illis in controverſiis ſuis judicandis neque proſit neque noceat. de quibus ex hoc noſtro potius loco eſt contendendum: idque ſive cauſam ſtatus *inter ſe* habeant, ſive *cum ſubditis ſuis*, & quidem *cujuscunque loci* ſint ſtatus & ſubditi: ut adeo etiam in Auſtriacis Provinciis, ſi quid inter Reformatos & Lutheranos eſt negotii, res non aliunde quam ex hoc articulo ſit definienda. Nihil enim Catholici Principis refert, quibus legibus & pactis per pacem Weſtphalicam introductis ſubditos Proteſtantes inter ſe in controverſiis religionem concernentibus judicare oporteat, modo eorum Imperium & jus territoriale, quatenus illud eadem pace aliqua ſui parte non eſt delibatum, non minuatur, aut in deteriorem conditionem redigatur. Nam abſolutam de eorum cauſis judicandi poteſtatem, nulla pacis habita ratione concedi illis ideo nequit, quia alias facilis & expedita ratio eſſet, ſub ſpecie juris dicundi utramque partem ſenſim evertere, regnante apud illos quis ſacris præſunt, & his in rebus plerumque conſuluntur, indomita atque effreni vecordia, ut ſæpe nihil dubitent de propria ſecuritate periclitari, & cum tempore una perire, modo in præſens, aut ſaltem dum ipſi cum ſpe aliqua commodorum ſuorum ſe ſuperſtites fore confidunt, inimicis ſuis ægre facere poterunt. cujus peſtiferæ & inſanæ æmulationis exemplum his temporibus in Palatinatu inferiore habemus, ambitione eorum, apud quos ſi ſtaret, jam certe Reformati toto illo Palati-

tate. (n) Quoniam vero controverſiæ Religionis, quæ inter modo dictos Proteſtantes vertuntur, hactenus non fuerunt com-

ſtinatu exturbati, aut ſaltem omnibus bonis Eccleſiaſticis, quæ illis pax Weſtphalica reſtitnit, ſpoliati eſſent: tantum apud eos invidia poteſt, & habendi aliena cupiditas.

(n) *Salva itidem cujusque conſcientiæ libertate.)* Per hæc verba ſubditis Proteſtantibus contra Status Dominos Territoriales ſuos itidem Proteſtantes, ſed qui diverſæ ab illis ſunt religionis, paulo magis eſt cautum, quam ſi Catholico Statui res eſt cum ſubdito Proteſtante, vel vice verſa. Quamvis enim hoc ultimo caſu ſubditi etiam a Dominis Territorialibus libertati conſcientiæ quisque ſuæ ſint relinquendi, neque ad ejurandam religionem ſuam, amplexandaque ſacra Domini Territorialis cogi poſſint, illi tamen, qui neque publicum neque privatum ſuæ religionis exercitium an. 1624. habuere, juberi poſſunt ut emigrent, vel etiam expelli, ſi præfracte noluerint: at Proteſtantibus ſubditis a Principe Proteſtante religionis cauſa migratio indici non poteſt, ſed tolerandi etiam ab invito ſunt, & ſuæ conſcientiæ permittendi, ac velut a poteſtate territoriali emancipandi, ut ab omni metu reformationis liberi tutique agere ibi poſſint. Quoniam autem his ſubditis emigratio imperari nequit, quæritur an ſi voluntarie migrare, & vertere ſolum velint, Dominum oporteat hoc eis concedere, neque jus impediendi ut, veluti art. 5. de iis ſtatutum eſt, qui ſive a Catholico ſive Proteſtante Domino emigrationem petunt religionis cauſa? Mihi ſane videtur, ceſſante ratione illius legis ceſſare etiam jus ex illa lege debitum: Fuit autem ratio legis ſuperioris, ut ſubditi diverſæ a Domino Territoriali religionis ab omni vi conſcientiis ſuis metuenda ſecuri præſtentur. Quare ſi Status Catholicus ſubditum Proteſtantem tolerare amplius non vult, niſi mutet religionem, ut ſaltem ei hoc permittat, ut emigrare ſalva religione poſſit, quod etiam de Statu Proteſtante & ſubdito Catholico intelligendum. Enimvero inter Proteſtantes ipſos hoc non eſt extimeſcendum, ubi ſalva conſcientia cujusque libertas eſt ſtabilita, ut ſubditus opus non habeat, eam ob cauſam beneficio emigrationis uti. Meo itaque judicio diſpiciendum, quid juris Princeps vel Status extra reſpectum religionis in retinendo ſubdito migrationem moliente habeat: quid item juris ſubditus in civitate mutanda? quod fere unice ex conditione ſubditorum & obſervantia loci, ſeu uſu definiendum erit. Jura enim civilia & aliarum gentium conſuetudines hac in cauſa eo minus præjudicium faciunt, quod ne quidem in Germania noſtra ubique idem jus dicatur: cum alibi difficilius dimittan-

compoſitæ, ſed ulteriori compoſitioni reſervatæ ſunt, (o) adeo-

tantur. Subditi, alibi facilius. quo ipſa ſubditorum natura facit, inter quos ſunt Statu plene liberi, alii dicuntur Homines proprii aut glebæ addicti. Alias ſi extra conſuetudinem vel uſum, ratione pugnandum eſt nullo ad particulares circumſtantias habito reſpectu, dicendum videtur, ſicuti Principi non facile licet civem vel ſubditum civitate vel ditione ſua expellere, atque veluti abdicare, nulla legitima cauſa exiſtente: ita viciſſim in poteſtate ſubditorum & libero eorum arbitrio eſſe non debet, manere in civitate velit, vel mutare locum, quæ proprie inquilinorum & peregrinorum eſt optio atque libertas; quos vero rurſus Princeps etiam nullis ex cauſis ad vaſa colligenda & profectionem adornandam poteſt adigere. Subditorum diverſa eſt ratio. Hi enim cum Statum in civitate habeant, quæ Patria ipſis ex jure civitatis eſt, uti a Principe petere poſſunt, ut hunc ſibi ſtatum incolumem ſervet, atque in eo ſe defendat. ita iniquum eſſet, ſi Princeps jus ſuum in ſubditos, quod fidelitate, obſequio & præſtatione onerum tam perſonalium quam realium, aliisque multis inſignibus titulis ſe commendat, & quo fere omnis ejus potentia & opes nituntur, precarium habeat, & ad ſubditorum nutum revocabile. Uno verbo, uti omnes ſubditi ſimul renunciare Principi ſubjectionem, & uno agmine migrare nequeunt, id quod nemo forte negare auſus fuerit, ita nec ſingulis hoc concedi poteſt, quia jus quo ſinguli utuntur, univerſitati magis eſt adſerendum. Sed, uti dixi, hæc ex civili ſaltem ratione ita diſputantur, nos hodie in Germania aliis moribus vivimus, ubi ſubditi pro lubitu ſedes mutant laresque alio transferunt, ubicunque eis hac licentia ex conſuetudine non eſt interdictum, quæ una totum hoc negotium conficit. De cetero hoc mihi adhuc objici poſſe video, poſſe ſubditum Proteſtantem aliquando cauſas habere, cur etiam in Status Evangelici ditione migrationem ſuſcipiat: veluti ſi ibi ſuæ religionis exercitium publicum non habeat, neque alii eo numero ibi ſint, ut exercitium inſtituere, ſuisque ſumtibus habere poſſint. Eſt etiam cum indiſcretus religionis ardor, autoritate publica fretus, paulo gravius vel indignius eos tractat, quos Eccleſiaſtici illi, flabra & fomites perſecutionis, ſub imperium ſuum redigere nequeunt. Eſt denique cum inter ipſos Cives odia & ſimultates ex religionum diverſitate naſcuntur, quibus certaminibus ſemper illa pars inferior, & contemtui expoſita, quæ numero minor, præcipue, quoties Dominus territorii, forte ipſe etiam ſtudio partis præventus, non omnes æquali benevolentia complectitur, ſed una ante alteram cum in adminiſtranda juſtitia, tum in petendis honoribus

Digitized by Google

bus, inſignibus prærogativis pollet: quam indignitatem & imparem in diſpenſandis rebus rationem patienter tolerare non cujusvis eſt ingenii. Hoc caſu moderate ſaltem utendum erit Principi ſuo, ne difficilem ſe præbeat in ejusmodi cive vel ſubdito dimittendo, dummodo magnas & prægnantes cauſas non habeat, cur ei veniam abeundi dare non poſſit. Alias enim & in univerſum ſic comparati ſumus, ut quos religionis cauſa odimus, eos abigere etiam a nobis magis ſtudeamus, quam ut valde laboremus, quo pacto retinere illos jus faſque ſit. adeoque uti eorum expulſionibus invidiam ſæpe non timemus & exprobrationes; ita veritati conſentaneum eſt, ſibi gratulaturos eſſe potius, quibus occaſio offertur ejusmodi ſubditi cum bona gratia dimittendi, quem forte manſurum ipſe per vim etiam, ſi liceret, ejecturus fuiſſet.

(o) *Quoniam vero controverſiæ religionis, quæ inter modo dictos Proteſtantes vertuntur, hactenus non fuerunt compoſitæ, ſed ulteriori compoſitioni reſervatæ ſunt.)* Hoc jam loci ineptum eſt agi de jure reformandi inter Proteſtantes ipſos, de quo Paciſcentibus paulo alia placuere, quam quæ hanc circa rem Catholicis contra Proteſtantes, & his contra illos ſunt præſcripta. De cetero ſunt pleræque controverſiæ religionis, quæ inter modo dictos Proteſtantes vertuntur, nullius fere ponderis, & parvi adeo momenti, ut niſi Theologos inſana rixandi ſcabies teneret, qua una re maxime autoritatem ſuam fulciunt, ſuique ordinis neceſſitatem commendant. præſtigium certe eſſet, cur ſe invicem tantis probris & conviciis proſcindant, nullo ſine maledicendi, niſi ubi Principes ipſi ſalubriori inſtituto hos animi motus prudentibus edictis compeſcunt. Difficillima omnium eſt controverſia de abſoluto DEI decreto. Enimvero ô ſtolidos homines, qui antequam intime ſibi & in ſpiritu conſcii ſunt, quid ſit Deus, de æterno ejus & abſoluto decreto certamina miſcent, & conſectanea cudunt rationis ſuæ ductu. quicquid enim de captanda ratione garriant, & ſe verbo Dei niti glorientur, hæc tamen omnia paulo oculatioribus ludibrium ſaltem debent. Nam cum utraque pars idem Dei verbum; eandemque ſcripturam ſuam in cauſam trahat, & nihilominus ambo ex hoc ipſo ſcripto verbo diverſas atque inter ſe pugnantes opiniones defendunt, ſibique mutuo conſequentias atroces & blasphemas imputent, obſecro, quid eſt, quod hæc certamina facit, ſi ratio non eſt, quam ſaltem neutra pars in eruendo Scripturæ ſenſu captivat, aut captivare poteſt, ſi vult interpretem agere. nam interpres ſine ratione videtur mihi eſſe campana ſine piſtillo; ad altiora enim ipſi non recurrunt, & fanaticiſmi protinus arguunt, cum aliquis opinioni ſuæ inſtinctum divinum obtendit. Jam quæ de Sacra Cœna ſupereſt contentio, de ea ſic comparatum, ut Jovem Lapidem jurarem, Lutheranos in hanc ſuam ſen-

tentiam lapſos nunquam fore, ni inter Pontificiorum transſubſtantiationis monſtrum & doctrinam Reformatorum, qui nonnunquam de Sacramento iſto paulo ſecurius ſunt locuti, media via incedere voluiſſent, non advertentes in fervore diſputationis, illud figmentum *conſubſtantiationis*, uti nobis proponunt, æque magnis, ſi non majoribus, difficultatibus laborare, quam doctrinæ Pontificiorum de transſubſtantiatione objici ſolent, cum interim Reformatos ſenſum verum & genuinum, utut figuratum, ſequi vel ex eo clarum ſit, quod in toto rerum natura, omniumque linguarum generibus, exemplum dari non poſſit, ut in aliqua oratione, ubi ſubjectum diverſæ eſt cum prædicato naturæ, ſenſum ſine tropo inveniamus. Hoc enim velle eſt contra rectæ rationis principia agere. Atque certus ego ſum, Lutherum, qui initio Reformationis, quamdiu cum Pontificiis de abroganda Miſſa præliabatur, longe alia de hac cauſa ſentiebat, bellum propterea nemini indicturum fuiſſe, niſi adverſariorum ſuorum importunitate, ut erat vir acer & cedendi neſcius, provocatus fuiſſet; impegit igitur illum ardor diſputandi in hunc ſcopulum, quem procul dubio declinaſſet, ſi lenibus mediis & aliquo obſequio, quo inprimis delectabatur, ipſum demereri ſtuduiſſent, qui eo tempore cum illo rem habebant. Præjudicium in hac cauſa facit, quod videam, fere omnes ſive Lutheranos, ſive Pontificios, qui paulo interiores Sapientiæ Theologicæ receſſus ſcrutati ſunt, & myſteria Dei ductu Spiritus ſui intelligere incipiunt, neglectis formulis & ſymbolis humanis, ſtatim & transſubſtantiationis & conſubſtantiationis idola ſua abjiciant, & frangant, illumque ſectentur ſenſum, quem ordo verborum naturalis ex ſubjecti & prædicati diſparitate producit, & quo ipſi quotidie in ſermone familiari millies utimur aperto & plano ſenſu, quem obſcuraturi eſſemus, aut ſaltem nos deridendos præbituri, ſi ubique verborum proprietatem absque tropo, qui hoc caſu velut ſal eſt & anima illorum, conſectari, atque orationi liberæ & eo ipſo intelligibili vim inferre ſenſumque peregrinum affingere vellemus; Interea non diſplicet Reformatis, ſi Lutherani in ſua perſiſtant ſententia. quin hoc ipſum eos bona ſua gratia facere poſſe teſtantur. Hoc ſaltem rogant, ne ſibi invidiæ ſit & fraudi diſſenſus ſuus, neve materiem odii ſuppeditet, cum in noſtra poteſtate non ſit, quæ credenda ſunt, ex præſcripto aliorum credere, antequam id nobis etiam ex animi noſtri ſententia ita viſum fuerit.

Atque hæc de duabus principalibus controverſiis inter Reformatos & Lutheranos vertentibus, reliqua revera dixeris de lana caprina eſſe. Quæ enim Hi, Lutherani, de communicatione Idiomatum ſomniant, eam circa rem profecto ipſi neſciunt, quid ſibi velint, tam confuſa ſunt & obſcura, quæ de hoc argumento literis conſignavere. Re-

liqua

liqua ne memoratu quidem digna cenſeo. Scilicet grande nefas eſt, ſi ſolidum panem, non ſpumoſum & ſignatum communicamus; ſi exorciſmum in baptiſmo infantum, ſi auricularem confeſſionem, reficiendo loculo egregium inventum, & puerilia alia, ex medio Papatu deprompta, non obſervamus, quæ Lutherus ipſe certo certius abrogaturus fuiſſet, ni conſilia ejus præveniſſent & turbaſſent alii intempeſtivo calore. Unde vir præreptæ ſibi laudis & gloriæ impatiens vel cum damno veritatis æmulis obſiſtere maluit, quam ope communi & auxilio Eccleſiam a reliquiis fermenti Pontificii purgare. Hoc Statu manſere partes Proteſtantium amplius ſesquiſeculo. Neque ſane ego facile dixerim, num compoſitio aliqua controverſiarum inter illos optanda ſit. Mea certe ſententia eſt, fruſtra omnem in conciliandis religionibus moveri lapidem, quamdiu opinionibus & ſententiis de credendis certatur, agenda tranſmittuntur. Non dicam hac concordia rei Chriſtianæ non valde conſultum fore, qui tamen ſcopus & finis ultimus eſſe debet. Hoc ſaltem pro certo affirmare auſim, quascunque mihi formulas & ſymbola confeceris, & quantamcunque huic operæ diligentiam atque accurationem contuleris, impoſſibile fore, neque ulla humana arte aut ſapientia evitari poſſe, quin de illis ipſis novæ diſputationes & controverſiæ ſint metuendæ. Neque enim compeſcere ingeniorum intemperiem ulli mortalium licet: neque Principes Proteſtantes, ſi vel omnes hoc tempore bona fide & conſtanti propoſito ſibi invicem promitterent, ſe non commiſſuros, ut quisquam ſuorum a formula noviter recepta diſcedere, vel docere aliud auſit certi eſſe poterunt eandem Succeſſoribus ſuis mentem atque conſtantiam fore. Capit enim facile novitas homines, neque unquam deerunt, qui prurientium auribus adrepant inſidioſis libellis, & ſtatim certamina naſcentibus, quibus claſſicum canitur ad bellum Civile Theologorum, gentis ſua natura præliorum avidæ, nec ferentis diuturnam quietem. Quid igitur conſilii? & num ideo ſpes omnis de conciliandis religionibus eſt abjicienda? Si per religionem ſectas diverſas intelligimus, quæ erunt, donec homines, oleum profecto operamque perdimus. Sed alia & diverſa eſt ratio concordiæ inter ſectas illas ſtabiliendæ. Scilicet hæc una eſt via & ſola MUTUA TOLERANTIA. Eſſe quidem oportet in unaquaque gente religionem *Dominantem* quam vocant. Sed hæc dominans religio appellationem ſuam a domino territorii habet, cui ille eſt addictus, non ut dominetur aliis religionibus, easque reformet, vel aliis indignis modis vexet, atque ludibrio habeat, uti nunc ſunt tempora & mores. Quodſi vero omnino certandum eſt inter ſectas, certemus invicem non inanibus & otioſis quæſtiunculis, quibus excitantur & foventur ſimultates nemo melior efficitur: Sed virtutibus Chri-

Digitized by Google

ſtianis, amore in Deum & proximum, probitate morum, vitæ ſanctimonia, & patientia adverſus eos, qui nobis moleſti ſunt, aut in nos injurii. Breviter, hæc ſit noſtra militia, ut bellum quisque internecinum indicat ſuis affectibus corruptis & effrenis: non aliorum opinionibus, quas debellare ſolus Deus potis eſt. In hac militia & Deo erimus grati, & inter nos concordes flagrante etiam acerrimo bello. Concertationes etiam pulcherrimæ erunt, dum quisque ad hoſtem internum occidendum gladium ſtringit, atque ſuo exemplo alios excitat, ad ſimilia facta edenda. Poſtquam ita nos ante omnia victoriam de nobis ipſis reportaverimus, auctor ſum ſpondeoque, reliqua circa credenda & opiniones ultro nobis ceſſura; quæ nunc tot motus in omni orbe Chriſtiano concitant. Nam ab ſanata primum voluntate dependet maxima ſui parte ſanitas intellectus; Nunc omnia inverſo ſunt ordine. intellectui primo volumus conſulere, mores inter poſtremas curas habemus. Si quem bonis malisve artibus in meam ſententiam perducere poſſumus, is continuo nobis frater eſt, & Eccleſiæ noſtræ membrum, utcunque de cetero vixerit. Sin diſſentit a nobis, neque cedere confeſtim autoritati noſtræ & argumentis vult, in eum conclamamus ad arma, & impacto hæretici pertinacis crimine ſine miſericordia confodimus, cum mea ſententia nulla major ſit & peſtilentior hæreſis, vitæ pravitate & turpitudine morum. Deus enim aliquas opiniones minus rectas condonat facile intellectui adhuc nondum ex omni parte depurato, quia bona fide & ex conſcientia errare poſſumus. Sed vitia noſtra & malitias condonare non poteſt, quoniam nullus hic error verſatur, ſed quæ homines ita ſecum decernunt, hoc modo comparata ſunt, ut fiant adverſus conſcientiam, dum affectus pravi impellunt: ſimulque ille monitor intimus dehortetur, & damnet. quo pacto dum videmus meliora, probamusque, & deteriora nihilominus ſequimur, quæ hæc non erit gravior hæreſis, quam diſſenſus a quadam ſententia Eccleſiæ Tuæ, vel a tua ſaltem opinione, cum fieri facile poſſit, & in omni ſcientiæ genere quotidie accidat, ut quæ tibi vera ac proinde affirmanda videantur, eadem mihi alia appareant, cum neceſſe non ſit, ut argumenta quæ tibi ſatisfaciunt, in meum etiam intellectum eandem vim habeant. Unde enim tot velitationes Doctorum, niſi ex hoc diſpari intellectus habitu. Quod ſi tale quid in ceteris etiam rebus evenit, quid mirum, ſi in divinis non ſemper conſentiamus, ubi homo animalis ex ſe nihil eorum percipere poteſt, ſed opus eſt ei interno lumine, non naturali illo & corrupto, ſed a Deo per Spiritum ſuum accenſo, ſi ſpiritualia recte judicare velit. Præſtemus igitur ante omnia nos dignos & opportunos hoc lumine ſupernaturali, & certi ſimus, poſthæc omnia nobis ex voto ſucceſſura. Quemadmodum enim ſic illuminati confe-

ſtim

Digitized by Google

ſtim ex rixoſis diſputatorculis mites fiunt atq; pacifici, ita nullum amplius periculum erit, illos ad odia, jurgia & perſecutiones commotum iri, qui didicere cum ceteris pravis affectibus omnem bilem, ambitionem & invidiam exuere: Neque profecto mihi certior eſt nota & character, hominem internum imperio apud nos potiri, quam ubi errantium eſt tolerantia, cum dilectione & miſericordia. Quin hæc eorum lenitas eo procedit, ut etiamſi ſuos ſenſus ab aliorum, quos æque Spiritu Dei regi credunt, ſententiis divertere intelligunt, ipſi propterea nemini bellum indicant, ſed omnia committant judicio Dei, donec ſe vel diverſum ſentientes rectiora docuerit. Neque præterea hoc eos latet, facile fieri poſſe, ut in rebus ſpiritualibus ſententiæ, quæ noſtro intellectui contrariæ apparent, apud Deum optime inter ſe concordent, cui liberum eſt, duobus de una re divina diverſos & ſpecie inter ſe pugnantes conceptus largiri, qui nihilominus ambo veri ſunt, quamvis neuter alterius mentem capere poſſit. id quod inter alia ex animi etiam cujusque diſpoſitione cauſam habere poteſt, cui Deus lumen ſuum accommodat, prout quemque illo dignum reputat. Nam uti in aliis rebus non omnis ad omnia eſt aptus, ita etiam in ſcientia ſpiritualium ſunt gradus infimi, medii, ſummi, prout Deus ſe pro captu cujusque unicuique communicare poteſt, aut etiam pro ſua libertate communicare vult. Scilicet omnis divina ſapientia inter homines eſt a commercio cum Deo, non ab induſtria noſtra, vel aliorum hominum inſtitutione. Docere quidem & diſcere poſſumus verba, poſſumus etiam illa memoriæ mandare & recitare: ſed revera pſittacorum more, qui non intelligunt quæ loquuntur. Etiam cœci de coloribus judicant, ſed absque ſenſatione & oblectamento. Eodem modo ſe res habet cum omni humana Theologia, quæ ſtudiis noſtris comparatur; loquimur multa quotidie de rebus divinis: diſputamus inter nos magno calore, ſæpe etiam vera & egregia a nobis dici contingit. Quoties autem viva abeſt ſenſatio, oblectamentum atque dulcedo, certiſſimum eſt ſignum, hæc non a Spiritu Doctore eſſe, ſenſus noſtros internos afficiente & lætificante: ſed memoriam noſtram hic agere, cœco impetu, & ſi verum aliquando invenerit, fortuito caſu. Inſignis eſt impoſtura noſtrorum diſtinctio inter dona miniſtrantia & ſanctificantia, qua ordinem ſuum & dignitatem tuentur. quaſi vocatio humana Spiritui Sancto hanc dicere legem poſſit, ut donis ſuis & auxilio aſſiſtat, quorum vitam & mores fugit. Aliter Chriſtus ad Phariſæos: Γεννήματα, inquit, ἐχιδνῶν, πῶς δύνασθε ἀγαθὰ λαλεῖν, πονηροὶ ὄντες. Matth. 12, 34. impoſſibile igitur judicat Chriſtus, ut mali & vitæ impuritate infecti Doctores bona & vera loquantur. loqui autem certe eſt docere. Quantum autem interſit inter

doctrinam Spiritus vivam, & mortuam, quæ eſt ab hominibus, experiuntur ſane illi, quibus utramque audire datum eſt. Hæc neque loquentem movet, nec facile auditores, aut ſi utique hoc aliquando fit, artificio oratoris omnis vis tribuenda eſt: illa vero ex ſe percellit, neque ullius indigit coloris. Ita Capernaiti Chriſti doctrina affecti fuere, Marc. 1, 22. Καὶ ἐξεπλήσσοντο ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ ἦν γὰρ διδάσκων αὐτοὺς ὡς ἐξουσίαν ἔχον, καὶ ὀυχῶς ὀι γραμματεῖς, qui loquebantur ſine efficacia & pondere. Valeant igitur Theologaſtri noſtri, quoties alios veluti αὐτοδιδάκτους exagitant qui ſuis in Scholis tyrocinium non poſuere, idem objicientes quod Judæi Chriſto apud Johannem 7, 15. πῶς ὄυτος γράμματα ὄυδε μὴ μεμαθηκὸς. quanquam Hi magis excuſabiles erant, dum ſaltem mirabantur, ἐθαύμαζον. cum jam noſtri ſtatim rejiciant & damnent, qui ſe non laudant Doctores ſuos & Præceptores ſuos æternum venerandos. Protinus enim debebit ludibrium, & irridebitur ſcurrili acerbitate, ſi quis de ſe hoc jam affirmare auſit, quo Paulus apud Corinthios ſuos eſt gloriatus 1. ad Corinth. 2, 13. ſcilicet ſe loqui: οὐκ ἐν διδακτοῖς ἀνθρωπίνας σοφίας λόγοις, ἀλλ' ἐν διδακτοῖς πνεύματος ἁγίου. πνευματικῶς πνευματικά συγκρίνοντες. Quoniam enim illi conſcii ſibi optime ſunt, apud ſe tam magnos Doctores, tantaque mundi lumina nihil eſſe, quod ſpiritum ſapiat, ſed tumida omnia eruditione & λόγοις ἀνθρωπίνας σοφίας, ut adeo hoc de ſe profiteri nequeant, quod Paulus ad Galatas ſcripſit, ſe Evangelium ſuum non ab homine accepiſſe neque illud cujusquam doctrina traditum eſſe, ſed habere ex revelatione Ieſu Chriſti, *ad Galat. 1, 12.* Ideoque invident ſtatim & cavillantur, ſi quem alium, qui non eſt ex Tribu Levi, offendunt diviniora nec Talmuthica, ſua loquentem, plane ac ſi fieri non poſſet, ut præter ſe quisquam ſit, quocum Chriſtus familiarius converſetur, & cui ſe interius ſentiendum guſtandumque præbeat. Non advertentes, liberum eſſe Spiritum & flare ubicunque ei libitum, his præcipue temporibus, quando abrogato ſacerdotio, filii etiam noſtri filiæque, ſervi item & ancillæ vaticinabantur. Atque ex his arbitror unumquemque nullo negotio intelligere, quanta cum ineptia & abſurditate hoc genus hominum judicium in rebus divinis ſibi ſoli arrogent, atque ex ſenſuum ſuorum Lesbia regula ſtatuere, aut potius imperare velint, quid aliis credendum ſit, quid item faciendum? ſi ſalvi fieri cupiant; cum ipſi interea a Statu ſalutari, & gratia longius ſæpe abſint ſimpliciſſimo homine, qui ex animo & bona indole

Deo

Deo placere ſtudet, etiamſi nihil quicquam horum ſciverit. Fortaſſis etiam nihil nimis dixerim, ſi manifeſtos peccatores illis prætulerim, uti Chriſtus mœchos, ſcortatores, fureſque regno Cœlorum propiores eſſe affirmavit Phariſæis & Legisperitis, tacitis hypocritis, nec ſuæ corruptionis ſibi conſciis, dum ordinis ſui & Cathedræ Moſis confiſi, ad hoc ſe poſitos eſſe putant, ut doceant alios, non ut ipſi de ſua emendatione cogitent. Rectitudinem enim doctrinæ circa ea, quæ intellectus ſunt, cuſtodire & defendere, ſui eſſe officii credunt, de vitæ probitate alios cogitare jubent, quibus ad hoc Studium majus eſt ocium. Unde inventi etiam ſunt ex illa ſchola homines, qui dicere non erubuere, ſibi incumbere ſtudioſos juvenes doctos ſaltem reddere, de pietate ipſos alioſque laboraturos. neque hoc eſt ſatis. ſed habent in ipſa ſua doctrina, fidem, uti ipſi eam ſibi formant, finguntque in negotio ſalutis omne punctum ferre, vitæ ſanctimonia ſuperficiarie ſaltem opus eſſe in ſignum gratitudinis, & inchoative, cum inter impoſſibilia ſit habendum præcepta Dei ſervare. Unde mirum non eſt, tantam ubique corruptionem morum regnare, atque omnes ordines vivere incredibili ſecuritate, quando contentio de frivolis opinionibus & credendorum neceſſitate primo loco eſt, puritas animi inter ſecundas curas refertur. qua diſciplina jam ſunt omnia Pſeudoprophetarum plena, quos Chriſtus non ex doctrina ſua, ſed ex fructibus & operibus nobis cognoſcendos atque diſtinguendos propoſuit. Nugæ profecto ſunt & artes veteratoriæ, excuſandis ſuis vitiis, atque conſulendo Cleri honori inventæ, dum perhibent, de fructibus doctrinæ loqui Chriſtum; non de fructibus vitæ, quo improbo effugio dici nihil poterit a mente & ſcopo Chriſti alienius; imo nihil quo propoſita cognoſcendi ſigna incerta magis & dubia fiant. Neque enim hæc gentium Doctor eruditis & ſapientibus ad cavendum ſibi proponit, ſed ſimplicioribus ad hoc ipſum, ut falſos a veris Prophetis diſtinguere poſſint. Quæſo enim inter tot difficiles & impeditas quæſtiones, inter hæc agmina certaminum & futiles ſubtilitates, ubi partes inter ſe pro ſententia quisque ſua velut pro aris & focis pugnant, ſeque invicem probroſis nominibus proſcindunt, & odio plusquam Vatiniano proſequuntur, quis verum a falſo noſſe poterit, ut de genere Prophetarum judicium ferat, accedentibus ante omnia præjudiciis, quæ ab incunabulis cum doctrina noſtræ civitatis inbibimus, & quo ſe liberare eo minus eſt in poteſtate noſtra, quando illi ipſi Prophetæ omnem lapidem movent, ut quisque ſuos diſcipulos contineat in officio, ne ſibi examen doctrinæ ſumant. Enim vero impuritas morum & vitia facilè in oculos omnium incurrunt, neque quisquam eſt tam obtegens ſui & vigil hypocrita, quin brevi ſeipſum prodat, & quid valeat, declaret, ſi cum ipſo paulo attentior fueris verſatus.

Digitized by Google

tus. avaritia, gula, ira, ſuperbia, luxuries & cetera ita comparata ſunt, ut quibus hominibus dominantur, premi ſe longo tempore non ſinant; ſed ut reliqua occultent ſimulatione, certe impatientia, contemtus & cupido vindicandi adeo hunc ordinem obſedit, ut cohibere ſe nequeant, quin laxent ſuis affectibus frena, & producant ſuæ indolis fructus, a ſpinis non colliguntur uvæ, nec ficus a carduis. Bona arbor non fert malos fructus nec bonos mala. Uti fructus utriusque generis, non ex foliis arborum, vel earum externa ſpecie, ſed ex ipſa natura atque interna habitudine producuntur, ſignaque ſunt, quid de arbore ipſa ſit nobis ſentiendum; ita nota, qua malus Propheta a bono dignoſcitur, non eſt diverſitas cujusque doctrinæ, cum etiam Propheta falſus vera docere poſſit: ſed qualitas operum utriusque, quæ decipere nequeunt, utcunque aliquantulum poſſint latere: ideoque *cavendum* præcipit Chriſtus, quod attentionem & examen indicat, veluti qui in ſpecula ſunt poſiti, in omnes partes proſpiciunt, neque remittere cuſtodiam debent, etiamſi non una ſtatim alteraque die hoſtis ſe conſpiciendum præbeat. Abſurdius excogitari nihil certe poteſt, quam quod nonnulli objiciunt, Prophetam a moribus & vita æſtimatum, ſi malus ſit, non eſſe falſum Prophetam, ſed improbum, cum nihilominus vera docere poſſit. Falſus enim an quis ſit Propheta, an verus, non a conditione doctrinæ cujusque dignoſcitur, ſed ab eo, a quo eſt miſſus. Res hic eodem modo ſe habet, ac in Legatis; Nam falſus etiam Legatus eſt, qui mentitur dominum, a quo miſſus non fuit, quamvis omnia ſecundum ejus voluntatem egiſſet. Finge tibi a Principe mitti Legatum ad aliquam civitatem: Hunc vero in itinere ab inſidiatoribus occidi, aliumque accepto mandato & commentariis, quæ ille ſecum habebat, proficiſci quo alter erat deſtinatus, ibique omnia ad mandatorum formulam agere: num ideo hunc falſum Legatum non dicemus? imo falſum puto, non impium. impius prædo & latro fuit, dum verum Legatum occidit. Falſus, dum illius perſonam induit, ſeque pro Legato gerit, etſi omnia illi ex voto ſucceſſerint. Quemadmodum etiam eſt falſus tutor, qui ſe pro Tutore gerit, cum non ſit, atque etiam ſciat ſe non eſſe. Quandoquidem igitur cum impiis Prophetis Deo nullum ſit commercium, neque Spiritus Sanctus cor impurum & vitiis domitum regere velit, atque adeo talis Propheta a Deo non ſit miſſus, quem abnegat potius, fugit & execratur: imo quem negat, ſe unquam noviſſe. Nemo autem ſe verum Prophetam gerere poſſit, niſi quem Deus mittit, & cui Spiritus Sanctus pro commentario eſt, ſeu *inſtructione*, uti hodie appellamus. quidni talem non modo *impium*, verum etiam magis & rectius *falſum* Prophetam vocabimus? cum turpitudo vitæ ſaltem ad ea pertineat, quæ ut

homo

Digitized by Google

homo facit; mentitum vero officium proprie ſpectet ad Prophetam, quem ſe falſum gerit, cum a Domino nec miſſus ſit, nec mandatum habeat. Qui humanis vocationibus ſuperbiunt, næ illos ſe aliosque inſigniter fallere oportet. Loquimur enim de Prophetis, quales Chriſtus intellexit, & a quibus cavendum jubet. In hoc numero procul dubio erant Phariſæi, Scribæ & Legisperiti, quibus vocatio non deerat, ſed quos nihilominus inter falſos Prophetas referri hic videmus. & cui tandem uſui monitum ut ex fructibus quemque ſuis cognoſcamus, ſi vocatio humana ex falſo verum facere poteſt? Alias non ignoramus, Humanam illam vocationem in Civitate hoc efficere, ut ſaltem ita vocatus inter ſuos Propheta verus habeatur; neque ipſi de Statu ſuo & officio controverſia moveri poſſit. nego vero, huic judicio Deum etiam teneri. quemadmodum & Patrum noſtrorum & noſtris temporibus Deus multos Prophetas magnos certe & veros miſit, quos Civitates & ipſi illi Prophetæ putativi, cum obnoxios magiſtratus habent, continuo perſecuti ſunt & fugarunt. tanta differentia eſt, inter Eccleſiam illam externam, & Eccleſiam Dei. In hac falſis Prophetis nullus eſt nec locus nec honos. in illa publico etiam præſidio iſti gaudent omniumque pulpita fere implent, noti proh dolor, plus quam par eſt, ex fructibus ſuis, quos certe malos, imo peſſimos, & quorum putredinem atque canoſitatem adhuc magis perſpiceremus, niſi longum illud pallium, & ampliſſimæ manicæ, vel alia habitus inſoliti forma vitium obtegerent, & primo ſtatim aſpectu perculſis ſimplicioribus reverentiam imprimerent, qui haud facile ſuſpicantes fieri poſſe, ut ſub hac theatrali & devota veſte locus ſimulationi & impuritatibus eſſe poſſit. Incipe a ſummo Pontifice, & perge per omnes ordines; neque etiam noſtris parce & deinde judica mihi de veris atque falſis Prophetis ſecundum characteres a Chriſto nobis propoſitos. Nam ludibria ſunt illæ diſtinctiones inter officium hominis & ejus vitium, & quæ his ſimilia excogitarunt palliandis ſuis turpitudinibus. Polluitur enim ſanctiſſimum etiam officium, ſi ab impuris tractatur, plane uti Harpyæ olim ſolo contactu corrumpebant omnia, & conſpurcabant fœtore ſuo, quæ iſtæ volucres peſtiferæ involabant, dentibusque ſuis carpebant.

Sed fortaſſis inquies, quo hæc tota & tam vehemens digreſſio pertinet? Eo nempe, ut incipiamus ſapere, & cum videmus, nullam eſſe externam religionem, quæ ex omni parte recte ſe habet, nos depoſita invidia ſimultatibusque moderatiora conſilia capiamus, atque invicem nos toleremus, memores, quæ in aliis reprehendimus, eadem domi apud nos vel graviora ſæpe eſſe, quæ alii reprehendant, cum nulla amplius toto terrarum orbe ſit Eccleſia, ab omni labe pura, & ubi falſi Prophetæ juxta bonos non

Digitized by Google

non nidulentur, interdum etiam re gnent. Quid igitur odiſſe, perſequi & vexare juvat eos, quorum ratio vivendi in negotio religionis cum noſtris ceremoniis ex omni parte non congruit, vel quos in omni credendorum genere nobis non conſentientes habemus? Intolerabilis eſt & deteſtanda arrogantia, ita fidere noſtris opinionibus & ſententiis, plerumque autoritate magis & adulto præjudicio, quam judicii firmitudine & debito examine nixis, ut confeſtim omnes damnemus, qui alios ſibi ſenſus in uno alterove articulo fidei compararunt, vel ritibus noſtris Eccleſiaſticis ſe non conformant. quos ferre ſatius eſſet, uti ferimus in quocunque alio ſcientiæ artisve genere inter ſe diſcordes. Non eadem Medici, non Jureconſulti, non Philoſophi ſentiunt: Cur igitur in ſola Theologia liber diſſenſus crimen eſt! cui neſcio quod hæreſeos nomen velut conſecrarunt, cum revera hæreſes in quovis vitæ inſtituto, ubi factiones ſunt, inveniantur, & in ipſo Sacro Codice Hæretici dicantur, non qui diverſa opinantur, ſed qui diverſa a ſe opinantes ob hoc ipſum damnant, eosque cum ignominia ſeparant. cum ex adverſo, ſi rem probe penſitemus, nulla hæreſis dignior ſit condonatione & venia, quia in nullam facilior lapſus nec error invincibilior; Divina ſcrutari homini fere ingenitum. Aſt tamen eadem recte & probe noſſe non eſt rationis noſtræ opus, quæ turbat magis & ſeducit, quam docet. Spiritualia enim ſpiritu judicantur, non ratione, & dum myſteria divina incomprehenſibilia autem aliter concipi non poſſint, niſi per ſimilia rerum comprehenſibilium, quæ ipſa varia ſunt & infinita: quid igitur iraſcimur, ſi alter rem ambobus incomprehenſibilem præciſe ſub eodem ſimili vel tertio non concipiat, quo ego, cum ille ſub conceptu alius ſimilis æque recte fortaſſis vel rectius etiam poterit judicare. ut proinde videri mirum nemini debeat, ſi quis dixerit, ſæpe alia apparere & inter ſe pugnantia, de quibus homines aliquando digladiantur, cum interea utrique ſæpe eadem ſub diverſis nominibus aut conceptibus ſentiant, atque adeo Andabatarum more pugnent. Eſt etiam cum deſideratur æquitas inter contendentes quoties unus alteri ex livore & odio neſcio quos errores impingit, & vi quaſi obtrudit, cum eadem iſta in aliis nullo negotio toleraret, vel ſaltem excuſaret. Inter Reformatos & Lutheranos hoc quotidie evenit. quæ non certamina & prœlia excitavit controverſia illa de Prædeſtinatione ſeu abſoluto Decreto? Interea dum Lutherus ſi non duriora, at æque ſaltem dura atque atrocia contra Eraſmum fervore diſputandi in libello ſuo de ſervo arbitrio ſcribit atque defendit. Sebaſtianus Schmidius iſta adeo lenit & excuſat, ut ſi cum Reformatis, hodiernis præcipue, eadem æquitate & moderatione ageretur, neque monſtroſa dogmata ingratiis Reformatorum ex male ſanis conſequentiis peſſimo exemplo cude-

adeoque illi duas partes conſtituant,(p) ideo de jure reformandi

cuderentur, poſſemus hac omni hoſtilitate ſuperſedere, quæ tantos nunc clamores & tumultus ciet. Ita, quando nos Chriſtus manducare panem jubet, quem corpus ſuum eſſe dicit, cur non his verbis, huic mandato, ſimplici fide acquieſcimus? cur ſuper modo manducandi, quem nos ignorare ipſi fatemur, tam acerbe litigamus? intelligant hæc illi ſuo ingenio: nobis neceſſitatem non faciant eadem ſentiendi, quibus popularior explicatio placet, & naturæ dictionis convenientior. Neque enim neceſſaria eſt conſequentia, quia panem ore aſſumimus, & dentibus conterimus, ac denique per gulam in ventrem mittimus, ideoque rem de manducatione Corporis Chriſti eodem modo ſe habere. Enim vero his duobus controverſiis compoſitis, aut ſaltem relicta in iis cuique parti credendi libertate reliqua ſane tanti non ſunt, ut impediendæ concordiæ cauſam habeant, aut ſaltem mutuæ tolerantiæ obſtent. Eſt perſecutio minime omnium res ad hominum converſionem apta: cum ſi indulgeamus paulatim errantibus, eosque obſequio aliquo demereamur, ſpes erit eos tandem meliora doctos ſua ſponte emendatum iri, quos indigna & mala tractatio indurat atque indociles facit. Sic enim natura nobis eſt comparatum in omni opinationis genere, ut quo durius habemur ab aliis propter diverſas ſententias, hoc ægrius illas deponamus, quia hac ratione non videmur ab illis doceri, ſed cogi & rapi ad aſſenſum, quæ res a convictione longisſime abeſt, quicquid illi ſtolidi & inſolentes de pertinacia eorum, quos erroris ſtatim convincere nequeunt, conqueri ſoleant. Atque hæc occaſione juris reformandi ſufficiant.

(p) *Adeoque illi duas partes conſtituant.)* Status Proteſtantes utriusque religionis pro una ſaltem parte habentur, quoties ipſis res eſt cum Catholicis. Hinc articulo V. ſemper ſit mentio Statuum utriusque religionis, non trium Religionum. Quando vero inter ipſos Proteſtantes cauſa vertitur, & Reformati cum Lutheranis habent, quod diſceptent, tum vero dicuntur duas partes conſtituere, ſine tamen præjudicio unionis in ordine ad Catholicos, adverſus quos conjunctis animis viribusque agunt, & ſibi mutuo aſſiſtunt, ut ſocii unius religionis, quam communi nomine Evangelicam vocant. Ita cum ſub initium hujus ſeculi Reformati in Palatinatu inferiore contra Electorem Palatinum de ereptis ſibi templis & reditibus quererentur, recte & ex ordine fecere Lutherani, quod illorum cauſam ſuam etiam fecerint, conſiliaque ſua opemque eam in rem contulerint, nihil moti artificio Electoris, qui non modo facta trium religionum mentione hoc pacto ſeparare a ſe invicem Proteſtantes eſt conatus. Verum etiam

Lutheranos multis modis melius habuit, hoc fine, ut eo facilius illos moveret, ne rationes ſuas a cauſa Reformatorum amplius haberent conjunctas. Datum igitur illis Conſiſtorium ſeparatum, poteſtas facta exercitii religionis ſuæ in Reformatorum templis, & inſignis pars de reditibus Proteſtantium in uſum Lutheranorum verſa eſt; Hæc omnia ipſis Statibus Lutheranis improbantibus, qui negabant ſibi placere, ut Lutheranis detur, quod a Reformatis per injuriam eſt ablatum. Poſthæc vero cum Pontificiorum artes ita non ſuccederent, mutata iterum rerum facies & curante Rege Boruſſiæ transactum cum Palatino de Reformatorum cauſa, atque his reſtituta templa & reditus, exceptis duabus partibus e ſeptem, quas ſibi Catholici retinebant; quinque partibus Reformatis relictis. Nihil in hoc pacto erat, quo Lutheranorum cauſa vel minima re læderetur. Ipſis enim intacta manebant & integra omnia, quæ illis ex Weſtphalica pace debebantur, cum Reformati jacturam facere debuerint inſignium jurium & bonorum. Interea nihilominus illis, Reformatis inquam ex hac transactione ingens conflata eſt invidia, clamantibus Lutheranis in Palatinatu, ſe numero immenſum auctos, nec ſibi amplius ſufficere opes ex Weſtphalica pace aſſignatas, cum & templa tam numeroſo populo deſint, & reditus Paſtoribus ſuſtentandis. Ceterum in eo cauti ſatis erant, ne Catholicos aliquid poſtularent, ex illa præda, quam a Reformatis abſtulere, veriti, animum Electoris per id alienatum iri. Itaque incurrebant Reformatis, atque ab illis ſumma impudentia petebant, ut derelictis ſuis quinque partibus, quæ velut ex naufragio ſervavere, novam ſecum diviſionem inſtituant, & quidem æquis per omnia partibus cum ne umbram quidem alicujus juris, cur hoc repetant, allegare potuerint. Nam quod de transactione Paſſavienſi & pace Religioſa in medium attulere, ejus certe cauſæ ipſos Status Lutheranos merito puduit, cum rerum noſtrarum vel mediocriter periti facile intelligant, in his nihil præſidii eſſe, quo Lutherani in Palatinatu conditionem ſuam meliorem facere poſſint. Quamvis enim tempore transactionis Paſſavienſis & pacis Religioſæ Lutherani in Palatinatu templis & reditibus Eccleſiaſticis, quæ a Catholicis abſtulere, gaviſi ſint, quoniam eorum Principes illi religioni addicti fuerant, id tamen poſſeſſionem ſubditorum non perpetuam effecit: quippe hanc rem vere æſtimantibus ſtatim apparet, dicta transactione & pace nihil ſubditis quæſitum eſſe, ſed omnia Electori & Succeſſoribus, a quibus ſubditi ſaltem precario habuerint, ad libitum rurſus auferenda, nulla illorum injuria, quamprimum Principi mutare religionem placuerit. Quemadmodum igitur ſi poſthæc Electores Palatini ad Eccleſiam Pontificiam forte rediiſſent, iſta

omnia

omnia Lutheranis ſubditis ſalva Religioſa pace auferri potuiſſent, quod non ita multo poſt Princeps Neoburgicus fecerat in Palatinatu Juniore, non ablatis modo omnibus reditibus, ſed exactis etiam Paſtoribus Lutheranis, atque omni exercitio religionis tam publico quam privato interdicto. Ita certe quando Electores Palatini a cœtu Lutheranorum ad Reformatorum ſacra tranſiere; illis eadem libertas ſtatuendi de fatis Lutheranorum eo tempore ſuppetebat, quandoquidem ſuo jure utebantur, cujus uſu nemini faciebant injuriam. Neque enim ſubditi fuere, quibus transactione Paſſavienſi, & pace Religioſa templa & reditus relicti, ſed Principes & Status, in quorum gratiam cedere illa Catholicos oportuit. Iſti quidem hæc iterum impendebant magnam partem curandis & exornandis ſuis ſacris, ſed propterea non cedebant jure ſuo, aut in ſubditos illud transferebant, apud eos perpetuo manſurum. Princeps erat diſpenſator liberrimus, ſubditi beneficiis ejus fruebantur, prout quemque religionis favor commendabat. Hinc de jure, de poſſeſſione ſubditorum in his rebus usque ad Pacem Weſtphalicam altum ſilentium. uti omnis procuratio ſacrorum ad Principem ſpectabat, ita penes Eundem erat, quæ templa cuique communitati, quas item penſiones & reditus attribuere voluerit. Si nulla eſſet hujus aſſerti alia probatio, certe unicum hoc nobis poſſet ſatisfacere, quod ex pace Religioſa ſubditis diverſæ religionis contra perſecutionem Dominorum ſuorum, quoties illos ad mutanda ſacra cogere volunt, non aliud fuerit præſidium quam libertas emigrationis, a qua prohiberi non debent. Quid hoc flebili beneficio opus & quidem in gratiæ locum, ſi exercitium ſuæ religionis, ſi templa, ſi reditus in poteſtate ſua ipſi habuiſſent, idque jure ſuo, nec alieno arbitrio rotabili. Cavet ſane Pax Weſtphalica aliquantulum ſubditis de libertate conſcientiarum. Quod vero ad exercitium Religionis, ut & adminiſtrationem atque uſum bonorum Eccleſiaſticorum attinet, in his pax Religioſa ſubditorum cauſa nihil mutat, quod præjudicio Statibus circa jus reformandi eſſe poſſit, nam quibus migratio ob religionem imperari poteſt, illis certe hac in pace nihil erit præſidii pro libertate & commodis ſuæ religionis. Quod ſi præterea ad originem redituum eccleſiaſticorum reſpicimus, res adhuc clarior fit. Nimirum ante tempora Lutheri, cum in ſacris ſolus regnaret Clerus, neque ipſi Principes contra tam formidoloſum Dominatum vel mutire auderent, facile intelligitur, populo nihil eſſe relictum, quod is ſibi arrogaret. dotare Eccleſias & opibus beare cuique licuit: quæ autem ſemel data ſunt, illa deinde attrectare quacunque cauſa velle piaculum erat quovis ſacrilegio gravius. Supervenit Lutherus, docuitque Principes quid ſuarum ſit partium in regendis Eccleſiis & cenſura eccleſiaſti-

ſiaſtica. Tum quidem Principes occupare monaſteria, reformare Monachorum mores,& reditus eorum ad alias pias cauſas deſtinare, quæ deinde pax Religioſa rata habuit & confirmavit. Sed hic iterum ſubditis nihil quæſitum, quod ſuum dicerent, ſibique proprium. Illi quidem, qui unam cum Principe religionem profitebantur, uti hac cura & beneficio poterant ad ſuorum ſacrorum commoditatem, ne cogerentur novos ſumtus facere; de cetero in jure & poteſtate habebat nihil. imo ſtatim rurſus omnia amittebant, cum Domino placuerit mutare religionem, qui hæc ipſa ad ſua protinus ſacra transmittebat, nulla ſubditorum alia injuria vel querela, niſi quam dolor ex hac mutatione conceptus: tum periculum novæ reformationis, denique quod moleſtum erat prioribus commodis carere, ferebat ſecum, uti ſemper fieri ſolet. Itaque ut in caſu noſtro moneamus, ſicuti cum Principes Electores Palatini a ſacris Pontificiis ad Lutheranorum doctrinam tranſiere, templis & reditibus eccleſiaſticis uſi ſunt ſuo arbitratu, pulſis Catholicis, quos hæc poſt pacem inprimis Religioſam ferre oportuit: ita certe cum deinde a Lutheranis ad Reformatos deſcivere, eodem jure iſta omnia illos ſunt ſecuta, relictis Lutheranis, quorum uſus ſubditis ad breve tempus ſaltem erat precarius, res ipſæ in Principis patrimonio. Neque enim ulla ſatis valida ratio dari poteſt, cur Principibus Palatinis hæc a Catholicis antiquis Poſſeſſoribus, & qui titulum certe ex majorum pietate & devotis donationibus habebant, auferre licuit: a Lutheranis vero ſubditis nullo titulo, nulla cauſa poſſeſſionis nixis, non liceat amplius auferre, quibus ne pax quidem Religioſa, inter ſolos Catholicos & Proteſtantes Status inita, opitulabatur. Imo quos oppugnabat potius data Statibus reformandi religionem libertate nullis legibus circumſcripta, ut Lutherani, ex quo Principes Palatini Reformati facti ſunt, in beneficium & gratiam imputare debuere, ſi quos apud ſe tolerarint, cum expellere omnes potuiſſent. tantum abeſt ut ex pace Religioſa cum Principibus ſuis de templorum & redituum proprietate contendendi jus vel actionem habuerint. Atque hæc a tempore pacis Religioſæ usque ad Weſtphalicam pacem ſic duravere, quo ſpacio mirum non eſt, ſi quæ Lutheranis ſubditis ſub Principibus Reformatis moleſta multa & ingrata accidere. Hæc enim fata mutatio Domini in religione plerumque habet: neque eſt cur hoc ægrius ferant Lutherani, quam cum Neoburgicus defectione ad Romanam Eccleſiam in omni ſua Norica terra religionem Lutheranam funditus extirpavit, omnesque ſubditos ſuos gravi edicto patria expulit, qui imitari Principem ſuum eodem transfugio noluere. De his jam nemo Lutheranorum quæritur, nemo ex pace Religioſa vel transactione Paſſavienſi templa & reditus a Catholi-

tholicis repetit. Omnis invidia in Reformatos derivatur, Hi ſoli arguuntur rerum per vim ablatarum: ſoli accuſantur injuriarum & rapacitatis; in hos ſolos ſcribuntur ingentia volumina, publicantur & diſperguntur per omnem Europam libelli ſupplices, pleni mordacitatis, virulentiæ, & calumniarum: Denique in hos ſolos literis circulatoriis, impudenda hypocriſi ſcriptis concitantur Principes Chriſtiani, & tantum non ad arma vocantur contra Reformatos in Palatinatu induenda, tanquam Hi Lutheranis ſubditis per ſummum nefas ſua rapuiſſent. O falſum zelum, & diros clamores, quos ſola habendi aliena cupido tollit, ſimulata Dei cauſa ſatis male tecta. qua cœca agendi ratione illos ſibi ipſos maxime nocere conſtat; quod jam videbimus.

Cum per Weſtphalicam pacem reſtitutio Electoris Palatini fieret, quæ actio magna Tractatuum pars fuerat, reſtituti ſunt non modo Electores & Principes Palatini, ſed & ſubditi eorum in certum Statum, quo ante motus illos fuere. De Principibus jam nihil attinet dicere. Inter ſubditos diſtinctio facta eſt. Cum enim ſemel placuiſſet totum Palatinatum inferiorem Electori Carolo Ludovico eo ſtatu in eccleſiaſticis & politicis reſtituere, quo ante motus Bohemicos a Patre ejus Friderico V. poſſeſſus fuerat, ideoque primo Catholicis migrandum iterum fuit, qui per bella civilia regionem omnem occupaverant. Manſere igitur ſoli quidem Proteſtantes, ſed diverſa pauliſper conditione, & aliqua inter Lutheranos & Reformatos differentia. Illi art. IV. §. 6. reſtituti ſunt cum Principe ſuo in omnia eccleſiaſtica & ſecularia bona, quibus ante motus Bohemicos ſunt gaviſi: & quidem in ſpecie §. 13. ut *fruantur Amneſtia generali ſupra deſcripta, pari cum ceteris in ea comprehenſis jure, & ſingulariter transactione in puncto gravaminum pleniſſime.* His, Lutheranis, qui §. 19. nomine *Auguſtanæ Confeſſionis Conſortium* a ſuperioribus i. e. Reformatis, diſtinguuntur, ſervatur Status ratione templorum anni 1624. & de cetero eis liberum religionis exercitium tam publicum quam privatum conceditur, ubicunque & quotiescunque voluerint aut deſiderarint. quod tamen ita intelligendum, ut ſuis ſumtibus habeant, ſine Reformatorum onere. Atque hoc Statu res utrinque manſere poſt pacem executam per dimidium ſeculum. Nam Reformati Electores ad hanc legem omnia ſtatim domi circa religionem diſpenſabant. quin primus etiam Succeſſor Catholicus Philippus Wilhelmus ad eandem regulam res adminiſtrabat, pauciſſimis exceptis, quæ tolerari aut diſſimulari facile poterant. At Elector Johannes Wilhelmus hic ingentem mutationem orſus eſt, non modo inſtituta ubique fere locorum religione Catholica, verum etiam templis & reditibus Reformatorum in uſum Catholicorum arreptis & occupatis. Excitavit igitur

hæc

hæc res ut par erat omne Proteſtantium nomen, qui in Comitiis conſilia contulere ſiſtendo huic torrenti, qui toto Palatinatu omnia jam inundabat, mergebatque Eccleſiæ Evangelicæ fortunas. Hinc literis cum Electore libere expoſtulatum, & cum reſponſa ejus non ſatisfacerent, miſſa etiam Legatio curante tum Electore Brandenburgico, nunc Boruſſiæ Rege. Hic Elector Palatinus unitas corporis Proteſtantium vires veritus ſic deſtinata ſua felicius ſucceſſura ſperabat, ſi inter eos diſſidia ſerere poſſet, aliquo commodorum reſpectu. Itaque ad Lutheranos fovendos demerendosque adjecit animum qui minori in Palatinatu numero facilius poterant ſatiari ex Reformatorum manubiis, quarum maxima pars Catholicis ſervabatur. Sed hoc Conſilium eventu caruit, Lutheranis Statibus in conjunctione cum Reformatis firmis, & monentibus ipſos Lutheranos in Palatinatu, ne ſpe & deſiderio præſentis alicujus Lucelli cum injuria & damno Reformatorum conditionem ſuam vellent meliorem facere, illis ſubactis haud duraturam: qua admonitione cum unus alterve ex ordine eccleſiaſtico ibi non moveretur, ſed Sirenum cantibus nihilominus præberet aures, publico decreto teſtati etiam ſunt, quantopere ſibi hæc res diſpliceret. In hac confuſione res manſere usque ad annum 1705. quo Regi Boruſſiæ oblata occaſio eſt, ſuper Reformatorum cauſa & Statu cum Electore tranſigendi. Erat autem ſumma illius transactionis, ut omnia templa & bona eccleſiaſtica Reformatorum in ſeptem partes æquales dividerentur, ex quibus duas Catholici ferrent, quinque aliæ Reformatis relinquerentur. Excepta ad hæc fuit ſub Clauſulæ, Ryswicenſis colore Præfectura Germersheimenſis, qua Catholici ſoli tamdiu fruerentur, donec conſtaret, quid de illa futura pace fiet. Quod ad Lutheranos pertinet, illis ſervata omnia & illibata, quorum ex pace Weſtphalica petitio eſſe potuit, ut hac ratione ne obulum quidem perdiderint, cum Reformatos oportuerit jacturam facere duarum partium ex ſeptem. Neque iſta clam Lutheranis facta, ſed inter tractandum ſincera fide cum illis communicata omnia, petitumque ut ſi quid præterea haberent quod deſiderent, id Regi Boruſſiæ curarent in tempore exponi, Tandem nullo accepto reſponſo menſe Novembri dicti anni 1705. abſolutum eſt negotium & utrinque ratihabitum. Vix autem iſta innotuere, cum ingentes clamores tolluntur, & magni queſtus ubique fiunt de injuria hac conventione Lutheranis illata. cum reſpondetur, oſtenderent vel caſam vel tugurium, quod eis hoc pacto adimeretur: indicarent obulum, qui illis ita periret. Reformatos de ſuo transegiſſe: Lutheranorum res omnes in ſalvo eſſe: replicatum fuit, ſibi templis Reformatorum jam eſſe excundum, quæ ab quatuor vel ſummum quinque annis Electoris Palatini gratia cum

cum Reformatis communia habuiſſent. carendum etiam ſibi multis reditibus fore, quos Idem Elector ex Reformatorum facultatibus ad ſuos uſus deſtinaverat. Cum porro quæreretur, quodnam id jus eſſet, quæ æquitas, ex Reformatorum bonis ſibi ſatisfieri velle, & quid rei Lutheranis in facultatibus aliorum, denuo reſponſum, ſe interea magno numero auctos ſupra quadraginta millia capitum excreviſſe, quibus in ſacris recte inſtituendis non ſufficiat amplius exiguus ille Paſtorum numerus, qui ante hæc tempora fuerat: ideoque cum ipſis majore copia ſit opus, nec habeant unde omnes ſuſtententur, æquum eſſe ut ſibi Reformati ex eo, quo ipſi abundent, ſuccurrant, & minimum ea non repetant vel auferant, quibus beneficio Electoris jam fruantur. Hic teſtabantur Reformati, ſe Lutheranis ex animo bene cupere, omniaque facturos, quæ a ſe fieri poſſint, ſine luculento Eccleſiarum ſuarum damno & incommodo: ſed de reditibus jactare nihil poſſe, qui ad ſuas neceſſitates ſibi non ſuppetant, poſtquam Catholicis opimam eorum partem projicere oportuit, ut ſalvarent reliqua. Ideoque huic jacturæ ſarciendæ & ſubveniendæ inopiæ ſe ubique fere in terris Reformatorum ſtipem quotannis colligere cogi. facilem eſſe conjecturam, ſi Lutherani tanto numero in Palatinatu ſint, quanto Reformati eſſe debeant, & quibus ſumtibus opus ſit ad omnes neceſſitates ſubminiſtrandas. Eſſe ſibi Senatum Eccleſiaſticum: eſſe qui rationes adminiſtrent, eſſe trecentos & ultra verbi miniſtros, neque hos adhuc Eccleſiis ſufficere, eſſe templa, quæ partim ſarta tecta ſervanda, partim reficienda, partim vero a ruderibus denuo extruenda ſint; rogare jam omnes æquos rerum æſtimatores, quo jure quave ratione tanta apud ſe indigentia poſci poſſint, ut quibus ſui vitam vix tolerent, ea in uſus aliorum patiantur erogare? inprimis gratia illorum, qui contra Reformatos & in eorum perniciem cum Catholicis conſilia conferre non dubitarunt, & apud quos ſi ſtetiſſet, jam illi toto Palatinatu forte exterminati forent. Quodſi ſacra Lutheranorum hoc tempore illis opibus, quibus ex Weſtphalica pace gaudent, pro neceſſitate ſatis nequeant ſuſtentari, non eſſe quod a Reformatis petatur; ipſis videndum eſſe qua ratione huic indigentiæ conſulant. quemadmodum etiam Reformatis apud ſe curam relinquant nullo ex publico ſubſidio. par igitur eſſe ut eodem jure utantur, quod in alios ſtatuunt. Si tantum hominum in Palatinatu habeant, non difficile fore, corrogare ab illis, quod uſui ſit; nam multos etiam pauperes aliquid conferendo, ſummam facere: & cetera, quæ ex occaſione hinc inde differebantur. Cum itaque Lutherani in Palatinatu intelligerent, ſe hoc modo nihil proficere, neque Reformatos ſpecioſis movere verbis, quos præterea ne dignati quidem ſunt, ut ab iis aliquid gratuito pete-

Digitized by Google

peterent, hac omni re acerbis contra illos ſcriptis ad Status Lutheranos derivata, ut cauſam eorum agerent: ad aliud conſilium animum adjecere, quo ſibi viſi ſunt omnia Reformatorum bona in Palatinatu ſe aſſerere ſibi ex jure manu confertum egregio invento poſſe. Scilicet negabant Statum anni 1618. & 1624. inter Reformatos & Lutheranos ibi locorum jus dicere de bonorum Eccleſiaſticorum atque Templorum proprietate: Illius enim anni conditionem Reformatis plus æquo eſſe opportunam & pinguem. Hujus vero ſibi, Lutheranis, nimium gravem & adverſam. cum eo tempore Catholici per arma omnia obtinuerint, ideoque ſibi de alio Statu eſſe proſpiciendum. Hic dabant Reformati optionem an ſuo anno decimo octavo, vel altero illo pace Weſtphalica pro norma ipſis poſito, uti vellent. Sed neutrum placuit, cum viderent, neutrum deſideriis ſuis ſatisfacere. Quid igitur faciendum erat, quid excogitandum, ut cupitis ſuis potirentur? Videte ingenium neſcio cujus hominis cauſidici, qui illos hac anxietate liberavit, nodumque ſolvit, quo conſtricti videbantur. Succurrebat nempe, tempore transactionis Paſſavienſis, & pacis Religioſæ Lutheranorum conditionem in Palatinatu longe fuiſſe meliorem, quando Electores habuere ſuæ religionis: itaque æquum eſſe dicebant, hunc ſibi Statum reſtitui, ad cujus habitum cum Reformatis deinde contenderent. Præclarum certe & luculentum auxilium, de quo ſibi procul dubio vehementer gratulati ſunt. Sed forte adverſa eorum fortuna, de duobus non ſubiit cogitatio: primo, ſtatum transactionis Paſſavienſis & Religioſæ Pacis jam nulli amplius opitulari, quam quousque pax Weſtphalica non repugnat: Deinde quæ duabus his legibus circa religionem ſubditis indulta ſunt vel quæſita, hoc uno contineri beneficio, ne cogi a Domino territorii ad mutandam religionem poſſint: ſed ut emigrare eis liberum ſit, venditis rebus vel ſecum ablatis. Reliqua omnia jura circa Religionem in poteſtate Statuum relicta, tam amplo reformandi jure, ut imperare emigrationem ſubditis potuerint, qui ob diverſa ſacra ſibi diſplicent, ad tolerantiam enim nullo pacto erat obligatus, nedum ut ferre eos debuerit, ſecum in negotio Religionis de hoc vel illo jure contendere geſtientes. Quemadmodum igitur ſi Electores Palatini ex quo Lutheranam religionem profeſſi ſunt, deinde ad Sacra Pontificia iterum deſciviſſent, actum certe per pacem Religioſam de Lutheranis fuiſſet, neque illos alia manſiſſent fata, quam Neoburgicos principio ſuperioris ſeculi manſere, quos a reformatione pax illa defendere nequivit. Ita ſane, quando illi ſe Eccleſiæ Reformatorum addixere, relicta Lutheranorum doctrina, quid habent ſubditi Lutherani, quod ad Paſſavienſem transactionem, ad pacem Religioſam provocent, præcipue poſt tantum tem-

temporis intervallum, & cum interea Weſtphalica pax multa in ſuperiori Religioſa mutarit? imputabunt hoc potius fortunæ ſuæ, quod tolerati ſuisque conſcientiis relicti fuerint. ſed legem Principi velle dicere, ne ſuo ſed alieno arbitratu, de religione & iis, quæ illuc pertinent, ſtatuat, id vero inſignis impudentiæ & temeritatis eſt ſignum, quoties lex non obſtat. Imo quid impudentiam dicam: Sicuti impudentiæ aſſiduus fere eſt comes imprudentia, ita in hanc etiam mira cœcitate lapſos eſſe illos hodie in Palatinatu Lutheranos, quis negare auſit? Quid enim eſt eſſe imprudentem, ſi hoc non eſt, renunciare legi per pacem Weſtphalicam ſuo bono latæ, & appellare Religioſam pacem, in qua ſubditis nullum præſidium. Ita cum cauſam ſuam ex hac protinus perdunt, quod minimum eſt malum, illi vero, paci inquam Weſtphalicæ, repudium mittunt, quis non advertit ipſos ſe maximis periculis & calumniis inſidiantium futuro tempore exponere. A Reformatis quidem quod valde metuant, nihil eſt. Sed meminiſſe debent ſub Catholico Principe ſe nunc vivere, qui non facile occaſionem negliget nocendi Proteſtantibus, ſi bonis modis & aliqua juris ſpecie fieri poterit. Quod ſi nunc Lutherani in Palatinatu relicta pace Weſtphalica ad protectionem Religioſæ confugiunt, in aprico eſt, quanto in diſcrimine hac ratione verſentur. Dum enim hac renunciatione amittunt, quæ eis ex tabulis pacis Weſtphalicæ art. 4. §. 19. competunt jura & beneficia: omne auxilium, quod in Pace Religioſa quærunt, hoc erit, ut conſcientia libera, & ſalvis bonis, quæ propria quisque habet, emigrare alio poſſint, quo habitum eis eſt. cetera relinquenda ſunt. ita dum templa aliorum, dum ſcholas & reditus captant, de ſuis periclitantur. Nec proderit exceptio, ſe ad Pacis Religioſæ fidem confugere, quando ſaltem ſibi cum Reformatis res eſt: adverſus Catholicos Weſtphalica uſuros, Primo enim Pax Religioſa, quanta quanta eſt, inter Catholicos & Proteſtantes tota vertitur: de controverſiis Proteſtantium inter ſe ne verbum quidem. Deinde valde vereor, ut Catholici ſibi hac diſtinctione ſatisfieri patiantur, qui vix ferent hanc Lutheranorum deſultoriam aſtutiam, ut pax Weſtphalica ſibi ſolis obſit, cui illi odio Reformatorum renunciavere. Denique manifeſtum eſt, quæ Pace Weſtphalica art. 4. §. 19. Lutheranorum cauſa pacta ſunt, metu Reformatorum ira placuiſſe, ne ſcilicet Principes Electores Palatini, qui tum, quando illis Palatinatus inferior reſtituebatur, reformatæ religioni erant addicti, obtentu juris reformandi nocere Lutheranis ſubditis poſſent. Conſtat hoc ex tota Pacis actione, Suecis præcipue auctoribus, a quibus illi Lutherani opem petebant. De damno itaque ſaltem vitando, non de captando lucro tunc certabatur, neque hoc un-

di inter utramque ita conventum eſt, (q) ut ſi aliquis Princeps

quam auctum fuit, ut Reformatis ſua auferrentur, ſed ne Lutherana certi quædam Templa & exercitium Religionis perderent. Cui enim bono alias reſtitutio Reformatis facta? cui fini tam exacta templorum deſcriptio ad ſtatum anni 1624. redacta, ſi Lutherani toto Palatinatu ex Religioſa pace jus utendi fruendique in omnibus æqua lance haberent? neque hoc etiam eſt diſſimulandum, redituum ne quidem mentionem fieri. quid igitur his fiet, quos tamen illi inprimis appetunt, & quorum cauſa tantos clamores tollunt, tantam Reformatis invidiam faciunt, editis in eos ſcriptis bile & amarulentia plenis. ut jam de falſis imputationibus & captioſis calumniis taceam, quibus ad fulciendam malam cauſam uti nulla eis religio, nullus pudor eſt, quæ tamen artes minime omnium ſacrum ordinem decent. Sed de his ſatis, occaſione verborum noſtrorum, cum Proteſtantes duas partes conſtituere dicuntur, quod hoc uno exemplo nimio plus illuſtratur.

(q) *Ideo de jure reformandi inter utramque ita conventum eſt.)* Quid inter Proteſtantes & Catholicos de jure reformandi fuerit conventum, articulo V. §. 30. & ſeq. ſatis eſt declaratum; jam ſequitur conventio de jure reformandi inter ipſos Proteſtantes quatenus duas partes conſtituunt: unam ſcilicet Reformati, & alteram Lutherani. Difficilis erat & impedita hujus negotii tractatio, cum ob diverſa partium ſtudia & reſpectus: tum vero ob clandeſtina Theologorum conſilia & artes. Ante omnia male habebat Lutheranos, cum viderent Electori Brandenburgico multas & egregias regiones pro ſatisfactione ceſſum iri, quæ omnes in Sacris ſuarum eſſent partium. Verebantur igitur, ne illas Princeps Reformatus hoc jure turbaret in ſua religione aut ſaltem religionem Reformatam juxta introduceret cum diſpendio alterius, ſumtis templis & reditibus occupatis. Igitur initio variæ formulæ propoſitæ, ut huic metui occurrerent, quæ omnes eo tendebant, ut pro viribus in ordinem cogerent licentiam circa hanc rem. ac initio quidem tentatum, an illos plane hoc jure reformandi poſſent dejicere, quod tamen ſibi integrum cupiebant retinere: ſed hac re minus ex voto procedente per Brandenburgici & Haſſi conſtantiam, quibus indignum eſt viſum, & nullo modo ferendum, ut Lutherani ſibi legem dicant, quam ipſi recipere recuſent; eo denique deſcenſum eſt, ut inter utramque partem æquis conditionibus tranſigeretur, ut quod uni parti juſtum, alteri quoque ſit juſtum. Variatum tamen nonnihil in verbis conceptis, dum alii alias formulas in

medium

ceps (r) vel alius Territorii Dominus, (s) vel alicujus Eccleſiæ Patro-

medium proferunt, paratis Reformatis omnes acceptare, modo æquo jure ſecum ageretur, teſtantibusque de nulla fere minus cogitare, quam de reformatione: quodſi Lutherani eandem mentem induerent, tranſigi e veſtigio poſſe. Sed tenuit nihilominus res aliquandiu, ipſis Lutheranis non ſatis concordibus. Mitia & moderata ſuadere Brunſuicenſes. At Saxo paulo duriora velle, neſcio quo zelo, quave ſuæ religionis prærogativa. Initio Sueci hoc medium propoſuere, ut quibus regionibus & locis Reformati de præſenti jam imperent, in iisdem pari cum Lutheranis jure reformandi utantur: nihil innovaturi apud eos, quos poſthæc quocunque titulo adipiſcentur. Legatus Magdeburgicus Einſidelius rem paulo aliter complectebatur, ut ſcilicet Reformati iisdem quidem cum Lutheranis juribus, quæ ex pace Religioſa derivantur, gaudere debeant, ſed (1) *ſalvis pactis & reverſalibus de religione ejusque exercitio cum ſubditis initis*. & (2) *ut ſi poſthæc aliquam terram Lutherana religione imbutam ad Principem vel Statum Reformatæ religionis, vel vice verſa, devolvi contingeret, neutra pars niſi ex conſenſu* reformationem ſuſcipere poſſit. Nec multum ab hoc diverſa Lampadii ſententia, qui cenſebat, ſi Provincia ubi illo tempore Reformata religio exercebatur, ad Statum Lutheranum jure ſucceſſionis vel alio titulo pervenerit, æquum eſſe, *ut maneret quidem ſtabilitum exercitium publicum, ſed ſimul etiam liceret exercitium publicum religionis Lutheranæ introducere*, id quod Altenburgici & Vinarienſes paulo diſtinctius expoſuere, ſcilicet, *nullam in Principatu vel regione, Lutheranæ religioni addicta, a Succeſſore Reformato in publico exercitio fieri mutationem debere. In curia vero ſua illum ſucceſſorem habere poſſe concionatorem aulicum ſuæ confeſſionis. De cetero exercitium publicum religionis illo loco nondum introductæ aliter non admittendum, quam conſentientibus Provincialibus Statibus. Enimvero etiam, verſo caſu, in terris Reformatam religionem amplexis, Nobilibus, Civitatibus & Communitatibus Auguſtanæ Confeſſionis facultatem concedi oportere, habendi concionatoris ſuæ religionis.* Atque hoc pacto Lutherani ubique laborabant, ut Reformatorum Statuum ſubditis, qui ſuæ Religionis ſunt, optime conſulerent. Tandem in hanc legem, uti hoc articulo deſcripta eſt, conventum, quam ſi cum ſuperioribus formulis conferre velis, vel primo ſtatim intuitu patebit, quid retentum ex illis, quidve rejectum fuerit.

(r) *Ut ſi aliquis Princeps.)* Nomine Principis hic omnes Status intelligo, reli-

Patronus (t) poſthac ad alterius partis ſacra tranſierit, (u) aut Principatum, aut ditionem (x) ubi alterius partis ſacra exercitio

religioni Proteſtantium addictos, ut Electores, Principes, Comites, Barones complectatur.

(s) *Vel alius Territorii Dominus.)* Quanquam Ordini Equeſtri, qui non ſunt Status, hanc unam ob cauſam jus & dignitas ſuperioritatis Territorialis a multis Scriptoribus dubium reddatur, hic tamen ego Territorium paulo laxius ſumi crediderim, ut hic etiam ordo includatur, qui alias per totas fere Pacis Tabulas in negotio Religionis Statibus Imperii tantum non in omnibus eſt æquiparatus. nam ſi, quod ſequitur, quicunque alius Eccleſiæ alicujus Patronus eadem conditione eſt, facile apparet, Nobilibus controverſiam moveri non poſſe.

(t) *Vel alicujus Eccleſiæ Patronus.)* De Patronis Eccleſiæ in ſuperioribus ſuo loco eſt dictum. Sed mirum hic de Patronis Eccleſiarum circa uſum juris reformandi aliquid ſtatui, cum certum ſit, jus reformandi talibus Patronis non competere; *vide art. 5. §. 44.* & quæ ad illum locum dicta ſunt.

(u) *Poſthac ad alterius partis ſacra tranſierit.)* Hoc loco duo proponuntur caſus. unus mutatio religionis, cum quis a Reformatis ſacris ad Lutherana, vel ab his ad illa tranſit: cujus rei exempla de Statibus, an multa habeamus dubito. Nam in qua unusquisque Eccleſia ab unguiculis eſt educatus, atque ſuæ ſectæ amorem velut cum lacte materno imbibit, de ea mutanda fortibus præjudiciis irretitus, non facile ex ductu conſcientiæ cogitat, antequam reſpectu quorundam commodorum incipiat paulo attentior eſſe, & fidem illis habere, qui tam egregiis argumentis nos oppugnant. Hæc Pontificiorum ſunt arma, quibus nos debellari patimur, cum divitiæ & opes hujus mundi nobis oſtenduntur. Sed inprimis ſplendida illa & opima ſacerdotia eſca in hamo aureo ſunt, quo nunc ſe homines eadem facilitate capi patiuntur, ac Lucianus quondam Philoſophos ſuos de muro piſcatus eſt. Apud nos tenuia omnia & egeſtate ſordida. Vix Principes familiæ quisque ſuæ ob anguſtias domi res cum aliqua dignitate alendæ ſufficiunt, ne dum ut alios honorum opumque oſtentatu allicere poſſint, quæ una res profecto facit, cur Pontificii tanto ſucceſſu noſtris inſidientur, nos e contra nihil habeamus, quo eis ſalivam movere liceat.

(x) *Aut Principatum aut ditionem.)* Alter caſus, cum Princeps regionem vel terras quocunque titulo acquirit, ubi ſacra alterius partis vigent.

(y) Ubi

citio publico de præſenti vigent, (y) ſeu jure ſucceſſionis, (z) ſeu vigore præſentis Tractatus Pacis, (a) aliove quocunque titulo nactus fuerit, (b) aut recuperarit, (c) ipſi quidem concionatores Aulicos ſuæ Confeſſionis (d) citra ſubditorum onus aut

(y) *Ubi alterius partis ſacra exercitio publico de præſenti vigent.)* Nam ſi ſacra publica ibi vigerent, quibus ipſe novus acquirens jam eſt addictus, eadem ſic etiam manere debere rationi & paci eſt conſentaneum. Requiritur autem, ut ſacra alterius partis ibi vigeant (1) *publico exercitio*; & (2) *de præſenti*. Quid ſit exercitium publicum jam alio loco eſt expoſitum. *de præſenti* autem hoc ſibi vult, ac ſi dictum eſſet, tempore factæ pacis, ex quo liquet, terminum anni 1624. non eſſe poſitum controverſiis terminandis, quæ ſuper exercitio Religionis inter Reformatos & Lutheranos vertuntur. ſed rem de præſenti & uti ſe habuit, quo conventa hæc fuere, eſſe æſtimandam. nam in futurum nihil debetur, niſi quod Principi aut Domino territorii ex gratia largiri volupe eſt. Atque hoc loco excuſarunt ſe hactenus Lutherani, atque civitates inprimis Imperiales, quoties actum cum illis de mutua tolerantia & exercitio quodam religionis apud ſe indulgendo, quod Reformati cives ſuis ſumtibus ſuſtentarent, nullo cujusquam ex Lutheranis onere. Præbuere hac in re ante alias Civitates hactenus ſe difficiles Noriberga, Francofurtum & Hamburgum, quibus iſta tolerantia nulla ratione, nullo propoſito commodo perſuaderi potuit, quamvis Reformati offerrent, ſe eadem indulgentia & obſequio cum Lutheranis apud ſe acturos, quo certe pacto illi longe majus compendium facerent in ſua religione promovenda, quam Reformatis nocent illa invidentia & repulſa.

(z) *Seu jure ſucceſſionis.)* Quo etiam refero pacta confraternitatis, & quæcunque alia certum in caſum mortis aut familiæ deficientis inita.

(a) *Seu vigore præſentis Tractatus pacis.)* Uti fuere, quæ in Brandenburgicum & Haſſum, vel alios pro ſatisfactione aut in locum indemniſationis pax contulit.

(b) *Aliove quocunque titulo nactus fuerit.)* i. e. emtione, uti non ita pridem Elector Brandenburgicus acquiſivit Comitatum Tecklenburgicum. Legato, jure pignoris, & denique alio quocunque, uti hic dicitur.

(c) *Aut recuperarit.)* Sive armis, ſive jure & actione.

(d) *Ipſi quidem Concionatores Aulicos ſuæ Confeſſionis ſecum atque in Reſidentia ſua habere liceat.)* Reſidentia vel pro domo Principis accipitur, vel pro urbe ubi Princeps domum habet. Hunc ultimum ſenſum hoc loco mallem, neque enim ferendum ſacra Principis

aut præjudicium, ſecum atque in Reſidentia ſua habere liceat, (e) at fas ei non ſit, (f) vel publicum Religionis Exercitium, (g) Leges aut Conſtitutiones Eccleſiaſticas, hactenus ibi receptas, immutare, (h) vel templa, ſcholas, hoſpitalia, aut eo pertinentes reditus, penſiones, ſtipendia, prioribus adimere, (i) ſuo-

cipis ſacello aliquo includi, & intra parietes arcis vel domus ſuæ conſtringi, eorum uſu illi tota reliqua urbe interdicto, ſi commodius ibi vacare devotioni ſuæ poſſet, modo reliqua obſervet & præſtet, quæ ſequuntur.

(e) *Citra ſubditorum onus aut præjudicium.)* Prima conditio, ut Princeps exercitium ſuæ religionis propriis ſumtibus inſtituat, neque propterea ſubditis ullo modo ſit moleſtus vel oneri. Quod vero de præjudicio additur, generalius eſt, & quamcunque videtur moleſtiam ſignificare, qua ſubditis novæ religionis inſtitutione incommodatur. id quod tamen ita non eſt intelligendum, ut præjudicium illud ex ſola æmulatione aut metu ſeductionis æſtimetur, ſed verum præjudicium eſſe debet, cum meæ libertati aut juri quæſito nocetur, vel cum alio pacto mea revera intereſt, ne ſacra recens introducta eo modo fiant, quo Principi viſum.

(f) *At fas ei non ſit.)* Altera conditio, quæ videtur plenius explicare, quid Paciſcentes per *præjudicium* intelligere voluere.

(g) *Vel publicum Religionis exercitium.)* Igitur primo cum præjudicio ſubditorum foret, ſi Dominus publicum religionis ſuperioris exercitium mutaret, quod alias jure reformandi fieri poſſet, cum terminus anni vigeſimi quarti pro ſtatu rei manſuræ poſitus non fuerit, quoties inter Status Proteſtantes lis vertitur cum ſubditis.

(h) *Leges aut Conſtitutiones Eccleſiaſticas, hactenus ibi receptas immutare.)* Deinde non licet Domino Leges & Conſtitutiones Eccleſiaſticas receptas mutare, quatenus illæ ante hæc tempora pro commodis alterius Religionis latæ ſunt, & rationibus ſubditorum, illi religioni addictorum, inſerviunt. Verbum autem *hactenus* iterum refero ad tempus concluſæ pacis: imo ad illud etiam tempus, quando Dominus ſuccedit in illas terras. Nam etiam id, quod poſt pacem introductum eſt autoritate ejus Domini, qui tum imperabat, ſub voce illa, *hactenus*, comprehenſum arbitror.

(i) *Vel templa, ſcholas, hoſpitalia, aut eo pertinentes reditus, penſiones, ſtipendia, prioribus adimere.)* Tertium eſſet præjudicium, ſi quæ ſubditi templa, ſcholæ, hoſpitalia & eo pertinentes reditus, penſiones, ſtipendia habebant, illa eis auferrentur, & in uſus alios converteren-

ſuorumque ſacrorum hominibus applicare, (k) vel juris territorialis, Epiſcopalis, Patronatus, aliove quocunque prætextu ſubditis Miniſtros alterius Confeſſionis obtrudere, (l) ullumve aliud

terentur. Nota igitur, his verbis (1) exercitium quod vocant ſimultaneum in templis ex. gr. Lutheranorum ſubditorum Principi reformato in uſum illorum, qui ſuæ religioni ſunt addicti, inſtituere illis invitis non licere. Neque (2) Lutheranos ſubditos teneri, in hoſpitalia ſua Reformatos recipere. neque (3) ſcholas ſuas cum Reformatis ita communes habere, ut ibi etiam Reformatorum liberi ſecundum inſtituta religionis Reformatæ erudire liceat. Reditus etiam (4) & penſiones ad iſta loca pertinentes Lutheranis in ſolidum ad uſus ſuos relinquuntur, de quibus participare Reformatos non eſt conceſſum; & denique (5) ſtipendia hactenus in Lutheranos ſolos erogata manent apud eos integra, nec Reformati eorum petendorum etiam jus habent, etiamſi Dominus eis hac in re gratificare maxime vellet. neque hic verbum *adimere* mea ſententia cavillari licebit, eo ſenſu, ut niſi totum auferatur, partem delibare non ſit prohibitum: nam illud etiam adimi intelligitur, cujus parte privamur.

(k) *Suorumque ſacrorum hominibus applicare.)* Non itaque excuſatur Dominus, ſi dixerit, res ſacris ſemel dicatas a ſe non auferri, ſed uſui eorum relinqui. Neque enim hoc ſufficit, ſed opus præterea eſt, ut apud illam religionem maneant, quæ hactenus ibi in poſſeſſione utendi fruendi fuit.

(l) *Vel Juris Territorialis, Epiſcopatus, Patronatus, aliove quocunque prætextu ſubditis Miniſtros alterius religionis obtrudere.)* Hoc minime omnium licere debet: facile enim intelligitur, de altera religione actum protinus fore, ſi hanc ei vim inferre liceret. Sermo enim hic ſaltem eſt de religione, quæ opinionibus & articulis credendorum conſtat, ubi ſuo quisque ſenſu utitur, quem non multo tempore exuunt homines, ſi contraria doceantur. Sicuti enim aviculæ ad fiſtulæ modum canere doctæ, artem brevi dediſcunt, niſi continuo ſint, qui præcinant, & eadem chorda ſemper oberrent: ita cum religione & hominibus, qui illam profitentur, eodem fere modo eſt comparatum. Obliviſcuntur facile priorum inſtitutorum, ſeque ad aliena accommodant, ſi veteres præcentores ceſſent, & ſint alii qui diverſa canant. Inprimis vero acuendis quotidie animis opus eſt, ut controverſias pro concione audiant, quanto maximo impetu & calore fieri poteſt, agitatas: ut videant concionatores ſuos pulpita manibus frangentes & in alteram partem probris, conviciis, mendaciis quam con-

aliud impedimentum aut præjudicium directe vel indirecte alterius ſacris afferre: (m) ut hæc conventio eo firmius obſervetur, (n) liceat hoc mutationis caſu (o) ipſis communitatibus præſentare, vel quæ præſentandi jus non habent, nomi-

concitatiſſime furentes atque debacchantes: Hoc enim eſt, quo ſomnolentos excitamus, & concipiendis odiis aptos facimus, quibus cum ſemel ſunt imbuti, non tantum idonei fiunt, ut ſic incapiſtrati, naſo ſe circumduci patiantur, quo lubitum illis. Sed & ad exercendas inimicitias prompti efficiuntur, ut ad omne claſſicum in alios impetum faciant, & more furentium, quosvis obvios qui de teſſera non reſpondent, ſine miſericordia trucident, quoties id illis a Ducibus eſt imperatum. Triſtia certe hujus rei edidere exempla illa tempora, cum graſſante olim inquiſitione Pontificia per omnes fere occiduas orbis partes Hæretici ad rogum aliaque indigna ſupplicia raperentur; vexillum tollente Dominico, Monacho illo truculento & ſanguinis avido; qui ſeditioſis concionibus populum ad arma vocavit, ſignatum etiam ſacra cruce, ut homines ſpecie aliqua devotionis eo libentius ſenſum humanitatis exuerent, ſuisque ſe libidinibus & ſævitiæ præberent miniſtros, aut ſi mavis carnifices. Plurimæ ſic urbes, præcipue in Gallia Narbonnenſi expugnatæ & direptæ, infinita hominum multitudo occiſa, vel igne cremata. nec potentioribus parcitum. Tholoſani Comites, Pater & Filius, genere dignitate & opibus illo ævo conſpicui, hac peſte abſumti ſunt: ut de aliis taceamus, quorum fata noviſſime apud Limborgium libro de Hiſtoria Inquiſitionis legi poſſunt. Quæ hac fini jam a nobis ſaltem allegantur, non ut Latronum iſtorum Prædonumque facta probem, ſed ſaltem ut oſtendam, quod ſi illi ſua maxime referre putarunt, per ſumma ſcelera, cædes, latrocinia, incendia ſe ſic dictis hæreticis liberare, a quibus ſuis rebus ſumme metuebant: quanto æquius ſit, unamquamque ſectam, quam tolerare debemus aut volumus, ſuis ſenſibus relinquere, neque ullum illi impedimentum creare in iis, quæ ad ſuorum conſervationem neceſſaria ſunt: inter quæ hæc præcipue eſt cautio, ne ſubditis Miniſtri alterius religionis obtrudantur.

(m) *Ullumve aliud Impedimentum aut præjudicium directe vel indirecte alterius ſacris afferre.)* Hæc verba ſatis clara ſunt, neque tam interpretatione opus habent, quam debita applicatione exiſtente caſu.

(n) *Et ut hæc conventio eo firmius obſervetur.)* Conventionem, intellige de non obtrudendis Miniſtris alterius confeſſionis. Huic enim metui præcipue conſulunt, quæ ſequuntur.

(o) *Liceat hoc mutationis caſu.)* Muta-

nominare (p) idoneos Scholarum & Eccleſiarum Miniſtros (q) a publico loci Conſiſtorio & Miniſterio, ſi ejusdem, cum præſentantibus vel nominantibus Communitatibus ſunt religionis, (r) vel hoc deficiente, eo loco, quem ipſæ

Mutationem puta, cum aliquis Princeps vel Territorii Dominus ad alterius partis ſacra tranſit aut ditionem nactus fuerit, ubi alterius partis ſacra vigent. Uti ſupra eſt expoſitum. Quamvis alium mutationis caſum nollem excludere, quin mallem potius comprehendi; quando nimirum ipſi miniſtri mutantur, ſive morte, translatione, abdicatione, remotione, ſeu alia quacunque de cauſa. Ad hos enim caſus quadrant præcipue quæ ſequuntur.

(p) *Ipſis communitatibus præſentare, vel quæ præſentandi jus non habent, nominare.)* *Præſentare* dicuntur proprie, qui jus Patronatus habent. *Nominare* vero, qui jure præſentandi deſtituuntur. Quamvis igitur Dominus loci, qui alterius eſt religionis, forte in jus Patronatus ſucceſſerit, quod Deceſſor ejusdem cum ſubditis religionis ſive jure ſive conſuetudine exercebat, non videtur illi integrum eſſe, eodem modo & libertate jure iſto uti poſſe; ſed nominabunt potius communitates idoneos Miniſtros, quos deinde Dominus confirmare debet.

(q) *Idoneos Scholarum & Eccleſiarum Miniſtros)* qui nominare idoneos poteſt, apud illum etiam judicium de habilitate eſſe debet; quo tamen ſubditos diſcrete & temperanter uti oportet, ne Domino moleſtiam per id faciant, aut ſeditioſus concionator in Republica ſit timendus. Hoc enim caſu poterit ſane Dominus monere ſubditos, ut circumſpecte & prudenter agant, aliumque ſibi nominent magis gratum, & a quo nihil periculi vel turbarum ſit pertimeſcendum. Nam ab hominum hujus ordinis ingeniis, prout pacifica ſunt, aut turbulenta, dependet ex magna parte tranquillitas civitatis. & ſi ambitioſi illi atque inquieti in civitate, quæ unius eſt religionis, excitare motus & ſeditiones poſſunt, quod non ita pridem Hamburgi experti ſuimus, dum hanc urbem in ſummum diſcrimen inquieti & ambitioſi id genus homines turbulentis ſuis concionibus deduxerant, populo adverſus Magiſtratum concitato, & tantum non ad arma vocato; Quid illos non ad plebem facere & patrare poſſe credideris, ubi Dominus eſt alterius a ſubditis religionis, quando hi Demagogam Ducem habent, cui aures præbent concipiendis in Principem odiis, obvia ſemper occaſione ex calumnia religionis, & quoties Dei cauſa hominum affectibus prætenditur.

(r) *A publico loci Conſiſtorio vel Miniſterio, ſi ejusdem cum præſentantibus vel nominantibus communitatibus ſunt*

 religio-

ipſæ communitates elegerint, examinandos & ordinandos, (s) atque a Principe vel Domino poſtea ſine recuſatione confirmandos. (t)

§. 2.

religionis.) Præſentati vel nominati examine & ordinatione opus habent: illud ſit in Conſiſtoriis: hoc a ſacro ordine, quem Miniſterium appellant. Itaque ſi eſt aliquod in loco Conſiſtorium, vel Miniſterium, ubi actus iſti peragi poſſunt, coram his res expedienda eſt.

(s) *Vel hoc deficiente, eo loco, quem ipſæ communitates elegerint, examinandos & ordinandos.)* Sin vero nihil horum eſt in loco Communitates præſentantes vel nominantes alio libere ſe conferunt, quo ipſis viſum, ita ut Dominus in electione nullum creare impedimentum, aut dare legem poſſit.

(t) *Atque a Principe vel Domino poſtea ſine recuſatione confirmandos.)* Niſi ſcilicet graves & juſtas contra præſentati vel nominati perſonam exceptiones habeat, quæ tamen vitam potius & mores, vel ingenium recuſandi, quam doctrinam ſpectare debent, quoniam de hoc judicare eſt Conſiſtoriorum in examine inſtituto.

De cetero, cum hæc diſpoſitio pacis de jure reformandi inter partes Proteſtantium ſaltem ad illum caſum pertinere videatur, *cum aliquis Princeps vel alius Territorii Dominus poſthæc ad alterius partis ſacra tranſierit, aut Principatum aut ditionem, ubi alterius partis ſacra exercitio publico de præſenti vigent ſeu jure Succeſſionis, ſeu vigore Tractatus Pacis, aliove quocunque titulo nactus fuerit, aut recuperarit:* quæſitum eſt, quid de illo Domino dicendum, qui jam a longo ante Pacem Weſtphalicam tempore aliam religionem a religione ſubditorum profeſſus fuerat, cum interea publicum ſubditorum exercitium in illo loco viguiſſet? an ſcilicet ille jure reformandi contra ſubditos ſic uti porro poſſit, quemadmodum id ei ante pacem jure territoriali licuit. Exemplum in Marchia Brandenburgica habemus, ubi Elector principio ſuperioris ſeculi reformatis ſacris acceſſerat, omni fere regione in doctrina Lutherana, uti tum libris Symbolicis comprehenſa erat, permanente. Tractavit hunc caſum etiam Thomaſius in ſcripto illo ſuo de Jure Principum Evangelicorum circa controverſias Theologicas, quod Germanica lingua ſub titulo, das Recht Evangeliſcher Fürſten in Theologiſchen Streitigkeiten ꝛc. ante decem & quod excurrit annos, edidit, poſit. 19. §. 2. p. 206. ſed cum Vir ille ſummus de hac quæſtione egerit, non tam ex eo, quid Pax Weſtphalica de illa ſive hoc noſtro articulo, ſive alibi ſtatuat, quam ex fundamentis religionis Proteſtantium, quibus tolerentiam benignam utrius-

que

que religionis, non vero jus reformandi inter ſe ipſos convenire putat, ideoque hic paucis diſpiciendum erit, quantum caſu ſupra poſito Domino Territorii circa reformationem liceat? Poſſunt enim multa tum inter Paciſcentes conventa eſſe, quæ fundamentis unius vel alterius partium religionis, non ſatis undique reſpondent. Uti enim fundamentis Status Cleri Catholici nihil magis adverſum eſt & inimicum, quam ſe jure reformandi abdicare, ſive ex toto ſive pro parte & libertatem facere apud ſe exercitii alterius religionis, & nihilominus Catholicos in id ipſum ex habitu certi temporis vel anni conſentire oportuit, pacis ſtudio: ita fieri facile potuit, ut Proteſtantes etiam non omnia ſollicite exegerint ad Principia vel fundamenta ſuæ quisque religionis, inprimis cum forte inter eos non ſatis conſliterit, neque forte adhuc conſtet, ius reformandi, an magis tolerantia diſſentientium, in fundamentis illis habeat fundamentum: non nego, ex natura & vero genio religionis Proteſtantium. Autorem hanc controverſiam incomparabili plane prudentia & perſpicuitate tractare, ut nemo habeat quod contradicat ipſius rei veritate perfecta. Sed non omnes capere verbum hoc, vel ex eo patet, quod præſenti etiam tempore, ubi tamen odia partium multum deferbuere, laboratum fruſtra hactenus apud quasdam Civitates fuerit, ut mutua tolerantia inter Proteſtantes ſtatuatur, & Lutherani Reformatis, atque Hi viciſſim illis exercitium ſuæ cuique religionis, propriis ſumtibus habendum, illis locis concedant, ubi familias numero minimum viginti degere & habitare contingit. Faciles quidem hic erant Reformati: imo autores tam ſalubris conſilii ad pacem ſaltem externam Eccleſiæ. Sed reclamavere hucusque Lutherani, Civitates inprimis, & inter illas Francofurtum, Noriberga, Hamburgum, qui ſtolida ferocia nolunt Reformatis locum dare intra mœnia ſua, ubi preces faciant, Pſalmosque canant ſuo more. Ideo cum ex hoc fundamento ſeu principio, quod mutuam tolerantiam vocamus, cum plerisque diverſarum Sectarum profici nihil poſſit, recte quæritur, quodnam ſibi præſidium alter contra alterum ex formula Pacis Weſtphalicæ circumdare poſſit? id eſt, quo ſe jure ſubditi diverſæ religionis contra jus reformandi Dominorum ſuorum tueantur, hoc poſito utrosque eſſe religioni Proteſtantium addictos. Hic primo notandum, omnia quæ olim circa negotium Reformationis, Catholicis & Lutheranis jure vel facto licuere, illa Statibus Reformatis nulla ratione potuiſſe denegari. Quam ob rem cum Pace Religioſa ſubditis aliud præſidium contra Dominorum jus reformandi relictum non fuerit, quam ut emigrare libere poſſint, ſi mutare religionem nolint, qua re ipſis ſaltem contra inquiſitionem Pontificiam cautum eſt, quæ omnes ad abjurandum diverſam religionem cogere ſolet, apparet ſane a tempore

pore huius Pacis Religioſæ usque ad Pacem Weſtphalicam Principem vel Statum alium, Reformatæ Religioni addictum, eodem quo Catholicus & Lutheranus jure uſus eſt, ſubditis ſuis non tantum Romanis ſacris, ſed & Lutheranis deditis potuiſſe migrationem imperare, atque hoc modo reformare Religionem, id quod Palatinum Electorem, ex quo Lutheranis valedixit, feciſſe extra controverſiam eſt: Nec certe in dubium vocari poteſt, quin Brandenburgico Electori jure idem ſtatuere licuiſſet, niſi viſum ei fuiſſet, hac in re moderatiora conſilia ſequi, & ſacra Lutherana tolerare, dato per id ipſum ingenti ſpecimine æquitatis ſuæ & temperantiæ, quamvis ſæpe laceſſitus eſſet virulentis ſcriptis & concionibus Lutheranorum, etiam in ſuis terris viventium, qui non contenti hoc Principis beneficio Reformata ſacra omnibus probris & calumniis proſcindebant: Veluti ipſis, non Principi, jus arbitrandi de religionibus tolerandis competeret. Atque hoc jure uſi ſunt Status omnium trium Religionum ſine diſtinctione usque ad Weſtphalicam pacem. Igitur cum negotium huius pacis componendæ Osnabrugæ & Monaſterii ferveret, inter alia actum etiam fuit non modo de Reformatis hac pace comprehendendis, ut ſcilicet omnium ejus beneficiorum participes fierent, verum etiam de legitimo reformandi in ſubditos Lutheranos jure, quo Status Lutherani illos omnino exutos maluiſſent, cum ipſi illud ſibi integrum in ſubditos Reformatos relinqui vellent. Sed præclare & conſtanter obnitentibus Brandenburgico atque Palatino Electoribus, nec non Principe Caſſellano, qui prorſus recuſabant deterioris hac in parte conditionis cum Lutheranis Statibus haberi, remiſſum tandem eſt de ſubditis Lutheranis, quibus jam ante pacem illi Principes imperabant, & ſaltem poſtulatum, ut futuris temporibus ſecuritati Lutheranorum proſpiceretur, cum certum jam eſſet, Brandenburgico pro ſatisfactione multas & inſignes regiones, ubi publicum Lutheranæ religionis exercitium vigebat, ceſſum, ac etiam Palatino inferiorem Palatinatum reſtitutum iri, in quo ſimiliter Lutherani per vices bellorum, & ope Suecorum aliquem ſuæ Religionis cultum publicum inſtituere, Cæſareis diſſimulantibus, ut Saxoni aliquantulum adularentur, quem poſt Pacem Pragenſem valde ſuſpiciebant colebantque ex metu, ne iterum forte mutaret, & ſe Suecis conjungeret. Sed ratum atque obfirmatum manebat Reformatis Statibus, Brandenburgico inprimis, nullo pacto ſe commiſſuros, ut vel minimo in re circa jus reformandi Lutherani ante ſe compendium facerent, aut libertate majore uterentur, teſtante Brandenburgico, malle ſe, ut potius tota hæc actio de jure reformandi inter Lutheranos & Reformatos ſilentio transmitteretur, quam ut hoc modo conditio Lutheranorum melior fieri poſſet. Itaque

Digitized by Google

que tandem ſic tranſigendum fuit, uti hoc noſtro articulo ſeptimo continetur, æquo partium utrinque jure, cum ſub communi Proteſtantium nomine, quod uni tribuitur, id alteri etiam ex æqua lance tributum conceſſumque intelligatur. Jam ſi quæſtio eſt, quid Princeps Reformatus vel Lutheranus jure reformandi poſſit in ſubditos ſuos, ille Lutheranos, hic Reformatos, & num, quæ hoc loco in futuros caſus ſtatuuntur, extendenda etiam ſint ad præſentia vel præterita, ut Thomaſio viſum, duo præcipue conſideranda atque expendenda erunt, antequam judicium feramus. unum eſt, ut conſtet quale ſit Statuum jus reformandi in commune, cujuscunque etiam Religionis ex tribus illis toleratis fuerint, & in quos ſubditos illi hoc uti velint? & alterum, quid liceat Principi Reformato in ſubditos Lutheranos, vel Lutherano in Reformatos: De primo art. 5. §. 30. In genere eſt conventum, *Statibus immediatis cum jure territorii & ſuperioritatis ex communi per totum Imperium hactenus uſitata praxi jus reformandi exercitium religionis competere; nullique Statui immediato jus, quod ipſi ratione territorii & ſuperioritatis in negotio Religionis competit, impediri oportere:* Hæc generalis eſt regula, quæ omnes Status immediatos complectitur, & quam Status etiam Reformatos ſuam facere atque ad illam provocare recte poſſe, nemo forſan in dubium vocabit. Jam vero, cum plerumque fiat ut Catholici Status in ſubditos Proteſtantes; vel vice verſa Status Proteſtantes in ſubditos Catholicos jus reformandi exerceant, quid hoc caſu ſit juris, in eodem illo articulo quinto a §vo 31. per multos ſequentes magna accuratione traditum eſt. Quandoquidem vero etiam Status Proteſtantes, qui unius religionis dicuntur eſſe, quando religioni Pontificiæ opponuntur, inter ſe nihilominus ob diverſas aliquas opiniones circa ea, quæ credi oportet, duas partes conſtituant, ideoque diſpiciendum etiam erit, quid conventum ſit, ſi una pars contra alteram jure reformandi uti vellet. Hic iterum duo caſus eſſe poſſunt. Unus, ſi Dominus reformare religionem vellet in illis provinciis vel terris, quæ ipſis jam ante pacem Weſtphalicam longa ætate acquiſitæ atque poſſeſſæ ſunt; & alter, ſi Reformationem vellet exercere in Principatu vel ditione a Pace facta quæſita, ſeu jure ſucceſſionis, ſeu vigore Tractatus Pacis, ſeu alio quocunque titulo, ubi alterius partis ſacra exercitio publico de præſenti vigent? Primo caſu, porro intereſt, an exerceat reformationem contra ſubditos alterius & diverſæ religionis, cui ipſe, Dominus inquam, tota ſua vita, aut ſaltem ante pacem non fuit addictus; an vero *poſthac* i. e. a pace confecta ad alterius partis ſacra tranſierit: Quod ſi illud, tum ſuſcipere hoc negotium aliter non poteſt, quam *ſalvis ſemper cum inter ſe & Status Proteſtantes alios:*

tum cum ſubditis ſuis, conventis pactis, privilegiis, reverſalibus, & diſpoſitionibus aliis, quibus de religione ejusque exercitio, & inde dependentibus, ejusque loci Statibus & ſubditis hucusque proviſum eſt; ſalva itidem cujusque conſcientiæ libertate. quam ob rem ſtatuendum videtur, quod tamen pace eorum, qui rectius ſentiunt, dictum velim, ſi quo loco nulla ejus generis conventa pacta, privilegia, reverſales, & diſpoſitiones ſimiles reperiuntur, Proteſtantem Principem contra ſubditos Proteſtantes, ſed qui diverſæ ſunt religionis, jure reformandi ampliore & acriore uti poſſe, quam ſi cum ſubdito Catholico ei res eſt, qui ſaltem præſidium aliquod in poſſeſſione & Statu anni 1624. habet, quem inſtar obicis aut cataractæ habet: cum ſubditis Proteſtantibus ex illo anno nullum auxilium ſit paratum, exceptis tantum Lutheranis in Palatinatu inferiore, quibus ſpeciali lege iſte annus eſt datus, qua opus non fuiſſet, ſi hoc commune beneficium omnibus ſubditis ex Proteſtantibus eſſet. Fateor peregrinum hoc ſonare, & durum dictu videri poſſe. Sed ſi ad legem probe attendis, vix mihi alium ſenſum excudes; Hoc enim pro certo habeo, jus reformandi Statuum Proteſtantium contra ſubditos ſuos Proteſtantes non judicari ex art. 5. §. 31. *Hoc tamen non obſtante &c. &c.* neque ex eo loco cancellis circumſcribi poſſe, cum iſta Conſtitutio ſaltem definiat, qui modus ſit reformandi inter Catholicos & Proteſtantes. Proteſtantium controverſiæ inter ſe ipſos remiſſæ tum fuere in alium locum, & demum hoc noſtro articulo ſeptimo determinatæ, ubi nulla amplius ſit mentio anni illius vigeſimi quarti. Interea pro ſolamine hoc nobis eſſe poteſt, vix caſum fore ut quo loco religionem ſive Reformatam ſive Lutheranam Dominus cum ſubditis unam eandemque diu profeſſus eſt, quin pacta & conventa inter illum & hos pro conſervatione illius atque perpetuitate inita ſint, quibus jam ſtare oportet. Enimvero ſi POSTHÆC aliquis Princeps, vel alius Territorii Dominus ad alterius partis ſacra tranſierit, illi omni jure reformandi interdictum eſt, hoc tantum dato, ut ipſi etiam pro ſua commoditate Concionatores Aulicos ſuæ Confeſſionis ſecum atque in Reſidentia ſua habere liceat, ſed & hoc citra onus & præjudicium ſubditorum. Ut breviter omnia ordine complectar, mea quidem ſententia quatuor caſus ex mente legis noſtræ ſollicite diſtinguendi ſunt. Primus eſt, cum Princeps vel dominus Evangelicæ quidem, ſed diverſæ a ſubditis itidem Proteſtantibus religionis ſacra hæc ſua jam ante pacem eſt profeſſus, ſive in ſecta illa a majoribus accepta ab incunabulis inſtitutus fuerit, ſive ipſe ante illam pacem ad alterius partis fidem & doctrinam tranſierit, cum *antehac* eandem cum ſubditis ſuis religionem ſectatus fuiſſet. atque hoc caſu in terris a majoribus ad ſe tranſmiſſis, vel ante pacem acquiſitis ſi

ſi nulla obſtent pacta, cum jure territorii jus etiam reformandi ex artic. 5. §. 30. integrum & illibatum habet, & quidem liberiore poteſtate, atque exercitio ampliore, quam ſi ipſi cum ſubditis Catholicis res eſſet, qui ſaltem ſe ſtatu & poſſeſſione anni 1624. tueri poſſunt, cum ille *terminus a quo* juri reformandi poſitus non fuerit, quoties Principi Proteſtanti cum ſubditis Proteſtantibus hac ſuper cauſa eſt negotium; Sed ne quis hac ſententia Panicum terrorem contrahat, non crediderim, hujus caſus toto Imperio exemplum extare, cum ubique fere inter Dominum & ſubditos ejus, quando unius ex utraque parte ſunt religionis, de illa conſervanda tranſigitur, quibus pactis etſi Dominus ita vinciri non poſſit, ut ſibi libertas & arbitrium mutandæ religionis per hæc pereat, hoc tamen valide agitur, ne ſubditis ex pruritu juris reformandi imperare etiam mutationem, vel alio modo eam ob rem moleſtus eſſe poſſit. Quodſi vero contra expectationem meam nihilominus talis datur caſus, ferenda res erit, & obſequendum legi, quando hoc Paciſcentibus ita placuit, qui ſibi imputabunt, quod aliter non ſtatuerint, aut ſaltem non locuti ſint apertius, cum paucis verbis omnis reformatio inter partes Proteſtantium in omnes caſus prohiberi potuiſſet.

Alter caſus eſt, quando in territorio adſunt pacta cum ſubditis conventa, quibus de religione ejusque exercitio & inde dependentibus hucusque ſubditis eſt proviſum tum enim hæc ſemper ſalva manent & inviolabilia. Salva itidem manet cujusvis conſcientiæ libertas, ne ſcilicet ſubditi cogi ad emigrationem poſſint, ſi recuſent religionem mutare, quod rurſus eſt argumentum pro ſtabilienda ſententia noſtra in caſu priori. Quid enim opus fuiſſet caveri de ſubditorum conſcientiæ libertate, ſi omni juri reformandi inter Proteſtantes in omnes caſus & indiſtincte Principi eſſet interdictum? Præterea manent etiam ſalva pacta, privilegia & id genus conventiones aliæ, quæ Status Proteſtantes *inter ſe* iniere, quod fieri potuit multis modis, exempli gratia, cum emto territorio is, qui vendit emtori hanc legem ſuper religione conſervanda dicit: vel cum ipſe Dominus ita cavet ſubditis, alio Statu fidejuſſore conſtituto, qui præſtet fidem, ſi poſthæc vel ipſe, qui hoc promiſit, vel ſucceſſores ejus, ſive univerſales ſive particulares contra pacta conventa agere velint. cujus generis autem & tenoris pacta iſta ſint, ex inſpectione ſingulorum judicandum eſt, neque enim credibile eſt, omnia ubique unius eſſe ſummæ vel exempli, ſed per alia juri reformandi magis derogari, & per alia forte minus.

Tertius eſt caſus, ſi Princeps, vel alius Territorii Dominus POSTHAC ad alterius partis ſacra tranſierit, &

Quartus denique, ſi idem ille POSTHAC Principatum aut ditionem, ubi

alterius partis ſacra exercitio publico DE PRÆSENTI vigent, nactus fuerit aut recuperarit, ſive illud fiat jure ſucceſſionis, ſeu vigore tractatus pacis, ſeu denique quocunque titulo. Nam his duobus caſibus Dominus in uſu juris reformandi ſic arctatur, ut nihil fere ei præter ſolum nomen relictum videatur. Quæſo enim, quid Reformatori ſupereſt, in quo zelo ſuo ſatisfaciat, ſi nec publicum Religionis exercitium, nec Leges aut Conſtitutiones Eccleſiaſticas, *hactenus* ibi receptas, immutare, nec Templa, Scholas, Hoſpitalia, aut eo pertinentes reditus, penſiones, ſtipendia prioribus adimere, ſuorumque ſacrorum hominibus applicare, vel juris Territorialis, Epiſcopalis, Patronatus, aliove quocunque prætextu ſubditis Miniſtris alterius confeſſionis obtrudere. denique ſi *nullum aliud impedimentum aut præjudicium directe vel indirecte alterius ſacris afferre poteſt.* Enimvero ut ſubditi ſub hoc clypeo contra jus reformandi tuti ſint, & ſecure agant, duo requiruntur. primo, ut Dominus *poſthac* demum i. e. poſt initam Pacem Weſtphalicam ad alterius partis ſacra tranſierit, aut principatum nactus fuerit. & ſecundo, ut in illo principatu vel territorio alterius partis ſacra exercitio publico *de præſenti* viguerint. Illud nos admonet, huic legi non ſubjacere Dominum, qui *antehac* i. e. ante Pacem, religionem mutavit, vel territorium ante hæc tempora eſt nactus. Hoc vero docet, quod ſi in territorio illo alterius partis ſacra exercitio publico non fuerit *de præſenti* inſtituta, neque hanc licentiam ſubditos Principem poſtulare poſſe, ſi id eis concedere nolit. *de præſenti* vero nihil aliud eſt, ac ſi dictum eſſet; temporæ confectæ pacis. Hæc omnia certe ex hoc loco noſtro ſponte ſua fluunt & deducuntur, ut proinde nimium liberales in hac lege interpretanda illi eſſe videantur, qui ultro quidem concedunt, hunc locum de futuris mutationibus agere, ſed negant ex illa hanc conſequentiam, quam a ſenſu contrario hactenus noſtram fecimus: Certe non negaturi, ſi paulo ſaltem attentius ad illa advertiſſent, quæ inter ipſas Proteſtantium partes ſumma contentione atque moleſtia varie agitata actaque fuere, antequam in hunc articulum conſenſum eſt. Habemus ejus rei teſtes publica acta, & omnium ſummam apud Pufendorfium in Hiſtoria Suecica & Brandenburgica: poſt quem etiam Pfannerum laudo, qui multa ad actionem pacis pertinentia ex Archivo Vinarienſi hauſit: His igitur documentis & auctoribus conſtat, quantopere Lutherani initio repugnarint, ne Reformati omnium commodorum ex Weſtphalica pace æqua cum ſe & Catholicis lance participes fierint, & ante omnia ne jure reformandi in Lutheranos ſubditos eadem libertate gauderent, quo ſe in Reformatos uti poſſe conſentaneum duxere. Ex adverſo negabant Reformati ullo modo feren-

ferendum eſſe ut in negotio religionis quacunque re deteriores aut inferiores Lutheranis habeantur, cum eadem conditione ſint Status immediati, idemque jus territoriale in ſubditos cum ceteris obtineant, cujus inſignior velut pars ſit poteſtas circa ſacra, atque adeo jus reformandi ad eum modum, quo reliqui illo uti poſſunt. allegabant præterea pacem Religioſam, qua ipſi pariter ſint comprehenſi; Denique tranſactum jam erat de articulo 5. & ibi comprehenſo §. 30. per quem omnibus Statibus immediatis jus reformandi exercitium Religionis aſſeritur, & quidem ex hoc fundamento, quod communis ſit per totum Imperium hactenus uſitata praxis, in quo jure nemo qui eſt ex ordine Statuum illorum immediatorum, impediri debeat, id quod ſua non minus, quam Lutheranorum cauſa ſcriptum eſſe affirmabant Reformati, qui præterea eo pondere argumentorum agebant, ut tæderet tandem ipſos Catholicos tricarum, a quibus ſæpe ipſi monebantur Lutherani, quod mirere, ne communem Proteſtantium cauſam intempeſtiva æmulatione corrumperent. Ita remiſſum quidem a Lutheranis de prærogativa circa jus reformandi in genere; Quandoquidem vero conſtitutum jam fuerat, multas & inſignes Provincias ſacris Lutheranis deditiſſimas in Electorem Brandenburgicum iri pro ſatisfactione, ideoque his ſaltem a jure reformandi proſpectum voluere Lutherani, veteribus poſſeſſionibus tandem ſub regula generali relictis, niſi peculiaribus pactis inter Dominum & ſubditos aliud placuerit, quibus ſervandis nunc utraque pars ſtare tenetur. Maximum igitur negotium fuit futuris eventibus conſulere, atque ut Lutherani hoc eo facilius pervincerent, conceſſere tandem ut utriusque partis par & æqua ſit in juris hujus exercitio ſors, nec alter ulla prærogativa ante alium gaudeat. inde nulla mentio Reformatorum vel Lutheranorum; commune *Proteſtantium* nomen legitur, qui *duas* iterum *partes* conſtituunt, ex quibus quod uni parti circa jus reformandi juſtum eſt, alteri etiam juſtum eſſe debet: quibus poſitis parata eſt ad ſententiam contrariam reſponſio. Dum enim ultro conceditur, hunc §vi noſtri locum, qui incipit: *quoniam vero controverſia &c.* agere de futuris mutationibus, qua ratione extendi lex etiam ad ea poſſet, quæ paciſcentes ſub illa lege comprehendi nolnere, mihi non conſtat, neque hic tritum illud Jure Conſultorum admitto, unius incluſionem non eſſe excluſionem alterius. Nam hæc regula multas habet & varias exceptiones, atque tum inprimis ei locus eſſe non poteſt, cum in diverſis negotii alicujus partibus lex diverſum ſtatuit, ſive id fiat eodem loco, ſive alibi. quod in noſtra cauſa factum eſſe cum ex legis verbis, tum ordine eorum, quæ conventa ſunt, ac denique ex mente paciſcentium, abunde, niſi fallor, probavimus.

Digitized by Google

Præterea tantum abeſt a rei geſtæ veritate, quod pro ratione allegatur, timuiſſe ſcilicet paciſcentes, ne circa quæſtionem de novis & futuris mutationibus Dominus cauſetur, ſe tanquam tertium poſſeſſorem pactis & legibus Inſtrumenti Pacis veteribus poſſeſſoribus dictis non teneri, ut potius omnia contrario modo ſe habeant. Hoc enim teſtantibus actis inter partes Proteſtantium agebatur, ut quoniam Lutheranos de jure reformandi quoad veteres poſſeſſiones concedere tandem Reformatis oportuit, illi hoc ſaltem obtinerent, ne illas terras eandem ſortem ſubire neceſſe ſit, quas Reformati poſthac forte acquirent, aut ſi Dominus Lutheranæ religioni addictus deinceps ad Reformatorum ſacra tranſierit: Sed neque hoc ipſum ab his extorquere potuere, antequam paterentur eandem legem ſibi etiam dici. Interea non dico jus reformandi inter Proteſtantes ipſos, quod ad veteres poſſeſſiones attinet, ſine omni circumſcriptione manſiſſe. quo enim loco inter Dominum & ſubditos, pacta privilegia, reverſales aut diſpoſitiones aliæ extant, quibus de religione ejusque exercitio & inde dependentibus proviſum eſt, ea utique ſalva manere jubentur, obtentu juris reformandi non infringenda. Salva etiam contra hoc idem jus manet cujusque conſcientiæ libertas. qua ſubditis proſpectum eſt, ne cogi poſſint vel mutare religionem vel ex loco migrare. Cetera quæ ſunt juris reformandi, Domino quoad poſſeſſiones veteres relicta, & quidem indefinite absque ad certum Statum habito reſpectu. Itaque etſi forte ſubditi anno 1624. exercitium publicum ſuæ, ſed a Domino diverſæ religionis habuiſſent, de quo tamen inter hunc & illos nihil eſt pactum, neque Dominus forte alii ex Statibus receperit, rem ita manſuram, dubito hercle ego, an ſubditi ex illo ſtatu anni, qui ſaltem fata religionum inter Catholicos & Proteſtantes moderatur, ſatis defendere ſe contra jus reformandi poſſint: Sane in pace Weſtphalica parum video præſidii: quam tamen meam ſententiam nemini fraudi eſſe velim. Denique de nihilo quidem non eſt, quod objicitur, Proteſtantes, quando ipſis adverſus Catholicos res fuit, unitis animis & viribus de tolerantia ſuæ religionis egiſſe. Adhæc illud concedo, eos parum ſui rerumque ſuarum memores fuiſſe, ſi apud ſe & domi ſuæ noluiſſent eodem jure uti, quo ut Catholici ſecum agerent, poſtulabant: Sed hanc æquitatem eo tempore aut non viſam illis, aut certe diſplicuiſſe, rerum geſtarum documenta nos docent; Quodſi enim aliquis conſideret, quantum operæ, laboris & tædii impenſum ſit, donec ad eum modum, uti hoc articulo continetur, tranſigi potuerit: ſi porro expendat, hanc ipſam conventionem nihilominus Saxoni adeo non ſatisfeciſſe, ut potius proteſtatione adverſus illam ſibi exiſtimarit proſpiciendum, non proteſtan-

tium

tium modo, ſed & ipſorum Catholicorum ſcandalo, quid juvat multum de eo, quod convenit vel decet, ratiocinari, ubi res ipſæ de facto contrario teſtantur: & quid miramur, Proteſtantes illis temporibus rationem fugiſſe, cum adhuc noſtris, neſcio quo mentis deliquio easdem retineamus animoſitates, quibus effectum, ut præclarum illud & ad communem utilitatem ſaluberrimum conſilium Regis Boruſſiæ, ad mutuæ tolerantiæ inter Proteſtantes commendationem, in hanc diem ſucceſſu caruerit.

Atque hactenus de ea quæſtione, quando inter Proteſtantes Dominus territorii de una religione ad aliam tranſit. Sed quid ſi Ille Religionem Catholicam poſt pacem Weſtphalicam ſectari vellet, ejurata Evangelica? cujus mutationis exempla præcipua habemus in Duce Ioanne Friderico Brunſuicenſi; Duce Megapolitano Chriſtiano Ludovico, & nuper adhuc Electore Saxonico facto mox Poloniæ Rege. Vel, ſi Catholicus Princeps ſucceſſerit Evangelico? uti Neoburgicus Palatino. Idem erit, ſi Catholicus Sacris Proteſtantium cuperet initiari. Vim conſcientiis & Religioni ſubditorum hoc caſu inferri non poſſe, extra controverſiam eſt poſitum. Templa etiam eorum, Hoſpitalia, Conſiſtoria, reditus & cetera omnia integra illis & intacta relinqui debent eo prorſus Statu, quo anno 1624. ab eis ſunt poſſeſſa. Quoniam vero juxta hunc Statum & ſine ejus mutatione poteſt adhuc eſſe Status religionis ejus, cui Dominus eſt addictus, modo alteri fraudi non ſit, aut moleſtiæ, qui a jure reformandi originem ſuum ducit, & in eo conſiſtit, quoties novus Territorii Dominus ſuam religionem ſine incommodo & damno partis adverſæ, illo loco inſtitutam ſtabilitamque habere geſtit, eamque in rem quæ neceſſaria ſunt ordinat, & decernit: quæſitum ergo an hoc & liceat? Equidem non me latet eſſe, qui nihilo plus largiri velint, quam ut ille etiam Concionatores ſuæ Confeſſionis ſecum atque in Reſidentia ſua habere poſſit, argumento eorum, quæ inter Status Proteſtantes convenere. Sed in manifeſta diſparitate dubito, an comparatio iſta ſuccedat. Totus enim ille articulus VII. quod ſæpe jam monui, quantus quantus eſt, ad ſolas cauſas pertinet, quæ inter ipſos Proteſtantes agitantur. illis vero cauſis vel litibus, quæ Catholicis cum Proteſtantibus, & his cum illis intercedunt, ſcriptus eſt articulus ſuperior quintus, ex quo judicium ferendum. In illo Statibus immediatis §vo 30. jus reformandi eſt confirmatum. Subditis vero §§vis ſequentibus, pro varia eorum conditione data, quædam etiam ſunt, quibus ſe contra illud reformandi jus per exceptionem tuerentur. Hæc ſi illis ſarta tectaque relinquuntur a Reformatore, nihil ſane de cetero habent, quo ſe ejus reformationi opponant. Vidit æquitatem hujus ſententiæ etiam

Digitized by Google

§. 2. Si vero aliqua communitas (a) eveniente mutationis caſu (b) Domini ſui Religionem amplexa petierit ſuo ſumptu exer-

Deckherrus *Conſult. For. lib. 1. part. 1. cap. 40. §. 9. & ſeqq.* ubi recte quidem meo judicio ſtatuit, ejusmodi Dominum non modo publicum exercitium ſuæ religionis introducere poſſe, verum etiam templa noviter exædificare, aut pro derelictis habita, ex vi ſuperioritatis Territorialis publico cultui ſuo attribuere; modo alterius religionis aſſeclas in ſuis templis, fundationibus, reditibus &c. nullo pacto turbet. *vid. dict. loc. n. 15.* Quamvis in eo errare videatur, quod putat re inter ſolos Proteſtantes vertente Dominum, qui ab una Confeſſione Proteſtantium ad alteram tranſit, vel ditiones alterius religionis acquirit, in Reſidentia ſua non publicum, ſed privatum ſaltem ſuæ religionis exercitium inſtituere poſſe. De hac etiam diſtinctione articulo noſtro altum eſt ſilentium, ſed in genere dicitur, licere Domino *Concionatores Aulicos ſecum atque in Reſidentia ſua habere.* Habere autem Concionatores Aulicos publico magis quam privato exercitio convenit, & habere *in Reſidentia* de ſacello Aulico intelligitur, qui locus eſt ſacer, quo æque ac in templo Cathedrali religionis publicum exercitium pulſis campanis, apertis foribus, & cetero omni publico apparatu poteſt inſtitui. Quandoquidem vero, quid ſit publicum, quid privatum exercitum articulo ſuperiori V. ſatis eſt declaratum, denuo hic actum agere ſupervacaneum erit.

§vus 2dus.

(a) *Si vero aliqua communitas.)* Singuli ſubditi, religionem domini ſui amplexi, abdicata altera, habent quidem libertatem conſcientiæ, & poſſunt ſacris publicis in Reſidentia Domini intereſſe, alio vero territorii loco, etiamſi numero plures fuerint, non videntur exercitium inſtituere poſſe, quamdiu ut ſinguli conſiderantur, collecti ſcilicet ex pluribus locis.

(b) *Aliqua communitas eveniente mutationis caſu.)* Itaque duo requiruntur (1) ut ſubditi illi ſint communitas (2) ut caſus mutationis evenerit. Eſt vero communitas hic multitudo hominum, uno loco ſociata aliquo juris vinculo, & iisdem addicta ſacris, quorum exercendorum cauſa commune templum & communes miniſtros habent, qui ſacra faciunt. Germanice dicimus: Eine Gemeinde. Quæſo ne accuratam hic a me hujus rei definitionem deſideres. Sunt enim res nonnullæ quæ ſolo nomine facilius intelliguntur, quam exacta & operoſa definitione. itaque ſi Tu meæ addere quædam poteris, quibus res definita clarior fiet, non modo hoc venia mea facies, ſed & gratiam inſuper habebo,

Alte-

exercitium, cui Princeps vel Dominus addictus eſt, (c) liberum eſto, ſine reliquorum præjudicio, ei illud indulgere, a ſucceſſoribus non auferendum. (d) At Conſiſtoriales Sacrorum Viſita-

Alterum eſt *caſus mutationis*, quod de Domino Territorii eſt intelligendum, ſive ipſe mutet religionem, ſive in terras alius hactenus religionis a ſua ſucceſſerit, ad modum eorum, quæ paulo ante ſunt tradita, & quæ repetere huc non opus eſt.

(c) *Domini ſui religionem amplexa petierit ſuo ſumtu exercitium, cui Princeps vel Dominus addictus eſt.)* De exercitio Religionis publico hæc præcipue eſſe intelligenda crediderim, privati enim longe minor eſt invidia, quod non dubito Dominum illis etiam concedere poſſe, qui ſunt aliquo numero, etſi communitatis formam vel jura non habeant. Petitio autem a Communitate pro indulgendo exercitio fit apud Dominum ipſum, & quidem ſumtibus petentium, absque ullo alterius partis onere vel præjudicio.

(d) *Liberum eſto, ſine reliquorum præjudicio ei illud indulgere, a ſucceſſoribus non auferendum.)* Hoc liberum eſt domino, ex cujus arbitrio iſta indulgentia dependet: Neque enim Communitas hoc ex loco jus ſive actionem habet pro obtinendo exercitio, ſi Domino cauſæ fuerint, cur in præſentia his precibus ſtatim ſuccurrere nolit, quanquam non facile ſit pertimeſcendum, ſubditos ea in re repulſam laturos, niſi prægnantes adſint rationes, quæ contrarium ſuadeant. Quod vero additur, hanc gratiam indulgendam eſſe ſine reliquorum *(i. e. alterius partis)* præjudicio, id civiliter intelligendum ut invidia pro præjudicio non reputetur, ſed opus eſt, ut reliquorum interſit vere & cum effectu, quando ſcilicet ex ea conceſſione damnum vel incommodum paſſuri ſunt. Nam metus, ne altera religio hac data libertate latius propagetur, & cum tempore ſuis ſacris præjudicium afferat, non ſufficit, uti nec aliæ cauſæ leves, & cavillis ſive calumniis quam æquitati propiores. Denique quod additur, *a ſucceſſoribus non auferendum*, eo præcipue pertinet, ne ſi forte ſucceſſor religionem iterum mutet, illi communitati de religionis ſuæ exercitio quæſtio Status moveri de integro poſſit, hoc colore, ac ſi a deceſſore publicum religionis exercitium contra id, quod hoc articulo §vo 1. jam conventum erat, mutatum fuerit.

Quanquam vero hæc omnia in caſus futuros ſic placuerint, ſcilicet quoties communitas novi ſui Domini religionem poſthæc amplectitur, dubium tamen non eſt, quin etiam ad eum caſum pertineant, quando aliqua forte communitas fuit, quæ jam ab antiquo pro-

Digitized by Google

profitebatur, ſed ſine publico exercitio, illam religionem, cui Succeſſor novus poſthæc nomen etiam dat. Licet enim veteres Domini, qui alterius religionis erant, huic Communitati, forte id petenti de exercitio non annuerint, id legi huic fraudi eſſe non debet, quominus eam deinceps libertatem a novo Domino, quocum ejusdem ſunt religionis, impetrent.

Imo, ut verum fatear, ego vehementer eo inclino, huic loco vim non facturos eſſe, qui in ea re ex æquo & bono præſidium etiam illis quærunt, quos hactenus ſufficienti familiarum numero in urbe aliqua aut loco viventes, toleratosque ad inſtar aliorum Civium, Domini aut Magiſtratus, qui diverſæ ſunt Religionis, exercitio ſuæ prohibuere. Quamvis enim hoc ipſum κατὰ τὸν ῥητόν, & diſertis verbis ibi non habeatur, ſumma tamen æquitas poſtulati, & ratio mutuæ caritatis inter Proteſtantium partes benignam interpretationem ex mente paciſcentium ſuppeditat, quam non omnino invita lege per extenſionem aliquam facimus, præcipue in re adeo favorabili qualis eſt mutua tolerantia inter Proteſtantes, etſi diſſentientes in aliquibus religionis capitibus. Caſus diverſos eſſe non ignoro: in noſtra enim lege Dominus territorii copiam facit exercitii ſuæ religionis illis communitatibus, quæ recens hanc amplexæ ſunt: Hic vero Dominus in Territorio, vel Magiſtratus in urbe poſtulatur, ut certis familiis, eo numero auctis, ut Communitatis alicujus nomen formamque habere poſſint, exercitium concedat Religionis hactenus illo loco non ſolitæ celebrari, atque adeo a publica loci religione diverſæ, quamvis Evangelicæ. Hic lubens fateor, Dominum iis facilius conſultum cupere, qui una ſecum ſacra habent, quam qui diverſa. Sed quando æquitatem deſiderii in ſe, tum vero etiam rationem Status rei Evangelicæ cum debita attentione & animo ſtudiis partium vacuo conſideramus, nec ſtolatos illos & amplis manicis indutos audimus, quorum maxime intereſt, bellum literarium civile perpetuum & internecinum religionis cauſa inter Proteſtantes Ducibus Theologis geri, qua una re iſti commendabiles & neceſſarii fiunt, mitiori forte ſententiæ locus dabitur. Primo enim, quantulum eſt, quo invicem diſſidemus, ſi calumniandi & malitioſa conſectanea fabricandi pruritum dempſeris. Deinde cum Pontificii omnibus horis contra nos in Statu ſint, & continuo inſidientur, ſi qua ſe forte occaſio obtulerit nocendi nobis, quid juvat hoſti tam vigili & infeſto inteſtinis noſtris odiis & certaminibus latus ad percutiendum nudare, cum ſi confertis ordinibus ſtamus, multo difficilior ipſis erit opportunitas perrumpendi & turbandi aciem noſtram. Eſt autem unica ratio munien-

niendi nos contra illorum inſultus, ſi concorditer ipſi vivimus, atque toti in eo ſumus, quo pacto inimicorum noſtrorum inſidioſas artes eludere, atque impetus frangere liceat. Enimvero ad hanc ipſam concordiam & unionem animorum, nihil fortius iſta tolerantia, & ut partes Proteſtantium levibus quibusdam in rebus adhuc inter ſe opinionibus diviſas patiamur, unamquamque ſuo ſenſu abundare, & ſuis ſacris ex cujusque inſtituto operam dare, præſertim cum neutra alteri moleſtiæ vel oneri eſt, ſed ſuis quæque ſumtibus privatis hanc libertatem ſibi fieri petit, nullo præterea ſubſidio, quam ut locus ſibi alias vacuus in urbe detur, redimendus etiam, ſi opus fuerit, juſto pretio, ubi Pſalmos canant, preces ad Deum fundant, inter alia etiam pro ipſius Civitatis ſalute, & denique conciones habeant ad populum in religione inſtruendum. Si Hiſtrionicæ faciendæ cauſa hanc ſibi facultatem peterent, protinus forte conſentiremus, etſi hac profeſſione ad corrumpendos civium mores nulla facile alia ſit accommodatior magisque efficax. dum interea illos hominum conventus prohibemus & diſturbamus, ubi omnis generis ætates pietate & honeſtis moribus imbuuntur ſalutari diſciplina. Neque enim in doctrina Reformatorum quicquam eſt, quo civili ſocietati periculum ſit. omnia potius ita comparata ſunt, ut reipublicæ ſalus his ipſis promoveatur & formetur. Cur igitur contra propria commoda loboramus, neque dolos eorum videmus, quibus hæc unica eſt cura, ut ſoli dominentur, & in honore apud Cives ſint, quamvis ea re & Civitatem & ipſam denique religionem perire oporteat? Enimvero non ideo nobis, quia huic hominum generi tanta ineſt vecordia & inſania, conſultum eſt, ut cum eis inſaniamus, quibus ex officio incumbit, ad publicum bonum omnia noſtra conſilia conferre, & hanc inprimis indignitatem fugere, ne ſinamus nos videntes atque intelligentes a cœcis & ineptis Ducibus regi, eorumque pravis cupiditatibus inhoneſtiſſime famulari. Si Reformati hanc licentiam exercendæ ſuæ religionis Lutheranos poſtularent, absque reciproca apud ſe indulgentiâ, eſſet utique, cur Hi ſe excuſare poſſent velut indignius habiti. Nunc cum ipſi hanc conditionem offerant, & mutua ſaltem petant officia, quæ hæc non eſt malignitas & inofficioſa agendi ratio, non reſpondere eadem comitate tam benignis & utrique parti utiliſſimis oblatis. Allegant quidem Civitates aliquam diſparitatis rationem, ſed mehercle admodum levem: quod enim ajunt, omnes fere ſuas urbes Lutheranæ religioni eſſe addictas; Reformatos autem nullas habere, in quibus iterum ſibi gratia de religionis ſuæ exercitio fieri poſſit, de eo certe melius tacuiſſent, memores ampliſſimarum Provinciarum, quibus Reformati potiuntur, ubi Lutherani mutua hac tolerantia compendium facere poſſent centuplo majus eo, quod vi-

Viſitatores, Profeſſores Scholarum & Academiarum, Theologiæ & Philoſophiæ, non niſi eidem Religioni addicti ſint, quæ hoc tempore quolibet in loco publice recepta eſt. (e) Sicut autem ſupra dicta omnia de mutationibus futuris intelligenda ſunt,

ciſſum permittunt. Duarum ſaltem, vel ſummum trium Civitatum Imperialium officia hanc circa rem in præſentia deſiderantur, quibus aditum Lutherani ſuæ religioni patefaciunt in omnes Reformatorum Statuum terras; quam libertatem quo vilius poſſent emere tantula indulgentia? ut jam taceam occaſionem hujus obſequii, cetera innoxii, quo tamen magnos ſibi Principes devincire poſſunt, ad vicem aliis temporibus & in aliis etiam eorum negotiis repedendam, quæ oportunitates non facile negligi ab iis ſolent, quibus & aliquis futurorum reſpectus & cura. Et ſi nobis mens non læva eſſet, aut præſtigiis Theologorum noſtrorum faſcinata, vel experimento docti jam diu mutaſſemus. Quanti enim hæc pervicacia Lutheranis in Palatinatu inferiori ſtetit? quorum conditio aliquali ſaltem gratificatione multis modis melior reddi potuiſſet, cum nunc venter eorum, ſi utique vera ſunt, quæ de ſuis miſeriis per univerſum orbem diſſeminant, multitudine querelarum non paſcatur, quibus Principum Evangelicorum aures opplent.

(e) *At Conſiſtoriales ſacrorum Viſitatores, Profeſſores Scholarum & Academiarum, Theologiæ & Philoſophiæ non niſi eidem religioni addicti ſint, quæ hoc tempore quolibet in loco publice recepta eſt.)* Si communitas pro paroecia ſumitur, ſeu certo urbis tractu, cujus incolæ illi paroeciæ adſcripti ſunt, & ubi proprium parochum habent, quem in ſacris adminiſtrandis ratione eorum actuum, qui ad jura ſtolæ pertinent atque utilitates Miniſtris adferunt, adire debent, in cujus generis paroecias plures urbes paulo majores plerumque deſcriptæ ſunt, res difficultate caret. Sed aliud ſupereſt dubium, quando tota urbs communitas appellatur, & religionem Domini territorialis ſimul publico conſilio amplectitur. quo caſu cum diſtinctione aliqua reſpondendum forte erit. Nam ſi in Conſiſtorio, quod in urbe illa eſt, ſolis urbis incolis jus dicitur, neque jurisdictio ejus ad alia territorii loca protenditur, non intelligo ſane, quid reliquorum ſubditorum interſit, ſi Conſiſtoriales etiam iſta in urbe eandem religionem profiteantur, quam communitas ſectatur: indignum potius foret, nec facile ferendum, incolis Judices obtrudere velle, diverſæ religionis, cum ſine cujusquam injuria vel præjudicio copia eorum datur, qui ſecum ejusdem ſunt Eccleſiæ, & qui adeo de ſuæ religionis commodis, juribus & neceſſitatibus longe

ſunt, (f) ita Juribus Principum Anhaltinorum & ſimilium, quæ ipſis competunt, nullum adferant præjudicium, (g) ſed præter

longe rectius extraneis judicare poterunt. Par ratio eſt Viſitatorum, qui ſacris præfecti ſunt. quam enim fiduciam Reformati in Viſitatores Lutheranos collocabunt, quoties de ſuis ſacris ordinandis & emendandis cenſura habetur? Denique quod ad Profeſſores Scholarum & Academiarum Theologiæ atque Philoſophiæ attinet, referre puto, num Academia illa in ſola Domini ſit poteſtate, cujus etiam ſumtibus ſuſtentatur, nullo Statuum Provincialium onere, aut jure quæſito; ſin vero Status illi Provinciales pacto vel conſuetudine in communione cum Domino ſunt adminiſtrandi res Academiæ, ſine quorum conſenſu hic decernere aut mutare nihil poteſt, negotium hoc paulo difficilius procedit, agendumque cum Statibus illis erit, ut ſe cum opus fuerit aliquatenus Voluntati Principis accommodent. nam invitis illis mutationem ex hoc loco prohibitam non nego. neque enim fruſtra & ſine cauſa de Profeſſoribus ſaltem Theologiæ & Philoſophiæ non mutandis cautum eſt, quæ duæ facultates proprie ad religionem pertinent, ſibique hoc reſpectu aliquo vinculo connectuntur, data Principi majori libertate & arbitrio de conſtituendis Profeſſoribus Juris & Medicinæ, unde ſacris nihil periculi aut fraudis. Denique quod additur de tempore, intelligendum hoc de illo, quo Pax Weſtphalica eſt facta & ſubſcripta, quod normam rei agendæ præbet.

(f) *Sicut autem ſupra dicta omnia de mutationibus futuris intelligenda ſunt.)* En iterum locum clarum & apertum, quæ hoc §vo circa jus reformandi inter Status Proteſtantes conventa ſunt, futuris mutationibus eſſe præſcripta. Hæc enim verba *ſupra dicta omnia*, non tantum ad ea pertinent, quæ hoc 2do §vo dicta ſunt, verum etiam ad §vum Imum adeoque totum hunc articulum ſeptimum.

(g) *Ita juribus Principum Anhaltinorum & ſimilium, quæ ipſis competunt, nullum adferant præjudicium.)* Rem hic acu, ſi unquam alias, tetigit Buckiſch ſua interpretatione, obſerv. 14. ad hunc §vum 2dum igitur verba ejus deſcribere haud pigeat. *Sicut autem*, inquit, *hæc dicta quoad jus reformandi de mutationibus futuris intelliguntur, ſic Statibus Imperii, quoad jus reformandi, exercitium religionis in ditionibus, QUAS ANTE OBTINUERANT, nullum modum ponunt: Sed Proteſtantes ejuſmodi Principes ac Status ad ſuæ religionis ritus exercitium religionis reformare poſſunt, cui ipſi addicti ſunt; modo pacta cum ſubditis vel Statuum Proteſtantium inter ſe non obſtent. talia enim pacta illibata ſervari debent.*

Digitized by Google

præter Religiones ſupra nominatas nulla alia in ſacro Imperio Romano recipiatur vel toleretur. (h)

debent. Ad annum vero 1624. inter ſe alligati non ſunt, nam de jure reformandi inter ipſos, non aliter, quam de mutationibus futuris hic cautum eſt. Nihil poſſet hic verius dici, nec quod mentem Paciſcentium proprius aſſequatur, modo hoc addamus, ad mutationes futuras numerari, non modo, cum Princeps poſt pacem novas ditiones acquirit: verum etiam cum illo tempore *ad alterius partis ſacra tranſit.* Nam hoc quoque caſu illi reformationi eſt interdictum, in terris etiam quas jam diu ante pacem obtinebat: Mutationes itaque futuræ non tantum ad territoria recens quæſita ſpectant, ſed & ad Domini ipſius perſonam, ſi quando deinceps religionem mutarit. Nam ſi hoc ante pacem fecerit, ſive diu, ſive brevi tempore, hoc pacto jus ejus reformandi non circumſcribitur, uti hoc recte Buckiſch obſervavit, & hæc ipſa verba noſtri textus luculenter oſtendunt. Neque enim alia ratio, cur Principes Anhaltini eorumque jura reformandi hic excipiantur, quam quod Hi, uti recte ad hunc locum etiam notavit Obrechtus, religionem jam habuere conſtitutam, hæc autem diſpoſitio in futurum tantum, non vero in præteritum ſarta ſit. Quamvis ſi Princeps quidam Anhaltinus jam forte ad alterius partis religionem tranſiret, ipſi eadem lex, quæ aliis, dicta eſſet. Quod autem additur, *& ſimilium*, id hunc ſenſum habet, ne putemus, Principibus Anhaltinis, hic peculiare quid & præcipuum circa jus reformandi tribui: Eorum enim ſaltem exempli loco fit mentio, & per verbum *ſimilium*, includuntur omnes illi, qui pari cum iſtis conditione & ſtatu ſunt. Fallit enim oppido pudendum in modum Verſio Germanica, uti ſæpe alias, quæ verba, *& ſimilium*, ſic vertit: und dergleichen Gerechtigkeit haben; uti vel obiter textum inſpicientibus apparet, modo de verborum conſtructione Syntaxin ſuam conſulere velint. Unde non dubito omnes facile animadverſuros, quam amplo & libero jure reformandi non Anhaltini modo Principes, ſed & Electores Brandenburgici, in illis terris adhuc gaudeant, quarum poſſeſſionem ante pacem Weſtphalicam nacti fuere, quo præcipue Marchionatus ille quadruplex pertinet, & Provinciæ ex ſucceſſione Juliacenſi acquiſitæ, quatenus ſcilicet illi juri per pacta cum ſubditis vel aliis Statibus ante hæc inita, modus non fuit poſitus, quæ ſervare bona fide oportet.

(h) *Sed præter religionis ſupra nominatas nulla alia in Sacro Imperio Romano recipiatur vel toleretur.)* Præter tres illas religiones, Reformatam, Lutheranam & Catholicam, omnes aliæ hic apud nos exulare jubentur. Cum

Cum vero hoc de *alia religione* dicitur, id primo intelligendum eſt de publico exercitio, ſi quis forte Statuum diverſam a tribus illis religionem ſuo in territorio introducere & ſtabilire velit. Privatis enim, ob ſingulares aliquas opiniones circa ea quæ credenda ſunt, non protinus manſione interdicitur: Sunt enim quibusdam in locis haud pauci Meniſtæ, Anabaptiſtæ, Sociniani & alii ex ſectis hujus farinæ, quos privatim ſuæ devotioni vacantes, inter nos verſari patimur, quamdiu tranquille vivunt nec oſtentatione ſuorum ſacrorum ſcandalum præbent, vel cœtus agunt Reipublicæ periculoſos. Neq; etiam illis auctor ego eſſem, ut ſollicitatione aliorum ſectatores ſibi & aſſeclas quærant, id nunquam facturi, quin curam & ſollicitudinem de factionibus ei injiciant qui regioni eum imperio præeſt. De cetero merito cuique licere debet de ſe ſtatuere, qua potiſſimum ratione privatim & ſine ſtrepitu nos Deum nobis propitium & placabilem facere poſſimus. Hæc enim ſeveritas & tyrannis in conſcientias aliorum, qua Pontificii utuntur, qui cogitatorum etiam pœnas licere volunt, quos fortaſſe deprehendunt diverſis, nec ſuæ religioni congruis opinionibus imbutos, certiſſimum eſt ſignum, timere Clerum ſuis rebus, ne impoſturæ male ſatis rectæ tandem deprehendantur novaturientium audacia, quam ideo igne, laqueo, culeo & atrocibus aliis ſuppliciis reprimere neceſſe habent. Quodſi hæc imitantur Proteſtantes aliquando mitioribus remediis, veluti exilio, fuſtigatione, cenſura eccleſiaſtica & ſimilibus, haud exiſtimare nos oportet, ita recte & ex ordine a nobis fieri. Saltem enim gradu aliquo peccamus mitius, culpa omni non vocabimus. Qui enim ſoli Deo de fide ſua rationem reddere debent, in eos eam ob rem nulla apud nos eſt juſta animadverſio, modo ſibi de cetero a ſeductione & motibus temperent, in quibus deprehenſi non ex cauſa religionis puniuntur, ſed more ſeditioſorum. Alia eſt apud Pontificios ratio, qui facilius quævis crimina & ſcelera condonant, quam eos ferunt, qui de novis in religione opinionibus vel ſuſpecti ſaltem ſunt. illis enim quia ſaltem civilis ſocietas læditur, imperio Cleri nullum directe creatur periculum, ideoque non valde curant, quid Magiſtratus civilis de his facinoroſis ſtatuat: quemadmodum Pilato perinde fuit, qualem ſe Regem Chriſtus ferret, modo una teſtaretur, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, de quo Romani unice erant ſolliciti. Ita iſti homines inſuper omnia habent & negligunt, quæ ſuis rationibus non ſunt adverſa. Quandoquidem vero totus Cleri dominatus opinionibus & ceremoniis nititur, quibus mutatis ſolvitur confeſtim illa machina, per tot ætates indicibili vafritie per ſpeciem devotionis & cultus divini conſtructa, atque hactenus utcunque conſervata: idcirco in illos ſtatim implacabili odio exæſtuant & ſæviunt, quibus hæc eſt audacia & fervor animi, ut vel tantillum in iis improbare & tollere geſtiant, quem in finem omnis ille inquiſitionis rigor & tyrannis eſt introducta, utcunque ſpecioſis titulis & obtentu zeli pro religione atque cauſa Dei rei atrocitas & injuſtitia pallietur & edulcetur. Mirum profecto fuit, hæc initio hominibus, qui mentis ſunt compotes, perſuaderi potuiſſe, ut ſuam in pernitiem atque ſervitutem tam horridum & immane Tribunal erigi paterentur, manifeſto & vitæ ſuæ & omnium bonorum, imo etiam famæ periculo, quæ omnia improbis & pudendis Papæ mancipiis ſubjiciunt, ex cujus nutu & libidine ſine modo & miſericordia in miſeros illi ſuam jurisdictionem exercent, ut hoc unum ad triremes & rogum ſatis ſit, Papæ diſplicuiſſe. Sed ſimplicitas ſeculi, & callidæ impoſtorum artes, qui honore & gloria Dei, illis ovinis pellibus, rapaces luporum rictus, & cruentos dentes, obtegere novere, eo valuere, ut illis ipſis nos miniſtros ſævitiæ ſuæ & carnifices præbeamus, quibus internecinum bellum indicere & noſtra & religionis cauſa præſtaret. Eo enim ſuperſtitionis apud Hiſpanos, & Luſitanos eſt ventum, ut primariæ etiam nobilitatis viros, & qui in gerenda republica poſt

Re-

Reges ſuos ſummo loco ſunt, adeo non pudeat in famulitio Inquiſitorum eſſe, & damnatos ad ignem lictorum inſtar ducere; ut potius hoc ipſum infame & deteſtabile miniſterium gloriæ ſibi & honori ducant, eamque operam maximo ambitu expetant, & Inquiſitores propterea mirum in modum prenſent, luculento & publico teſtimonio, nulla re alia efficacius mentes noſtras a ratione, ab honeſtate, quin ipſo humanitatis ſenſu moveri, &, ut obbruteſcant effici, quam malo religionis uſu, ſive Clero nihil credamus, ſive nimium. Illud ſecuritatem in ſacris & divinis facit: Hoc ſuperſtitione inſipida & delira faſcinat animos, & ad lingendum vel ſputum Cleri paratos promtosque reddit: ut impletum non modo in fatis Apoſtolorum fuerit Chriſti vaticinium, ſed nunc etiam quotidie impleatur, ſuperſtitione imbutos perſecutione bonorum perſuaſum habere, ſe Deo rem gratam facere: quo faſcino ad omnis generis maleficia impelli facile poſſunt. ut, ſi optio mihi detur, mallem ego profecto in civili ſocietate ſolutiorem paulo magis in divinis, quam ſuperſtitioſum; Ille enim ſibi adhuc eſt relictus, ut vir bonus eſſe poſſit, ſi velit: Hunc cœco obſequio eſſe oportet quem Clerus vult; vult autem plerumque ſibi & ſuis rationibus deditum, quæ longe a cauſa Dei & vera pietate ſunt ſeparatæ, quicunque etiam fumus verbis ſpecioſis & cothurnatis offundatur oculis noſtris. Vere enim ille dixit de Clero, *dum unum cœlum videntur intueri, unius cauſam agere, tum vero etiam vix de terra recedunt.*

Sed quæritur, cujus ſit judicium, ſi de aliquo diſceptatur, an religioni ex tribus illis addictus ſit, vel non ſit? Mota fuit illa quæſtio, ante annos non ita multos, occaſione quorundam Incolarum Salisburgenſium, quibus religionis cauſa migraturis Archiepiſcopus hanc libertatem denegare eſt conatus, hoc obtentu, quod erroneas quaſdam opiniones foveant, quæ nec Reformatorum nec Lutheranorum doctrinæ ſatis convenire deprehendantur. Sed reſponſum eſt a Statibus Proteſtantibus, ſuum eſſe arbitrium, non aliorum, ſtatuere, quos arbitrentur, de cœtu ſuo eſſe, neque protinus excludi eos debere, qui a luce Evangelii & publica fidei profeſſione per omnem ætatem remotiores, atque ſola ſcripturarum lectione, vel aliis piis libris, in occulto formati, in quibusdam adhuc errant, quamdiu parati ſunt, illius Eccleſiæ dogmatibus adhærere, atque authoritate ejus & præceptis in credendorum articulis ſtare, cui ſe aggregare & cujus membrum eſſe volunt. Hanc libertatem arbitrandi de ſuæ Eccleſiæ hominibus, nec ipſi Pontificii facile ſibi paterentur eripi, cum nemo eorum gremio ejiciatur, qui fidem ſuam aut potius opiniones antehæc conceptas Eccleſiæ judicio ſubmittit, atque deponere eas ad præſcriptum eorum velit, qui regendis conſcientiis ſunt præpoſiti. quæ accommodatio voluntatis errantium ad voluntatem Cleri eo usque valet, ut in Sinenſi Imperio illi etiam pro Chriſtianis Catholicis habeantur, qui baptizati modo ſunt, & profeſſionem faciunt de obedientia Eccleſiæ Romanæ ejusque mandatis præſtanda, etſi Idololatricum interea cultum, quem Confutio ſuo alii Sinenſes Ethnici magna devotione exhibere ſolent, nihilominus retineant, ejusque memoriam velut ſemi Dei quotannis celebrent invocationibus & oblationibus ſuperſtitioſis. Ita apud nos etiam quæ de immaculata Virginis conceptione inter ordines quosdam religioſos ſunt controverſiæ, unde in calore diſputandi hæreſes ſibi invicem & ſchiſmata imputant, atque impingunt, nulli parti nomen Catholici adimunt, quamdiu ſtare volunt ſententia Pontificis: pari ratione cum illis agitur, qui pro Janſenio contra Jeſuitas pugnant: ut alia omittam. Cum ex adverſo hæreticus protinus erit & Schiſmaticus, qui licet fidem orthodoxam more Eccleſiæ Romanæ per omnia dogmata amplexus fuerit, nolit tamen ſe ſuasque opiniones judicari a Pontifice Romano. quod Henrico VIII. Angliæ Regi accidit, qui in Catholica religione mortuus eſt, eamque ſcriptis editis defendit, cujus hæc una culpa erat, autoritatem Pontificis abrogaſſe.

Digitized by Google